CORPUS REFORMATORUM

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

VOLUMEN XIV.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1847.

PHILIPPI MELANTHONIS

OPERA

QUAE SUPERSUNT OMNIA

EDIDIT

CAROLUS GOTTLIEB BRETSCHNEIDER.

VOLUMEN XIV.

HALIS SAXONUM

APUD C. A. SCHWETSCHKE ET FILIUM.

1847.

VOLUMEN XIV.

LIBRI PHILIPPI MELANTHONIS

IN QUIBUS ENARRAVIT SCRIPTURAM SACRAM.

X. EXPLICATIO PROVERBIORUM SALOMONIS.

XI. ENARRATIO IN ECCLESIASTEN.

XII. ANNOTATIONES IN EVANGELIA.

ANNOTATIONES IN EVANGELIUM MATTHAEI.

ANNOTATIONES IN EVANGELIUM IOANNIS.

X. EXPLICATIO PROVERBIORUM SALOMONIS

IN SCHOLA WITEMBERGENSI DICTATA.

ANNO M.D.LV. A PHILIPPO MELANTHONE. ESTQUE HAEC POSTREMA.

Primum Melanthon edidit 1) *versionem* latinam proverbiorum Salomonis sic inscriptam:

„Sententiae Salomonis iuxta hebraicam veritatem summa cura redditae. Autore Philippo Mel. 1524." (sine loco.) — Dicata est Ioanni Friderico Duci Saxon., et epistolam nuncupatoriam lege supra in Epistolis T. I. p. 774. — Recusus est hic liber Norimbergae, a. 1525, Lipsiae 1531. et saepius.

Postea 2) eadem versio prodiit cum annotationibus Melanthonis, sed inscio et invito Melanthone (ut ipse professus est in epistola dedicatoria novae editionis anno 1529, quae videatur suo loco), sic inscripta:

„*Παροιμίαι*, sive Proverbia Salomonis cum annotationibus Phil. Mel. Norimbergae per Io. Petreium. 1525. 8. 18½ pl." — Item Haganoae apud Io. Sercerium 1525. 1 Alph. 11 pl. — Germanice: „Auslegung Philipps Melanchthon yber die Sprüch Salomo mit seiner gunst und willen verdeutschet durch Justum Mendum aus Erffurdt. M.D.XXVI." (In fine: Gedruckt zu Erffurdt durch Melchior Sachssen, zum Leoparden bei S. Georgen, im Jahr M.D.XXVI. (4. 17 pl.)

Prodierunt 3) „*Nova Scholia* Phil. Mel. in Proverbia Solomonis ad iusti pene commentarii modum conscripta. Haganoae Io. Sercer. 1529. mense Maio. 8. 20 pl." — Hunc librum Melanthon dicavit Magno, Duci Megapolitano (vid. supra Epp. ad ann. 1529). — Recusa sunt haec scholia Haganoae 1531. Iterum 1532. Halae Suevor. 1538.

Postea 4) Melanthon denuo librum Salomonis tractavit, et prodiit: „Explicatio Proverbiorum Salomonis in Schola Witebergensi recens dictata a Phil. Melanthone. Francof. ex officina Petri Brubachii, m. Maio 1550. 8. 16 pl." — quem librum Melanthon recognovit et emendatiorem edidit anno 1555: „Explicatio Prov. Sal. in Schola Wit. dictata a. 1551. a Phil. Mel. Witeb. 1555. 8. 12 pl." — Dicatus est liber Ioanni Alberto, Duci Megalburgensi, et epist. dedicatoriam vide supra in Epistolis Tom. VII. p. 705.

Hanc postremam editionem Peuceri inseruit operibus Melanthonis T. II. p. 872, quam hic etiam dedimus.

PRAEFATIO PHILIPPI MELANTHONIS IN PROVERBIA SALOMONIS.

Usitata admonitio est, de duobus modis docendi, quorum alter est integra Dialectica methodus, ordine procedens, et quasi integrum aedificium extruens, ut universa doctrina in unum corpus redigatur. Ut, cum medicus primum de fabricatione corporis, de membris et de humoribus, postea de morborum causis et generibus, deinde de remediis dicit.

Alter modus est, cum breves sententiae traduntur, tanquam aphorismi, idque saepe fit promiscue sine magna cura ordinis: ut praecepta moralia scipserunt Phocylides, Theognis, et alii. Talis coacervatio sententiarum est hic liber Salomonis, cui titulus est in Latina editione: *Proverbia.* Etsi autem discrimen est tum apud Graecos inter *γνώμας* et *παροιμίας*, tum apud Latinos

inter sententias et proverbia: tamen Ebraeis uno nomine promiscue utrunque significatur.

Sententia seu *γνώμη* est breve dictum, continens praeceptum de moribus, aut commonefactionem de praemiis et poenis, aut descriptionem eventuum in vita, quorum consideratio etiam prodest ad commonefactionem. Praecepta sunt: Sperne voluptates, nocet emta dolore voluptas. *Μέμνησο ἀπιστεῖν. Γνῶθι σεαυτὸν.* De praemiis et poenis: *εὐσεβέων παίδεσσι τὰ λώϊα, δυσσεβέων δ' οὔ.* De eventibus. Luxuriant animi rebus plerunque secundis. Fortuna quem nimium fovet, stultum facit.

Sed Proverbium est valde celebratum dictum, et plerunque figura aliqua, seu metaphora, seu collatione, seu imagine, seu hyperbole, seu ironia aliquid significans, sive sententiam contineat, sive aliam qualemcunque descriptionem, ut: Dolium pertusum. Ad Calendas Graecas. Eat ad corvos. Euripo mutabilior. Haec et multa alia nullas sententias continent. Sed alia tempus, alia locum, alia alias circumstantias figurate significant.

Etsi igitur aliud est proverbium, aliud sententia: tamen multa proverbia simul sunt sententiae, ut Spartam nactus es, hanc orna. Sententia est, monens ut suam quisque vocationem, sicut nominamus, intelligat, et intra metas eius se contineat, et recte faciat ea quae sunt sui officii. Ideo autem et proverbium est, quia figura ornatum est, et valde celebratum. Non videmus manticae quod in tergo est, sententia est, reprehendens caecam *φιλαυτίαν*, quae tamen de aliis acerbius iudicat. Simul autem proverbium est, quia figuratum est, et valde celebratum. Ita sunt sententiae et proverbia: Dat veniam corvis, vexat censura columbas. *Τὰν ἀρετὰν καὶ τὰν σοφίαν νικᾶντι χελῶναι*, id est, virtutem et sapientiam vincunt testudines, id est, pecunia.

Cum autem talia dicta multa sint in hoc libello, quae simul et sententiae sunt et proverbia, titulus Proverbiorum non male congruit, sed sive titulus erit sententiae, sive proverbia, sciendum est, hic collectum esse acervum dulcissimarum sententiarum, quae sunt praecepta de omnibus virtutibus.

Saepe autem monemus, summam doctrinae de virtutibus, ut aliquo modo comprehendi possit, includendam esse in Decalogum. Idem hic faciendum est, et genera sententiarum iuxta Decalogum distribuantur. Aliae de prima tabula, aliae de secunda loquuntur. Haec genera sic nominari possunt: Aliae sunt Theologicae, quae de Deo et de praeceptis primae tabulae concionantur. Aliae Politicae, quae gubernatorum officia continent. Aliae Ethicae, quae de communibus omnium moribus praecipiunt. Aliae Oeconomicae, quae de coniugio, et de domestica gubernatione loquuntur.

Cum autem sententiae in omnibus linguis gratae sint, quia breviter de rebus honestis praecipiunt, et expetuntur, tanquam assiduae monitrices in hac tanta varietate actionum humanarum, sciendum est, in his vetustissimis dictis Salomonis singularem esse dulcedinem, et propter figuras, et propter res ipsas. Multa enim de arcanis affectibus, multa de causis et seminibus maximarum mutationum in vita, et de praecipuis momentis gubernationis monent, quae non sunt agrestia, seu Bucolica, ut multi putant. Quam blanda pictura est coniugii, cum mariti et coniugis mutuum amorem, simplicem, sincerum, dulcem, nihil fuci, nihil suspicionis, nihil morositatis habentem, pingit imagine capreae et hinni? Quanta suavitas est praecepti oeconomici: Fontes tui deriventur foras, et tu dominus eorum maneto. Quid amabilius est fontibus et rivulis, rigantibus et tuos hortos, et vicinos? Quam copiosa doctrina continetur in hoc dicto. Approbat distinctionem dominiorum, praecipit iusticiam et frugalitatem, ut suum quisque teneat, et ab alieno abstineat, suos fundos diligenter colat, beneficentiam quoque exerceat, sed ita, ne ex fundo excuciatur, verum iuvet alios ex fructibus. Tales sunt multae sententiae in hoc toto acervo, quae blandissimis imaginibus et dulcissimis figuris significant res maximas.

Necesse est autem et hoc initio moneri, magnum discrimen est inter *γνωμολογίας* ethnicas, ut sunt Phocylidis aut Theognidis, et has a Salomone in Ecclesia Dei traditas, sicut alias in genere dicitur de discrimine philosophiae et doctrinae sonantis in Ecclesia.

Ut philosophia particulam legis retinet, ita et Phocylides aliquid dicit de ira Dei, et de poenis scelerum. Sed de Mediatore, de remissione peccatorum, de reconciliatione, de vera invocatione, fide et spe, de praesentia Dei in calamitatibus nostris, non dicit, caeterum utcunque re-

citat multa praecepta, pertinentia ad secundam tabulam Decalogi. Salomon vero de vera agnitione et invocatione Dei, et de caeteris virtutibus ad primam tabulam pertinentibus saepe concionatur, ut: Initium sapientiae timor Domini. Item: Confide Domino in toto corde tuo, et non innitare sapientiae tuae, in omnibus viis tuis cogita illum, et ipsi diriget gressus tuos. De cruce: Quem diligit Dominus castigat, ne deficias ab eo. Et de salute post hanc vitam: Sperat iustus in morte sua.

Iulianus imperator opposuit Salomoni Phocylidem, cum disputat, nihilo maiorem sapientiam tradi in libris propheticis et apostolicis, quam qualis apud Ethnicos reperitur. Et Cyrillus refutans Iulianum, tantum eo antefert Salomonem, quod aetate antecesserit Phocylidem. Nam Phocylides, qui fuit Milesius, et Theognis, qui fuit Megarensis, Cyri et Thaletis aetate vixerunt. Sed haec puerilis responsio non satisfacit magnitudini huius disputationis. Dicendum enim fuerat de veris fontibus doctrinarum, aliam esse doctrinam Legis, aliam Evangelii. Et concedendum fuerat, Phocylidem recitare bonam partem legis, sed tamen aliam propriam Ecclesiae doctrinam esse, scilicet de patefactione Dei, facta illustribus testimoniis, de editis promissionibus, de Evangelio, annunciante remissionem peccatorum, et offerente aeternam vitam propter Filium, de consolatione in cruce. De his summis rebus muti ethnici scriptores. Id discrimen semper in conspectu esse oportet, ut sciamus, quae sit doctrina Ecclesiae propria.

In praefatione et hoc addendum est: Cum hic liber in vera Ecclesia Dei scriptus sit, in qua nota erat promissio de Messia, intelligamus eum et hoc velle, ut praeluceat fides, intuens Messiam in usu omnium sententiarum, sive de fide loquatur sive de operibus, ut cum dicit capite 3.: Confide Domino toto corde tuo, intellige, propter Mediatorem, sicut antea David docuerat: Osculamini Filium, Beati omnes qui confidunt in eum. Expresse enim iubet Salomon doctrinam in hoc populo a Deo traditam, amplecti. Et ubi fit mentio fidei, necesse est intueri promissiones. Sic cum de coniugio dicit: Laetare cum uxore adolescentiae tuae, intellige, praelucente fide, statuas de propter Mediatorem Deo acceptum esse, et propter eum placere ei opera divinitus ordinata. Sic ubique simul complectenda est doctrina de Messia, quae in Psalmis et Prophetis magis perspicue tradita est. Significatur tamen hic quoque, quia fit mentio sapientiae Dei concionantis in genere humano, quae est Filius missus ad Ecclesiam. Et iubet Salomon cognosci doctrinam in hoc populo traditam a Deo. Item cum fit mentio, et vitae aeternae, intueri promissiones necesse est.

Caput I.

Propositio.

Sententiae Salomonis, filii David, regis Israël, scriptae, ut hinc discas sapientiam, disciplinam, prudentiam, et accipias intelligentiam, iusticiam, iudicium et rectitudinem, et ut detur incautis circumspectio, et adolescentibus scientia et consideratio.

Admonitio.

Audiet sapiens et proficiet, et intelligens possidebit consilia, et intelliget sententias et interpretationem et sermones sapientum, et aenigmata eorum.

Primum praeceptum.

Timor Domini initium sapientiae. Sapientiam et disciplinam stulti despiciunt.

Propositio perspicua est, in qua ait, se collegisse has sententias, magnae utilitatis causa, ut rudiores et iuniores commonefiant, doceantur, et ad diligentiam flectantur in gubernatione morum, erga Deum et erga homines. Has utilitates describit multis verbis, quorum propriae significationes considerentur.

Sapientia significat agnitionem Dei, cum qua lucent in corde verus timor et vera fides.

Disciplina seu eruditio generaliter est praeparatio seu institutio.

Prudentia significat gubernationem morum.

Intelligentia, diiudicationem, ubi multis probabilibus propositis, difficilis est electio, ut cum Hieremias suadet deditionem contra aliorum opinionem. Zacharias suadet tolerandam esse servitutem, non movendam esse seditionem.

Iusticia significat universaliter obedientiam, iuxta omnia praecepta.

Iudicium accusationem, castigationem et poenam.

Rectitudo opponitur hypocrisi, ac si diceretur sinceritas.

Circumspectio opponitur stoliditati, quae temere ruit sine deliberatione.

Scientia significat delectum.

Consideratio idem est, quod deliberatio, quid conveniat pro diversitate locorum, temporum et personarum.

Audiet sapiens et proficiet, etc.

Propositioni addit admonitionem, qualem oporteat auditorem esse. Sapiens auditor proficiet, sicut Dominus inquit: Habenti dabitur. Item: Dabit Spiritum sanctum petentibus, non contemnentibus, non repugnantibus barbarica et cyclopica ferocia. Hos contemtores Dei, ut Epicureos et similes, ait hic non proficere, sed alios, in quibus sunt initia timoris Dei, et qui petunt se regi a Deo, sicut dicitur: Petite et accipietis.

Primum praeceptum.

Orditur autem praecepta ab eo quod primum est, videlicet a timore veri Dei. Quia enim nominat *Iehova* in populo Dei celebratum, deducit nos primum ad agnitionem doctrinae de vero Deo, et vult discerni veram invocationem ab aliarum gentium cultibus.

Usitate autem Timor Dei nominatur totus cultus Dei verus, et non simulatus, seu universalis obedientia, iuxta omnia praecepta, ut in hoc dicto: Beati omnes qui timent Dominum. Hic timor complectitur initio cognitionem verae doctrinae, deinde timorem, qui sensu percipitur, et fidem quae discernit hunc timorem, cum est vera invocatio coniuncta, a timore servili seu impio, qui est fugere et fremere adversus Deum. Complectitur item in vera agnitione Dei, in vero timore et fide, invocationem, quae petit et accipit reconciliationem, et petit et expectat auxilium in tota gubernatione vitae. Nec de initio tantum, id est, de incoatione intelligatur hoc dictum, sed de summa, quasi dicat: Timor Domini est summa sapientiae, gubernans omnia consilia in rebus secundis et adversis.

Audi fili eruditionem patris tui, et matris tuae legem ne dimittas.

Prius dixit de summa doctrinae et cultuum: Initium sapientiae timor Domini, nunc monstrat personas docentes, et iubet has audiri, quia oportet esse ministerium docendi, et necesse est ministerium audire. Ac primus gradus est in ordine personarum, gradus parentum, et horum officium primum est, recte tradere natis doctrinam de Deo, sicut et ad Ephesios scriptum est: Educate natos in doctrina et disciplina Domini. Adiungatur autem hoc dictum priori: Audi eruditionem patris tui, scilicet, docentis de timore Domini, hanc ipsam doctrinam quam sonat Ecclesia Israël, quam nominavit, hanc etiam nomino *legem tuae matris*, scilicet Ecclesiae, traditam a Deo certis et illustribus testimoniis in Israël. Ita sciamus nos ad certum genus doctrinae alligari, cum ait: Legem matris tuae ne abiicias. Significat enim appellatione *matris* Ecclesiam Israël. Manifestum est autem, hoc mandatum saepe repetitum esse, ut unicum hoc doctrinae genus de Deo amplectamur, quod Ecclesiae traditum est in scriptis propheticis et apostolicis. Sicut inquit aeternus pater de Filio: Hunc audite etc. Et Dominus inquit: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, etc. Ut autem ibi Dominus promissionem omnium summam addit huic praecepto de cognitione et professione doctrinae, ita hic Salomon addit promissionem, quae ut sit blandior, metaphora sumta est a puerilibus ornamentis. *Corona* significat regnum seu praestantiam, estque sententia: Deus collocabit te inter salutares gubernatores, et provehet et iuvabit consilia, ut sint salutaria, tibi et populo, ut sis vas misericordiae tibi et populo, sicut Samuel, David, Iosaphat, Ezechias, non sis vas irae, sicut Saul, Absalon. *Ornamenta colli*, significant eloquentiam, hoc est, salutarem doctrinam, et salutaria consilia. His ingentibus donis te Deus ornabit, si legem matris tuae audies.

Fili mi, si lactaverint te peccatores, ne obsequaris.

Admonitio est contra illecebras, quae plurimos abstrahunt a Deo, scilicet, contra multitudinem impiorum, et contra res secundas impiorum.

Frustra panditur recte coram volucri.

Id est, etiamsi putant se latere impii, sicut aucupes se abscondunt: tamen non latent. Quia cernit Deus omnia vindex. Psal. 57.: Utique est Deus, iudicans homines in terra. Psal. 61.: Tu reddis unicuique iuxta opera sua. Hortatur ergo Salomon, ne exemplis multitudinis et rebus se-

cundis impiorum moveamur, ut faciamus contra Deum, et addit comminationem de poena. Inter poenas autem tristissima est: Tunc invocabunt, et non exaudiam. Non hoc vult, non posse lapsos redire ad poenitentiam, aut poenitentiam inutilem esse. Imo vocat nos ad poenitentiam, et promittit mitigationem praesentium poenarum, et remissionem poenae aeternae, ut dicitur Esaiae 1.: Si peccata vestra fuerint sicut coccinum, eritis candidi sicut nix. Est autem dicti sententia, ante poenam exaudiri agentes poenitentiam. Sed cum venit poena, et iam adest. Si est corporalis, mitigatur agenti poenitentiam: si est aeterna, nulla est exauditio, ut in interitu Saul et Iudae. In fine est antithesis: Audiens vel obediens quiescit secure.

Caput II.

Totum secundum caput est adhortatio ad audiendam et discendam hanc doctrinam, quam Deus Ecclesiae tradidit, et ad hanc nos alligat, ac praecipit fugere aliam sapientiam, pugnantem cum hac doctrina. Figurate enim nomine *mulieris adulterae* intelligit sapientiam, quae a Deo mentes abducit. Nominatim enim inquit, illam mulierem vagabundam relinquere magistrum, id est doctorem Deum, cui desponsata fuerat. Talis enim mens est velut adultera, quae relicto et spreto vero magistro, cui fuerat desponsata, vagatur petulantissime, ludit impiis opinionibus, ut laetantur sua audacia Epicurei, laetantur et idolatrae suis cultibus, quia putant se propter eos habere magnos successus, et omnia bona. Addit autem in hoc capite promissiones et comminationes, iuxta dictum: Primum quaerite regnum Dei, et omnia adiicientur vobis etc. Item Psalmus 1.: Beatus vir etc. Monet etiam quomodo proficere possimus, coniungit enim duas causas, auxilium Dei, et nostrum studium, sicut alibi dicitur: Quanto magis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item: Petite et dabitur vobis. Quaerite et invenietis etc. Et in libro Sapientiae capite 6.: Sapientia facile invenitur ab his qui diligunt eam, et antevertit eos, qui expetunt eam. Haec dicta promittunt auxilium discentibus.

Caput III.

Initio tertii capitis repetitae sunt adhortationes, et promissio inserta est: *Misericordia et veritas non deserent te*, scilicet misericordia Dei. Usitata phrasis est de Deo et hominibus: Fecit misericordiam et veritatem, id est, beneficentiam et fidelitatem praestitit. Ut, Ionathas fecit misericordiam et veritatem Davidi, id est, fuit erga eum beneficus et fidelis, id est, constanter et sine simulatione eum dilexit, et ei benefecit. Ita hic dicitur: Deus benefaciet tibi, et fideliter, id est, semper te proteget, iuxta dictum: Timenti Dominum non deerit ullum bonum.

Praecepta.

Confide Domino in toto corde tuo.

Sequuntur tria praecepta. Primum de agnitione Dei, de fide, et de timore. Secundum de conservatione ministerii doctrinae. Tertium de cruce. Amplissima est doctrina in singulis praeceptis. Primum praecipit de fide, et addita est antithesis. Ne innitaris prudentiae tuae, quod intelligatur de tribus generibus, de agnitione Dei, de moribus, et de consiliis in delectu utilium. Sic agnoscas Deum, sicut se in hac doctrina patefecit, nolo te vagari ut Ethnicos, et comminisci varia numina, cultus, opiniones de Deo, volo te in moribus facere quae praecepta sunt, non sequi tuas imaginationes, ut Lacedaemonii concedebant pacisci cum viro de uxore. Papa prohibet coniugium. Volo te in delectu rerum utilium sequi mea praecepta, facere necessaria, non πολυπραγμοσύνῃ, non spe vel metu tentare aliquid extra vocationem. Sis memor dicti in Ezechiele: In praeceptis meis ambulate.

Honora Deum de facultatibus tuis etc.

Praecipit ut singuli pro suis facultatibus iuvent conservationem ministerii doctrinae in templis et scholis, et addita est dulcissima promissio, sicut et Matth. 10. scriptum est: Qui dederit potum aquae uni ex minimis meorum propter doctrinam, habebit mercedem.

Castigationem Dei ne averseris, et non abomineris correptionem.

Hic tota doctrina de cruce comprehendenda est, et considerandum discrimen Philosophiae et Evan-

gelii. Philosophia et humana ratio aliter de causis mortis et humanarum calamitatum iudicat, quam vox Evangelii. Necesse est autem sciri causas, propter quas Ecclesia subiecta est cruci. Deinde et loci consolationum philosophici et evangelici conferendi sunt. Discernenda et patientia Christiana et philosophica.

Beatus homo qui invenit sapientiam etc.

Redit ad communes adhortationes, ac praecipit, ut discamus doctrinam a Deo traditam, et ei obediamus, nec anteferamus nostram sapientiam aut calliditatem, et addit promissiones et comminationes. Haec omnia opponuntur sapientiae humanae, quae audacissime ludit fingendis opinionibus de Deo, religionibus et cultibus etc. et non vult esse alligata verbo Dei. Item quae in consiliis vitae, calliditate sua quaerit praesidia, nec manet intra metas verbo Dei traditas. Et congruunt hae adhortationes cum toto Psalmo: Beati immaculati etc. Recte autem intelliguntur hae laudationes sapientiae de sapientia revelata, id est, de verbo Dei patefacto in Ecclesia, de Decalogo et Evangelio. Nec tamen alienum est quod vetustas accommodavit has laudes sapientiae ad personam, quae est Filius Dei, qui est patefactor verbi sonantis in Ecclesia, et est efficax per id verbum, et in eo ostendit, qualis sit Deus, et quae sit eius voluntas.

Praecepta.

Non prohibeas benefacere illum, qui potest benefacere, et benefacito tu, cum manus tua potest.

Non impedias aliorum vocationem, et tuae vocationi studiose et fideliter obtemperes.

Non dicas proximo tuo, vade et redito, cras dabo, cum iam possis dare.

Non machineris proximo tuo malum, sed habitet apud te secure.

Hoc praeceptum et sequentia pertinent ad praeceptum: Non occidas. Dupliciter autem struitur malum aliis, aut manifesta violentia, aut fraudibus, calumniis, furtis etc. Utrunque genus prohibet Iohannes, cum inquit: Neminem concutiatis neque calumniemini.

Non litiges cum homine sine causa, cum tibi malum non fecerit.

Prohibet omne genus calumniarum, et contentionum iniustarum.

Non aemuleris virum iniquum, et non eligas vias eius.

Commune praeceptum est, ne offensi scandalo crucis et successibus impiorum deficiamus a Deo, et imitemur impios spe potentiae, opum, tranquillitatis et aliorum commodorum, sicut magna ex parte fit, ut Ecclesia sit subiecta cruci, et impii dominentur. De hoc scandalo concionatur totus Psalmus: Noli aemulari etc.

Stultorum exaltatio erit ignominia.

Congruit cum dicto: Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant.

Caput IV.

Redit iterum ad communes adhortationes, et praecipit ut doctrinam discamus, et ei obediamus. Quartum caput generalis adhortatio est ad discendam doctrinam, et ad studium obediendi, et ad diligentiam regendi disciplinam, et ad circumspectionem, ne decipiamur exemplis impiorum, et inseritur mentio praemiorum et poenarum.

Obscuritas est in uno dicto: *Principium sapientiae est acquirere sapientiam*, sed plana est sententia de modo et incoatione conversionis ad Deum, audire doctrinam, et eam vere expetere, et petere gubernationem a Deo, iuxta doctrinam, est incoatio conversionis, sicut alibi dicitur: Dabit Spiritum sanctum petentibus. Et Propheta inquit: Converte me et convertar. Et Sapientiae 6.: Invenitur ab his, qui quaerunt eam, et prior occurrit expetentibus eam. Et supra cap. 2.: Si quaesieris eam, invenies. Iacobi 1.: Si quis indiget sapientia petat a Deo etc. Item: Trahit Deus, sed volentem trahit.

Caput V.

Caput quintum ad duo praecepta Decalogi pertinet. Non moechaberis, et, Non furtum facies. Initio enim quinti capitis prohibet adulteria et omnes vagas libidines, et addit conciones de poenis, quia sine ulla dubitatione huic divinae

regulae respondent eventus: Scortatores et adulteros puniet Deus. Et hic cap. 6. Adulter perdet animam suam, ut historiae privatae et publicae ostendunt, David, Troia, Thebae etc. Et quanquam Deus mitigat poenas aliquibus agentibus poenitentiam, tamen semper aliquae poenae comitantur, et saepe peccata seminis puniuntur in semine, id est, in sobole.

Inserta est autem dulcissima concio, quae approbat coniugium et mutuum amorem, et suavitatem coniugii, et prohibet adulteria. Approbatio coniugii et mutui amoris est, cum inquit: Delecteris uxore adolescentiae tuae, id est, quam adolescens ducis. Deinde pingit amorem mutuum insigni imagine, Talis sit amor, ut est cervi et cervae, seu ut est capreae et hinnuli, id est, sit ardens amor, sine simulatione et sine coactione, sit suavis, sine morositate et fastidio, sit sincerus, sine suspicionibus, et sine superbia, et acquiescant coniuges in mutuo amore, ne divellantur aut appetant alios. Extat ardoris descriptio apud Oppianum de cervis:

Ipse tamen cervus pedibus velocibus ipsam
Cum fugit assequitur, sistitque amplexus amatam.
Ἀλλὰ ποσὶ κραιπνοῖσι θεῶν ἐκίχανε θέουσαν
φεύγουσαν μάρπτει δὲ καὶ ἀγκὰς ἔχει παράκοιτιν.

Antithesis vero declaratur exemplis. Tyberius invitus ducit Iuliam, hic simulatio et coactio reddit coniugium insuave. Q. Ciceronis Pomponia est morosior. Multae naturae virorum et mulierum sunt suspicaces, superbae, diffidentes, non servantes aequalitatem in conversatione: talia vitia omnia removentur, considerato sincero et dulci affectu capreae et hinnuli, seu cervi et cervae. Et repetit textus dulcissimam approbationem amoris et foederis coniugalis, cum ait: Ubera eius inebrient te, id est, sit verus et ardens amor, et non sit vagus. Considerentur emphases, ubera significant στοργήν. Inebrient significat magnum amorem. Et deinde dicitur: *In dilectione eius ignores*, videlicet alias. Estque summa, vere diligito tuam coniugem, et ea unica contentus esto, sicut haec lex de coniugio statim in Paradiso sancita est: Erunt duo in carnem unam, id est, unus mas et una foemina inseparabiliter iuncti. Quia tunc quoque etiamsi natura hominum mansisset integra, voluisset Deus homines intelligere castitatem, et praestare exercitium obedientiae, huius ordinis conservatione, videlicet, vitandis vagis libidinibus.

Ut autem omnium virtutum intellectus ideo mentibus hominum inditus est, ut hoc ipsum discrimen honestorum et turpium sit testimonium, quod sit Deus, et ostendat qualis sit, et quod sit iudex, ita et castitatem vult Deus intelligi, et severissime punit vagas libidines, ut sciamus ipsum esse mentem castam, et hac consideratione discernamus eum a naturis immundis. Cogitemus et hoc, in sola Ecclesia Dei mansisse incorruptam doctrinam de vitandis vagis libidinibus. Et saepe nos commonefaciamus de poenis. Puniuntur enim vagae libidines et tristissimis exemplis in hac vita, et aeternis cruciatibus, si non fiat conversio ad Deum, iuxta dictum illud Pauli 1. Corinth. 6.: Scortatores et adulteri non possidebunt regnum Dei. Et in historiis et multis aerumnis quotidianis consideremus iudicium Dei.

De altero Praecepto.

Bibe aquam de tuis fontibus etc.

Simul complexus est hic praecepta de iusticia particulari, abstinente a rebus alienis, et de parsimonia, et de liberalitate. Ac primum observetur hic insigne testimonium contra Monachos et Anabaptistas, laudantes Platonicam communionem. Hic enim expresse dicitur: Tu Dominus rerum tuarum maneto, et non alii tecum. Sicut in praecepto, Non furtum facies, sancitur distinctio dominiorum: ita sciamus eam hic confirmari, cum ait: Tu Dominus rerum tuarum maneto, et non alii tecum. Ac de parsimonia supra praecipit: *Non des facultates tuas alienis, et annos tuos crudeli.* Crudeles nominat, *Hirudines*, quae abutuntur alienis facultatibus. Haec rapacitas in aulis conspectior est, et pingitur in fabula Actaeonis, quem sui canes dilacerant. De liberalitate vero et eleemosynis dulcissime dicitur: *Deriventur fontes tui foras, et tu Dominus eorum maneto*, id est, largiaris de fructibus, ita ut retinere possis fundum. Ostendit igitur modum liberalitatis, vult dominia conservari, non fieri profusiones et dissipationes haereditatum, et tamen vult iuvari egentes pro facultatibus, sicut Dominus inquit: Date pro facultatibus.

Pene fui in omni malo, in medio congregationis.

In hoc capite et haec insignis sententia observetur de exemplis multitudinis: *Pene fui in*

omni malo, in medio congregationis, id est, contagia populi nocent omnibus, quia homo natura ad imitationem ducitur, et imitatione discit. Cum igitur multorum et magnorum falsas opiniones audit, et cernit ritus et mores, sequitur eos, et facilius est vitia imitari, postea consuetudo confirmat morborum initia. Ideo multa dicta extant, quae praecipiunt, ne relicta regula exempla vel multitudinem sequamur. Exod. 23. expresse dictum est: Non sequaris multitudinem ad faciendum malum, et non respondebis in iudicio declinans ad multitudinem declinantem. Videmus autem, praecipue in religionibus, quantum valeat multitudinis opinio. Adversus talia contagia, confirmemus nos his dictis: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Item: Audite me etc. Vult nos Deus suo verbo regi, non opinionibus et exemplis discedentibus a verbo Dei etc.

Caput VI.

In sexto capite prima sententia dissuadet sponsiones, narrans esse periculosas, quia plurimi fallunt sponsores, ideo celebratum est dictum, quod in templo Delphico scriptum fuit: Spondeto damnum praesto est, id est, si spoponderis damno afficieris. Et Homerus inquit Odysseae *ϑ.*: *Δειλαί τοι δειλῶν γε, καὶ ἔγγυαι ἐγγυάασϑαι*, id est, malae sunt sponsiones spondendo pro malis. In genere autem hoc dictum monet, ratam esse fidem pactorum, et raros esse sinceros et fideles. Contra vero multos instabiles, fucatos, infidos, perfidos, ut multae querelae leguntur: Nusquam tuta fides. Quos credis fidos effuge, tutus eris. Et illud Epicharmi: *Νῆφε καὶ μέμνησο ἀπιστεῖν, ταῦτα γὰρ ἄρϑρα φρενῶν ἐστὶν.* Item in Psalmo: Nolite confidere in principibus, et in filiis hominum, in quibus non est salus. Et apud Ieremiam: Maledictus qui confidit in homine.

Hic si quis interroget: Quid igitur, nihilne credendum est? Respondeo: Primum de doctrina de Deo, credendum est verbo Dei, cum quidem Deus addiderit illustria testimonia, resuscitationem mortuorum et alia. Sed hominibus asseverantibus aliquid de Deo, propria audacia, extra doctrinam a Deo traditam, non est credendum, iuxta dictum: Nihil addatis neque detrahatis. Deinde in artibus certa est doctrina propter demonstrationes et alias causas certitudinis, quia *κριτήρια* et demonstrationes etiam sunt ordo divinitus institutus, quem vult Deus conspici ab humanis mentibus. Sed multa sunt mutabilia in rebus, et maxime mutabiles sunt hominum voluntates, et saepe sunt fallaces, ideo adhibendum est hoc loco discrimen, et considerandum est, ubi et quatenus assentiendum sit humanis promissis, ubi non sit assentiendum.

Est autem virtus quae nominatur Candor, quae diiudicat voluntates, cuius extrema sunt calumnia et stulta credulitas. Nam candor est virtus vicina veritati, propter probabilem rationem approbans alienas voluntates, et non gignens vanas suspiciones malevolentia seu *κακοηϑίᾳ*, quaedam etiam ambigua in meliorem partem flectens, ac bene quidem sperans, sed tamen ut de rebus mutabilibus, cogitans posse mutari voluntates humanas, et posse hominem errare de voluntate alterius, cum non penitus introspiciantur latebrae humani pectoris, Ut, David bene sentit de Ionatha, quia habet probabilem rationem, quare illius voluntatem speret firmam esse, quia scit eum timere Deum, et ornatum esse testimonio divino. Non bene sensit de Achitophel, quia animadvertit eum non timere Deum. Sic igitur intelligatur dictum 1. Corinth. 13.: Dilectio credit omnia, id est, est candida, non est suspicax, non male sentit de alio sine probabili et gravi ratione.

De laboribus seu de sedulitate.

In hoc sexto capite secundum praeceptum est de labore, quod exemplo etiam illustrat, iubet nos intueri formicas, et earum sedulitatem imitari. Primum igitur hic discamus, et ordinasse Deum gradus officiorum seu vocationum, et mandatum Dei esse, ut suae quisque vocationis labores faciat, nec ingerat se alienae vocationi, sed in sua praestet diligentiam et fidem. Sic praecipiunt haec dicta 1. Thessa. 4.: Hortamur vos excellere, et sic ambitiosos esse, nempe ut sitis quieti, et propria faciatis, et laboretis propriis manibus. Ecclesi. 9.: Quicquid invenit manus tua ad faciendum, hoc totis viribus facito. Et quod Dei consilio gradus officiorum ordinati et distincti sint, manifestum est ex dictis Rom. 12. et 13. et 1. Corinth. 12. Distinctiones sunt ministeriorum. Et 1. Corinth. 7.: Unusquisque sicut vocatus est a Domino sic ambulet. Ubi utrunque docetur, et distinctos esse gradus consilio Dei, et unumquemque debere nosse metas sui officii, et sui gradus labores facere.

Quoties autem laboris mentio fit, simul comprehendantur invocatio et auxilium Dei, iuxta dicta: Scio Domine non est hominis via eius. Item: Nisi Dominus aedificaverit domum etc. Item: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Item: Petite et accipietis. Item: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item Daniel 2.: Deus dat sapientiam sapientibus. Coloss. 3.: Omnia quae facitis, in sermone aut in opere, omnia in nomine Domini nostri Iesu facite. Et supra Proverb. 3.: In omnibus viis tuis consideres eum, et ipse diriget gressus tuos. Sit semper coniunctio invocationis et laboris. Haec virtus nominatur Sedulitas, cuius sit haec definitio:

Sedulitas est virtus, qua constanter et firmiter volumus propter Deum et communem salutem labores facere vocationi convenientes, iuvante Deo, qui petentibus auxilium promisit, ut: David est sedulus miles, Paulus est sedulus doctor. Huius virtutis extrema sunt Ignavia et πολυπραγμοσύνη. Ignavus nimium cessat, πολυπράγμων seu ardelio multa non necessaria seu πάρεργα molitur, et se ingerit alienis vocationibus, ut Achas, Pericles, Demosthenes non necessariis contentionibus attrahunt bella, quae vitari poterant. Ita saepe turbatur Ecclesia non necessariis disputationibus et contentionibus, aut cum ingerunt se doctores civilibus negociis, tanquam alterum pedem in curia, alterum in templo habentes. Haec breviter de Sedulitate dixi.

Colligant autem studiosi simul et dicta in scriptis propheticis et evangelicis, huc pertinentia, et alia sapienter dicta, ut: Spartam nactus es, hanc orna. Hic et sedulitas praecipitur, et prohibetur πολυπραγμοσύνη. Versus Nazianzeni monet necessaria facere: τὸ μὲν πάρεργον οὐδαμῶς ἔργον λέγω. Hoc dictum Nazianzeni admonitio est de consociatione: καὶ γὰρ χερὸς χεὶρ, καὶ πόδος ποὺς ἐνδεής. Manus est indigens manu, et pes pede.

Homo Belial, id est, inutilis, non est tantum cessator, sed turbator.

Dixi sedulitatem esse inter extrema vitiosa, ignaviam et πολυπραγμοσύνην, et vicina vitia sunt ambitio et rixositas, haec etiam hoc loco taxantur, quia utrumque valde perniciosum est communi societati, ut de ambitione vitiosa dicit Iuvenalis: Patriam tamen obruit olim, Gloria paucorum laudis, tituli que cupido. Item Claudianus: Nam caetera regna luxuries vitiis odiisque superbia vertit. De cupiditate contentionum, et de dissidiis haec dicta nota sunt: Concordia parvae res crescunt, discordia maximae dilabuntur. Teneantur autem definitiones.

Vera gloria, et quae iuste appetitur, est approbatio conscientiae recte iudicantis, et aliorum recte iudicantium. Hanc esse appetendam manifestum est ex his sententiis: Melius est nomen bonum, quam aurum et argentum. Item: Vivite sine scandalo. Item: Vae homini, per quem venit scandalum. Item: Haec est gloriatio nostra, testimonium conscientiae nostrae. Item: Probet unusquisque opus suum, sic habebit gloriam apud sese, et non ex aliis. Et cum mandatum Dei sit, appetere approbationem conscientiae suae recte iudicantis, et aliquorum recte iudicantium in Ecclesia, virtus est hanc gloriam ordine expetere.

Opposita vitia sunt Levitas et Impudentia. Levitas est, nec suae conscientiae, nec aliorum recta iudicia curare, iuxta versum:

Levis est, nec illum stimulat gloriae decus.

Impudentia et arrogantia et vanitas est tribuere sibi quae non adsunt.

Deinde in sexto et septimo capite rursus concionatur de castitate, de qua et supra dictum est, ut sint notae conciones de poenis adulteriorum, et aliarum vagarum libidinum, passim in scripturis traditae.

Caput VIII.

In octavo capite postquam initio Decalogi praecepta repetivit, nunc redit ad generalem adhortationem, ut hanc sapientiam discamus, et ei obediamus. Nominat enim sapientiam a Deo nobis propositam et revelatam, et ad hanc nos alligat, non loquitur de sapientia Periclis aut Alcibiadis, aut similium, quae est calliditas augendi potentiam et opes quacunque occasione, sive iusto, sive iniusto modo. Nec vero dubium est, Salomonem loqui de verbo revelato in Ecclesia, de lege Dei, et de Evangelio, quia dicit: Sapientia in portis civitatis clamitat. Sed tamen cum sapientia aeterna et immota, quae est in ipso Deo, revelata sit voce legis et Evangelii, et sit revelata per ipsum Filium, per quem Pater dicit decreta de ordine

creationis et reparationis hominis: Vetustas intellexit hoc loco sapientiam quae est Filius loquens scilicet ad Ecclesiam. Hanc sententiam recte intellectam probo.

Sed Arriani falso excerpserunt quaedam dicta, ut confirmarent Filium esse creaturam. Ubi enim Salomon inquit: *Dominus possedit me initio viae suae*, legerunt Arriani: Dominus creavit me initio viarum suarum. Sed sciendum est in Ebraica lectione verbum possidendi, non creandi positum esse, ac verbo possidendi et continua serie narrationis perspicue refutantur Arriani. Ut enim in Iohanne scriptum est: In principio erat verbum, ita hic dulcissime dicitur: *Dominus possedit me initio.* Item: *Ante secula ordinata sum.* Et inquit haec sapientia, se fuisse artificem seu formatricem, sicut Iohannis 1. dicitur: Omnia per ipsum facta sunt. Item Ebrae. 1.: Gestans omnia verbo potentiae suae. Quia idem Filius est, per quem dicitur decretum de ordine creationis et reparationis hominis. Ideo hic eodem nomine sapientiam creantem et edentem legem et Evangelium nominat. Ac sequitur: *Ludens coram eo in omni tempore, ludens in orbe terrae, et delectationes meae cum Filiis hominum.* Haec sapientia primum summe laetificat Patrem, deinde ostendit angelis et hominibus Patrem in mirando ordine opificii mundi, ac postea in promulgatione verbi, in assumtione naturae humanae, et resurrectione, in hominum reparatione, et totius Ecclesiae conservatione, in diluvio Noë, in mari rubro, et omnibus aliis miraculis ostendit et glorificat Patrem, et laetatur vivificatione et restitutione Ecclesiae. Haec omnia miranda opera nominat hic ludos et delectationes sapientiae Dei. Hanc dulcissimam sententiam attente considerent pii lectores, et haec eadem sapientia, id est, Filius docet foris Ecclesiam promulgato verbo, et intus eam sustentat, docet et illustrat, et quia propter Ecclesiam servat genus humanum, quatenus iusta fiunt in politiis, fiunt ipso sustentante et docente gubernatores edito verbo, et gubernante eos arcano modo. Ideo inquit: Per me reges regnant, et iudices iusta decernunt. Hanc sapientiam Dei rectricem per verbum promulgatam, discernit deinde ab humana calliditate. Sapientia divina est felix, efficax et salutaris, et tandem adfert laetos exitus, etiamsi aliquandiu differuntur. Calliditas vero Periclis, Alcibiadis, Demosthenis et similium est exitiosa patriae et ipsis. Ideo inquit sapientia Dei: *Penes me est consilium et successus*, id est, illa consilia sunt iusta, quae congruunt cum verbo Dei, et haec consilia tandem habebunt laetos exitus, adiuvante ea Filio Dei, qui quidem vult adesse perseverantibus in verbo tradidit, et invocantibus eum, iuxta dictum: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Proverb. 3.: In omnibus viis tuis cognosce eum, et ipse diriget gressus tuos. Item: Deus est qui facit, ut velitis et ut perficiatis. Contra vero poenae sequuntur universaliter iniusticiam, quanquam in praesentia aliquantisper voluptates gratae fuerunt, aut potentia crevit.

Caput X.

Non sinet esurire Dominus animam iusti.

Communis doctrina est de providentia, quae saepe repetita est in toto opere. Discernit autem Deus recta et non recta aeternis praemiis et poenis, quia hic est ordo insticiae, ut recta conserventur, et non recta destruantur, iuxta dictum: Deus est ignis consumens, et vult Deus mentione poenarum et praemiorum fieri conspectius discrimen rectorum et non rectorum. Sunt autem recta conformia Deo seu legi eius. Non recta sunt pugnantia cum Deo seu cum lege.

Discernendae autem sunt poenae temporales et aeternae. Poenae temporales imponuntur primum ut revocent homines ad poenitentiam, deinde in non agentibus poenitentiam, sunt initia destructionis et poenarum aeternarum, ut supplicia Saul, Iudae, Neronis, et aliorum omnium ruentium in aeternas poenas.

Discernantur et bona corporalia et aeterna. Ecclesia certo habebit aeterna bona. Ideo enim conditae sunt rationales creaturae, ut sint aliqua organa, quibus Deus communicet sese, suam lucem, sapientiam, insticiam, vitam et laeticiam aeternam. Sed in hac vita mortali Ecclesia adhuc certo consilio Dei subiecta est cruci, ideo multa membra duriter exercentur, alia magis, alia minus, et tamen quia vult Deus Ecclesiam in hac vita voce ministerii, et non aliter colligi, semper aliquem coetum servat, qui sine cibo, potu, et hospitiis vivere non potest. Sic igitur mitigat crucem, ut huic coetui quoque det necessaria ad vitae corporalis conservationem, et servat inter

hos quoque has regulas de externa vita, universaliter: Atrocia delicta comitantur atroces poenae, ut, Davidis adulterium, Manassis scelera, secutae sunt horribiles poenae: piis vero mitigantur multae poenae, et multorum est tranquillior cursus. Hic igitur saepe inculcantur promissiones et aeternae et corporales, ut hoc loco dicitur: Non sinet esurire Dominus animam iusti. Psal. 33.: Leones esurierunt, timentibus autem Dominum non deerit ullum bonum.

Haec communis doctrina de distinctione, quam sanxit aeterna et immota sapientia Dei inter recta et non recta, et de praemiis et poenis semper sit in conspectu, et simul consideretur universa doctrina de Ecclesia, de distinctione promissionis aeternae et corporalium. Item doctrina de cruce.

Sunt autem praecipuae causae quatuor, propter quas Ecclesiae traditae sunt promissiones de bonis corporalibus:

Prima. Ut sint testimonia de providentia, contra Epicureas opiniones, ne existimemus haec bona externa casu spargi, ac praesertim in Ecclesia dantur singulari consilio Dei, et singulari modo. Imo et toti generi humano servatur natura rerum propter Ecclesiam.

Secunda. Ut testentur Deum servaturum esse Ecclesiam, etiam in hac vita, et cogitemus in hac mortali vita oportere incoari Ecclesiam.

Tertia. Ut fides et invocatio exerceantur in quotidiana necessitate, in petenda pace, victu, bona valetudine, successu in gubernatione.

Quarta causa. Ut sint commonefactiones de promissione aeterna, quia in omni petitione, oportet praelucere fidem, quae accipit remissionem peccatorum propter Mediatorem, et semper cogitemus Ecclesiam in hac vita quoque propter eum et per eum servari, sicut dicit: Ego gestabo vos in sinu, sicut pastor agnos recens editos gestat. Sciamus igitur promissiones de bonis corporalibus non esse irritas et confirmati hac voce divina, petamus et expectemus necessaria vitae in invocatione.

Egestatem efficit manus ignava.

Coniungit Salomon promissiones et praecepta de labore, quia utrumque praecipit Deus, et ut faciamus opera vocationis, et simul petamus et expectemus ab ipso bonos eventus, iuxta dictum: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet.

Odium suscitat rixas, universa autem delicta operit dilectio.

Praeceptum est de ἐπιεικείᾳ et de candore, pertinens ad quintum et octavum praeceptum. Hic primum scire necesse est communes definitiones et distinctiones iusticiae.

Iusticia particularis est virtus suum cuique tribuens.

Sic iusticia iudicis est virtus tribuens iustis defensionem, et poenas iniustis. Quia vero gradus sunt delictorum, ut atrocius scelus est diaboli quam Adae, atrocior est culpa Iudae quam Petri: distincti sunt et gradus iusticiae vindicis, severitas et aequitas, et utraque est iusticia, ac extrema sunt eadem, crudelitas et indulgentia. Sylla crudelis fuit, qui etiam post victoriam occidit promiscuam multitudinem, sicut inquit poëta: Excessit medicina modum. Iulius pepercit Ciceroni, Marcello et aliis, et in urbe nullam saevitiam exercuit.

Discernantur autem in hoc dicto Salomonis: Universa delicta operit dilectio: iudex et privata persona. Iudex mandato divino cogitur severitate uti adversus eos qui atrociter deliquerunt, ut adversus blasphemos, periuros, homicidas, pollutos adulteriis et incestis libidinibus. Deutero. 19.: Auferes malum de medio tui, non misereberis eius, sed sit anima pro anima, quia Deus vult conspici poenas, ut agnoscatur ipse discernens recta et non recta, et iudicans ac puniens scelera, deinde ut communis societas defendatur. Idem autem iudex intelliget quoque, ubi leniendae sint poenae, sicut leges ipsae de caede ex insidiis facta sunt atrociores, quam de caede fortuita. Haec virtus moderatrix nominatur ἐπιείκεια, quae est iusticia, seu leges aliquas, seu poenas propter rationem probabilem mitigans, et sapientissime tradita sunt multa exempla huius mitigationis. Ut David esuriens usus est panibus sacerdotum.

Thrasybulus sanxit ἀμνηστίαν, nec eiecit possessores ex facultatibus exulum, ne nova bella orirentur.

Conradus imperator fecit pacem cum Guelpho ad oppidum Weinsberg, cum contra intellectum pacti mulieres extulissent viros et filios ex arce, quia imperator permiserat, ut mulieres discederent cum iis rebus quas possent asportare.

Haec de iudice dicta sint, quem oportet intelligere, ubi severitate, ubi lenitate utendum sit, ut alibi dicendum est.

Sed de privatis personis et de privatis offensionibus primum sciendum est, necessariam defensionem concessam esse, sed extra casum necessariae defensionis remittendae sunt privatae iniuriae, et obruendae oblivione, iuxta dictum: Remittite et remittetur vobis. Cum autem tales iniuriae in consuetudine hominum plurimae accidant, et insania sit, sperare vitam, in qua non multi in te incurrant, non existimemus hoc praeceptum de raris offensionibus loqui, sed sciamus hanc condonationem in multis vitae negociis necessariam esse in privatis offensionibus.

Et faciendae sunt condonationes, primum propter Deum, deinde propter communem tranquillitatem. Ac Deus non solum praecipit hanc virtutem, sed etiam vult eam esse commonefactionem de sua condonatione. Ideo inquit: Remittite et remittetur vobis. Vult etiam nos in huius virtutis cogitatione et exercitio commonefieri de sua misericordia, et de Evangelio, in quo proponitur ingens ἐπιείκεια legis, quod recipitur incoata obedientia exigua et sordida, et quod multae infirmitates condonantur, et quotidie leniuntur poenae, iuxta dictum: Misericordia Domini quod non consumti sumus. Quod autem communi paci necessaria sit privatarum offensionum oblivio, manifestissimum est.

Monendi sunt autem iuniores, ne admittant falsam interpretationem detorquentium hoc dictum ad errorem, qui fingit nostra opera mereri remissionem peccatorum. Delicta tegit dilectio, ergo tua dilectio tegit delicta coram Deo. Neganda est consequentia, quia dictum est politicum, et loquitur de condonatione inter homines, et de alienis delictis tegendis, et de reprimenda cupiditate vindictae, ut Levit. 17. praecipitur: Non exerceas vindictam, nec sis memor iniuriae adversus cives tuos. Nominatim enim de civibus dicitur, ut significet, propter communem concordiam multas iniurias dissimulandas esse. Pudeat autem nos nostrae superbiae et impatientiae, cum Filius Dei non solum remittat nobis multa et magna peccata, sed etiam poenam in sese derivaverit prostratus coram Patre, ac iram adversus nostra delicta sustinens, quasi ipse se meis et tuis sceleribus polluisset. Ideo inquit: Discite a me, qui mitis sum et humilis corde.

Hoc exemplo et praecepto moniti patienter feramus cum quasi de superiori loco detrudimur, cum quidem nos revera multis magnis peccatis meriti simus poenas, et coërceamus nostros impetus, ne maiora odia, dissidia, bella accendantur. Diligamus hanc virtutem ἐπιείκειαν hanc ipsam ob causam, ut saepe nos hoc ipsum nomen admoneat de Evangelio, in quo dulcissima ἐπιείκεια legis divinae proponitur, ut dictum est.

Sicut autem virtutes vicinae sunt, severa iusticia et ἐπιείκεια, ita sunt vicinae virtutes, Veritas severe iudicans de alienis dictis aut factis, et Candor. Extrema sunt Assentatio et Calumnia. Moderatur autem candor iudicia duriora, ut saepe aliquid negligentius dictum in bonis scriptoribus leniendum est interpretatione congruente ad perpetuam autoris sententiam.

Os stulti confusioni appropinquat.

Multa sunt dicta in Salomone de sermone seu de lingua frenanda. Sunt autem vitia linguae propria, Mendacium, garrulitas, praecipitantia, curiositas, maledicentia, conviciatio, petulantia linguae, calumniae, vanitas, seu iactantia, θρασωνισμὸς, ironia, δυσωπία, ἀκκισμὸς, impudentia, φιλονεικία, scurillitas, obscoenitas, scopticum esse, futilitas, assentatio. Haec vitia ideo consideranda sunt, ut maiore cura vitare ea discamus, et frenemus impetus nostros, nec omnes cogitationes effundamus etc.

Benedictio Domini facit divites et non addit dolorem.

Prophani homines cogitant, opes et victorias parari tantum humana industria et laboribus, ut existimant Alexandrum vincere, quia consilio, laboribus, et robore exercitus antecellit multitudini Persicae, sicut usitate dicitur: Labor omnia vincit improbus. Et Plato inquit, hunc esse beatum, cui non ex aliis pendet fortuna, sed sui in seipso posita sunt omnia, quae ad beatitudinem necessaria sunt. Et sic dicit Nabuchodonosor: Ego Babylonem feci tantam meo robore. Tales imaginationes confirmant fiduciam nostrae calliditatis et nostrarum virium, qua elati homines negligunt Deum, et movent non movenda, ut, Quia videt Antonius se instructiorem esse Augusto, et sperat eum posse opprimi, movet bellum iniustum. Talia valde multa sunt tristia errata hominum.

Sed vox divina docet, causas esse bonorum eventuum, non labores hominum solos, sed Deum iuvantem iustos labores, et hominum obedientiam in vocatione. Ideo expresse tradita est negativa propositio: Nisi Dominus aedificaverit domum, frustra laborat qui aedificat eam. Item Eccle. 9.: Non est velocium cursus, nec fortium bellum, nec sapientium panis. Et Psal. 33.: Fallax equus ad salutem. Et Psal. 59.: Non egredieris Deus in virtutibus nostris. Da nobis auxilium de tribulatione, vana salus hominis. Et Hiere. 10.: Scio Domine non est hominis via eius. Iohan. 3.: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi datum sit ei a Deo. Et Iohan. 5.: Sine me nihil potestis facere. Haec testimonia non prohibent laborem vocationis, sed docent bonorum eventuum causam esse, non solam hominum sapientiam et solos hominum labores. Damnant igitur fiduciam nostri.

Postea vox divina coniungit has causas bonorum eventuum, Deum iuvantem labores vocationis, et obedientiam nostram in vocatione. Praecipit igitur labores iustos, congruentes vocationi, ut Ecclesiast. 9.: Quicquid potest facere manus tua, operare omnibus viribus. Et 1. Thessa. 4.: Studiose hoc agatis, ut sitis quieti, et propria faciatis, et laboretis manibus vestris. Et Gene. 3.: In sudore vultus tui comedes panem tuum. Et Psal. 127.: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. Et Proverb. 10.: Manus sedulorum dives erit. Sed sciendum est hos labores ita felices esse, et sequi bonos eventus, cum Deus adiuvat laborantes iuxta vocationem.

Traditae sunt igitur promissiones de auxilio divino, et mandata de invocatione, ut Deus agnoscatur. Item ut agnoscatur praesentia eius in gubernatione privata et publica, ut 36. Psal.: Subditus esto Deo, et ora eum. Item: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Et Psal. 33.: Non est inopia timentibus Deum. Et Psal. 54.: Iacta in Deum curam tuam, et ipse te sustentabit. Psal. 90.: Protegam eum, quoniam cognovit nomen meum, cum ipso sum in tribulatione. Dan. 2.: Dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus. Proverb. 16.: Cor hominis cogitat viam suam, sed Deus confirmat gressus eius. Proverb. 21.: Equus paratur ad diem belli, Deus autem dat victoriam. Proverb. 20.: Ut oculus videat, et auris audiat, Deus facit utrunque. Esaias 46.: Ego feci vos, ego gestabo vos etiam in senecta. Esa. 40.: Gestavi vos sicut pastor lactentes agnos. Deut. 30.: Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum. Deut. 8.: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit ex ore Dei. Exod. 19.: Gestavi vos super alas aquilarum. Deut. 8.: Ne dicat, fortitudo mea et manus meae haec mihi dederunt, sed recorderis Domini Dei tui, quod ipse vires tibi praebuerit.

Haec et similia testimonia prodest in conspectu habere, ut imaginationem prophanam eiiciamus ex animis, nec confidamus nostra diligentia, aut nostris viribus, sed vere credamus, ita tantum labores nostros felices esse, cum a Deo adiuvantur, et petamus auxilium Dei, iuxta dictum Psalmi: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Et Proverb. 16.: Commenda Deo opera tua, et dirigentur cogitationes tuae. Hanc regulam vitae in omnibus consiliis et negociis intueamur, faciendos esse labores vocationis, et petendum et expectandum auxilium a Deo. Et adiungatur huc doctrina de invocatione Dei, de promissionibus.

Praeterea et hoc consideretur, Ethnicos quoque experientia coactos fateri, saepe potentiores et sapientiores vinci, videlicet cum aut iniusta faciunt, et non necessaria movent fiducia virium suarum, et multis fiducia virium suarum exitio fuit, sicut de Aiace dicitur: Cum dixisset se etiam sine Deo vincere posse, propter hanc impiam fiduciam sui punitum esse furore, quo sibi mortem conscivit. Et saepe recitatur historia de Milone Crotoniata, qui cum in divulsa arbore haereret, laceratus est a lupis. Et Bellerophontem Pegasus excussit, cum vellet invehi coelum. Et Perseo tandem fuit exitio caput Gorgonis.

Caput XI.

Libram fraudulentam abominatur Dominus, et pondus aequale placet ei.

Praeceptum est de particulari iusticia, et veritate in contractibus, et pertinet ad Decalogi dictum: Non furtum facies. Et comminatio saepe repetita, hic quoque repeti intelligatur: Atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis, etiam in hac vita. Iuxta dicta: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Vae qui spolias, quia spoliaberis.

Et in huius ordinis consideratione vult Deus se agnosci, et intelligi hunc ordinem divinitus sancitum esse.

Ac sciamus, coniugia, politicam societatem, contractus, iudicia, poenas, opera esse sapientiae et iusticiae Dei, et efficaciter a Deo conservari, quantum ordinis reliquum manet, etiamsi a diabolis et ab organis diaboli interea magni tumultus moventur. Sicut custos gregis servat aliquod agmen, etiamsi lupi aliquas pecudes rapiunt. Sic dicit infra de politico ordine capite decimo sexto. Pondus et statera iudicia Domini sunt, et opera eius omnes lapides lancis. Haec admonitio necessaria est contra furores Manichaeos et Anabaptisticos, ut saepe alias copiose dictum est.

Cum venit superbia, venit et ignominia, et in humilibus est sapientia.

Usitatum est homines in secundis rebus fieri negligentiores, quia muniti praesidiis manifestis, minus metuunt et minus dolent, ideo et invocatio Dei fit languidior, sicut in Mose dicitur: Sedit populus manducare et bibere, et surrexit ludere. Item: Luxuriant animi rebus plerunque secundis. Extincto autem timore Dei, homines securi, ut augeant potentiam, multa extra vocationem tentant, et alios iniuriis afficiunt. Inde sequuntur poenae ordine divino, iuxta dicta: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Item: Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles.

Ac Ethnicos experientia coëgit fateri, divino ordine inevitabiliter sequi poenas superbiam ruentem extra metas vocationis. Hunc ordinem nominaverunt ἀδράστειαν, et signum sequuturae ruinae est insignis insolentia, iuxta dictum Claudiani: Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant etc. Haec est et hoc loco sententia Salomonis. Contra vero ait in humilibus sapientiam esse, sicut Petrus inquit: Humilibus dat gratiam. Et apud Esaiam dicitur: Ubi habitabit Dominus? in Spiritu contrito et humiliato, et tenente sermones meos.

Notae sint autem definitiones Humilitatis et Superbiae. Humilitas seu ταπεινοφροσύνη est in timore Dei agnoscere et fateri propriam infirmitatem, et non erumpere extra vocationem, sed intra metas vocationis Deo servire, spe auxilii divini, et non despicere, nec premere alios, sed tribuere singulis gradum, in quem ordine collocati sunt, et sentire illos etiam posse organa Dei salutaria esse, et non irasci Deo in poenis. Exemplum illustre huius virtutis est Ionathas. Omnium vero summum est ipse Filius Dei in sua vocatione obediens, et hic inquit: Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.

Superbia autem est, securum et sine timore Dei esse, et confidere propriis viribus, et fiducia sui extra metas vocationis erumpere, sibi potentiam velle augere, despicere et premere alios, pertinaciter anteferre propriam sapientiam bonis consiliis, et irasci Deo et hominibus cum exitus est infelix, ut Pharao, Goliad, Saul, Achitophel, et similes.

Cum iusto in terra fiat retributio, quanto magis impio et peccatori?

Insignis admonitio est, ex qua et Petri dictum sumitur, quia tempus est ut incipiat iudicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis est eorum qui non credunt Evangelio? et si iustus vix salvatur, impius et peccator ubi apparebunt? Est autem doctrina de poenitentia et de poenis venturis impiorum, et consolatio de scandalo crucis. Argumentum autem instituitur a minore. Cum iusti in hac vita affligantur, qui tamen quaerunt emendationem, quanto magis impii, contumaciter et furenter in sceleribus perseverantes punientur, necesse est igitur post hanc vitam restare aliud iudicium, ut cum David punitus sit propter adulterium et caedem, punientur haud dubie alii deteriores, ut Dionysius, Tyberius, etiamsi in hac vita habuerunt placidos exitus, restat igitur aliud iudicium.

Hic autem duae regulae conferantur, et conciliatio consideretur. Prior est: Atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis in hac vita, id congruit ordini iusticiae in Deo, et quia sic plerunque fit, horum exemplorum congruentia testimonium est de providentia et praesentia Dei in genere humano.

Altera regula est: Ecclesia subiecta est cruci, et tyranni exercent crudelitatem adversus eam. Id videtur non congruere ordini iusticiae, disputat igitur ratio, an sit providentia. Sed Ecclesia respondet: Primum congruit ordini iusticiae in Deo, etiam punire Ecclesiam, quia adhuc haeret in ea peccatum. Et scit Ecclesia multas causas quare subiecta sit cruci. Deinde de tyrannis ma-

net vera altera regula, quia ipsi quoque plerunque in hac vita rapiuntur ad poenas, iuxta dictum: Ad generum Cereris sine caede et sanguine pauci descendunt reges, et sicca morte tyranni. Quanquam igitur florent aliquandiu, tamen postea excutiuntur ex imperiis.

Secundo scit Ecclesia insticiae Dei convenire, ut scelera non tantum praesentibus et brevibus suppliciis puniat, sed aeternis. Ideo respondet ad hoc argumentum. Iustis congruit bene esse, iniustis male. Ecclesia est iusta, Tyranni sunt iniusti, Ergo Ecclesiae bene sit, Tyrannis male. Respondet Ecclesia ad maiorem: Congruit iustis bene esse, iniustis male, iuxta declarationem Evangelii, quod docet quare Ecclesia subiecta sit cruci in hac vita, et tamen semper a Deo servari coetum aliquem, et postea habituram esse Ecclesiam aeterna bona, impios autem fore in aeternis poenis. Imo haec ipsa exempla sunt testimonia venturi iudicii. Quia Abel a Cain interficitur, et Deus iustus antea ostendit se diligere Abel. Ergo restat aliud iudicium, in quo ostendetur dissimilitudo Cain et Abel. Deinde ad minorem respondeatur: Ecclesia est iusta, videlicet imputatione et incoatione, nondum consummatione. Igitur ad tempus exercetur, ut agnoscat iudicium Dei adversus peccatum, ut in Esaia dicitur: Castigatio est eis disciplina, ut ad te clament. Sequitur ergo conclusio, tyranni saepe in hac vita puniuntur, sed universaliter postea erunt in poenis aeternis, Ecclesia etsi affligitur, tamen et in hac vita sentit mitigationem, et postea habebit aeterna bona.

Caput XII.

Multa sunt dicta in duodecimo capite, saepe repetita de providentia Dei, quod iniusti sint daturi poenas. Item de labore, de linguae vitiis, de mendacio, de sophistica, de calumniis, de iactantia et ostentatione. Praecipue vero meminerit lector hoc dictum: Abominatio Domino labia mendacia. Sciamus praecipi amorem et curam tuendae veritatis, et in doctrina de Deo et in artibus, et in omnibus honestis pactis et contractibus, et quia veritas est inter praecipuas et maxime conspicuas virtutes, ideo atroci verbo damnatur contrarium vitium, et nominatur abominatio, id est, tale malum quod Deus singulari commotione detestatur, sicut et idola nominantur *βδελύγματα*.

Caput XIII.

Inter superbos est contentio, et apud deliberantes est sapientia.

Graecum dictum est: ὄρος ὄρει οὐ μίγνυται, id est, mons monti non miscetur, quo significatum est, non convenire inter duos pariter elatos. Quanquam autem plures sunt discordiarum causae, tamen saepius causa est superbia, cum videlicet naturae, quae sese admirantur, et volunt antecellere, sumunt undecunque occasiones certaminum, nec moventur magnitudine, aut parvitate rerum, sed dimicant de existimatione, et de populi applausu, postea quae mala sequantur publicas discordias, notum est. Unde sunt haec dicta: Patriam tamen obruit olim gloria paucorum, laudis tituliquc cupido. Item Claudiani: Nam caetera regna luxuries vitiis odiisque superbia vertit.

Cum igitur hi duo affectus sint acerrimi, cupiditas gloriae, et iracundia, seu cupiditas vindictae, ut in Mario et Sylla, in Pompeio et Iulio, et aliis, nominatim Filius Dei gravissimis verbis praecipit ut isti duo affectus frenentur: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Altera virtus opponitur superbiae, altera mansuetudo cupiditati vindictae.

Est autem Mansuetudo virtus, quae primum comprehendit insticiam, ne pugnet ubi non est necesse: deinde in pugna necessaria moderatur iram, et probabili ratione lenit aliquid de iusta ira, seu de poena. Quod autem opponitur deliberatio contentioni, significatur animos impeditos ambitione, ira vel aliis affectibus, aut non cernere verum, aut cum cernunt, tamen non velle videri vinci, sicut dicitur:

Aurum et opes et vasa frequens donavit amicus,
Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Quare in deliberatione veritas ex suis fontibus quaerenda est, nec impedienda est inquisitio fluctibus affectuum. Cogitanda sunt et illa: Nimium altercando veritas amittitur. Item: Nam quisquis nimium non sapit, ille sapit. Crede mihi sapere est non nimium sapere. Inventa autem veritate mens acquiescat, agat Deo gratias, et veritatem ad usum in vita conferat, sicut supra dictum est: Abominatio coram Deo labium mendax.

Multum escae in sulcis pauperum, et alii sine modo cumulant.

Praeceptum oeconomicum est de mediocritate et diligentia tuendi mediocres facultates, iuxta dictum: Laudato ingentia rura, Exiguum colito. Estque sententia, melius esse possidere mediocres facultates, et eas recte administrare, et frui eis cum pietate et tranquillitate, quam magnas opes cumulare, quod sine offensionibus fieri non potest. Huc pertinet dictum Pauli: Qui volunt fieri divites, incident in cupiditates stultas et perniciosas. Transferatur dictum ad alia: Melius est in parva gubernatione esse, et eam ornare, quam in summa fastigio, ubi magnitudinem rerum minus sustinere possumus. Et versiculus notus sit, quem Aristoteles 4. Politicorum citat ex Phocylide: *πολλὰ μέσοισιν ἄριστα, μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι.*

Caput XIV.

Est via recta coram homine, cuius exitus tamen est via mortis.

Admonitio est de caligine et infirmitate humani iudicii, et de multis magnis erroribus consiliorum, sicut manifestum est, saepe errare homines in iudicando et in deliberationibus. Decipiuntur autem vel suis imaginationibus, vel exemplis aliorum, vel consuetudine etc. et decepti magis ruunt fascinati a diabolo, sicut de Iuda scriptum est: Intravit Satanas in cor eius. Ita magna multitudo assensit et assentitur impiis cultibus, et haeretici portentosa dogmata mordicus retinent. Et Pompeius, Iosias errant in deliberatione de bello. De hac multorum infirmitate querelae extant, iuxta dicta: Stultorum infinitus est numerus. Item: Omnis homo mendax. Item: *οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφός.* Item: *πολλάκι τὴν μορφὴν ἐξαπατῶσ' ἰδέαι.* Item Simonides: *τὸ δοκεῖν βιάζεται τὴν ἀλήθειαν.* Adversus haec mala hoc unicum remedium est, pie agnoscere verbum Dei, et iuxta verbum Dei facere necessaria cum invocatione, iuxta haec dicta: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Item: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Item Deut. 4.: Haec sapientia vestra ambulare in praeceptis meis.

Caput XV.

Mollis responsio mitigat iram,
Sermo asper provocat iram.

Tota lex Dei est descriptio qualis sit Deus, et hominibus patefacta est, ut sciamus qualis sit Deus, et quod velit nos sibi conformes esse. Sicut igitur praecipit: Non occides, ita ipse est Deus non perditionis, sed salvationis, sicut et iurat: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Multa sunt igitur tradita praecepta de pace, quae pertinent ad mandatum: Non occidas. Id violant, qui sine iusta causa pacem turbant. Nota sint igitur dicta: Beati pacifici, quia Filii Dei vocabuntur. Rom. 12.: Quantum in vobis est, pacem habete cum omnibus.

Traduntur etiam praecepta de modo retinendae pacis. Primum, nemo alium iniuria afficiat. Deinde non satis est non incoare iniusta certamina, sed etiam modus sit in repellenda iniuria, *ἐν τῷ ἀμύνεσθαι,* non sit repulsio atrocior quam iniuria, sicut dicitur: Defensio non sit offensio. Si verbis contenditur, et sunt atrocia crimina, moderate respondeas verbis, si non sunt atrocia crimina, saepe est virtus, dissimulare ea, et condonare communi tranquillitati, et refutare ea potius vitae testimoniis, quam recriminando, sicut Cicero inquit: Male mecum agitur, si me oratio potius quam vita mea purgat. Et Demosthenes inquit, se non responsurum esse de privatis conviciis, sed opponit vitam testem: si talem me esse scitis, qualem ipse describit, statim surgite tanquam me condemnato. Et David inquit: Detrahebant mihi, Ego autem orabam.

Haec moderatio pertinet ad has virtutes, mansuetudinem, patientiam, pietatem debitam Ecclesiae vel publicae tranquillitati.

Sed extrema sunt *φιλονεικία*, id est, cupiditas contentionis, et lenitas. Plures autem peccant *φιλονεικίᾳ*, id malum est multo perniciosius.

Est autem *φιλονεικία*, seu in movendis certaminibus vel iniustas vel non necessarias contentiones accendere, aut superbia, aut ambitione, aut morositate naturae, aut aemulatione, aut iracundia, aut superstitione, seu in respondendo neque cedere, neque aliud lenire, sed acerbitate velle vincere, et undique sumere materiam inflammandi odia, sicut inquit Lucanus: Et causas invenit armis. Item: It vagus, atque ignes ani-

mis flagrantibus addit. Tales multae sunt tribunitiae naturae, inquietae et rixatrices, ut Romani multi tribuni, et in Ecclesia multi haeretici. Ac citatur dictum vetus in Stobaeo, quo significat cupiditatem contentionis, causam esse ingentium calamitatum, *τὰ μεγάλα κακὰ οὐκ ἄλλως, ἢ ἐκ φιλονεικίας συνίσταται.*

Cum igitur fugiendum sit hoc vitium, Salomon tradit admonitionem de modo. Mollis responsio frangit iram, id est, non solum prior alium non afficias iniuria, sed etiam cum respondes, lenire aliquid studeas. Ac multa sunt similia praecepta, quae docent, cum iratis non contendendum esse, ut: Ignem gladio ne fodias. Et laudantur hi versus: *δυοῖν λεγόντοιν θατέρου θυμουμένου, ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις σοφώτερος.*

Sed hic contra obiiciunt aliqui, Increpa opportune, importune etc. et praetexitur zelus privatis odiis, superbiae, aut aliis affectibus. Sed sciant bonae mentes, in hoc genere regulas a Deo traditas sequendas esse. Doctores suo loco recte doceant, et quidem necessaria, non serant inanes *λογομαχίας*, non litigent de *παρέργοις* aut rebus alienis a suo officio, auditores interrogati de doctrina respondeant, sicut Petrus inquit: Parati ad rationem reddendam omnibus qui interrogant, cum mansuetudine.

Victima impiorum abominatio Domino, et precatio rectorum placet ei.

Saepe repetita est haec doctrina in Prophetis, de tribus generibus operum, de ceremoniis, de operibus moralibus, et de fide. Haec concio est totius Psalmi 49.: Non manducabo carnes taurorum etc. taxans abusum ceremoniarum. Et Hieremiae 7. dicitur: Non praecepi vobis de holocaustis. Et Esaiae ultimo dicitur: Mactans pecudem est velut strangulans canem. Et Ecclesiast 4.: Melior est obedientia, quam stultorum victimae, qui nesciunt quid faciant. Et Oseae 6.: Misericordiam volo, non sacrificium, et agnitionem Dei magis quam holocausta. Iohan. 4.: Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu et veritate, id est, vera agnitione iuxta verbum Dei, et motibus cordis, timore, fide, spe. Haec et similia dicta familiarissime nota sint omnibus, et sciant iuniores, tres esse gradus operum seu cultuum.

Primus, Ceremoniae, id est, externa signa. Instituit enim enim Deus aliquas ceremonias propter duas causas, et ut sint signa promissionum, et ut sint nervi publicae congregationis, qui Deus vult Ecclesiam non esse in latebris, sed conspici et discerni a caeteris gentibus, voce et ceremoniis.

Prudenter autem considerandum est, quomodo utendum sit ceremoniis, quia homines proni sunt ad falsos cultus, et praesertim ad abusum ceremoniarum.

Amissa enim noticia promissionum, et extincta luce fidei, flectunt oculos ad ceremonias, et has cogitant mereri remissionem peccatorum coram Deo, et esse iusticiam. Haec persuasio in genere humano omnibus temporibus latissime vagatur. Sic de suis sacrificiis Ethnici sentiebant, sic in populo Israël magna pars sentiebat. Sic docebant Pharisaei, sic Monachi de Missa, de votis, et aliis ceremoniis docuerunt.

Hunc autem communem errorem acerrime taxant Prophetae, ut dictum est de Psalmo 49. et aliis testimoniis. Imo et Ethnici reprehenderunt hanc superstitionem, quae ceremonias servat, sine bonis operibus moralibus, ut Plato dicit: Oportet colere Deum, non gestus arte simulantes, sed vere honorantes virtutem, *οὐ σχήμασι τεχνάζοντας, ἀλλὰ ἀληθείᾳ τιμῶντας ἀρετήν.* Sed haec ethnica reprehensio non sufficit. Etsi enim verum est oportere in hominibus esse iusticiam bonam conscientiae, tamen in Ecclesia scimus, non tantum de legali doctrina dicendum esse, sed etiam de mediatore, de promissione gratiae et de fide. Oportet enim omnibus operibus moralibus et ceremonialibus praelucere noticiam mediatoris et promissionis, et fiduciam mediatoris, ut corda credant se recipi et exaudiri propter mediatorem, quanquam indigni sumus, et hac fide ad Deum accedant, sicut inquit Dominus: Nemo venit ad patrem nisi per Filium. Item: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.

Hanc fidem in invocatione et in tota vita postulat Deus, et in petitione auxilii postulat spem et expectationem, iuxta dictum: Quia veniens veniet, et non tardabit etc. Item: Sacrificate sacrificium iusticiae et sperate in Domino.

Postea placent bona opera moralia hoc fine, non ut mereantur remissionem peccatorum, sed ut Deo obediamus, et alii discant doctrinam, et celebrent Deum, et non triumphet diabolus in nobis adversus Deum.

Placent et ceremoniae institutae a Deo, factae hoc fine, ut non mereantur remissionem, sed quia sunt signa, commonefacientia nos de promissione ut accendatur fides. Item, quia sunt signa confessionis. Item, quia sunt nervi congregationis. Hos veros fines in Ecclesia intelligi oportet, et removeri impias opiniones.

Caput XVI.

Hominis est praeparare cor, sed a Deo est responsio linguae.

Simile dictum sequitur mox in eodem capite: Cor hominis cogitat viam suam, et Dominus confirmat gressum eius. Haec dicta non tollunt libertatem voluntatis humanae, seu electionis, sed significant, esse aliquas electiones humanae voluntatis, cum in non renatis, ut in Pompeio, tum in renatis, ut in Iosua, Davide etc. Sed in his electionibus aliquando errare homines, ut cum Iosias movit bellum non necessarium adversus regem Aegyptium, voluntas eius habebat electionem, sed errantem, et successus non respondit.

Ac diligenter considerandum est, aliud esse electionem in nobis, aliud successum. Ut autem sit felix electio, necesse est accedere auxilium Dei dupliciter, videlicet in iudicando, et postea in regendo eventus. Nisi enim iudicium regatur verbo Dei, et luce divina, multi errores accidunt, ut Iosias, Zedechias, Demosthenes, Pompeius, Cicero errant in eligendo bello, et sequuntur tetri eventus, quia non iuvantur a Deo. Interdum etiam cum non errat mens iudicio, et tamen Deus non adiuvat agentes, propter alias causas, ut, in praeliis adversus Beniamin etiam eventus tristes sequuntur, quia Israëlitae confidebant suis viribus.

Sciamus ergo, causam felicium actionum esse, non solam humanam electionem et diligentiam, ideo inquit Ieremias: Scio Domine, non est hominis via eius, id est, homo sine auxilio divino saepe in consiliis errat, et non potest habere felices successus. Ideo scriptum est: Nisi Dominus aedificaverit domum etc. Item: Nemo potest sibi sumere quidquam, nisi sit ei datum a Deo. Item: Sine me nihil potestis facere, id est, sine meo auxilio non potestis facere salutaria.

Hanc nostram imbecillitatem vult nos Deus agnoscere, et similiter vult regi nos suo verbo in vocatione, et timere ipsum, ac fide petere auxilium divinum, iuxta dictum: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Item: Petite et accipietis. Item: Cum nescimus quid agendum sit, ecce oculi nostri ad te Domine diriguntur.

Nota sit igitur haec regula vitae, quam hic quoque repetit: Commenda Deo opera tua, tunc confirmabuntur cogitationes tuae, id est, fac mandata Dei iuxta vocationem, pete auxilium a Deo, tunc erunt felicia consilia, tibi et populo.

Haec doctrina saepe cogitanda est, ut curam in nobis exuscitemus regendi vitam verbo Dei, et petendi auxilium divinum etc. Ad hunc usum accommodentur haec dicta, non ad Stoicas opiniones de necessitate. Non enim sequitur: Zedechiae non respondit eventus, Ergo Zedechias non libere voluit bellum. Imo quia voluit, et voluit sine mandato, et sine invocatione Dei, ideo eventus non respondit.

Omnia facit Deus propter sese, etiam impium ad diem malum.

Superiores sententiae fuerunt praecepta de petendo auxilio Dei. Hoc dictum concionatur de providentia, de qua multae tristes dubitationes sunt in mentibus hominum. Sunt autem duo genera rerum, videlicet, Res bonae, in quibus ordo conspicitur, et res malae, quae sunt ordinis destructio, ut, scelera et calamitates.

De rebus bonis utcunque movetur mens, ut cogitet eas non casu ortas esse, aut casu servari, et tamen adsensio turbatur. Ac multi Philosophi disputarunt, materiam coeli et terrae sua quadam necessitate talem esse, et semper talem fuisse, et alia corpora gignere, nec libere haec a mente aeterna fabricata esse, nec libere conservari.

Ab his Cyclopicis furoribus retrahit nos haec concio ad primum articulum fidei de creatione. Imo, inquit, res non sunt casu tales, sed vere est Deus sapiens et bonus, qui liberrime condidit et servat res bonas, videlicet, ordinatas ab ipso, coelum, terram, vices temporum, foecunditatem terrae, generationem animantium in singulis speciebus, societatem generis humani, ordinem politicum, Ecclesiam, et in bonis mentibus singulorum sua dona, sapientiam et virtutes, et multas liberationes invocantium.

Haec omnia et facta sunt, et fiunt a Deo liberrime, et quidem ad hunc finem, ut sint testimonia, quod sit Deus, et quod sit sapiens et bonus conditor et ordinator. Ideo inquit: Propter sese condidit Deus.

Sed obiiciunt Epicurei multa inordinata: Cum Deus velit ordinem, unde sunt mala, scelera et calamitates? Respondit Salomon de poenis: Imo et poenae testimonia sunt de providentia, ut universale est, Atrocia delicta puniri atrocibus poenis, etiam in hac vita, iuxta dictum: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Et universaliter, Mors et omnes calamitates sunt poenae peccati originalis et aliorum peccatorum, iuxta dictum Pauli: Per peccatum mors intravit etc. Interea hoc verum est, Deum nec velle, nec efficere, nec approbare peccatum, sed postquam propria libertate homines abusi sunt, conspicitur iusticia Dei in hoc ordine, quod per poenam fit compensatio.

Ac Syntaxis in verbo *Facit* observanda est. Non enim dicit: Facit impium, sed additur praedicatum: Facit ad diem malum, id est, eum qui impius est, peccans non volente Deo, rapit ad poenam. Id quoque providentiae testimonium est, ut cum dico, statuarius facit ex marmore figuram Alexandri. Hic statuarius non gignit marmor, sed figurae fabricator est, ita Deus nequaquam est causa impietatis, sed ordine iusticiae punit ac destruit impium.

Tota igitur haec sententia commonefactio est de Providentia, et monet ut agnoscamus, Deum libere facere et conservare res bonas, et liberrime punire, iuxta dicta Psal. 32.: De coelo respexit Dominus, vidit omnes filios hominum etc. Psal. 61.: Tu reddis unicuique iuxta opera sua.

Abominatio Domino est omnis superbus corde, nec erit impunitus, etiamsi erit manus ad manum.

Citatur et Lucae 16. hoc dictum: Quod sublime est inter homines, abominatio est coram Deo. Et Siracides inquit: Omnis peccati initium est superbia. Hic definitiones cogitentur supra traditae, et considerentur exempla contraria Ionathae et Antonii Triumviri. Et semper in conspectu dictum: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Misericordia et veritate expiatur iniquitas, et timore Domini receditur a malo.

Repetita est admonitio de discrimine cultuum, ut supra in dicto: Victima impiorum abominatio. Et Oseae 9.: Scientiam Domini volo, non holocausta et misericordiam, non sacrificium. Eodem modo hic ait, non esse homines iustos propter sacrificia, sed si habeant timorem Dei, misericordiam et veritatem. Et est usitata summa doctrinae: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.

Timor Domini significat veram conversionem ad Deum, in qua est timor et fides, sicut alibi saepe expresse dicitur de fide.

Phrasis usitata Ebraeis est, de sincera et non fucosa dilectione erga homines, ut Ionathas facit misericordiam et veritatem cum Davide, id est, benefacit ei, et fideliter, sine simulatione, et constanter hoc facit. Sic infra dicitur capite 20.: Misericordia et veritas custodiunt regem, et fulcitur clementia solium eius, id est, beneficentia et fidelitas sunt nervi et imperii. Sed si hic intelligitur veritas erga Deum, significat veram agnitionem Dei, quae est fides.

Divinatio in labiis regis, in iudicio non delinquet os eius. Pondus et statera iudicia Domini sunt, opus eius omnia pondera lancis.

Haec dicta affirmant, totum politicum ordinem, Magistratus, leges, distinctionem dominiorum, contractus, iudicia, poenas, esse opera ordinata Dei sapientia in genere humano. Et quanquam diaboli et homines multis horribilibus furoribus turbant hunc ordinem, tamen ne funditus extinguatur genus humanum, aliquid politici ordinis reliquum manet. Id sciamus efficaciter a Deo conservari, sicut et Daniel inquit: Deus transfert et stabilit regna. Deinde cum cognoscimus ordinem politicum Dei opus esse, amemus eum, et tueri nostris officiis studeamus, et modeste propter Deum ei obediamus, et Deo conservatori gratias agamus, et sciamus furores diabolorum et hominum, qui turbant politicum ordinem, displicere Deo, sicut tota haec doctrina longa concione ad Romanos 13. recitatur.

Sed quare dicit: *Divinatio in labiis regis, in iudicio non errat os eius?* Coniungenda sunt haec membra. Dictum loquitur de Rege et de Iu-

diciis, non de Tyranno et de Calumniis. Regis vox est divinatio, scilicet, cum iudicat iuxta leges. Nominat igitur divinationem ipsas leges, et iudicia congruentia legibus, quia leges sunt sapientia divinitus monstrata: nam fons omnium honestarum legum est Decalogus, qui est summa legum naturalium. Et propter hanc causam primum et principaliter praeposuit Deus generi humano magistratus, ut sonent vocem Decalogi, et sint exequutores in poena. Deinde armavit Deus eos etiam hac potestate, condendi proprias leges, non pugnantes cum Decalogo, sed extructas ex ipso Decalogo seu demontrationibus, seu probabili ratione.

Has rationes ut videant gubernatores, Deus aliquorum regum mentes movet, et dat eis singulares motus, ut alii excellentes artifices habent singulares motus, quia Deus sic vult servare genus humanum, regendis mentibus salutarium principum, et excellentium artificum, sicut dictum est: Ut oculi videant et aures audiant, Deus facit utrunque.

Ita fuit singularis motus in Salomone, ratiocinante utra esset mater.

Et recens Gonsagae praesulis Mediolanensis iudicium fuit singulare exemplum. Cum Hispanus praefectus oppidi sub eo teneret virum nobilem captivum, et coniunx eius peteret liberationem captivi oblata magna pecunia, Hispanus petit stuprum, quod cum obtinuisset, deinde reddit captivum prius interfectum. Gonsaga postquam hoc rescivit, coepit Hispanum, et coëgit eum ducere illam mulierem. Postquam duxit, deinde et iudicata Hispanum capitali supplicio affecit, et facultates Hispani mulieri attribuit.

Caput XVII.

Qui celat alienum delictum, acquirit amiciciam: qui vero palam facit, distrahit principes.

Increpatio prudentem magis perterrefacit, quam centum plagae stultum.

Tantum discordias quaerit malus, et nuncius crudelis occurret ei.

Melius est occurrere ursae orbatae catulis, quam stulto in sua stulticia.

Vicinae sunt sententiae, et pertinent omnes ad ordinem in iudicando, qui in dicto Christi comprehenditur: Si peccaverit in te frater tuus, argue eum inter te et ipsum. Pastores et alii, praesertim qui habent officium docendi, cum sciunt errare aliquem, aut alioqui iniuste facere, primum admoneant eum privatim. Si ille non emendat se, postea fiat accusatio publica.

Sit autem in monitore Veritas et Candor, non quaerat calumniose quod reprehendat. Monitus sit docilis, non contumax. In neutro sit *φιλονεικία*, id est, cupiditas contentionis. Ita hoc loco praecepta dantur et monitori et monito.

Malus tantum quaerit rixas, id est, non quaerit veritatem et salutem Ecclesiae, sed sine fine turbas, ut Cleon et Alcibiades Athenis subinde bellorum semina spargunt. Omnibus contradicebant Cynici et Academici, et recens Valla, Cornelius Agrippa, Carolostadius, Osiander, Stancarus, et multi habent tales rixatrices naturas. Hi non quaerunt veritatem, sed recte dicta arte depravant, aut petulanter movent non necessaria certamina, nec moniti cedunt, sed rabiosius defendunt errores. De his dicit hoc loco Salomon: Satius est occurrere ursae orbatae catulis, quam stulto in stulticia sua, ut cum fascinatus Papista defendit manifestos errores.

Damnant igitur hae sententiae calumnias et cupiditatem contentionum, et pertinentiam in erroribus. Praecipiunt autem, servari ordinem in admonitione, et iubent adhiberi veritatem, candorem et *ἐπιείκειαν*, et monitos iubent esse dociles, iuxta dictum: Desinite male facere. Item: Agite poenitentiam et credite Evangelio. Ideo dicitur: Qui celat alienum delictum, acquirit amiciciam, id est, qui cum ordine monuit errantem, sanat eum, non tumultuatur publice, servat hominem, et alit publicam concordiam. Contra vero neglecto hoc ordine ex rixis oriuntur discordiae principum, bella et vastationes, sicut in versu Empedoclis dicitur:

Φοιτᾷ δὲ βροτολοιγὸς ἔρις κενεὸν λελακυῖα,
Vana sonans adfert saevas discordia caedes.

Poenam etiam hic rixosis monitoribus et monitis denunciant. Nuncius malus occurret ei, id est, qui calumniis aut accendunt aut alunt discordias, tandem dabunt poenas, quia veritas etiamsi aliquandiu reprimitur, tamen tandem vincit. *Ἰσχυρὸν τὸ ἀληθές*, ut inquit Demosthenes. Et Paulus iubet haereticos post unam et alteram admonitionem vitari, et ait: Peccant *αὐτοκατάκρι-*

τοι, id est, quia convicti in conscientia non volunt videri convicti, iam suo testimonio sese damnant.

Quaerat autem aliquis, quomodo potest homo convinci? Respondeo: In forensibus negociis convincitur homo legitimo iudicio et sententia iudicis. In philosophia per normas communes, quae nominantur *κριτήρια*, quae tria sunt: Experientia universalis, principia, et intellectus consequentiae. In doctrina Ecclesiae de lege et de articulis fidei convincitur homo per testimonia recte citata ex Prophetis et Apostolis, et per symbola. Non est enim ambigua doctrina Ecclesiae de fundamento.

Sciendum est autem, mandatum divinum esse, ut agnita veritate, in ea acquiescamus propter Deum, et Deo gratias agamus, quod lucem suam monstravit, et eam ad usum conferamus, ut praeceptum est Zachariae 8.: Diligite veritatem et pacem. Et non assentiens veritati de Deo, violat primum et secundum praeceptum decalogi: Non habebis Deos alienos. Item: Non assumes nomen Domini Dei tui falso. Et agnitae veritati de Deo adversari, blasphemia est, de qua dicitur: Blasphemia Spiritus non remittetur. In aliis negociis violatur praeceptum: Non dicas falsum testimonium.

Caput XVIII.

Iustus initio accusator est sui, postea inquirit in alium.

In omnibus hominibus in hac imbecillitate hi fontes sunt multorum peccatorum, *φιλαυτία* et superbia. Nobis placemus, et nos efferimus supra alios. Ideo nobis blandimur, et amamus *κολακίας*, et nostra vitia non cernimus, volumus etiam alios videri inferiores, ac de eis acerbe iudicamus, nobis parcimus et aliorum sumus censores et Momi. In nostris vitiis caecutimus, in alienis sumus Lyncei. Foris sapimus, domi non sapimus. Hinc illa dicta sunt: Suum cuique pulcrum. Et ad Atticum inquit Cicero: Suam cuique sponsam, mihi meam. Suum cuique amorem, mihi meum. Non scite hoc etc. Hinc et Apologus est de duabus Manticis, de quibus Catullus inquit:

Nimirum omnes fallimur, neque est quisquam,
Quem non in aliqua re videre Suffenum
Possis, suus cuique attribntus est error.
Sed non videmus manticae quod in tergo est.

Et Horatius:

Cum tua pervideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitiis tam cernis acutum?

Et Persius:

Ut nemo in sese tentat descendere, nemo:
Sed praecedenti spectatur mantica tergo.

Item:

Tecum habita, et noris quam sit tibi curta supellex.

Et in Evangelio severe taxatur hypocrita, qui habens trabem in oculo, vult alteri festucam eximere.

Contra hanc *φιλαυτίαν* et perversitatem iudiciorum teneatur admonitio, quae in hac sententia traditur: Iustus initio accusator est sui, id est, inquirit in sese, agnoscit suam infirmitatem, et suos lapsus, quia iustum est, incoare poenam a nobis ipsis, iuxta dictum: Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum.

Praeterea et iusti habent aliquos naevos, iuxta dictum: Non est iustus in terra, qui quanquam benefacit, non etiam peccet. Sed quia sunt iusti, vera fatentur, nec defendunt suos errores aut lapsus, dolent, ac sese primum puniunt, et emendant. Postea considerant, quando et quo ordine de aliis iudicare debeant, nec iudicant ex levibus suspicionibus, sed ex veris argumentis.

Ideo textus utitur verbo *Explorabit*, inquiens: Probet unusquisque suum opus, et sic habebit gloriam apud sese, non ex alio, id est, si recte facit officium, habet tranquillam conscientiam, et non pendet ex applausu vulgi. Huc pertinent multa dicta: Metiri se quenque suo modulo ac pede verum est. Item: Qui sua metitur pondera ferre potest etc.

Interpres Graecus in Salomone usus est insigni verbo. Iustus in *πρωτολογίᾳ* seipsum accusat. Est autem *πρωτολογία* forense vocabulum, videlicet oratio accusatoris antequam reus auditur. Difficile est autem postea evellere ex animis opinionem primum conceptam, ut Demosthenes inquit. Iam cogita, quam multi sint tales censores passim, qualis describit pictura hypocritae, qui habens trabem in oculo, alteri vult eximere festucam.

Concurrunt autem multa vitia in hac perversitate iudiciorum, *φιλαυτία*, superbia, *πολυ-*

πραγμοσύνη, crudelitas, cum sibi parcunt hypocritae, et in alios saevitiam exercent etc. Agnoscamus autem singuli nostra vitia, et adficiamur misericordia erga sanabiles, et iuxta vocationem sanare eos studeamus, et simus memores dicti Nazianzeni:

εἰδὲ οἶδας ὄφλων καὶ πρόχρησον τὸ πρᾶον,
οἴκτῳ γὰρ οἶκτος, τῷ θεῷ σταθμίζεται.

Inveniens uxorem invenit bonum, et hauriet voluptatem a Domino.

Phrasis consideretur. *Invenire* significat feliciter ducere. Inveniens uxorem, id est, feliciter ducens, seu Graece εὐτυχῶς εὐτυχῶν. Significat igitur singulare Dei donum esse, felix, placidum et pium coniugium, in quo mutuus est amor et coniuges concordes sunt Ecclesia, simul Deum, iuxta versum:

Inque Deo sit mens una, sit unus amor.

Ideo in sequenti capite: *Uxor prudens a Domino.*

Simul autem haec dicta sunt illustria testimonia, quae adfirmant, Deo placere coniugium. Et singulari emphasi hic dictum est: *Hauriet voluptatem a Domino*, quasi dicat, Magna sunt vitae pericula, et communes miseriae multae, in his tamen Deus erit custos talium coniugum, qui concordes ipsum invocant, et laetantur in Deo, quia sciunt, se ei curae esse. Tales fuerunt coniuges Zacharias et Elisabeth, et alii pii, quos Deus mirabiliter tunc protexit, cum assidue pessimarum gentium exercitus passim in Iudaea vagerentur. Cum Lamyrus triginta millia Iudaeorum occidit, et captivos coëgit vesci cadaveribus interfectorum Iudaeorum, tunc Zachariam, Elisabeth, Mariam, et eius parentes protexit Deus, sicut servavit tres viros in fornace Babylonica. In his exemplis cogitemus, quid sit haurire voluptatem a Domino.

Usus est autem verbo insigni *Hauriendi*, alludens ad fontes et scaturigines, ut significet, multiplicem, efficacem et dulcem consolationem, et quasi recreationem.

Nota sit autem hic tota doctrina de Castitate, et de Coniugio. Condidit Deus Marem et Foeminam, quia genus humanum vult esse Ecclesiam: et certa lege coniunxit marem et foeminam, et metas circumdedit, ac prohibuit vagas libidines, ut sit in genere humano intellectus castitatis. Vult enim Deus intelligi, se mentem castam esse, et hac cogitatione discerni in invocatione a naturis immundis. Necesse est enim nos cogitare, quid invocemus. Et quia non amplectimur Deum brachiis, sed mente eum alloquimur, cogitandum est, qualis sit, et ubi se patefecerit. Dicimus igitur:

Omnipotens Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, angelorum et hominum, una cum Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu tuo sancto, sapiens, bone, verax, iuste, misericors, iudex, caste et liberrime, miserere nostri propter Iesum Christum Filium tuum, quem voluisti pro nobis esse victimam, καὶ μεσίτην καὶ ἱκέτην, et iustifica nos propter eum, et per eum, et sanctifica nos Spiritu tuo sancto veraci et casto etc.

Nota sit igitur et doctrina de castitate, et teneamus severissimas comminationes divinas, quae recitantur Levitici 18. et 1. Cor. 6.: Scortatores, adulteri, homicidae etc. non possidebunt regnum Dei. Et ad Ebraeos: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Et in conspectu sunt exempla poenarum, ut in Levitico expresse dicitur: Cananaeos deletos esse propter confusiones libidinum. Nec dubium est, magnam partem calamitatum in toto genere humano poenas esse libidinum.

Simus igitur ardentiores in petenda castitate a Deo, quia quo magis irascitur Deus inquinationi hominum, et diabolus magis incendit homines, eo magis vult nos Deus custodire, petentes castitatem. Servemus etiam regulam: Vitare peccata est vitare occasiones peccatorum. Item: Ambulate accurate, non ut fatui. Item: Si actiones carnis spiritu mortificabitis, vivetis, etc.

Caput XIX.

Non decent stultum deliciae. Nec servum dominari ducibus.

Omnes homines in hac imbecillitate naturae in rebus secundis fiunt negligentiores, sicut usitate dicitur: Luxuriant animi rebus plerunque secundis. Item: Fortuna quem nimium fovet, stultum facit. Item: Sedit populus manducare et bibere, et surrexit ludere etc. Denique in multis scriptis haec commonefactio repetita est, quia cum non anguntur animi, minus invocant Deum, et

minus sunt intenti in rebus necessariis agendis. Cum autem natura non prorsus ociosa esse possit, et prona sit ad voluptates et ad vitia, non occupati necessariis curis ruunt ad prava, ut Cato ait: Homines nihil agendo mala agere discunt. Item: Ocia si tollas periere Cupidinis arcus, Contemtaeque faces, et sine luce iacent. Item: Ocia securis insidiosa nocent. David ociosus admittit et alit incendia amoris.

Ideo hic dicitur: Deliciae non decent fatuum, id est, non domiti, non cicurati antea, fiunt audaciores et peiores in rebus secundis, ut Roboam fit insolentior, factus rex in tanta tranquillitate. In Alexandro multa vitia post tot victoriarum cursum crescunt.

Universaliter igitur de disciplina praeceptum est in Siracide cap. 33.: Pabulum, virga, et onus asino. Sic panis, disciplina et opus servo, id est, homines non sint ociosi, sed certo labore honesto occupati. Sed tamen modus sit, habeant pabulum, habeant autem et inspectores, qui sint exactores operarum et ἐργοδιῶκται, id est, urgentes operas, et puniant contumaces, ut alii metu poenarum in officio contineantur. Hoc praeceptum commonefactio est, et de suo cuiusque corpore, et de oeconomica gubernatione, et regula: Regna non sint tantum carnificinae populi, sed relinquant papulum civibus, et curent ut sint occupati honestis laboribus, et puniant contumaces.

Nunc plerunque negligitur disciplina, et immoderatis expilationibus exhauriuntur facultates civium, ut mediocres homines non habeant res vitae necessarias, et sumtus ad educandam et instituendam sobolem. Sed vox divina praedixit, in hac delira mundi senecta, imperia fore deformiora, et iubet nos a Deo petere mitigationem poenarum publicarum et privatarum, et mediocrem conservationem honestae societatis et Ecclesiae.

Subsannatore percusso imperitus erit cautior.

Postquam mens hominum mersa est in peccatum, sequuta est destructio, videlicet Mors, quia humana natura desiit esse domicilium Dei, sicut antea fuerat, iuxta dictum: In ipso vita erat, id est, per Verbum habitans in homine vivebat homo, excusso verbo excussus est Deus rector et vivificator, et sequuta est mors. Sed tamen quia propter Filium voluit Deus colligere Ecclesiam aeternam in genere humano, non mox deleti sunt primi parentes, sed rursus vivificati sunt, verbo iterum habitante in eis, edita promissione.

Cum igitur sit genus humanum, et multa sint peccata, cumulantur et poenae, et innumerabiles calamitates mortem antecedunt.

Physici causam mortis et multarum calamitatum dicunt esse materiam, quae sua natura, ut in pomis arefit aut putrescit. Dicunt item, aliquas miserias accersi erroribus et voluntatibus humanis.

Haec de immediatis causis recte dicuntur. Sed cur hominum materia nunc est talis? Unde est in hominibus ignorantia, et voluntatis pravitas?

Hic doctrina Ecclesiae monstrat principales causas, scilicet peccatum. Postquam homo excusso verbo Dei excussit Deum rectorem, sequuta sunt peccata, et ex originali postea innumerabilia actualia oriuntur. Est autem ordo iusticiae in Deo, ut natura destruatur, sicut scriptum est: Deus est ignis consumens. Ideo poenas sequuntur. Sunt autem quatuor causae poenarum praecipue considerandae.

Prima est ordo iusticiae in Deo, quia iustum est, ream naturam destrui.

Deinde accedunt finales causae. Vult Deus agnosci discrimen honestorum et turpium, vult se agnosci qualis sit, et vult intelligi, quod sit iudex et vindex scelerum. Est igitur secunda causa poenarum, ut poenae sint commonefactiones, quod sit Deus et qualis sit, ut quia destruit Sodoma, scimus Deum castum esse, et amantem castitatis, et horribiliter irasci incestis libidinibus.

Tertia causa est utilitas, ut conservetur genus humanum, quia non esset finis latrociniorum, si nullae essent poenae.

Quarta causa est, ut exemplo alii commonefiant, et metu coërceantur, et aliqui ad Deum convertantur. De hac causa hoc loco dicitur: Subsannatore percusso imperitus erit cautior, ut Gabeonitae deletis vicinis facti sunt cautiores, et petierunt pacem. Poena Sisamnis facit cautiorem Otanem collocatum in sellam, in qua pellis paterna expansa erat, ut Herodotus narrat in Terpsichore.

Nominatim vero dicit: *Percuti subsannatores*, id est, atrociter delinquentes, qui cum poenae differantur, Epicureo contemtu derident admonitiones, et fiunt furiosiores, ut poena sit conspectior, ut dicitur:

Tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Altera pars dicti: Correctio apud prudentem auget scientiam, significat non omnes emendari exemplis castigationum, sed aliquos, non furiosos, qui audiunt admonitiones, et moniti obtemperant.

Caput XX.

Aurem audientem et oculum videntem, Deus facit utrunque.

In gubernatione felici haec duo concurrere oportet: Bona consilia gubernantium, et obedientiam populi. Et utrunque dicit Salomon donum Dei esse. Ut, Ieremias erat bonus monitor, sed non habebat regem Zedechiam obtemperantem, ideo Hierosolyma deleta est. Esaiae obtemperabat Ezechias, ideo civitas servata est. Haec est principalis sententia huius dulcissimi dicti: Aurem audientem et oculum videntem, Deus facit utrunque.

Monet autem, non solum sapientia humana regi politias et oeconomias, sed petendum esse auxilium Dei et in dando consilio, et in flectendis voluntatibus hominum ad obedientiam, et in regendis eventibus, sicut Ieremias inquit: Scio Domine quod non est hominis via eius. Item: Nisi Dominus aedificaverit domum. Item: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet.

Caeterum et dictum Salomonis in genere accommodandum est ad omnes excellentes artifices, quorum mentes inveniunt et deprehendunt multa in artibus divinitus, quae alii non cernunt, sicut in Daniele dicitur: Deus dat sapientiam sapientibus, et scientiam intelligentibus.

Malum est, malum est dicunt, cum tenent. Sed postquam amiserunt laudant etc.

Quantum fieri potest morbos nostros consideremus, ut aliquo modo eos corrigamus. Omnes enim nascentes multa vitia nobiscum adferimus. Inter haec est fastidium bonorum praesentium, quod oritur vel ex mobilitate et inconstantia animi, vel ex defatigatione, vel ex impatientia, cum offensi aliquibus incommodis, mutationem appetimus. Hoc fastidium taxant multae sententiae:

Optat Ephippia bos piger, optat arare caballus.

Et Apologus apud Aesopum extat, de Asino subinde mutante conditionem in deteriora. Et Sophoclis versus sunt in Aiace: Stulti homines non agnoscunt bonum, dum in manibus est, priusquam amittunt, postea amissa desiderant.

Denique singuli in seipsis deprehendunt talia fastidia praesentis status, sicut et ille apud Terentium inquit: Nostri nosmet poenitet. Et usitatissimum est, praesentia imperia aegre ferre, et appetere alia, sicut apud Thucydidem dicitur: ἀεὶ τὸ παρὸν βαρύ.

Adversus hanc instabilitatem animorum multa praecepta tradita sunt divina de patientia. Ut: Humiliamini sub potenti manu Dei. Item: Non murmurate adversus Deum.

Et philosophica de animi moderatione: *Στέργειν τὰ παρόντα.* Item: Quod sis, esse velis, nihilque malis. Et versus est Pythagorae: ὧν ἂν μοῖραν ἔχεις ταύτην ἔχε, μήδ᾽ ἀγανάκτει.
Et Stigelius:

Sis asinus, quemcunque asinum sors aspera fecit,
Qui placide sortem ferre scit, ille sapit.

Item: Sufficit diei afflictio sua.

Et Pindarus venustissime monet, cum bonis mala admixta sint, bona excerpenda et fovenda esse, et arte lenienda mala:

ἓν παρὰ ἐσθλὸν πήματα
σύνδυο δαίονται βροτοῖς
ἀθάνατοι· τὰ μὲν ὦν οὐ δύνανται
νήπιοι κόσμῳ φέρειν ἀλλ᾽
ἀγαθοὶ τὰ καλὰ τρέψαντες ἔξω.

Hanc artem in vita necessariam discamus. Iusticiae est cum gratitudine amplecti praesentia bona. Deinde prudentiae et tolerantiae est, quaedam incommoda moderate ferre, ne stultis mutationibus plus mali accersamus, ut monet Periander: μὴ κακῷ κακὸν ἰῶ.

Ad hanc doctrinam referatur et haec sententia Salomonis, qua proprie taxat fastidia praesentium honorum, et significat amissa rursus desiderari et requiri. Referatur autem hoc dictum ad locum communem de fastidio praesentium, et de patientia, quae est, velle obedire Deo in his one-

ribus ferendis, quae iubet ferre, et simul petere et expectare auxilium a Deo, sicut Paulus haec coniungit: Semper gaudete, semper gratias agite, semper orate.

Haereditas ad quam properatur initio, tandem benedictione carebit.

Praeceptum est de expectanda vocatione. Absalon potuisset fieri rex, si expectasset mortem patris, sed quia ante tempus et sine vocatione rapit dominationem, rursus excutitur et opprimitur horribilibus poenis. Filii Ephraim ante Moysen invaserunt terram Cananaeam, carnali fiducia divinae promissionis, quia stirpi Abrahae terra Canaan promissa erat: sed quia sine vocatione, persuasione humana movent bellum, interficiuntur, et totum consilium inutile fuit, 1. Paralip. 7. Promissio enim dederat ius ad rem, nondum in re. Contra vero David etsi scit sibi regnum promissum esse, tamen vivo Saule nequaquam se nominat regem, nec illum ex regno excutit, nec eum interficit, cum iustas causas haberet, quia Saul interfecerat sacerdotes, et saepe armatus quaerebat illum, ut eum interficeret.

Discernamus igitur necessaria a non necessariis, et nihil sine vocatione cogente moveamus.

Ruina est homini, sancta contumelia afficere, et postea vota facere.

In Latina scriptione et versione mendae sunt, quae praebuerunt occasionem alienis et commentitiis interpretationibus, et accommodationi ad vota monastica. Caeterum Salomonis sententia perspicua est. Taxat usitatissimam superstitionem maximae partis hominum, qui polluti impietate, odio Evangelii et aliis sceleribus contra conscientiam, postea ceremonias aliquas anxie observant, et propter has somniant se Deo placere, et se efferunt supra alios, ut Hispani adulteri et sicarii magna solicitudine spectant Missam, aut in feriis certis publica flagellatione lacerant tergora.

Supra autem de discriminibus cultuum dictum est, in sententia: Victimae impiorum abominatio, oratio autem rectorum placet Deo etc. Et Ecclesiastae 4. dicitur: Melior est obedientia, quam stultorum victimae, qui nesciunt quantum mali faciant.

Caput XXI.

Non est sapientia, non prudentia, non consilium contra Deum.

Equus paratur ad diem belli, a Deo autem est victoria.

Regula necessaria est vitae, facienda esse officia vocationis, et petendum esse auxilium Dei: ita Deo iuvante labores fiunt utiles et salutares. Sed iniusta negocia, aut curiositate suscepta, aut quaecunque negocia suscepta sine fiducia Dei et invocatione, sunt infelicia, etiamsi magna calliditas adhibetur.

Semper igitur in conspectu sint praecepta de Vocatione. Ut ad Thess. inquit Paulus: Ambitiose hoc agite, ut propria faciatis. Item, ad Corinthios: Qua vocatione quisque vocatus est, in ea ambulet. Et deinde praecepta de invocatione Dei, et promissione auxilii, ut in Psalmo: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Item, ad Corinthios: Non erit inanis labor vester in Domino. Et Iohan. 15.: Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum copiosum.

Has consolationes opponamus difficultatibus, quae languefaciunt animos, dubitantes utrum labor profuturus sit. Et fides et invocatio exuscitanda est, et spe auxilii divini labores sedulo faciendi sunt, et sciendum est, Deum velle exerceri fidem, invocationem et spem in his aerumnis graduum vitae, ut Psalmus inquit: Subditus esto Deo, et ora eum etc.

Sciamus etiam taxari fiduciam nostrarum virium, *πολυπραγμοσύνην* et *κακοζηλίαν* etc. Iuxta has sententias: Non est sapientia, non prudentia, non consilium contra Dominum. Item: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum a Deo. Item: Nisi Dominus aedificaverit domum, in vanum laborant, qui aedificant eam.

Caput XXII.

Melius est nomen bonum, quam divitiae multae.

Recte dicitur: Bona conscientia mihi propter Deum opus est, bona fama propter proximum. Et sciendum est, Bonam famam esse rem bonam, id est, approbationem ordinatam a Deo, et appetendam esse, quia Deus vult publicis testimoniis

ostendi discrimen inter recta et non recta, et vult recte facientes approbari et servari, et non recte facientes vituperari et deleri. Haec testimonia vult conspici, ut discamus legem, et cogitemus esse Deum, et qualis sit, et quod sit vindex scelerum.

Est igitur bona fama testimonium divinitus ordinatum, multorum recte iudicantium, approbantium recta, et recte facientium, quo testimonio muniti sint recte facientes, et eis honestus locus in communi societate tribuatur, ut alii homines doceantur et invitentur ad recta.

Cum igitur bona fama sit approbatio divinitus ordinata, et multipliciter sit utilis vitae, manifestum est, eam rem bonam et appetendam esse. Ideo et Siracides cap. 41. inquit: Cura sit tibi de bono nomine. Durabilius est enim quam magni thesauri. Causae autem considerentur.

I. Primum quia Deus vult nos honestorum hominum iudicia intueri, ut Siracides cap. 6. inquit: In coetu seniorum consistito, et si quis est sapiens ei adhaerēto. Arrogantia et impudentia est, nolle intueri sanorum iudicia.

II. Deinde vult etiam honesta exempla aliis praeberi. Ideo 1. Cor. 10. dicitur: Omnia ad gloriam Dei facite, et non offendite Ecclesiam. Et ad Philip. 4.: Haec curate quae sunt vera, gravia, iusta, amicabilia, laudabilia, virtutem et laudem.

Primum flagitatur *Veritas*, quae est verae doctrinae conservatio, et in aliis honestis negociis servare dicta et pacta. Est autem virtus primae tabulae, verae doctrinae conservatio.

Gravitas est constantia in sermone et gestibus honestis personae conveniens, et est pars modestiae.

Iusticia particularis est, neminem iniuria afficere.

Castitas est vitare prohibitas libidines.

Amicabilia nominat Beneficentiam et Ἐπιείκειαν, sine qua non potest retineri concordia.

Laudabilia nominat virtutem, quae est diligentia vitandi scandala, quae nominatur φιλοτιμία, honesta appetitio honoris seu bonae famae.

Postea expresse nominat Paulus *Virtutem* et *Laudem*, ut significet, recte factis, non vani ostentatione bonam famam parandam esse.

Sic et Romanos 14. inquit: Qui in his seruit Christo, placet Deo, et probatus est hominibus, ubi etiam vult, nos iudicia honestorum hominum intueri et vereri. Haec qui non intuentur sunt arrogantes et impudentes. Ideo recte dictum est in Tragoedia Senecae: Levis est, nec illum stimulat gloriae decus.

Meminerint iuniores et congruentes sententias in aliis scriptis, ut in versu Publii: Honestus rumor alterum patrimonium est. Et Plautus: Honestam famam si servasso, sat ero dives. Et Hesiodus praecipit vitare malam famam, et addit, communem famam non prorsus inanem esse:

φήμη δ' οὔτις πάμπαν ἀπόλλυται, ἥντινα πολλοὶ λαοὶ φημίζουσι, θεός νύ τις ἐστὶ καὶ αὐτή.

Dives et pauper simul sunt, et Deus facit utrunque.

Res secundae iniustorum et calamitates iustorum turbant assensionem de providentia Dei, et alii alias causas eventuum quaerunt, et multi ad physicas causas et fata decurrunt. Sciendum est igitur, Deum proposuisse testimonia providentiae in operibus ordinariis et extraordinariis, et in expresso verbo suo.

Ordinaria opera ostendunt praesentiam Dei, ut hic ipse pulcerrimus ordo corporum mundi, vices hyemis et aestatis, foecundatio annua terrae, conservatio societatis humanae, poenae homicidarum, lex et iudicium conscientiae in singulis, generatio et prima nutricatio sobolis etc.

Deinde *Extraordinaria* opera magis incurrunt in oculos, ut omnia miracula, eductio populi ex Aegypto, resuscitatio mortuorum, et alia.

Et cum haec facta testentur, vera esse dicta divina, sint in conspectu multae sententiae, quae affirmant, non casu res secundas et adversas accidere, sed regi haec quoque consilio Dei. Haec fides luceat in cordibus, et petat et expectet bonos eventus a Deo.

Sic Ieremias inquit in Threnis: Quis est iste, qui dicit, Ex ore Domini non egredientur bona et mala?

Et Zophoniae 1.: Scrutabor Hierusalem lucernis, et visitabo viros defixos in fecibus suis, qui dicunt in cordibus suis: Non faciet Dominus bene et non faciet male.

Item Psalmo 32.: De coelo respicit Dominus, videt omnes filios hominum.

Item Matthaei 10.: Unus de istis passeribus non cadet super terram, sine voluntate patris mei.

Item: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. His et similibus testimoniis confirmemus nos contra Epicureos furores. Intueamur et mandata Dei de petendis corporalibus ab ipso, et promissiones, quae etiam sunt testimonia providentiae.

Deinde hoc sciamus, de voluntate Dei iudicandum esse ex ipsius verbo, sicut dicitur: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Necesse est igitur obtemperare verbo Dei, etiamsi iusti saepe duriter affliguntur, quia certae causae sunt, quare Deus Ecclesiam vult subiectam esse cruci. Et nota sit sententia: Multae tribulationes iustorum, sed ex omnibus illis liberavit eos Deus.

Quanquam igitur Lazarus est pauper, tamen non propterea abiiciat assensionem de providentia, sed iudicet ex verbo Dei, quod affirmat esse providentiam, et sequuturam esse liberationem. Haec in verbo expresse tradita sunt. Quare autem ipse sit pauper, et non habeat imperium Tyberii, non est scrutandum. Sed tenenda est regula Siracidae capite 3.: Quae mandata sunt tibi haec cogita sancte. Non enim necesse est, te occulta aspicere oculis. Ita discernatur inter revelata et non revelata, et in sua vocatione quisque Deo obediat.

Haec in summa docet et hoc dictum: *Dives et pauper simul sunt, et Deus facit utrunque*, id est: Scito esse providentiam, nec casu alios divites, alios pauperes esse, sed Dei consilio, et suo quisque loco recte serviat, iuxta dictum: Qua vocatione quisque vocatus est, in ea ambulet. Pauper non fremat adversus Deum, sed obediat huic dicto: Humiliamini sub potenti manu Dei, et hanc consolationem teneat. Beati pauperes spiritu, quia talium est regnum coelorum. Item Proverbiorum 17.: Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius. Et Proverb. 15.: Melius est parum cum timore Dei, quam thesauri magni cum tumultu. Item: Sufficit diei afflictio sua. Item: Orate sine ira et sine haesitatione.

Non transferas limites antiquos, quos statuerunt patres tui.

Ad praeceptum, Non furaberis, pertinet et haec prohibitio, ne limites effodiantur, ac conturbentur fines, sicut expresse dictum est, Deut. 19.: Non transferas terminos etc. Et cap. 27.: Maledictus qui transfert terminos proximi sui. Et in ff. tit. de termino moto, leges sunt Iulii, Nervae et Adriani de poenis eorum, qui limites effodiunt.

Nec praeceptum obscurum est, sed citatur allegorice, de non mutandis legibus, quas vetustas gravi autoritate tradidit, si non sit evidens necessitas. Nam inter praecepta vitae politicae hoc quoque saepe repetitum est, non temere mutandas esse veteres leges, ut et versus monet: Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Ac nota sit omnibus narratio quae extat apud Demosthenem in oratione contra Timocratem de Locrensibus, apud quos lex fuit: Ut si quis novam legem laturus esset, suaderet eam publice collo inserto in laqueum, ut si non placuisset lex, cives mox strangularent suasorem.

Verba Demosthenis haec sunt. Volo iudices Locrense exemplum vobis narrare. Non enim deteriores eritis audito exemplo, praesertim eius civitatis, quae honestis legibus gubernatur. Illi adeo sentiunt veteres leges retinendas esse, et patria instituta munienda et conservanda esse, nec ferendas esse novas leges ad cupiditates ullorum, aut ad eludendas actiones iniuriarum, ut si quis velit novam legem ferre, cogatur eam suadere collo inserto in laqueum. Quod si populus iudicat, legem honestam et utilem esse, discedit suasor vivus et incolumis. Sin autem non placet, suasor statim interficitur constricto laqueo. Ideo non audent ferre novas leges. Veteribus autem magna cura et severitate utuntur. Ac valde multis annis tantum una lex nova lata est. Cum enim ibi lex esset, ut effodienti oculum vicissim oculus effoderetur, nec multa pecuniaria puniretur: Quidam autem habens duos oculos inimico unoculo minatus est, se ei oculum quem habebat unicum effossurum esse, hic unoculus metuens calamitatem suam ausus est novam legem suadere, Ut si quis habens geminos effoderet oculum habenti unicum, puniretur effosso utroque oculo, ut aequalis esse utriusque calamitas. Hanc solam dicunt novam legem conditam esse intra annos plures 200. Haec sunt verba Demosthenis.

Talis severitas si nunc esset, non haberemus tot novos Dogmatistas et Lycurgos de cereis et nolis, et similibus rebus, quarum mutatio prorsus non necessaria est, et nullam adfert utilitatem.

Ac iubent viri politici aliqua parva incommoda condonare consuetudini, ne mota Republi-

ca, velut aegro corpore, maiora mala accidant. Quia videmus non falso dictum esse a Xenophonte: *πᾶσαι μεταβολαὶ πολιτειῶν θανατηφόροι*, id est, omnes mutationes Rerumpublicarum adferunt caedes. Ideo et hoc dictum saepe repetitur: Malum bene conditum non est movendum.

Sed hic necesse est addi hanc correctionem. Cum doctrina est impia, et leges stabiliunt impias opiniones et idola, necesse est anteferri regulas: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Item: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Item: Blasphemia non remittetur neque in hoc neque futuro seculo. Et cum sit necessaria emendatio, non transferuntur limites patrum, sed restituuntur. Quia doctrina primis patribus a Deo tradita restituitur, sicut dictum est a Tertulliano: Primum quodque verissimum est. Sed diligenter inquirenda est vera antiquitas, et magna est confirmatio fidei, cognita serie temporum Ecclesiae eligere testimonia eorum, qui fundamentum retinuerunt.

Caput XXIII.

Cum sedes ut comedas cum potente, sis cautus, et pone cultrum in gutture tuo, et serves vitam tuam etc.

Aulica admonitio est. Cum periculosae sint familiaritates potentum, sis cautus et circumspectus in loquendo, tanquam gladium gutturi admovens, ne quid temere dicas, quod tibi exitium adfert. Ut Alexander Clitum liberius contradicentem in convivio interfecit. Extant similes admonitiones multae de aulicis periculis. Horatius inquit:

> Dulcis inexpertis cultura potentis amici,
> Expertus metuit. etc.

Et langa est Ovidii elegia:

> Vive tibi, quantumqne potes praelustria vita,
> Saevum praelustri fulmen ab arce venit.
> Nam quamvis soli possunt prodesse potentes,
> Non prosunt, potius plurimum obesse solent etc.

Et Aesopus dixit Soloni eunti ad Croesum. Cum rege loquendum, *ἢ ὡς ἥκιστα*, *ἢ ὡς ἥδιστα*, aut quam parcissima, aut quam dulcissima.

Necesse est esse gubernatores et ministros, et Deus hunc gradum sic ornavit, ut tribuerit ei societatem sui nominis. Ego dixi Dii estis, id est, habentes officium divinum. Et vocati ad officia sint fideles, prudentes et modesti. Sed dolendum est, quod in hoc summo fastigio pauci recte faciunt officium, et plurimi sunt vel ignavi, vel crudeles. Ac mirum est, in illa sede Dei tam horribiliter grassari diabolum, ut ostendunt exempla omnium aetatum. Et quia multi potentia abutuntur, attrahunt tragicas poenas. Sunt igitur multae querelae de inconstantia fortunae in aulis. Versus Senecae hi sunt in Agamemnone:

> Non sic Libycis Syrtibus aequor
> Furit alternos voluere fluctus,
> Non Euxini turget ab imis
> Commota vadis unda, nivali
> Vicina polo, ubi caeruleis
> Immunis aquis lucida versat
> Plaustra Bootes:
> Ut praecipites regum casus
> Fortuna rotat.

Quanquam autem multum est periculorum in aulis, tamen communia mala sunt in hominum naturis Ambitio et Fastus. Ambitio appetit celsa: sicut Seneca inquit, hominum animos sursum tendere, quia sint ignei. Fastus in his qui habent potentiam, est abuti loco, et sibi iniustam licentiam sumere, quam postea sequuntur poenae. Salomon igitur ut reprimat ambitionem et fastum, tradit admonitionem, qua praecipit modestiam et circumspectionem.

Sint autem notae regulae. Petere officia ad quae mediocriter idonei sumus, iustum est. Sed petitio nostra non impediat iudicia eligentium, non pugnet iniustis modis. Ac talis petitio est indicare sese, et ostendere piam voluntatem, et offerre sese ad societatem difficilimorum laborum et ingentium periculorum. De tali petitione dictum est: Qui Episcopatum desiderat, honestum opus desiderat. Item: Hilarem datorem diligit Deus. Item, Paulus ad Titum iubet discere honestas artes, ut possimus esse usui in gubernatione.

Sed vitiosa ambitio est, ita petere, ut cupias impedire iudicia eligentium, et pugnare iniustis modis, aut postea extra vocationum metas erumpere. Contra hanc ambitionem dicitur: Qui se exaltat humiliabitur. Item: Abominatio est coram Deo omnis superbus corde.

Est et vitiosa ambitio, quae nominatur *ἀκκισμὸς*, illorum, qui cum sint ambitiosissimi, ta-

men volunt videri defugere id, quod maxime appetunt. Tales nominat Aristoteles *βαυκοπανούργους*, id est, ficte fastidientes.

Praeterea qui sunt evecti deinde plerunque abutuntur potestate ad privatas cupiditates, sicut David in regno sibi indulsit, et multo magis alii. Hic simus memores dicti Siracidae, capite 3.: Quo maior es, tanto magis te humilia, sic inveniens gratiam coram Deo. Notum sit etiam Plutarchi dictum: Princeps imitetur solem, qui cum in summum fastigium venit in parte boreali tardior est, ut sit securior: *μιμουμένου τὸν ἥλιον τοῦ ἄρχοντος, ὃς ὅταν ὕψωμα λάβῃ μέγιστον, ἐξαρθεὶς ἐν τοῖς βορείοις, ἐλάχιστα κινεῖται, τῷ σχολαιοτέρῳ τὸν δρόμον εἰς ἀσφαλὲς καθιστάμενος.*

Non angaris animo, ut fias dives, prudentiam tuam omittito.

Antea de Superbia concionatus est. Hic concionatur de Avaricia. Nequaquam autem prohibet haec sententia sedulitatem et laborem iuxta vocationem, neque diligentiam in vocatione. Saepissime enim expresse praecipitur de diligentia et labore, ut supra formicae exemplum proponitur. Et in Ecclesiaste capite nono. Item: Qui praesunt sint diligentes. Item: Diligentia non ignavi etc.

Et 1. Cor. 4.: Hoc requiritur, ut fideles simus. Huc et parabola pertinet de Talentis, Matth. 25.

Sciamus autem, labores ita felices fore, cum accedit auxilium Dei, iuxta dictum Psalmi: Nisi Dominus aedificaverit domum etc. Vult igitur coniungi invocationem Dei et nostram diligentiam in laboribus vocationum, iuxta dictum: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Prohibet autem *πολυπραγμοσύνην* et iniusta aucupia, quae homo quaerit, quia Deo diffidit, et hac diffidentia cruciatur. Hanc diffidentiam taxat, non diligentiam in mandato labore. Dicit igitur hic Salomon, humana consilia videlicet extra vocationem suscepta et iniusta, irrita esse, et fugere divitias ceu Aquilas avolantes. Revocat igitur nos ad metas vocationis, et ad petendum auxilium Dei, et ad diligentiam ac prudentiam divinitus praeceptam.

Ne cum invido comedas panem, neque concupiscas cibos eius, quia in anima eius tanquam spectrum est, etc.

Supra dixit, periculosas esse familiaritates potentum seu aulicas, deinde monuit, ne extra vocationem appetamus potentiam et opes. Nunc monet, fugiendos esse invidos.

Sunt autem invidi, qui dolent, alios bonos seu mediocres aliquo dono seu virtute, seu aliis bonis rebus antecellere. Cain dolet, fratrem antecellere hac magna gloria, quod Deus eum hoc publico testimonio ornavit. Hic dolor causa est horribilium malorum in vita, ut ostendunt exempla Cain, Esau, Saul, Marii, Pompeii, et similia innumerabilia.

Est autem fons invidentiae Superbia. Quia enim omnes homines volunt eminere, et sunt *φιλαρχικοὶ*, sicut diabolus Evam alloquitur: Eritis sicut Dii. Et Seneca inquit: Humanos animos igneos esse, ac ideo sursum tendere: Dolent homines, cum vident alios antecellere, ac praecipue cum hoc accedit, ut ipsi deiiciantur. Ideo scriptum est in Siracide: Superbia initium est omnis peccati. Et adeo communia mala sunt superbia et invidentia, ut dictum sit in Graeco versu, omnia honesta semper comitari invidiam: *ἀεὶ τὰ σεμνὰ πάντα ἕπεται φθόνος.* Et Cicero inquit: Labes atque macula huius seculi est, invidere virtuti.

Ideo autem hic dolor iniustus est, quia nec Deo nec hominibus tribuit debitum. Ut, Cain non agit gratias Deo edenti testimonium de sua praesentia, et de collectione Ecclesiae. Nec vult fratrem habere dona a Deo data, et postea furens tollere eum conatur. Sic et Saul non agit Deo gratias pro multis beneficiis, quod per Davidem et testimonia dat Ecclesiae, et tribuit multas victorias suo regno. Nec vult Davidem habere illa dona a Deo tradita, incenditur indignatione, et insidiatur eius vitae.

Vicinum est vitium *ἐπιχαιρεκακία*, id est, laeticia in calamitate iustorum seu tolerabilium, ut diabolus manifestissime est *ἐπιχαιρέκακος.* Haec vitia hoc loco damnantur, et traduntur admonitiones de fugienda societate invidorum et suspicacium. Item de vera benevolentia cordis in omnibus officiis praestanda.

Ut caeterarum virtutum initia sunt a iudicio, voluntate et corde: ita et beneficentia debet ex

iisdem fontibus oriri. Ideo scriptum est: Hilarem datorem diligit Deus. Et dulcissimum est Graecum dictum: χαρίτων δέτε θυμὸς ἄριστος. Animus in beneficiis est optimus. Et apud Senecam legitur dictum Fabii, qui inquit: Beneficium superbe datum ab homine duro, simile est pani lapidoso.

Sit igitur in dandis beneficiis voluntas benefícia, cupida iuvandi, favens alienae saluti. Et cum talis est, si luceant in pectore agnitio Dei, fides, amor communis salutis, et voluntas referens ad gloriam Dei haec officia, fit haec virtus cultus Dei.

Contra vero in homine invido, malevolo et suspicaci, magna confusio est pessimorum affectuum. Ideo hic dicit: *In tali corde spectrum esse.* Et quidem reipsa tale cor cloaca est diaboli. Ideo scriptum est in Iohanne: Qui non diligit fratrem, homicida est.

Et manifestissimum est, multum calamitatum a talibus oriri, cum malevolentia indulget suspicionibus, et falsa ratiocinatur, et ut se muniat, alios delere conatur, de quibus male suspicatur. Et singularis felicitas est tales cavere, ut hic dicit: Ne comedas cum invido panem tuum. Et sit mediocris diligentia in considerandis hominum voluntatibus, sicut Christus inquit: Estote simplices sicut columbae, id est, sine malevolentia, et prudentes sicut serpentes, qui caput tuentur, et inter multos in turba agnoscunt hostem suum, et illum petunt, caeteris omissis.

Caput XXIV.

Libera eos qui trahuntur ad mortem, et qui properant ad necem, cum potes.

Nota sunt haec praecepta: Non occidas etc. Non communices alienis peccatis. Deus et magistratui et privatis praecipit, non occidere innocentem. Praecipit etiam non adiuvare iniustam crudelitatem. Quando autem et quo ordine magistratus tollere debeat sontes, addita est Decalogo explicatio, ut Deut. 19. et alibi. Sit autem magistratus custos vitae innocentum, sicut scriptum est Rom. 13.: Dei minister est, vindex ad poenam ei, qui male facit. Et privati homines sine seditione, quantum possunt pro vocatione, adversentur iniustae saevitiae.

Eius rei exempla recitantur digna consideratione. Ionathas adversatur patri suo, et non solum testimonio, sed etiam aliis officiis iuvat Davidem, sine seditione. Abdias clam pavit Prophetas, pulsos a Iesabel. Ieremiam Eunuchus extrahit ex carcere. Aegyptiae obstetrices servant infantes Israëliticos. Rahab servat exploratores Israëliticos. Tempore Diocletiani vir nobilis in urbe Bithyniae Nicomedia, edictum imperatoris de interficiendis Christianis publice concerpsit, ut ostenderet, se iniustam crudelitatem improbare.

Contrarium exemplum est Doëg, qui furori Saul morem gerens, crudeliter interfecit innocentes sacerdotes. Ita multi hoc tempore iniustam saevitiam, quae exercetur adversus nostras Ecclesias, confirmant aut palam, aut suo silentio. Hi cogitent hoc dictum Salomonis et similia, et commonefacti tristissima comminatione Christi emendent se. Scriptum est enim Matthaei 23.: Veniet super eos omnis sanguis iustus effusus super terram inde usque a nece Abel iusti, usque ad Zachariam.

Digna memoria est etiam honestissima vox Traiani, qui dans gladium Magistro equitum: Hunc, inquit, gladium tibi trado, ut eo pro me utaris, cum iusta facio: Contra me vero utaris, si iniusta facio.

Ne insidieris impie habitaculo iusti: septies enim cadit iustus et resurgit etc.

Repetit praeceptum: Non occidas, addita commonefactione de ἐπιχαιρεκακίᾳ et σαρκασμῷ. Cum enim vident impii et saevi homines calamitates piorum, hac ipsa deformitate eorum laetantur, et fiunt rabiosiores, sicut Semei maledicit Davidi. Cum enim inquit: *Septies in die cadit*, praecipue de malo poenae, id est, de calamitatibus, loquitur. Et tamen accedunt interdum etiam mala culpae, quae attrahunt calamitates. Ex his tamen emergit iustus, sicut David, Manasse, et alii innumerabiles.

Time Dominum fili, et regem, et cum seditiosis ne commiscearis:
Quia subito veniet exitium eorum, et ruinam seditiosorum quis novit.

Est et haec sententia inter praecipuas huius libri observanda, quae praecipit obedientiam, et

quidem ordinat eam. Primum iubet Deo obedire, et deinde regi, quia primum officium est, etiam politici gubernatoris, ut ipse sit vox Decalogi, et puniat violantes Decalogum. Ac propter hanc causam praecipuam Deus subiecit multitudinem magistratibus, quia vult exaudiri et intelligi suam legem, ut ipse agnoscatur. Altera causa deinde est, Ne societas generis humani infinitis tumultibus dissipetur. Sanxit autem Deus, ut propter ipsum obediamus, et sciamus eum punire contumaces. Circumdedit etiam metas potestati, ne praecipiat contraria mandatis divinis. Ideo prius hic dicitur: Time Deum. Quare et Apostolorum regula hic comprehenditur: Oportet Deo magis obedire quam hominibus.

Cogitanda est autem hoc loco integra doctrina de causis politici ordinis, et de magistratibus, quae Roman. 13. et alibi copiosius recitata est. Nominatim autem hic praecipit, *vitare seditiosos*, ubi necesse est in dissensionibus iudicari, qui sint seditiosi. Et facilior diiudicatio est in politicis negociis, quia ordinaria potestas longe eminet supra multitudinem, et conspicitur oculis.

Ac manifestum est, quae sint officia ordinariae potestatis, scilicet: Sonare vocem Decalogi, et punire contumaces. Item, proprias leges ferre non pugnantes cum Decalogo, et punire contumaces. Item, exercere iudicia, et ferre sententias iuxta leges. Ac in dubiis rebus valent sententiae non solum propter probabilem rationem, sed etiam propter autoritatem divinitus attributam magistratibus, cui vult Deus in civilibus negociis etiam antea dubiis nos obedire. Et quia Deus alias dat magis placida et mitia imperia, alias minus, vult nos etiam quaedam duriora onera ferre, modo sint tolerabilia, et non sint atroces et notoriae iniuriae, et obedientia non sit peccatum.

De his regula Pauli tenenda est: Necesse est obedire, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Peccant autem contumaces, id est, non volentes obedire legitimis imperiis, et plus peccant seditiosi, id est, qui contra magistratus contumeliosi sunt verbis, aut qui vi, factionibus et armis eos excutere conantur. His poenam hoc loco minatur, sicut et Dominus inquit: Qui gladium acceperit, gladio peribit, id est, qui gladium stringit, non datum a legibus, ut perierunt Absalon, Seba, Adonias, Ioab, Cassius, Brutus, et alii innumerabiles.

Sed contra iniurias atroces et notorias concessa est defensio, ut lex scripta in ff. concedit interfici Consulem deprehensum in adulterio a patre mulieris. Et Marius absolvit adolescentem, qui Tribunum militarem in defensione pudiciciae interfecit. Victorinus praeses Germaniae in Colonia Agrippina interfectus est a scriba, cuius uxorem compresserat, cum alioqui adeo laudetur eius virtus, ut Nervae et Traiano conferatur.

Concedit autem Evangelium uti legibus politicis, cum ratione congruentibus. Imo si talis defensio non esset concessa, transformaretur Evangelium in doctrinam politicam, et stabiliret infinitam tyrannidem. Sed de hac disputatione alias copiosius dicitur.

Sed de reprehensione errorum in Ecclesia sciendum est, nequaquam peccare eos, qui adversantur Principibus et Episcopis defendentibus errores. Necesse est enim obedire Deo in confessione veritatis, sicut Apostoli dicunt: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Item: Si quis negabit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo coelesti. Item: Si quis dixerit blasphemiam contra Spiritum sanctum, non remittetur ei. Item: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. His mandatis Dei confirmemus nos contra clamores Regum et Episcoporum, qui vociferantur nos seditiosos esse, quia docendo et confessione taxamus errores et idola, sicut Deus praecepit. Sciamus autem, ministros Evangelii non gerere gladium, et cum illi qui tenent ordinariam potestatem, exercent saevitiam, iniurias tolerandas esse, iuxta haec dicta, 2. Cor. 10.: Arma militiae nostrae non sunt carnalia. Item: Sicut pater misit me, sic ego mitto vos. Et: Regnum meum non est de hoc mundo.

Caput XXV.

Gloria Domini est verbum celare, At gloria regum est inquirere illud.

Differt doctrina propria Ecclesiae Dei ab humana sapientia, et saepe in gubernatione errant praesertim praestantes homines, anteferentes sapientiam politicam verbo Dei, sicut Nabuchodonosor instituit cultum, somnians ad regni concordiam profuturam esse similitudinem ceremoniarum. Sic haeretici flectunt Evangelium ad

suas imaginationes. Hic igitur monet, Verbum Dei esse sapientiam arcanam, et discendam vero studio, id est, vult Deus nos discipulos esse suae vocis, non vult nos anteferre nostras cogitationes, et fingere nova dogmata seu ritus. Sic gloria regum est, omnium praestantium, inquirere arcanam sapientiam, scilicet audiendo, non turbando cavillationibas. Sicut et Paulus praecipit: Sapientia Dei habitet in vobis, id est, sapienter inquirantur fontes, et conferantur testimonia, et meminerimus, nos debere discipulos esse vocis divinae, sicut Salomon inquit: Audiens sapiens sapientior erit.

Humana sapientia in Davide iubebat interfici Saulem, sed Spiritus sanctus in Davide, noluit tale exemplum ostendere in populo Dei.

Acetum super Nitrum, canens carnem cordi pravo.

Salis et Nitri naturae similes sunt, rodunt et urunt corpora, et singularis vis est Nitri in pellendo, et irritatur aceto et calce, sicut inquit Plinius: Ulceribus quae serpunt Nitrum cum calce et aceto illini.

Significat igitur haec similitudo, pertinaces cum admonentur, tantum fieri rabiosiores, ut Nitrum incensum infuso aceto multo vehementius dissipatur et pellitur propter *ἀντιπερίστασιν*. Sic Saul admonitus fit multo saevior. Tales multi sunt impii, in quibus crescunt furores cum admonentur.

Non prohibet autem haec sententia doceri veram doctrinam. Sed loquitur de facto seu eventu, et ostendit, dissimiles esse auditores, alios esse dociles, alios pertinaces nolle doceri, ut Rom. 11. dicitur de blasphemis: Excoecati sunt oculi eorum, ne videant.

Etsi autem ut dixi haec sententia non prohibet doceri veram doctrinam, tamen significat discernendos esse auditores. Dociles pie et sedulo erudiendi sunt, ut Paulus inquit: Infirmum in fide assumito. De aliis blasphemis dictum est: Non detis sanctum canibus. Et Proverb. 13.: Auribus stulti ne loquaris, quia contemnit sapientiam eloquii tui. Et tamen priusquam auditores discernere possis, omnibus doctrina proponenda est. Postea sequamur regulam Pauli: Haereticum hominem post unam atque alteram admonitionem, vitato.

Fons conturbatus et scaturigo lutulenta iustus cadens coram impio.

Manifestum est, valde turbari omnium sapientum mentes deformitate Ecclesiae cum vident imperia, opes, sapientiam penes impios esse: interea vero Ecclesiam exiguam, aerumnosam, sine certo imperio sparsam in dissimilimas gentes. Item, a turpissimis tyrannis innocentes homines interfici, Israëlitarum infantes a Pharaone, Baptistam ab Herode, Paulum a Nerone. Haec mirabilia spectacula movent sapientes, ut cogitent, hos miseros homines non esse Deo curae.

Sed docet vox divina, ibi esse veram Ecclesiam, ubi se Deus edita promissione et illustribus testimoniis, resuscitatione mortuorum et aliis patefecit, et hanc esse Deo curae, et exaudiri, protegi, et haeredem esse aeternae gloriae apud Deum: et quidem exiguam esse, et subiectam esse cruci propter certas causas.

His divinis testimoniis nos confirmemus adversus haec spectacula, quae usitate nominantur Scandalum crucis, et simus memores horum dictorum. Matth. 11.: Abscondisti haec a sapientibus, et revelasti ea parvulis. Item 1. Cor. 1.: Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes etc. Huc pertinet tota doctrina Pauli cap. 9. ad Rom. et multi Psalmi. Ut: Noli aemulari in malignantibus. Item Psalmo 72.: Moti erant pene pedes mei.

Ita fit privatim. Cum David pellitur in exilium, delectantur eius calamitate impii, et manifestis sarcasmis ei illudunt. Haec iudicia describuntur hac imagine: Fons lutulentus iustus coram impio. Sed teneant pii veras consolationes, et sciant, qualis sit Ecclesia, et cogitent causas, quare cruci subiecta, et unde sint petendae firmae consolationes.

1. Primum, quia vult agnosci *peccatum*, quod adhuc haeret in hac natura hominum.

2. Quia saepe et manifestos lapsus habet Ecclesia, et vult nos Deus revocari ad poenitentiam.

3. Quia vult invocari, et ostendere suam praesentiam in aerumnis, quae non possunt humano consilio sanari.

4. Quia vult neces Sanctorum testimonia esse de doctrina, et de venturo iudicio.

Caput XXVI.

Sicut nix in aestate, sicut pluvia in messe: sic non decet stultum gloria.

De eventu loquitur, ut hoc dictum: Fortuna quem nimium fovet stultum facit. Narrat enim homines nondum castigatos seu cicuratos fieri insolentes rebus secundis, et laxare frenos variis cupiditatibus, ut Alexander cum initio modestissimus et mitissimus fuisset, postea vult esse Deus, et fit crudelis. Cum enim homines non anguntur, fiunt securi, non petunt auxilium a Deo, et ebrii successibus, sua consilia et sese magnifaciunt. Ideo magni et tristes sunt heroum casus, ut Herculis, Nabuchodonosor, Iulii, Pompeii, et innumerabilium aliorum.

Etsi autem hic de eventu tantum dicit, qui ad regulam pertinet de cummuniter accidentibus, tamen tacite complectitur admonitionem seu praeceptum de modestia, quod recitat Siracides capite 3.: Quo maior es, eo magis te humilia, et coram Domino invenies gratiam. Item: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et supra recitavi dictum Plutarchi: Solem imitentur principes, qui cum in summum fastigium venit, elatus in partem borealem, tardissime movetur, ut tarditas cursum reddat tutiorem.

Sicut avis fugit, et hirundo avolat: ita maledictum fatui non adhaerescit.

Tenenda est regula vita: *Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.* Haec habentes habebimus etiam aliquorum honestorum approbationem. Et haec expetenda est, ut Siracides inquit, capite 41.: Curam habe de bono nomine. Sed tamen semper multi sunt invidi, qui deformare eos quibus invident conantur, ut Cicero inquit: Est quaedam huius seculi labes et macula, invidere virtuti. Ac multi natura sunt virulenti, quos ipsa maledicentia delectat. Multis in quaestu est, ut Plautus inquit: Istic thesaurus stultis in lingua situs, ut quaestui habeant, male loqui melioribus. Et noti sunt versus Menandri:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται.

Vita maxime delectatur improbis.

πράττει δ' ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων,
δεύτερος ὁ συκοφάντης, ὁ κακοήθης τρίτατος.

Et omnium temporum historiae ostendunt, multos honestos calumniis oppressos esse, ut Ioseph, Palamedem, Aristidem, Theramenem, Socratem, et alios innumerabiles. Ac in Ecclesiaste dicitur: Calumnia turbat sapientem, et frangit robur cordis eius. Sicut experientia ostendit, saepe bonos viros impediri calumniis.

Hic igitur consolatio contra calumnias tradita est, videlicet, falsa maledicta, etiamsi aliquantisper sauciant, tamen postea retegi et improbari, sicut dicitur: Veritas aliquandiu laborare potest, deleri non potest. Psalmus addit dulciorem consolationem: Maledicent illi, et tu benedices. Et David de conviciis Semei inquit: Deus dabit mihi aliquid boni pro his maledictis.

Has consolationes teneamus, sed ita tamen, ut conscientiae nostrae integritatem retineamus, sicut saepe praecipitur: Haec est gloriatio nostra, testimonium conscientiae nostrae. Et ad Galatas: Opus suum unusquisque probet, et sic habebit gloriam apud sese, et non ex aliis, id est: Recte facito, ne te conscientia tua damnet, et cum non est saucia conscientia, habes gloriam, causae videlicet, non pendentem ex stulto applausu aliorum, sed talem, quae est vera conscientiae approbatio, et in credente est opus necessarium, et Deo placens.

Haec praecepta et has consolationes sciamus nobis divinitus dari, quia calumnia non est levis carnificina, etiamsi tandem Veritas patefacta eam refutat. Ut, cum Socrates interfectus esset, postea repraesentata est tragoedia de Palamede, in qua recitatus est hic versus: *ἐκάνετε ἐκάνετε τὸν ἄριστον ἑλλήνων, μηδένα βλάψασαν ἀηδόνα.* Post hanc tragoediam cives expulerunt ex Athenis accusatores Socratis.

Nunc sequuntur alia dicta, quae ad hoc propositum pertinent, et monent sapienter iudicandum esse, quando refutanda sit calumnia, quando non sit refutanda.

Ne respondeas stulto de stulticia eius, ne similis eius fias etc.

Duae pugnantes sententiae recitantur, quae ideo dissentiunt, quia aliquando refutanda sunt maledicta, aliquando non necesse est refutare, sed prudenter iudicandum est, utrum faciendum sit. Facilis autem diiudicatio est pastoribus in publico munere docentibus. Hi semper habent auditores dissimiles, pios, firmos et infirmos, do-

ciles tamen, et adversarios pertinaces et insanabiles. Necesse est autem pastores servire meliori parti, ubi vox doctrinae incorrupta refutat adversarios. Et hi discernant maledicta. Alia lacerant doctrinam, alia deformant personam docentis.

Mandatum est autem de doctrina illustranda et propugnanda. 2. Tim. 1.: Honestum depositum custodi per Spiritum sanctum, habitantem in nobis. Ad Titum 1.: Quibus oportet os obstruere. Et ibidem: Convincito eos severe. Et ad Titum 2.: Convincito cum omni imperio, id est, praecipiens expressa asseveratione, ut verbo assentiantur.

Pugnent autem de rebus necessariis, et studeant assumere infirmos in fide, ut Paulus inquit, et adiungere studeant, non turbent dissipationibus inextricabilibus, neque alienent acerbitate. Privata autem convicia aut modeste refutent, aut omnino praetereant, sicut in Psalmo dicitur: Illi detrahebant mihi, ego autem orabam.

In aliis autem privatis congressibus, Doctores et alii considerent discrimina auditorum. Si adsunt sanabiles, recte doceantur. Si quis autem incidit in turbam insanabilem, ut Ioannes cum in balneo venisset ad Cherinthi turbam, hic ostensa confessione, ne videatur cum illis colludere, quamprimum, si potest, discedat ab eis, iuxta dictum: Haereticum hominem post unam atque alteram admonitionem vitato, Sicut Iohannes statim ex balneo egressus est. Item, Ne detis sanctum canibus.

Praesertim autem decet, privata convicia aut non refutare, sicut David tacuit, cum ei malediceret Semei: aut paucis refutare. Et exempla multa sunt magnorum gubernatorum, qui convicia dissimularunt, ut Pericles, Fabius, Scipio et alii fecerunt. Lacedaemonii docuerunt provocati a Mardonio, qui cum factus esset insolentior propter silentium Lacedaemoniorum, inquit Herodotus, eum elatum esse *ψυχρῇ νίκῃ*, id est, frigida victoria. Et in libro Herodoti narratio recitatur de Spartano legato, qui Geloni Siculo superbe responderat, ad hunc Gelon inquit: Probra obiecta homini solent iram accendere: Tu vero etsi contumelia me in sermone affecisti, non tamen persuadebis, ut indecora faciam, compensando convicia.

Praeterea plerunque ira impelluntur homines ad convicia. Stulticia est autem cum irato rixari, sicut elegantissime dictum est in Graecis versibus: Duobus dicentibus, cum alter est iratus, qui non contratendit dicendo, sapientior est.

Δυοῖν λεγόντοιν, θατέρου θυμουμένου,
ὁ μὴ ἀντιτείνων τοῖς λόγοις σοφώτερος.

Denique de privatis conviciis simus memores dicti Petri, 1. Pet. 3.: Non reddentes convicium pro convicio. Hoc etiam meminerimus, in refutatione non tantum alterius errata reprehendenda esse, sed etiam doctrinam necessariam perspicua adseveratione proponendam esse, quia non satis est, academico more contradicere aliis, sed etiam ostendendum est, quid sentiendum sit, sicut Demosthenes monet, cum inquit: *ἐπιτιμᾷν παντός ἐστὶ, συμβουλεύειν δ' οὐ παντός.*

Qui per nuncium stultum agit negocium, est velut claudus pedibus.

Congruit cum Homerico, quod laudat Pindarus: *ἐσθλὸν καὶ τὸ τέτυκται, ὅτ' ἄγγελος αἴσιμα εἴδῃ.*

Commoda res valde est, sapiat si nuncius ipse.

Artifex format opus: Et conducens stultum, conducit corrumpentem opus.

Iurisconsultus inquit: Magna est artificum differentia. Et multa sunt dicta de discrimine artificum, de impostoribus et ardelionibus, qui se venditant pro artificibus, cum non sint. Ut, plurimi sunt impostores, qui volunt videri medici. Plurimi indocti concionatores sunt, qui adulantur vulgo aut potentibus.

Traditur ergo hic admonitio, quae ad prudentiam pertinet, ut eligantur in qualibet re idonei. Simul etiam praecipitur his qui profitentur artes, ne sint impostores aut ardeliones, sed ut Paulus inquit, sint Fideles, id est, recte sciant artes quas profitentur, et in usu praestent fidem et diligentiam. Haec omnia complectitur virtus, quae nominatur *Sedulitas*, quae est proprii officii seu vocationis opera et intelligere et fideliter facere.

Huc pertinent dicta: Quam quisque norit artem, in hac se exerceat. Item: Quodque parum novit, nemo docere potest. Item: Aliud est sceptrum, aliud est plectrum. Item: *τέκτων γὰρ ὢν ἔπραττες οὐ ξυλουργικὰ*, id est, faber existens, non faciebas fabrilia. Item Phocylides: *μὴ πότε γὰρ κρίνειν ἀδαήμονας ἄνδρας ἐάσῃς.*

Item: Remum ducat qui didicit. Item hoc Syllae: Remigem prius esse oportet, quam clavum gubernare. Et plerunque fit, ut indocti sint audaciores, iuxta dictum: ἀμαθία θράσος ἀπεργάζεται, Inscitia audaciam affert.

Sicut canis redit ad vomitum, ita stultus iterat etc.

De causis poenarum in hac vita saepe alias dictum est, videlicet, causas praecipuas quatuor esse.

1. Prima, quia Deus iustus est, et propter suam iusticiam destruit contraria.

2. Secunda, quia vult intelligi, se iustum esse, et disci discrimen inter iusta et iniusta.

3. Tertia, ut perniciosa membra tollantur.

4. Quarta, ut poenae nobis et aliis sint commonefactiones, et deterreant nos a peccando, sicut supra dictum est, cap. 19.: Derisore percusso imperitus erit cautior. Et 1. Corinth. 11. inquit Paulus, poenas populi Israël esse exempla. Et Dominus dicit ad Abraham, se ideo ei commemorare exemplum poenae Sodomorum, ut posteros moneat de iudicio Dei. Et aliqui sanabiles moniti poenis deinde fiunt cautiores, de quibus dicitur: Ictus sapit. Item: παθήματα μαθήματα. Item: Turpe est bis impingere ad eundem lapidem. Item de alienis exemplis dicitur: βλέπων πεπαίδευμαι εἰς τὰ ἄλλων κακά, Intuens aliorum mala eruditus sum.

Sed multi coeci et ferrei, nec alienis, nec seu poenis emendantur, multi etiam efferuntur et fiunt rabiosiores in poenis. Aliqui repressi paulisper, sicut Saul, mox relabuntur in eadem scelera. De talibus relabentibus loquitur hoc dictum, sicut et saepissime alias monet Deus, ne relabendo attrahamus maiores poenas, ut Amos 1. dicitur: Ter peccantibus peperci, quarto non parcam. Et Christus et Petrus inquiunt: Postrema talibus fieri peiora prioribus. Et Salomon ait: Relabentes similes esse canibus. Sed multo tristius est, quod Dominus inquit redire diabolum, cum aliis septem nequioribus spiritibus.

Hic horribilia exempla publica et privata considerentur. Crescit furor in Pharaone, Saul, Absolone, Achab. Et cives Sodomorum, qui viderant, se divinitus liberatos esse, cum Abraham profligavit exercitum hostium, deinde mox obliti priorum poenarum et liberationum, furenter ruunt in teterrima scelera.

Iudaei post tristissimas calamitates et liberationes interfectis Maccabaeis fratribus, petulantissime lacerarunt doctrinam dissidiis sectarum, Pharisaicae et Saducaeae. Lacerarunt et regnum civilibus bellis.

In ea historia et nunc Germaniae imaginem videmus: Emendata doctrina multi redeunt ad priores errores, et postea prorsus fiunt ἄθεοι. Multi novis erroribus lucem verae doctrinae obruunt, et seditiones movent. Multi doctores omissa inquisitione doctrinae, tradunt grata vulgo. Vulgus delectatur licentia, et laxat frenos cupiditatibus. Ita poenas maiores attrahimus. Servabit tamen aliquas verae Ecclesiae reliquias. Huius si volumus esse membra, serio convertamur ad Deum, et petamus nos converti, regi et confirmari, a Filio Dei, ne relabamur. Et sit in nobis ipsis diligentia vitandi illecebras et occasiones peccatorum sicut Paulus praecipit: Videte ne gratiam frustra acceperitis. Item: Ambulate accurate, non ut fatui etc. Item, notum est dictum: Vitare peccata est vitare occasiones peccatorum. Item Siracides: Qui amat periculum, peribit in illo.

Caput XXVII.

Non glorieris de die crastrino, quia nescis quid pariet hodiernus dies.

Convenit cum Romano dicto: Nescis quid vesper serus vehat. Item: Ludit in humanis divina potentia rebus, Et certa praesens vix habet hora fidem. Item: Omnia sunt hominum tenui pendentia filo, Et subito casu quae valuere ruunt. Item: Irus et est subito qui modo Croesus erat. Denique omnes libri pleni sunt talium admonitionum de fortunae inconstantia, quae ideo nobis proponuntur, ut nos de modestia admoneant, et prohibeant haec duo maxima vitia, fiduciam nostri, et temeritatem movendi res non necessarias, stulta spe, et nos intra metas includant, ut tantum faciamus nostrae vocationis officia necessaria, sicut Paulus inquit: Propria facite. Et quidem in agnitione infirmitatis nostrae adiungamus invocationem Dei, iuxta dictum: Subditus esto Deo, et ora eum. Item: Sine me nihil potestis facere. Et Ieremias inquit: Scio Domine, quod

non est hominis via eius, id est, vocatio. Non enim dicit, Nihil agere homines, sed sine auxilio Dei, neque consilia neque actiones felices esse.

Semper igitur hanc regulam intueamur, Necessaria et praesentia recte facienda esse, quae postulat officii ratio, et a Deo petendum esse auxilium, ne confisi nostris viribus aut stulta spe moveamus non necessaria, sicut Periclis movit bellum non necessarium levissima causa, quae negligi potuit, ut tunc quoque multi iudicabant. Alcibiades traiecit in Siciliam sine necessitate. Hannibal Romanis intulit bellum sine necessitate. Pompeius poterat retinere pacem honestis conditionibus. Haec bella omnia civitatibus istorum exitialia fuerunt. Carolus Burgundus sine causa intulit bellum Lotharingo et Helvetiis, in quo infeliciter dimicans in acie interfectus est. Denique regulariter infelix est *πολυπραγμοσύνη*, id est, facere non necessaria stulta spe, sicut dicitur: *μάταιοι μάταια λογίζονται δι᾽ ἐπιθυμίας.*

Has admonitiones in vita considerare utile est, ad quas etiam pertinet Christi dictum: Crastinus dies pro sese solicitus erit. Sufficit diei afflictio sua, id est, facito necessaria in praesentia, quae per sese satis habent difficultatum, et non cumules difficultates inani ratiocinatione et solicitudine de rebus futuris.

Grave est saxum, et ponderosa arena: sed ira stulti gravior est utraque re.

Saepe cogitanda sunt discrimina sententiarum. Aliae expresse praecipiunt aliquid, aut prohibent, aliae sunt promissiones aut comminationes divinae, aliae narrant Eventus. Hae simul tecte monent, quomodo adversus eos eventus muniendi sint animi. Ita haec sententia narratio est de eventu, videlicet de communi morbo multorum, qui sunt iracundiores, et minus placabiles. Tales irati plerunque sunt qui sunt stolidiores et imperitiores, qui non considerant infirmitatem hominum, et non cogitant, multa aliorum errata placide toleranda et sananda esse. Ideo dictum est: Imperito nunquam quicquam iniustius est. Sed ut in Deo eminet bonitas, et tolerat ipse in suis quoque multos morbos, et praecipit: Remittite et remittetur vobis. Ita sapientes magis flectunt animos ad bonitatem, et cogitant de communi infirmitate sua et aliena, et sunt memores divini praecepti: Remittite et remittetur vobis. Nec potest illustrior imago de stolidis implacabilibus pingi, quam in Evangelio proposita est imago servi crudelis, qui debebat sexaginta tonnas auri.

Quanquam autem haec sententia in hoc libro Salomonis tantum narratio est de Eventu, tamen multa monet: Iubet considerare humanam infirmitatem, et meminisse praecepti de *ἐπιεικείᾳ*, et moderari iracundiam: Monet item vitare stolidos, qui neque cognoscere neque ignoscere norunt. Huc multa dicta pertinent:

Quo quisque est maior, magis est placabilis irae,
Et faciles motus mens generosa capit.

Et Seneca inquit: Nihil magnum quod non est placidum. Et dulcissimi sunt versus Homeri 7. Odyss.:

Hospes tale mihi pectus ne duxeris esse,
Quod temere aut nimium flagranti exaestuet ira.
Omnibus in rebus modus est pulcerrima virtus.
ξεῖν᾽ οὔ μοὶ τοιοῦτον ἐνὶ στήθεσσι φίλον κῆρ
μαψιδίως κεχολῶσθαι. Αμείνω δ᾽ αἴσιμα πάντα.

Et Plinius inquit: Qui vitia odit, homines odit. Sed tamen id dictum prudenter intelligendum est. Non enim loquitur Plinius de enormibus vitiis, nec de approbatione, sed de tolerandis affectibus aliquantum aberrantibus sine scelere. Caeterum non sint praecepta divinitus tradita de moderanda ira, ut Matth. 5. et 8. Item Rom. 12. et alibi.

Sicut avis deserens nidum suum: sic est vir, deserens locum suum.

Nullum vitae genus, nulla functio est sine multis molestiis et periculis, ideo cito in quolibet vitae genere obrepunt fastidia, iuxta illud: Optat ephippia bos piger, optat arare caballus. Monet igitur, ne fracti fastidiis temere deseramus vitae genus, ad quod recte vocati sumus. Paulus inquit: Unusquisque in vocatione, qua vocatus est, maneat apud Deum.

Huc pertinent multa praecepta tradita contra inconstantiam, qualis est in vita desultoria, quae subinde mutat instituta: Ut lapis saepe volutatus non obducitur musco, *λίθος κυλινδό ν ος τὸ φῦκος οὐ ποῖει.* Item: Planta quae saepe transfertur, non coalescit. Item: Sis asinus, quemcunque asinum sors aspera fecit, Qui placide sortem ferre scit, ille sapit. Item: Pro eleganti Medico malus Poëta: *ἀντὶ χαρίεντος ἰατροῦ κακὸς ποιητής.*

Ferrum ferro acuitur: sic homo acuit faciem amici.

Agnoscamus infirmitatem nostram, et sciamus, singulos homines multa ignorare, saepe errare et labi, sicut Salomon inquit: Stultorum infinitus est numerus. Item: Est via quae videtur homini recta, et novissima ducunt ad mortem. Et extat haec querela in multorum scriptis. Euripides inquit: Nemo unus videt omnia, *εἷς ἀνὴρ οὐ πάντα ὁρᾷ*. Theognis: *οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφός.*

Ac Deus propterea nos ad communicationem sermonis condidit praecipue, ut alii alios doceant, et consiliis regant. Ideo Paulus inquit: Docete et commonefacite vos mutuo. Et Siracides capite 6.: Si videris virum sapientem, mane accedito ad eum, et gradus ianuae eius exteratur pedibus tuis.

Denique plurima dicta sunt, quae praecipiunt audire peritorum consilia et iudicia, et conferre cogitationes cum aliis. Et quotidiana experientia ostendit, quam sit periculosum *ἰδιοβουλεύειν*. Et de artificibus hoc dicitur: Quisque sibi pessimus magister est. Et Euripides dulcissime dixit: *ὁμιλία ἔτεκε τέχνας*, Conversatio peperit artes, cum videlicet multi suas cogitationes conferunt, et alii aliorum iudiciis aut exemplis commonefiunt.

Ac res ipsa ostendit, corrumpi doctrinas ab iis, qui non audiunt alios, sed abditi velut lucifugae, fingunt ex sese novas opiniones, abhorrentes a probata forma doctrinarum. Tales multi nunc sunt, qui gloriantur se esse *αὐτοδιδάκτους*, et sua somnia admirantur, nec audiunt aliorum sanorum iudicia. Sed nos praeceptis obtemperemus, quae iubent audire peritos, et conferamus nostras cogitationes cum aliis, ut Paulus inquit: Docete et commonefacite vos mutuo.

De hac collatione iudiciorum et consiliorum loquitur et haec sententia: Ferrum ferro acuitur, sic acuit artifex artificem. Haec diligentia primum modestiae pars est, propriam infirmitatem considerantis. Deinde prudentia est studium discendi quae ignoras. Et supra Salomon laudans fidele consilium inquit: Ut cordi suaves sunt fragrantes odores, sic amicus dulcis est, dans consilium animae. Scribit Synesius: Apellem solitum esse adhibere iudicem picturarum Lysippum statuarium, et vicissim a Lysippo statuas Apelli iudicandas esse monstratas. Imo etiam ex hostium exemplis multa discuntur. Ideo laudatur versus Sophoclis: *ἀπ᾽ ἐχθρῶν πολλὰ μανθάνουσι οἱ σοφοί.*

Sicut facies in aquis: sic cor hominis ad hominem.

Sicut facies in aquis apparentes lubricae sunt et evanescentes: ita corda sunt inconstantia et fallacia. Passim autem similes querelae extant, de inconstantia humani cordis, ut: Nusquam tuta fides. Item:

Et cum fortuna statque caditque fides.

Cum autem taxatur inconstantia humani cordis, monemur ne facile credamus hominibus. Ideo haec admonitio saepe repetita est, ut apud Ciceronem: Epicharmion illud teneto, *μέμνησο ἀπιστεῖν*, nervos atque artus esse sapientiae. Item: Quos credis fidos, effuge, tutus eris. Et in Ieremia: Maledictus qui confidit in homine.

Haec dicta monent primum de doctrina, ne dogmata de Deo, sola humana autoritate moti approbemus, sed fontes quaeramus in doctrina a Deo tradita. Deinde ne confisi humanis praesidiis moveamus res non necessarias, quia saepe mutatur hominum voluntates, ut: Octavius deseruit Ciceronem. Dion interfecit Heraclidem socium. Calippus Dionem, cui familiarissimus fuerat.

Caput XXVIII.

Propter delicta terrae cito alii post alios fiunt principes.

Et propter virum prudentem et intelligentem durabilius est imperium.

Usitatae querelae sunt, de principum negligentia, de expilationibus, de neglectione iudiciorum et defensione. Et populus accusat ipsos principes et aulas, iuxta versum: Quicquid delirant reges plectuntur Achivi. Sed vox divina utrosque accusat, principes et populum, ut Osea 4. dicitur: Qualis populus talis sacerdos. Et saepe praedicitur, propter peccata populi non dari salutares principes, ut Esaiae 3.: Auferet Dominus bellatorem et iudicem et Prophetam.

Ita hic dicit: *Propter peccata terrae*, scilicet, principum et populi, *multi fiunt principes*, id est, nulli diu regnant, vel multi discordes re-

gnant, et alii alios pellunt etc., ut in Pannonia aliquandiu regnavit Ioannes, aliquandiu Ferdinandus, nunc Turca.

Tales mutationes non fiunt sine magnis calamitatibus, ut verissime dixit Xenophon: πᾶσαι πολιτειῶν μεταβολαὶ θανατηφόροι, id est, omnes mutationes imperiorum adferunt caedes. Et de seditionibus inquit Thucydides: ἐν στάσει πᾶσα ἰδέα κακοῦ ἔνι. Item: ἐν δὲ δυχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς. Agnoscamus igitur publicarum calamitatum causas esse plurimorum peccata, et salutis publicae causa singuli impetus suos frenent.

Addita est autem antithesis, quae singularem commonefactionem continet, principibus et populo necessariam. *Imperia dicit durabiliora esse propter hominem prudentem et intelligentem*, id est: Sapiens princeps aliquando cedit de suo iure, et patitur aliquid incommodi, ut maiora incommoda vitet, ut Fabius Dictator passus est sibi aequari Magistrum equitum. Non ponebat enim rumores ante salutem: Cicero cessit Lucio Antonio de provincia, ut haberet collegam consentientem.

Sic illi qui populo dant consilia, suadeant ne maiora mala accersant seditiosis consiliis, ut non dubium est in Iudaea multos turbulentos homines vociferatos esse, expellendos esse armis Romanos, sicut patres expulerant Antiochum. Sed Zacharias et Simeon intellexerunt dissimiles causas et dissimilia tempora esse, et dissuaserunt bella. Sciebant enim, tunc finem esse politiae Iudaicae, et Deum singulari moderatione mitigasse servitutem, quia haberent αὐτονομίαν in cultibus, et videbant idoneos duces deesse, Antiochus autem non concesserat αὐτονομίαν in cultibus, et sciebant docti, nondum finem esse politiae Iudaicae.

Ita considerant salutares gubernatores, ubi sit pugnandum, ubi non sit pugnandum, Esaias dissuadet deditionem, Ieremias contra suasor est deditionis suo tempore. Ita dissimilia exempla et dissimiles causas consideremus, et servitutem sapienter feramus, cum est toleranda, et veris gemitibus petamus a Deo consilia et protectionem sicut illi ipsi Prophetae petunt. Esaias clamat: Nos lutum tuum sumus, ne irasceris nimium. Et Ieremias: Non ad nihilum redigas nos. Et Psal. 7.: Exurge Domine ad praeceptum quod mandasti, ut Synagoga populorum circundet te, id est, conserva legem tuam et Ecclesiam, ne fiat universalis dissipatio, sicut et his versibus dicitur:

Te maneat semper servante Ecclesia Christe,
Insertosque ipsi nos tua dextra regat.

Qui tegit iniquitates suas, non erit felix.
Confitenti autem et relinquenti Dominus erit propicius.

Aliqui manifesta pertinacia perseverant in sceleribus atrocibus, quae homines intelligunt. Hos ruere in poenas nihil dubium est, iuxta dictum: Propter haec venit ira Dei super inobedientes. Sed hic mentio fit de his qui tegunt scelera, id est, qui sophistice excusant, ut qui stabiliunt impios cultus, et fucosis excusationibus ornant falsa dogmata. His minatur poenas, quia etiamsi ab hominibus reprimi non possunt, tamen tandem divinitus reprimentur, iuxta dictum: Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus, eradicabitur. Iudaei non volebant cedere Apostolis, tandem vero deletio totius politae Iudaicae testimonium fuit iudicii divini adversos eos. Sic Manichaei, Ariani et similes deleti sunt.

Ut autem in omni conversione primum fit contritio, id est, agnitio erroris et delicti, ac dolor et mutatio voluntatis: ita hic postulatur Confessio, et quidem talis, in qua etiam fiat emendatio, ut Paulus fatetur, se errasse, cum fuit hostis Ecclesiae, et deinde fit testis et propagator Evangelii.

Ac diserte hic dicitur: Propicius erit Dominus relinquenti etc. Necesse esse enim in conversione abiici malum propositum, nec est conversio seu poenitentia donec manet perseverantia in malo proposito. Conversis autem promissa est remissio poenae aeternae et mitigatio poenae temporalis propter mediatorem, sicut dictum est: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Item Zachariae 1.: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Item Esaiae 1.: Si peccata vestra fuerint sicut coccinum et vermiculus, eritis candidi sicut nix. Item: Misericordiae Domini, quod non consumti sumus.

Beatus est homo, qui semper est pavidus.
Indurans vero cor suum cadet in exitium.

Vicina sententia est superiori. Hortatur enim homines ad exercitia Poenitentiae, iubet ut sit in

nobis timor, agnoscens iudicium et iram Dei adversus peccata, sit solicitudo in cavendis malis opinionibus et lapsibus, ut Paulus inquit: Operamini salutem cum timore et tremore, id est, retinete puritatem doctrinae, magna cura et solicitudine consideratis fontibus, et magna solicitudine vitate lapsus contra conscientiam.

Nec pugnat haec doctrina cum sententia de fide, de consolatione conscientiarum, et de laeticia in mediatore, sed utrumque praecipit, ut sit in corde dolor deplorans nostram contumaciam et immunditiem, dubitationes et multa mala, quae in nobis haerent. Sed gubernet timorem et dolorem fides, quae statuat, nos quanquam indignos et miseros, tamen placere Deo propter mediatorem.

Taxat igitur hoc dictum carnalem securitatem, et superbiam confidentem propriae sapientiae, insticiae et potentiae, nec curantem iudicium Dei, sicut Pharao ruit in exitium fiduciae suae potentiae. Bellerophontes securus volens Pegaso intra coelum vehi, excutitur. Antiochus securus fiduciae suae potentiae, conatur delere legem Dei. Semper igitur in conspectu sint hae admonitiones de timore Dei, et de metis vocationis: Beatus homo, qui semper est pavidus. Item: Ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito et humiliato, et tremente sermones meos.

Caput XXIX.

Princeps amans mendacia, habet omnes ministros impios.

Magna ex parte reguntur homines exemplis, quia homo intelligit imitationem, et imitando discit. Plurimum autem valent insignium personarum, ut principum et docentium exempla. Saepe igitur admonitio repetita est, ut principes honesta exempla proponant, et ut populus intueatur honesta exempla, et vitet turpia. Noti sunt versus:

Scilicet in vulgus manant exempla regentum,
Regis ad exemplum totus componitur orbis.
Utque ducum lituos sic mores castra sequuntur.

Ac valent aliquid exempla in utramque partem. Citius autem manant prava contagia, praesertim inter eos, quorum est domestica familiaritas et adsiduitas. Ideo venustissime Graeci dixerunt: Quales dominae, tales sunt catellae. Et vulgo dicitur:

Forte cubos primum posuit cum futilis Abbas,
Tunc sese monachi ludere iure putant.
ὅτταν πρῶτα κύβους βάλλῃ πότε μάργος ὁ Ἄββας,
παίζειν οἴονται οἱ μοναχοὶ νόμιμον.

Ita hic dicit Salomon: Princeps amans mendacium, habet omnes ministros impios. Ut autem insignis virtus est in gubernatione Veritas seu Veracitas, pugnans cum vanitate, perfidia, calumniis, suspicionibus, sophistica. Ita contra valde perniciosum malum est in quocunque gubernatore amor mendaciorum, et multa vitia complectitur illud malum, sicut multa sunt genera mendaciorum.

Manifestum genus est Vanitas seu Perfidia in non servandis promissis et foederibus, ut Alcibiadis perfidia vituperatur. Et de Metio Suffecio inquit Virgilius:

Raptabatque viri mendacis viscera Tullus.

Aliud genus mendaciorum est amor Calumniarum. Id commune est in aulis. Plurimi enim delectantur obtrectatione, et habent patulas aures ad omnes fabellas, de quibus versiculi Menandri noti sunt:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται.
πράττει δ᾽ ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων,
δεύτερος ὁ συκοφάντης.

Et in Pseudolo Plauti dicitur: Homines qui gestant quique auscultant crimina, si meo arbitratu liceat, pendeant omnes gestatores linguis, auditores auribus.

Tertium genus mendaciorum sunt suspiciones, quas naturae infidae et obtrectatrices ex seipsis gignunt, quae saepissime magnis malis occasionem praebent. Ut, Tyranni tantum propter suspiciones multos tollunt, ut Alexander optime meritum Parmenionem. Ac naturae suspicaces avidissime audiunt calumnias, habent igitur multos aulicos, idoneos ad calumniandum.

Quartum genus est sophistica, quae falsas opiniones et malas causas fucosis praetextibus in gratiam principum tuetur. Hoc genus mendaciorum laudatur in aulis ceu praecipua sapientia, sicut nunc pontificiae aulae scriptores magnifaciunt, qui impios cultus praestigiis sophismatum defendunt, quae sunt vere *σφιγγὸς* sophismata.

Cum autem multa horribilia mala in vita ex omnibus his generibus mendaciorum oriantur,

monet Salomon, ut simus cauti, et tales aulas fugiamus, sicut Ulysses iubetur praeterire Scyllam et Charybdim.

Cum cessat prophetia, dissipatur populus: Et custodiens legem, erit beatus.

Prophetia, id est, Propheticum regnum, in quo Deus per aliquem salutarem gubernatorem dat felicia consilia, et bonos eventus. Dicit autem, tantisper florere imperia, donec sunt aliqui tales gubernatores. Ut Helisaeus circiter 70 annos post Eliam rexit consilia regum in maximis calamitatibus. Samaria obsidione liberata est, cum fames tanta esset, ut caput asini 80 argenteis, id est, didrachmis 80 emeretur. Et sextarius stercoris columbarum quinque argenteis. Post Helisaei mortem non multo plus centum annis duravit regnum, agitatum assiduis seditionibus.

Sic Esaiae gubernatio multas calamitates leniit circiter 80 annos. Postea sequutum est excidium, in quo tamen Ieremiae consiliis pars populi servata est.

Ex talibus exemplis intelligi potest, quare dicat: Cessante prophetia dissipari populum, quia extinctis salutaribus gubernatoribus sequuntur in imperiis certamina ambitionum, seditiones, deinde interitus, ut in versu dicitur:

Nam caetera regna
Luxuries vitiis, odiisque superbia vertit.

Addit autem Salomon, qualis sit prophetica gubernatio, cum inquit: Beatus qui legem custodit, quasi dicat: Talis est gubernatio prophetica, retinet veram doctrinam et veros cultus, et dat consilia congruentia verbo Dei, quaerit praesidia contra verbum Dei, sicut Achas contra mandata Esaiae quaerit peregrinorum regum foedera et cultus. Et foederibus Turcicis Graecum imperium et regnum Hungariae interierunt.

Monet hoc quoque secunda pars sententiae: Beatus qui custodit legem, in illis ipsis dissipationibus illas reliquias salvas fore, quae retinent possessionem doctrinae divinae, sicut in Amos dicitur: Ecce ira Domini super regnum peccans, id est, regnum reum, quod iam ordinatum est ad poenam. Sed tamen excerpam reliquias, servabo grana et cribrabo.

Cogitent autem et principes et populus commonefacti hac sententia et similibus, vere opus Dei esse salutarem gubernationem, et eam a Deo petant, nec cumulent selera, ut Deus adimat salutares gubernatores.

Caput XXX.

Plerunque in gnomologicis scriptis etiamsi unus aliquis autor est magnae partis, tamen inseruntur et aliorum concinna dicta, ut Phocylidis carmini aiunt Sibyllinos versus insertos esse. Sic credibile est Salomonis libello aliorum sententias additas esse, ideo novus titulus est in 30. capite, Verba congregantis, id est, collectio aliarum sententiarum filii Iachit, tametsi et hoc nomen, et alia quae sequuntur, appellative de viris propheticis intelligi possunt.

Prima autem sententia, in qua dicit: Stultissimus sum hominum, confessio est humanae ignorantiae, et deploratio caliginis in hac misera natura hominum. Nec solum exempla Ethnicorum ostendunt, horrendas esse tenebras de Deo in mentibus hominum, sed singuli homines sentiunt, se variis dubitationum fluctibus turbari.

Simonides interrogatus, quid sit Deus, petivit triduum ad liberandum, tandem respondit Hieroni, se, quo diutius cogitet, eo minus invenire quod affirmet. Non recte Simonides. Lucet enim in mentibus utcunque legalis noticia de Deo, quae discernit Deum a malis rebus. Et inde descriptio Platonis sumta est: Deus est mens aeterna, causa boni in natura. Quanquam autem est haec scintilla in hominum mentibus, tamen assensio languida est, et ruunt homines in dubitationes, propterea quia multa fieri contra ordinem vident, videlicet, saepe bonos a malis opprimi. Eius rei causam cum non sciant, dubitant de providentia.

Primum igitur hic deploratur humana ignorantia, quam singuli homines et agnoscere et gementes deplorare debent, sicut Prophetae deplorant: Omnis homo mendax. Item: Perversum est cor hominis, et aerumnosum. Sunt et apud Ethnicos tristissimae deplorationes universae humanae infirmitatis, quae ideo recitantur, ut homines revocent ad modestiam. Pindarus in Oda 8. Pyth. inquit: τὶ δέ τις; τὶ δὲ οὔτις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι. Haec dicta saepe cogitare utile est.

Nescit autem sapientia hominum remedia contra ignorantiam et infirmitatem. Sed in Ecclesia scimus patefactiones divinas, in quibus et

causae calamitatum et remedia ostenduntur. Ideo et in hoc textu deducimur ad doctrinam a Deo traditam, et praecipitur, ut eam audiamus et amplectamur, moveamur comminationibus, et adsentiamur consolationibus, nec addamus corruptelas.

Haec mandata saepe repetita sunt, ut in his dictis: Hic est Filius meus dilectus, *hunc* audite. Item: Ego sum via, vita, et veritas. Item: Sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas. Et in Psalmo: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Et apud Esaiam: Ad legem et ad testimonium. Et in Numeris: Ne sequaris cogitationes tuas.

Ita hoc loco dicitur: *Omnis sermo Dei purus*, id est, sine corruptelis, *Et clypeus confidentium ipsi*, id est, ideo Deus misit Filium, et se patefecit sua voce immensa bonitate, ne erres, hanc Filii vocem audias et amplectaris, iuxta hanc iudices de essentia et de voluntate Dei, de Lege et de Evangelio, de ira et de gratia. Hunc verum Deum, qui se patefecit misso Filio, et edita voce sua per Filium agnoscas et invoces, sicut ipse inquit: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum. Si recte agnosces et invocabis Deum senties eum efficacem esse, et sic scias aeternam Ecclesiam, et non aliter, colligi.

Et figuram considera, quod inquit: *Verbum Dei clypeum esse his qui confidunt Deo*, iuxta verbum, sicut et Paulus nominat, Scutum fidei, quia certum est, Deum sic efficacem esse, cum verbo Dei et invocatione nos sustentamus Fide, ut Paulus inquit: Ut per consolationem scripturarum spem habeamus. Item: Evangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Psalmo 129.: Sustinuit anima mea in verbo eius, Speravit anima mea in Deo.

Hae dulcissimae sententiae opponendae sunt Ethnicis et aliis impiis opinionibus et blasphemiis Anabaptisticis et Stenckfeldianis, quae abiiciunt externam vocem doctrinae.

Simul autem hic de retinenda puritate verbi divini praecipitur. Et puritas dupliciter intelligenda est. Primum de ipso verbo Dei recte intellecto, sine imaginationibus carnalibus. Ut Saducaei retinebant quidem τὸ ῥητὸν in Mose, sed intelligebant promissiones tantum carnali modo de praesenti vita. Sic Monachi intelligunt Legem de externis operibus, fidem tantum de noticia historiae etc.

Altera puritas est, non expresse addere corruptelas, ut Papa addidit invocationes mortuorum, quaestum Missarum, falsam adorationem, prohibitionem coniugii, et alias impias traditiones. De utraque puritate loquitur Psalmus 12.: Eloquia Domini eloquia pura, sicut argumentum purgatum in vase testaceo, purgatum septies, id est, primum recte intelligatur verbum Dei, quod discitur in veris exercitiis poenitentiae, et in cruce. Ibi enim purgantur mentes nostrae, ut verbum Dei intelligant primum sine carnalibus imaginationibus, ut cum Paulus arguitur de iniusta saevitia, discit Prophetas loqui de regno aeterno Christi, non de politico. Ideo inquit: ψυχικὸς homo non percipit ea quae sunt Spiritus. Secundo adsit puritas talis, ne expresse addantur traditiones de novis cultibus. Harum vanitas etiam deprehenditur in vera poenitentia et in cruce, sicut Paulus inquit, Stipulas doctrinarum consumi igni.

Ita hoc loco cum initio dicit: Verbum Dei purgatum intelligatur hoc de priore puritate, videlicet, ut τὸ ῥητὸν recte intelligatur, Postea expresse prohibentur novae traditiones, sicut saepe alibi dicitur. Et citat Dominus dictum Esaiae: Frustra colunt me mandatis hominum.

Duo petivi a te. Procul amove a me mendacium. Inopiam et divitias ne dederis mihi.

Primum et summum bonum est vera Dei agnitio, sicut Dominus inquit: Primum quaerite regnum Dei. Et Salomon in sua petitione caeteris bonis antefert Sapientiam, sicut dicit: Initium sapientiae timor Domini. Item: Non in solo pane vivit homo. Deinde mediocritas vitae tutior est, quam opulentia aut egestas. Ordine igitur hae duae petitiones hic recitantur, quae nobis quoque sint lumen et regula vitae. Primum quaeramus regnum Dei, et simus memores dicti. Timenti Dominum non deerit ullum bonum. Sic in Parabola evangelica iubemur margaritam emere, venditis omnibus bonis.

Secundo sciamus voluntatem Dei esse, ut singuli iuxta vocationem honestos labores faciamus, unde victum habere possimus, ut dicit Paulus: Propria facite. Et simus contenti mediocri statu, sicut et alibi dicitur: Abominatio coram Deo omnis superbus corde. Et Siracides

inquit capite 3.: Difficiliora te ne quaesieris stolide: Quae mandata sunt tibi sancte cogitato.

Experti sunt etiam Ethnici, mediocrem statum tutiorem esse, iuxta versum: *πολλὰ μέσοισιν ἄριστα, μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι.* Et plurimos abuti potentia et opulentia ad explendas vitiosas cupiditates manifestum est, iuxta dictum:

Luxuriant animi rebus plerunque secundis,
Nec facile est aequa commoda mente pati.

Hoc genus patri convicium facit.

Sequentes aliquot sententiae sunt querelae de variis vitiis, id est, sunt narrationes, quae ostendunt, quid fiat, et monent ut simus vigilantiores et firmiores in vitandis talibus vitiis, et in fugienda societate malorum, et contagiis, sicut Horatius inquit:

Absentem qui rodit amicum,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit, hic niger est, hunc tu Romane caveto.

Sic narrantur vitia et vitiorum causae, ut medici venena describunt, ut videntur. Similis quaerelae seu narratio haec est: Tria turbant terram. Servus potitus imperio. Item: Stultus factus dives et potens. De priore dicitur: Asperius nihil est humili cum surgit in altum. De posteriore: Insipiente fortunato nihil est insolentius. Et Theognis: *τίκτει τοι κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται.*

Quatuor sunt minuta sapientiora sapientibus hominibus.

Venusta collatio est cum minutis bestiolis, quas dicit antecellere sapientibus. Monet autem, agnoscendam esse ingentem naturae humanae miseriam, quae ipsa secum pugnat. Novit Deum et legem, et non obtemperat, imo sciens ruit contra Deum et contra naturale iudicium, et accersit sibi calamitates innumerabiles, sicut dicitur in Menandri versibus, Plura esse mala *ἑκούσια*, quam *αὐτόματα.*

Et ne quidem in praestantibus naturis virtus est durabilis, sicut in Davide, Nabuchodonosor, Hercule, Themistocle, Alexandro etc. At bestiae obtemperant suae naturae, nec a seipsis dissident.

Consideranda est igitur naturae nostrae infirmitas, et quaerenda sunt remedia de Filio Dei proposita. Nominatur autem hic *Formica*, quia est monitrix de labore et sedulitate. *Lepus* quaerens latebras monet infirmos, ne aggrediantur maiora viribus. *Locusta* ut amans congregationes, non seditiosa, non turbatrix ordinis aut tranquillitatis. *Aranea* ut arte excellens.

Formicis opponuntur ignavi, his deest virtus, quae nominatur Sedulitas.

Leporibus opponuntur *θρασύδειλοι*, Thrasones multa moventes, quae sustinere non possunt. His deest Fortitudo.

Locustis seditiosi, turbantes ordinem et tranquillitatem. His deest Iusticia, quae geometrica proportione debitum locum tuetur, nec turbetur communis ordo.

Araneis stolidi, qui confidunt viribus, et negligunt consilia. His deest Prudentia.

Si fatue egisti elatus superbia, manum opponito ori tuo.

Praecipit de poenitentia et emendatione errorum. Cum lapsus es, ne defendas erratum, sed admonitus et intelligens errorem, doleas, et amplectaris veritatem, et perspicua confessione ostendas, quid sentias, ne in aliis error confirmetur, sicut Paulus fatetur, se errasse, cum fuit hostis Evangelii. De talibus supra dixit: Iustus in principio accusatur est sui. Et in Zacharia dicit: Emendans errorem has plagas accepi in domo diligentium me.

Si quis admonitus pertinaciter defendit errorem, hunc Paulus iubet relinqui, et nominat *αὐτοκατάκριτον*, id est, suo ipsius iudicio condemnatum, quia convictus scit se pugnare contra conscientiam. Talis cum sit blasphemus, ruit postea sine fine in aeternum exitium. Et de his dicitur: Errare humanum est, perseverare in errore diabolicum. Multi autem difficulter cedunt, sicut dicitur:

Aurum et opes et vasa frequens donavit amicus,
Qui velit ingenio cedere rarus erit.

Et hic fit mentio Superbiae, quae est fiducia propriae sapientiae aut potentiae contra Deum. Hac fiducia elati homines multi gignunt nova dogmata, aut instituunt cultus, et postea admiratione sui superbe defendunt suas opiniones, ut dicitur: *δόξα βιάζεται τὴν ἀλήθειαν*, Opinio vim facit veritati. Et tristius hoc est, quod multi propugnant errores, astute quaesitis praestigiis, et addunt mendacia mendaciis. Haec horribilia peccata et consideranda sunt et fugienda.

Qui premit lac, exprimit butyrum, Et nimium emungens narem elicit sanguinem.
Et qui effundit iram, emittit discordias.

Primum significat, imperia moderata esse debere, sicut Plato inquit: Utraque optima, moderata libertas et moderata servitus: et rursus utraque pessima, Libertas immodica, et servitus immodica. Et in versibus Solonis dictum est:

δῆμος ἅμα ἡγεμόνεσσιν ἕποιτο,
μήτε λίαν ἀνεθεὶς, μήτε πιεζόμενος.

Et modus constitutus est in Decalogo. Et Baptista inquit: Estote contenti stipendiis vestris. Item: Neminem concutiatis neque calumniemini. Item: Asino onus, pabulum et virgam, sic servo laborem, cibum et castigationem, scriptum est in Siracide.

Postea addita est sententia de reprimenda ira, ne publicae discordiae oriantur, quae postea late magnas ruinas trahunt et saepe oriuntur ex levibus causis, quae potius moderatione aliqua leniendae et sanandae erant.

Caput XXXI.

Postremi capitis additio continet tres sententias, prohibitionem Ebrietatis, mandatum de Confessione, adversus eos, qui opprimunt innocentes, ut nunc in regum aulis multi cum intelligant veram doctrinam, tamen non ostendunt quid probent, cum ad supplicia rapiuntur innocentes. Hic iubet intelligentes doctrinam, sua confessione tegere innocentes ne iniusta saevitia confirmetur silentio vel collusione ipsorum. Unus Ionathas apud Saulem aperte excusabat Davidem. Doëg et alii furorem regis incendebant. Apud Alexandrum Calisthenes et Clitus aperte reprehendebant eius insolentiam, caeteri assentatione confirmabant, quia plures sunt mali, et verum est dictum:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται
πράττει δ᾽ ὁ κόλαξ ἄριστα πάντων,
δεύτερος ὁ συκοφάντης etc.

Tertia pars carmen est de virtutibus honestae Matrisfamilias. Ut autem singulis hominibus vitae regula esse debet Decalogus, ita in hac laudatione distribuantur virtutes in Decalogum, et ad primam tabulam pertinet dictum hoc loco. Mulier timens Deum, laudabitur.

Timor autem intelligatur totus verus cultus, vera Dei agnitio, Timor, Fides, Invocatio, dilectio Dei, et aliae coniunctae virtutes, sicut Prophetae saepissime utuntur nomine timoris Dei pro toto cultu, qui Deo placet. Et supra dicitur: Initium sapientiae timor Domini. Item: Beatus vir qui timet Dominum.

Deinde recitantur caeterae virtutes. Castitas coniugalis, amor erga maritum sine morositate, sedulitas in omnibus laboribus oeconomicis, Parsimonia, Frugalitas et Mansuetudo in gubernatione familiae, diligentia in educanda sobole, domestica assiduitas, beneficentia erga pauperes. Harum virtutum omnium definitiones notae sint, et consideretur, ad quam Decalogi partem singulae referendae sint.

Tota autem haec narratio simpliciter sine allegoria intelligatur, tanquam speculum honestae matronae, sicut Simonides inquit: Felicem esse eum, qui ducit uxorem similem api. Sed haec tota doctrina dulcissime comprehensa est in dicto Pauli ad Timotheum: Salvabitur mulier per filiorum generationem, si manserint in fide, dilectione, sanctificatione et temperantia. Ubi etiam praecipuae virtutes et officia vocationis recitantur. Diserte nominat Paulus Fidem, videlicet veram agnitionem Dei, et fiduciam Filii Dei, quae praelucere omnibus virtutibus debet. Et cum hac fide accepta est remissio peccatorum, et reconciliatio, et haereditas vitae aeternae, simul in cordibus nova lux, vita, et iusticia accensa est, iuxta dictum: Transformamur ad imaginem eius, tanquam a Domini Spiritu. Cum igitur fide agnoscitur Deus, et ostensa est misericordia Dei, propter Mediatorem promissa, simul accenditur dilectio Dei in cordibus, et vera invocatio, ut cum Solis luce simul calor spargitur. Nominatur Filius Dei Sol iusticiae, quia et lucem, id est, veram noticiam misericordiae adfert, et verum Deum ostendit. Et veram noticiam misericordiae Dei comitantur dilectio Dei, et invocatio et caeterae virtutes. David audita voce: Dominus abstulit peccatum tuum, reviviscit, novit Deum, et se ei subiicit, diligit et invocat eum. Ita Paulus hoc vult in matrona, fidem, id est, veram agnitionem Dei et fiduciam misericordiae lucere.

Deinde adiungit caeteras virtutes, Dilectionem Dei et proximi propter Deum, dilectionem mariti et sobolis. Sanctificationem nominat eam virtutem, quae usitate Castitas dicitur. Est autem Castitas, ut suo loco prolixius dicitur, virtus quae omnes commixtiones seu seminis effu-

siones vitat a Deo prohibitas, et est in coniugio servare iura coniugii. Temperantia est moderatio in cibo et potu, naturae corporum conveniens.

Tradit igitur Paulus dulcissimam consolationem opponendam hypocrisi Monachorum, quia expresse affirmat, Matresfamilias in coniugio, retinentes fidem et bonam conscientiam, salvas fieri. Hanc doctrinam extare in Ecclesia necesse est contra fanaticos homines, qui coniugia damnarunt.

Removenda est etiam alia cavillatio illorum, qui hoc dicto Pauli abutuntur ad confirmandam opinionem Monachorum, quae fingit bona opera esse merita et precium vitae aeternae, quia dictum sit: Salvatur mulier per filiorum generationem. Nequaquam enim Paulus mulieris officia dicit esse merita aut precium vitae aeternae, quare et statim fidei mentionem facit. Cum autem dicit, si manserit in fide, id est, agnitione Dei, et fiducia Mediatoris, mox excludit opinionem de meritis operum.

Sed hoc sentit, quod saepissime repetitum est in concionibus Christi, Prophetarum et Apostolorum, oportere in renatis esse fidem, et iusticiam bonae conscientiae, sicut inquit: Milita bonam militiam habens fidem et bonam conscientiam. Item: Nolite errare, scortatores, adulteri, homicidae etc. non sunt haeredes vitae aeternae. Semper autem in enumeratione virtutum fit mentio operum, quae sunt propria vocationis singulorum, ut Iohannes dicit militibus: Neminem concutiatis, neque calumniamini, et contenti estote stipendiis vestris. Ut igitur singulos de suae vocationis officiis admonere necesse est, ita hic Paulus matribus concionatur de laboribus partus, nutricationis et educationis. Et tamen manet firma sententia, propter Mediatorem gratis sola fide recipi et placere personam, non propter propriam dignitatem, sicut et in Psalmo dicitur: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item, Rom. 3.: Omnes egent gloria Dei, iustificamur autem gratis fide propter Filium etc. Hic mente repetant studiosi integram doctrinam de fide et de operibus, ut in confessione Ecclesiarum nostrarum recitatur.

De matronarum officiis multa dulcissime scripta sunt in multorum scriptis. Inde ad huius loci enarrationem transferri longior explicatio posset. Sed nolui prolixior esse. Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum, custodem Ecclesiae suae, ut clementer et Ecclesias et Politias et Oeconomias nostras gubernet et protegat. Amen.

Laus Deo.

XI. ENARRATIO BREVIS CONCIONUM LIBRI SALOMONIS,

CUIUS TITULUS EST

ECCLESIASTES.

AUTORE PHILIPPO MELANTHONE.

(Hoc modo inscriptus, hic liber primum prodiit Witebergae, Excudebat Ios. Clug. Anno 1550. 8. 11 pl. — Recusus est liber Witeb. 1551. et iterum anno 1556, quam postremam editionem Peucerus repetiit in operibus Melanth. T. II. p. 915, unde hic librum dedimus. Epistola nuncupatoria, Ioachimo Mollero inscripta, supra dedimus in Epistolis d. 1. Oct. 1550. — Germanice prodiit cura Stephani Riccii, discipuli Melanthonis: „Ecclesiastes, ausgelegt von Phil. Mel., und verdeutscht von Stephan Reich. Wittenb. 1561. 8. 21 pl.")

Clarissimo viro, eruditione et virtute praestanti, D. ***Ioachimo Moller*** *Hamburgensi, Doctori Iuris, Philippus Melanthon S. D.*

Multi omnibus temporibus intuentes tristissimas humani generis confusiones, ruinas regnorum, promiscuos interitus hominum sceleratorum aut aliorum, quorum mores fuerunt modesti et inculpati, dubitarunt, an providentia divina regantur res humanae, an vero sine consilio vel physicis motibus vel temere et coeca vertigine et casu omnia volvantur.

Adversus hanc dubitationem, etsi Deus multa testimonia in ipsa natura opposuit, ipsam mundi figuram, vices motuum coelestium et temporum, mirandam fabricationem naturae humanae, et in mentibus hominum numeros, cognitionem ordinis, immotum discrimen honestorum et turpium, conscientiae dolores, terrae foecundationem, conservationem singularum specierum, poenas atrocium scelerum, tamen et prodiens ex arcana sede allocutus est universum genus humanum, ac de salute hominum et de venturo iudicio concionatus est, in quo universale et aeternum discrimen inter bonos et malos efficiet, ac ut sciremus has conciones veras esse, resuscitatione mortuorum, et aliis mirandis operibus ostendit eas Dei decretum esse.

Etsi autem in genere humano pauci eis adsentiuntur, tamen semper fuit, est et erit aliqua Dei Ecclesia, alias magis, alias minus frequens, quae firma adsensione divinam vocem amplectitur. Haec celebrat et invocat verum Deum, et causas confusionum praecipuas didicit, nec dissimilitudine fortunae movetur, ut de providentia dubitet. Et quanquam sunt in hac vita dissimilia spectacula, tamen in illud venturum iudicium semper intuens, scit esse unicam vitae normam divinitus traditam, qua regi iudicia in mente, et omnes actiones humanas oporteat. Haec dubitationi opponit et testimonia naturae impressa, et vocem a Deo traditam, et exempla resuscitationis mortuorum et similia. Confirmantur pii et singulari testimonio in cordibus, quod nequaquam eis dubium est. Nam et in sensu irae Dei agnoscunt eum vere irasci peccatis, et rursus cum in consolatione eriguntur fide, illucescit pectori flamma, agnoscunt se ex inferis retrahi, et sentiunt initia vitae aeternae. De hoc testimonio loquitur Paulus inquiens: Spiritus sanctus dat testimonium spiritui nostro.

Quanque autem de argumento huius libri alii aliter locuti sunt, tamen in hac sententia

acquiesco, et iudico summam operis hoc modo recte distribui: Totam concionem esse doctrinam, videlicet, Adseverationem de providentia, ac refutationem in qua consolationes sunt, et comminationes. Etsi magna est in hac vita confusio, imperia tenent homines iniusti, qui Deum contemnunt, florent opibus impii: Ecclesia recte invocans Deum horribiliter premitur, vox recte docentium et bona suadentium saepe est inutilis, magna multitudo est hominum insanabilium, tamen non propterea existimes nullam esse providentiam: sed venturum est iudicium in quo fiet aeternum discrimen bonorum et malorum.

Sunt et consolationes intextae, in quibus ducuntur Argumenta a necessario, a possibili et ab utili. Cum necesse sit Deo obedire, facias officia vocationis, quicunque erunt eventus. Nec erunt prorsus irriti conatus. Aderit Deus invocanti, et labores, pericula, impedimenta reget, sicut Psalmus inquit: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Nec semper erit infelix labor, respondebunt aliquando boni eventus. Sparge, inquit, panem velut in aquam, quia tamen rursus inveniens. Mira imago est, iubet spargere salutarem doctrinam et consilia, ac si panem in aqua spargeremus, qui perire ibi videtur. Sed melius promittit hic concionator. Aliqua ex parte hi tui labores, Ecclesiae, patriae, posteritati profuturi sunt, etiamsi non poteris constituere statum qualem constituit Iosue, Samuel, David, Salomon, Iosias, at servies utiliter tuo loco, sicut in misera et oppressa patria serviebant Zacharias, Simeon et alii his inferiores, quorum tamen fuit similis voluntas.

Postremo cum non respondent eventus, tamen in Deo acquiescito, scias ipsi et in officiis vocationis, et deinde in eventibus obediendum esse, sicut scriptum est: Humiliamini sub potenti manu Dei.

Non est similis temporum fortuna, et Deus ipse praedixit maiores imperiorum et Ecclesiae dilacerationes in extrema senecta mundi futuras esse quam fuerunt Patrum et Prophetarum temporibus. Et tamen quaelibet aetas multa tristia exempla habet. Sed nunc urgemur non solum aetatis infirmitate, sed etiam mole poenarum, quae cumulatae sunt propter idola et alia scelera. Maior etiam in diabolo rabies est, sentiente iam instare tempus extremi iudicii, in quo sibi maiores cruciatus in omnem aeternitatem certo propositos esse novit.

Addit Salomon et comminationes, tradit regulam: Atrocia scelera et in hac vita puniri. Non est iniustis, inquit evasio in praelio. Item: Etsi differuntur poenae, tamen certo secuturae sunt. Bene erit timentibus Deum. Ac nequaquam bene erit impio, nec diuturna eius vita erit, sed sicut umbra evanescit.

Haec sunt praecipua membra in hac concione Salomonis. Iam apud sese lector reputet, quam sit utilis doctrina, quae confirmat in mente sententiam de providentia, et de venturo iudicio, quae admonitionem de officiis vocationis, et consolationes de difficultatibus et eventibus proponit. Nam exordium in omni gravi deliberatione est cogitatio de providentia et iudicio Dei, et de auxilio divino.

Sciat autem lector et hoc, has conciones in Ecclesia Dei recitari, ubi notam esse oportet doctrinam de veri Dei invocatione, et de Redemptore Filio Dei. Praelucere agnitionem Filii Dei, et Redemptoris oportet his laboribus, de quibus haec concio loquitur: Ut ipse Salomon hic universam doctrinam Ecclesiae cognosci et audiri praecipit, et cultus inutiles taxat inquiens: Ingrediens domum Dei, accede ut *audias.* Melior est obedientia, quam stultorum victimae, qui nesciunt quantum faciant mali. Vides gravissime praecipi, ut doctrinam in domo Dei, id est, in vera Ecclesia sonantem audiamus, quae totam fundamenti doctrinam complectitur. Nam et tunc necesse erat discerni verum Deum ab omnium gentium commenticiis numinibus, et oportebat promissiones de Redemptore notas esse, intelligi doctrinam de iusticia fidei. Nulla fuit neque est Invocatio grata Deo, nisi mens agnoscat summum Sacerdotem perferentem nostra vota, et nostros gemitus ad aeternum Patrem.

Itaque tunc quoque Prophetae docebant agentes poenitentiam accipere remissionem peccatorum, reputari iustos, donari Spiritu sancto, et haeredes esse vitae aeternae certo fiducia Redemptoris, non propter propriam dignitatem, aut legem. Fulsit autem haec noticia Redemptoris in aliis magis, in aliis minus, multi etiam ut fit omnibus aetatibus tantum somniarunt homines illa disciplina legis iustos esse, et peccata tolli mactatione victimarum. Sed tamen Prophetae et multi eorum auditores custodes fuerunt verae

doctrinae et fiducia Redemptoris Deum recte invocarunt.

De caeteris qui putabant se iram Dei placare suis sacrificiis, inquit Salomon: Nesciunt quantum faciant mali. In hac brevi querela Salomonis, tristis vituperatio est coecitatis multorum omnibus aetatibus, qui simili errore fascinati sunt. Multi nunc quoque nesciunt, quantum faciant mali, qui idola stabiliunt in Missa, et in invocatione mortuorum. Sed audire eos vocem divinam oportebat, quae taxat errores et monstrat veram invocationem.

Haec de argumento huius libri Salomonis breviter dixi, quem quia prodest familiariter notum esse omnibus, qui discunt literas, nam profecto multas utilissimas admonitiones continet, recens in schola utcunque relegi.

Etsi autem video enarrationem nimis ieiunam esse, edi non volebam et tamen eo minus repugnavi, quia aliqui existimabant plures ipsum Salomonem lecturos esse, utcunque commonefactos de rerum magnitudine, quas liber continet.

In editione vero tuum nomen addidi, quia te quoque in illa tua militia has consolationes saepe requirere animo scio, quae adfirmant pios labores in gubernatione placere Deo, et non prorsus irritos fore, etiamsi bona consilia variis modis impediuntur. Insidiari humano generi diabolos non dubium est, qui incitant alios, ut vi Ecclesiam delere conentur, alios ut sophismatum praestigiis eas turbent. Ad haec mala accedunt multae difficultates aliae.

Sed scimus Filium Dei sedentem ad dextram aeterni patris, custodem esse suae Ecclesiae. Hunc oremus ut nos regat, et faciat nos vasa misericordiae et organa salutaria, adiuvet pios labores, et foveat moestas Ecclesias, et reprimat diabolum grassantem tyrannide et sophistica. Haec nostra vota scimus non esse irrita. Bene et feliciter vale, Cal. Oct.

Argumentum in Ecclesiasten.

Ideo in enarrationibus argumenta et consilia scriptoris initio recitantur, ut iuniores praemoniti utcunque summam operis mente complectantur, et cogitent ad quem usum materia scripta accommodanda sit, an finis sit cognitio, an vero Actio aliqua vitae profutura.

Ut autem iam de scriptis in Ecclesia dicamus. Una pars doctrina est, ut recitatio articulorum fidei, quia Deus vult se agnosci ex patefactionibus suis, vult nos audire suam vocem, et nosse illustria testimonia, quae addidit suae voci. Vult etiam nos assentiri suis dictis, et hanc assensionem esse virtutem pronunciat.

Sed non est ultimus finis cognitio, verum postea vult ad cognitionem accedere timorem et consolationem, quia ideo se patefecit Deus, ut colligat sibi aeternam Ecclesiam in genere humano, et eam a peccato et morte liberet. Erigendi sunt igitur auditores consolatione, quae fit Fide, quae est incoatio vitae aeternae, et oportet mentes in hoc cursu habere consolationem, ut fieri possit invocatio. Postea fruentur luce, sapientia, bonitate et laeticia divina in omni aeternitate, cum erit Deus omnia in omnibus, id est, cum erit efficax in nobis, sine ministerio verbi, sed sua ipsius luce, quam palam cernemus.

Quanquam igitur pars aliqua in scriptis Ecclesiae est δογματικὴ seu doctrina, tamen postea illi fines ulteriores intuendi sunt. Sicut et eruditus concionator alias recitat ordine articulos symboli aut legem: alias proponit comminationes, accusat reos, ut timorem iudicii divini in animis exuscitet: alias recitat vocem Evangelii et consolationes, quas Filius Dei Dominus noster Iesus Christus Ecclesiae tradidit, et accendit fidem et invocationem, et lenit moesticiam, ne corda opprimantur desperatione, et ruant in exitium.

Ita sciat concionator membra suae orationis distribuenda esse, ut et Paulus monuit: Sis adsiduus in lectione, doctrina et consolatione. Legat pius Concionator libros Propheticos et Apostolicos. Inde sumat res Ecclesiae proponendas, non fingat novas opiniones aut commenticia numina, ut Numa Pompilius, aut similes. Sumtas autem res ex fontibus pius Concionator perspicue et sine corruptelis exponat, monstret alicubi definitiones, ac distinctiones. Haec sunt docentis munera, Tertio transferat doctrinam ad excitandum Timorem et Fidem, quae est consolatio et restitutio vitae.

Postquam autem lector harum concionum Salomonis consideravit, haec esse consilia scribentium, sciat principaliter totum hunc librum,

cui titulus est Ecclesiastes, esse doctrinam, videlicet, Asseverationem de providentia. Affirmat esse Deum sapientem, veracem, iustum, iudicem, liberrime agentem, colendum iuxta doctrinam ab ipso traditam, non aliter, punientem contemnentes ipsum, et misericordem ac servantem eos, qui ipsum invocant et ei obedire incipiunt. Est igitur praecipuum opus huius libri δογματικὸν, videlicet, Asseveratio de providentia contra Epicureas, Pyrrhonias, Stoicas et alias cogitationes, quae labefactant assensionem de providentia.

Suntque expressae asseverationes in his verbis capite ultimo. Cuncta quae sunt, adducet Deus in iudicium, Omnia abscondita iudicaturus est, et bona et mala. Item cap. 11.: Scito quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Et cap. 3.: Iustum et impium iudicabit Deus. In his verbis et similibus scito principalem propositionem totius concionis recitari et repeti.

Hanc asseverationem sequitur doctrina de obedientia. Cum Deus dederit legem et addiderit comminationes, ingenti misericordia etiam vocem Evangelii de reconciliatione, et amplissimas promissiones ediderit, et certo puniat contemnentes ipsum, recipiat vero et servet confugientes ad Filium Mediatorem, necesse est ei obedire iuxta suam doctrinam, sit in cordibus Timor metuens eius iudicium, sit fides acquiescens in Mediatore, et statuens te recipi, exaudiri, iuvari, protegi et servari, et frenentur membra ne ruant contra mandata Dei.

Ita doctrina transfertur ad usum, cum obedientia sequitur assensionem de providentia, et in illa obedientia corda sustentantur divina consolatione, et liberantur a morte aeterna, et incoatur coelestis vita, quam ultimam metam intueri nos necesse est.

Sed asseverationi de providentia videntur adversari multae confusiones in vita. Iustus iudex cum potest, defendit iustos, et reprimit facturos iniusta, et eos qui deliquerunt, punit. At in genere humano plerunque iusti iacent oppressi magnis aerumnis. Quam multa millia innocentum infantum, Virginum, matronarum quotidie in bellis, incendiis, et aliis calamitatibus pereunt. Interea scelerati non solum non reprimuntur, sed etiam florent et habent imperia et opes.

Talis cum sit confusio, quomodo videri potest regi vita a Deo. Extat haec querela in plurimorum scriptis, ut notum est. Et nemo est hominum, qui non hac disputatione excrucietur.

Praeterea videntur homines boni et mali fortuitis casibus perire, sicut conculcantur violae in terra, aut venti flores et poma decutiunt ab arboribus.

Saepe etiam sapientum et iustorum conatus irriti sunt, et vincunt mali. Erat vera Ecclesia in populo Iudaeorum, cum Nabogdonosor fecit vastitatem in tota Iudaea deletis Ierosolymis et aliis urbibus. Hoc spectaculum tunc quoque multos movit, ut existimarent eam gentem non esse curae Deo.

Etsi autem multa sunt testimonia praesentiae Dei in natura, et in conservatione generis humani, ut ordo motuum coelestium, noticiae certae in mente, conservatio specierum, poenae regulares atrocium scelerum, tamen Epicurei difficulter refutari possunt, cum contra providentiam haec spectacula confusionum colligunt.

Sed Salomon hic opponit responsiones firmas et veras, quae non nascuntur in humana ratione, sed sunt vox Dei de venturo iudicio post hanc vitam. Ac primum ait, in hac vita quoque multorum scelera puniri, ut cap. 8. dicit: Non salvabit impietas impium, nec erit ei evasio in bello.

Deinde fatetur aliquantisper differri iudicium, et queritur hac quamvis brevi mora, tamen confirmari audaciam sceleratorum. Sed tamen opponit aeternitatem. Haec vita brevis umbra est. Nec poenae in hac vita diuturnae sunt, nec laeticia. Sed aeterna bona et mala non sunt fugaces umbrae. Hanc aeternitatem iubet omnes intueri, et cavere, ne incidant in aeternam Dei iram, et horrendos cruciatus nunquam desituros, et petere, et expectare aeterna bona.

In hac responsione fides in conversis ad Deum acquiescit, fugit aeternam Dei iram, petit et expectat aeternam salutem, ideoque Deo obtemperat, et sustentat se agnitione praesentiae Dei, et auxilii divini in praesentibus aerumnis. Scit autem etiam Ecclesia, quare in hac vita onerata sit tanta mole miseriarum.

Etsi igitur Epicurus rideret Salomonis responsionem, tamen pia mens assentitur et credit Deo asseveranti de futuro iudicio.

Ergo haec concio Salomonis prophetica est, et vox divina in Ecclesia Dei de futuro iudicio, qualis est concio Filii Dei in capite Matth. 25. et in aliis locis. Non igitur hic liber Salomonis legendus est, ut Cratetis aut Senecae Epistolae de contemtu divitiarum, et Monachorum scripta de desertione societatis politicae, sed doctrina fidei est de iudicio Dei, et de distinctione impiorum et Ecclesiae, et inter horrendas confusiones generis humani ostendit iram Dei contumacibus, et consolationem piis. Ideoque prolixae sunt narrationes confusionum et scandalorum, ut postea doceat, nequaquam ex his spectaculis in hac vita iudicandum esse de voluntate Dei, sed firma fide assentiendum esse *voci divinae* et verbum Dei oportere *normam* esse omnium consiliorum et actionum, sicut scriptum est: *Lucerna* pedibus meis verbum tuum.

Necesse est igitur in huius libri lectione novisse summam doctrinae ecclesiasticae, de creatione mundi et hominis, de lapsu hominum, de causis calamitatum, de promissione, et de Mediatore, propter quem et per quem rursus Ecclesia colligitur, de fide accipiente remissionem peccatorum, de lege Dei, de vita aeterna, de iudicio postremo; de poenis aeternis impiorum, de salute piorum. Hanc totam doctrinam complecti necesse est, cum de providentia dicitur. Cum enim confusiones in hac brevi vita caliginem offundant mentibus, ut minus cernant providentiam, necesse est intueri illam alteram vitam, in qua discrimen erit illustre malorum et bonorum in omni aeternitate.

Consideranda est autem series partium in hoc libro Salomonis. Prius recitat obiectiones, quae videntur adversari providentiae, et in hac recitatione prolixus est, quia magnos et assiduos tumultus excitant in humanis mentibus hae profanae cogitationes. Et igitur et haec pars libri prolixior. Passim vero breves responsiones inserit. Timeto Deum, restat aliud iudicium. Haec brevissima dicta sunt responsiones, quas firma assensione et fide amplecti nos oportet. Certissimum est enim esse eas decreta divina, quae in Ecclesia voce Prophetarum, Christi et Apostolorum saepe repetuntur, et fides certa et brevia dicta divina opponit turbulentis cogitationibus rationis. Haec ipsa certamina rationis humanae imitatur forma obiectionum et responsionum in hoc libro.

Sequuntur autem asseverationem de providentia, Lex et comminatio. Item Evangelium et consolatio: postquam statuis esse Deum, et esse iudicem et vindicem, audi praecepta et obtempera, et quia magna est infirmitas hominum, et multi furores diabolorum, qui augent confusiones generis humani, multa sunt impedimenta obedientiae. Hic necessaria est consolatio. Audienda est igitur vox Evangelii, quae docet, quae obedientia, et quomodo placeat, iubet gubernatorem non abiicere vocationis officia, etiamsi in hac vitae confusione aliquantisper dissimiles sunt eventus rectorum consiliorum, et monet, ne frangamur desperatione, etiamsi aliquantisper florent iniusti, et premitur vera Ecclesia, quia etiamsi aliquantisper differtur iudicium Dei, tamen aliquanto post et in hac vita, et in tota aeternitate punientur scelerati.

Hanc consolationem saepe intexit huic Scripto, quae comprehensa est et in toto Psalmo 36. Noli aemulari, et in multis concionibus Prophetarum et Filii Dei, ut in capite Matth. 10.: Non timete eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed timete eum, qui potest animam et corpus perdere in gehennam. Longe anteferenda est aeternitas brevissimo spacio huius vitae mortalis, et tamen in hac vita comitantur atroces poenas atrocia delicta, iuxta illud: Qui gladium acceperit gladio peribit, et experientia peperit haec dicta:

τεύχων ὡς ἑτέρῳ τὶ, ἑῷ κακὸν ἥπατι τεύχει.

Ut de Archelao rege Macedonico dictum est, qui etiamsi fuit aliquantisper gloriosus rex, tamen quia per scelus regnum invaserat, a suis interfectus est, et singulae aetates multa vident talia exempla.

Iam facile intelligit lector non omnino rudis vitae communis, quis sit usus huius libri, quae inde utilitas capienda sit. Confirmanda est assensio de providentia dictis huius concionatoris, quae in Ecclesia proponuntur non humana autoritate, sed divinitus.

Deinde suo quisque loco obediat Deo, et faciat officia vocationis, quam cum multa impediant, teneat consolationes quae hic proponuntur, sciat cursum in vocatione Deo placere, sciat Deum rectorem esse sui coetus, et velle peti auxilium divinum, et verissime opem ferre fideliter servientibus in vocatione, et tandem collocaturum esse Ecclesiam in illam aeternam consuetu-

dinem cum divinitate, in qua Deus erit omnia in omnibus. Hac fide obtemperet Deo, recta faciat, et acquiescat in Deo, non indignatione, non desperatione abiiciat officia vocationis, non ruat in contemtum Dei Epicureum.

Hac admonitione de usu libri considerata, lectio et magis perspicua et dulcior erit, ac propemodum summa operis continetur in his dulcissimis regulis vitae. Psalmo 36.: Subditus esto Deo, et ora eum. Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et *ipse* faciet. Expecta Dominum, et custodi viam eius. Iacta curam tuam in Dominum, et ipse te sustentabit. Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Ne sitis soliciti de crastino, sufficit diei afflictio. Fac necessaria, et pete ac expecta auxilium a Deo, nec moveas non necessaria. Sed intuens in mandata Dei, hanc normam sequaris, et scias ex Evangelio placere obedientiam propter Mediatorem, et per eum ac propter eum labores tuos fore salutares, sicut inquit: Sine me nihil potestis facere. Et Paulus inquit: Non erit inanis labor vester in Domino. Efficiet ipse Filius Dei, ut cursus tuus prosit Ecclesiae, sicut scriptum est: Ascendit, dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, doctores etc. Et in Psalmo dicitur: Qui dat salutem regibus.

Has consolationes veras et salutares esse, bonae mentes intelligunt. Et quia magna pars harum consolationum pertinet ad virtutem, quae nominatur Patientia, breviter initio et hanc admonitionem addam. Notum sit discrimen patientiae philosophicae et Christianae. Patientia philosophica est obedire rationi in perferendis iis laboribus et aerumnis quas iubet ratio ferre, et nihil facere contra iusticiam, et hac recti conscientia moderari dolorem. Interdum autem haec philosophica patientia est sine ulla spe auxilii, cum videlicet ratio non ostendit auxilium aut mitigationem ante mortem, ut Aristides, Camillus, aequo animo ferunt iniurias et exilia, nec expectant auxilium a Deo.

Sed patientia Christiana est obedire Deo in his laboribus et aerumnis ferendis, quas iubet Deus ferre, et nihil facere contra iusticiam, et petere ac expectare auxilium ac mitigationem a Deo propter Mediatorem, et hac fiducia praesentiae Dei moderari dolorem. Ita in Davide, in Ieremia et similibus semper cum obedientia coniunctae sunt hae virtutes, fides et spes, et hae virtutes, fides et spes gignunt laeticiam in corde, iuxta illa dicta: Iustificati fide pacem habemus. Item: Pax Dei custodiat corda vestra. Huc pertinet regula Paulina scripta ad Thessalonicenses: Semper gaudete, incessanter orate, in omnibus gratias agite. Ut autem haec fides accendatur in cordibus nostris, necesse est nosse Evangelium de remissione peccatorum, et de reconciliatione propter Mediatorem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum. Hunc intuetur fides, et scit per eum nos duci ad aeternum patrem, scit hunc Mediatorem umbraculum esse, quo tegimur, ne horrenda ira Dei extinguamur, et ne diaboli rabiem suam exercere in nos possint, ut cupiunt, scit iuvari et servari Ecclesiam per hunc Mediatorem Filium Dei. Haec fiducia Mediatoris praeluceat omnibus aliis actionibus, ut saepe copiose dicitur.

Omitto longas recitationes, quomodo hic liber alienis interpretationibus obscuratus sit. Alii physicam enarrationem quaesiverunt: alii fanaticas, quasi liber damnet coniugia, gubernationes, labores necessarios in Ecclesia, Politia et Oeconomia, et iusserunt deseri vocationem. Haec deliramenta Monachorum reiicienda esse initio moneri necesse est. Non damnat Salomon creaturas Dei, nec vocationem, imo iubet his reverenter et ordine uti, sed damnat in humano corde perversionem ordinis, quod ita movetur spectaculis eventuum, ut dubitet de providentia. Cum autem falsae interpretationes huius libri magnam caliginem offuderint doctrinae Evangelii, utile est iuniores de simplici sententia commonefieri.

Sparsa est in Ecclesiam falsa interpretatio dicti: Nemo scit an amore vel odio dignus sit. Id dictum contra huius libri sententiam enarratur. Semper dubites an Deo placeas, cum tamen Salomon huic dubitationi mederi velit. Non dubitant Ieremias vel alii credentes se placere Deo, etiamsi vident conflagrare patriam, et se in exilium abduci: hoc ipsum enim vult Salomon, de voluntate Dei ex eius verbo, non ex secundis aut adversis eventibus in hac vita iudicandum esse. Haec de Argumento dixisse satis est.

Caput I.

Verba Ecclesiastae filii David regis Ierusalem.

In titulo nominat se Salomon et Regem, et Ecclesiasten, id est, concionatorem, qua appellatione significat ad officium principum pertinere ut curent recte doceri Ecclesias, sicut in Psalmo dicitur: Et nunc reges intelligite. Item: Aperite portas principes vestras. Item: In conveniendo reges et populos in unum ut serviant Domino. Hunc dulcem versiculum saepe cogitare oportebat et principes et populos: quia utrisque praecipitur, ut conveniant, id est, tueantur communem congregationem et ministerium vocis divinae, et discant veram doctrinam, et vero consensu Deum invocent et doctrinam conservare studeant: Huius autem pii consensus reges debent esse duces et autores: ideo hic quoque Salomon se concionatorem nominat, significans se velle autorem esse pii consensus in Ecclesia et custodem verae doctrinae.

Vanitas vanitatum, et omnia vanitas. Quid habet homo amplius de universo labore suo?

Primum scias non hoc dici, res esse malas, sed sententia in Genesi firmissime retinenda est: Vidit Deus omnia quae fecerat, et erant valde bona, id est, ordinata ipsius sapientia et bonitate, congruentia ad ipsius sapientiam, placentia ipsi, et condita ad usus placentes ipsi et conservantes naturam. Hanc interpretationem bene meminisse initio oportet. Et Genes. loquitur de rebus conditis et manentibus in suo ordine, sed Salomon loquitur de negociis humanis. Ac diserte inquit, sub Sole, ut significet se non comprehendere vanitatis appellatione Deum, verbum Dei et ministeria quaecunque, quae reguntur verbo Dei. Nam haec quoque cum suum ordinem retinent, sunt res bonae. Sed hic de ordinis depravatione dicitur, id est, loquitur de rebus et negociis collatis ad cor humanum, quod miscet conturbationes ordinis. Ideo dicit: *Omnia sunt vana*, quae sub Sole sunt, id est, negocia, humana sunt brevia, fugacia, instabilia, aerumnosa, non adferentia perpetuam quietem cordi, non voluptates, non divitiae, non sapientia et virtus humana, non gloria, non magnitudo imperii. His rebus et negociis omnibus miscentur multae magnae miseriae propter hominum imbecillitatem. Sed sola Dei misericordia agnita in promissionib. adfert firmam et perpetuam tranquillitatem et laeticiam in cordibus.

Dixi autem initio hunc librum consolationem esse. Ideo pars altera propositionis querela est, quae recitat miserias, et affirmat, non posse acquiescere animos in rebus seu negociis humanis. Non igitur anteferantur res aut eventus verbo Deo. Itaque Antithesis additur, quae est altera pars propositionis et summa operis: Gubernet mentes verbum Dei, qualescunque sunt eventus in negociis. Ita acquiescent in Deo, sicut et Paulus praecipit: Gubernet corda vestra pax Dei etc.

Oritur Sol et occidit, et ad locum suum redit, omnia flumina intrant mare etc.

Postea addit similitudinem sumtam a motibus Solis et aquarum, cuius accommodatio prudenter consideretur. Tantum enim proponitur tanquam imago instabilitatis et revolutionis similium miseriarum in negociis humanis, et significat eas miserias nec consilio nec sapientia humana impediri posse. Ut cum fuissent magni tumultus et crebrae seditiones in Republica Romana sub Coss. et Tribunis, postea expetita est monarchia, et redierunt tamen similes miseriae: ita in Israël, cum in Aristocratia ante regnum magnae calamitates accidissent, populus voluit regnum constitui, ac sperabat mutata forma Reipublicae feliciorem statum fore, sed aliquanto post secutae sunt maiores dilacerationes. Cum igitur instabilia sint humana, et non adferant quietem, fac necessaria et acquiescas in Deo. Simplicissima igitur accommodatio similitudinis haec est: Sicut Sol et aqua habent assiduas circumgyrationes et revolvuntur, ita humana negocia una cum miseriis quae admixtae sunt, revolvuntur, nec consilio aut sapientia humana impediri aerumnae in universum possunt. In privatis et in publicis negociis subinde alia consilia tentamus ad efficiendum statum meliorem, et tamen redeunt similes miseriae. In hanc sententiam dicit: *Nihil novi sub Sole*, et postea addit causam: *Perversi difficulter corriguntur, et stultorum infinitus est numerus*, id est, nulla sapientia humana prohibere aut vitare potest omnes lapsus et tristes casus. Quia haec natura est imbecilla et stulta, ideo qualia acciderunt antea, talia omnibus aetatibus et postea accident in genere

humano. Ex hac declaratione intelligi potest, hanc narrationem in textu ad querelam pertinere, id est, descriptionem esse miseriarum humanarum simili modo recurrentium, sicut et Thucydides inquit: Similia accidere donec maneat eadem hominum natura, alias aliquanto mitius, alias aliquanto atrocius ut ferunt cicumstantiae. Necessaria est autem haec consideratio, ut praemoniti praeparemus nos ad ferendos adversus casus, et sciamus a Deo petendum auxilium et in eo acquiescendum, qui calamitates et Ecclesiae et privatim invocantibus mitigat, et non accendit totam iram suam. Obiter autem observent hic studiosi dicta, quae affirmant, Terram stare, et Solem moveri. Caeteras physicas disputationes omitto.

Ego Ecclesiastes fui rex in Ierusalem etc.

Primum hic scias Salomonem non loqui de physica consideratione, in qua si fiat sobrie animadversio ordinis et artis in opificio mundi, illustria testimonia de Deo et de providentia ostendit. Sed loquitur Salomon de Sapientia, id est, de consideratione consiliorum, actionum et eventuum in gubernatione humana, politica vel oeconomica. Ideo expresse dicit, se considerasse ea quae sunt sub Sole, id est, consilia et eventus actionum humanarum, ut Pericles, Demosthenes, Cicero, sunt sapientes gubernatores. De tali sapientia hic loquitur Salomon, hanc ipsam sapientiam seu deliberationes in gubernatione, nominat malam afflictionem, et addit hominibus a Deo datam esse. Haec videntur absurda, sed primum discernantur vocatio, et ipsa Periclis vel Ciceronis sapientia seu gubernatio. Vocatio bona est, et a Deo ordinata, sed illa sapientia rectrix in Pericle, est afflictio mala dupliciter. Primum quam saepe errat in consiliis, deinde quia etiam bonis consiliis saepe non respondent eventus. Est igitur afflictio, id est, poena seu cruciatus, sicut Demosthenes inquit, Se malle recta ad mortem ire, quam ad summos honores, si retexere vitam liceret: et Aeschines ait, Gaudere se a gubernatione velut a rabiosa cane liberatum esse. Denique omnes prudentes patresfamilias et gubernatores sentiunt plenam esse gubernationem non tantum curarum, sed etiam impedimentorum, errorum, tristium eventuum, quae omnia valde cruciant animos. Hinc illa poëmata ficta sunt de Prometheo affixo ad Caucasum, de Sisypho saxum volvente, et similia.

Sed cur dicit, a Deo hanc afflictionem datam esse? Respondeo: Generaliter verum est, Deum velle poenam, nequaquam tamen inde sequitur Deum causam esse peccati. Vult puniri Neronem, nec tamen ipse impellit eum ad illa tetra scelera, sed sinit eum ruere. Ita hic plana responsio est, Deus sinit errare gubernatores, sinit accidere impedimenta et tristes eventus, ut puniat humanam temeritatem. Item, ut commonefaciat aliquos, ne obsequantur cupiditatibus, ambitioni aut curiositati. sed ut mentes in vocatione regantur verbo Dei, et intra eas metas contineantur, petant et expectent secundos eventus a Deo, et in tristibus eventibus Deo obtemperent. Iosias infert bellum Aegyptio non necessarium. Pericles movet bellum inquietudine animi et πολυπραγμοσύνῃ. Marius ambitione. Hi errant in consiliis. Saepe vero etiam bonis consiliis non respondent eventus, ut Israëlitae saepe infeliciter pugnant etiam in causa iustissima, ut cum vincuntur a Beniamitis, quia Deus volebat utrosque puniri. Vult etiam docere, ne confisi nostra sapientia aut potentia moveamus res non necessarias. Item, ut in necessariis simus humiles, fateamur nos poenam meritos esse. Item, fide petamus et expectemus bonos eventus a Deo. Item, ut Deo obtemperemus etiam cum nos punit, nec dat eventus quales optamus. In hanc sententiam inquit hanc afflictionem divinitus impositam esse generi humano, quia communis miseria est, quae tanquam poena comitatur pravitatem naturae et multa peccata.

Locutus sum in corde meo etc. Mens mea contemplata est multa sapienter etc. Eo quod in multa sapientia, multa sit indignatio, et qui addit scientiam, addit et dolorem.

Ut supra dictum est, non loquitur Salomon de physica consideratione ordinis in opificio mundi, aut cognitione verbi Dei, sed loquitur de consideratione consiliorum, actionum et eventuum humanorum, in quibus cernimus vitam plenam esse confusionum, errorum, vitiorum et calamitatum. Sapientiores et versati in gubernatione propius cernunt praesentia mala, et multos tetros casus futuros ex praesentibus ratiocinantur. Ideo magno dolore excruciantur propter praesentes et

futuras miserias, et quidem semel ortis mutuationibus sequi maiores confusiones, ut moto bello a Pericle, secuta sunt excidia pene omnium magnarum urbium in Graecia. Et nimis verum est, quod dicit Pindarus: Facile est civitatem movere cuivis, sed in tranquillum sistere solius Dei est.

Hactenus querela recitata est in primo capite, ac nondum addita est consolatio, quae postea sequitur. Est autem haec summa. Videmus magnas in vita confusiones esse, magna errata et multos tristes eventus. Ideo non possumus acquiescere in ipsis rebus, non parit tranquillitatem ipsa rerum confusio, neque tamen propter has miserias a Deo deficiendum est, sed ei obediendum patienter, et ab ipso expectanda defensio et liberatio, el in ipso fide acquiescendum est iuxta verbum ipsius. Haec est summa non solum huius capitis, sed etiam universi libri, congruens cum his dictis: Subditus esto Deo et ora eum. Item: Iacta curam tuam in Deum, et ipse te sustentabit. Haec consolatio postea in capite tertio, et deinceps addetur.

Caput II.

Dixi ergo in corde meo: Vadam et adfluam deliciis, et fruar bonis. Et vidi quod hoc quoque esset vanitas.

Themistocles, Lucullus et multi alii tandem se voluptatibus dediderunt pertaesi Reipublicae propter multas inutiles contentiones, et ingratitudinem hominum. Ita ab extremis ad extrema delabuntur homines, pertaesi laborum deinde voluptatibus effuse indulgent. Hunc modum quaerendae tranquillitatis hic etiam nominat vanitatem, nec est rerum reprehensio, imo Deus ipse immensa bonitate multis dulcissimis voluptatibus hanc vitam condivit. Ac utendum est cibo, potu et aliis rebus divinitus conditis iuxta divinam ordinationem, cum invocatione et gratiarum actione: sed vanitas est velle in his acquiescere, cum in Deo sit acquiescendum.

Praeterea in his voluptatibus multi dolores admixti sunt, ut in poëmatis multae sunt querelae. Ovidius inquit: Usque adeo nulla est sincera voluptas, solicitumque aliquid laetis intervenit. Et Plautus: Statin parva res est voluptatum in vita praeterquam quod molestum est. Item, voluptati moeror comes consequitur. Ita hic dicit: Risum intellexi esse stulticiam, id est, voluptates corporis nec diuturnas nec integras esse. Nec procul alia sententia quaeratur. Sed significat non posse homines acquiescere in voluptatibus corporis, nec frangi debere, ut deficiant a Deo, cum voluptates impediuntur aut eripiuntur, sicut supra monuit, non deficiendum esse a Deo propter tristes eventus et confusiones gubernationis, sed Deo patienter obediendum esse, et ab ipso expectanda bona.

Magnificavi opera mea, aedificavi mihi domos et plantavi vineas etc.

Sequitur querela de alia vicina voluptate, id est, de magnificentia et splendore in vita, et de curiositate inquisitionis multarum rerum. Nam et haec cupiditas non est levis carnificina, cum omissis necessariis, magna cura et magno labore non necessaria inquiruntur.

Possedi servos et ancillas, multamque familiam etc.

Addit et alia negocia, ut diligentiam augendae rei familiaris, quae interdum est irrita, saepe magna patrimonia posteris perniciosa sunt. De his omnibus de inquisitione doctrinae, de facultatibus ut supra, monet res bonas esse, et vocationi serviendum esse, necessaria discenda, rem familiarem quaerendam, sed ita, ne existimemus nos tranquillitatem in his negociis inventuros esse. Multae enim accedunt inutiles occupationes, multa errata. Nec conficiamur curis dolore, cum non respondent eventus nostris conatibus aut spei, sed patienter doleremus voluntatem Dei, et necessaria faciamus.

Hanc conclusionem textus ipse ponit inquiens: *Tranquillitas de manu Dei est.* Item: *Deus dat homini placenti sapientiam et laeticiam, peccatori vero afflictionem.* Non igitur res, non inquisitionem doctrinae improbat, sed vult suae quemque vocationi parere, et nos in Deo acquiescere, sive procedant labores, sive non procedant, non deseramus vocationes, non irascamur Deo, etiamsi non pariter ditescimus. Non deserantur studia necessaria, etiamsi non omnia invenire possumus, nec rerum cognitio tollit mortem, aut alias plerasque miserias, ut hic inquit: *Moritur doctus ut indoctus.* Narrat ea quae fieri nostris oculis cernimus, et vult, ne propter tales eventus deseratur vocatio. Aristoteles

fuit doctus, et mortuus est exul. Imo dicunt eum dolore extinctum esse, quod causam invenire non potuit fluxuum et refluxuum Euripi. Omnia igitur ad regulam saepe traditam referantur, utamur rebus, ut sunt ordinatae, serviamus in gubernatione politica, quaeramus rem familiarem, discamus necessaria, et Deum agnoscamus, qui haec omnia ordinavit, et ei gratias agamus pro omnibus istis donis, et si quid secus accidit, patienter voluntatem eius toleremus, et in eo acquiescamus, ut saepe iam dictum est: Subditus esto Deo et ora eum.

Caput III.

In tertio capite, iam expresse post querelas addit conclusionem et asseverationem. *Cuncta fecit Deus bona suo tempore*, id est, rerum usus, ut a Deo ordinatus est, est bonus et est felix suo tempore, id est, cum utimur rebus iuxta ordinationem Dei et Deo iuvante, iuxta illud: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum desuper. Ideo postea longum catalogum addit: *Omnia tempus habent*, id est, non est humani consilii sine vocatione et sine auxilio Dei eligere tempora felicia. Brutus, Cicero, Hircius, Pansa cogitant restitui posse veterem statum Reipublicae Romanae, et falluntur, et semper hoc modo multi decepti sunt, et decipientur. Sed procedunt negocia cum obtemperamus vocationi, et quidem iuvaute Deo, et tamen alias magis, alias minus difficulter. Huc pertinet dictum Psalmi: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet.

Et dedit mundum in cor eorum. Sed homo non potest invenire opus quod facit Dominus, nec initium nec finem.

Id est, Deus res ita condidit, ut corda suaviter eis frui deberent, et celebrare autorem et habere tranquillitatem in Deo, dedit cibos, voluptates, divitias, artes, imperia, virtutem, sed hominibus fit usus insuavis, quia habent vagas cupiditates, miscent vanas solicitudines propter diffidentiam, appetunt nova et movent res non necessarias, sicut brevissime dixit et significantissime Ieremias: Cor hominis perversum et aerumnosum. Antonius adeptus est florentissimam partem imperii, sed natura inquieta cum appetit totum imperium accersit sibi exitium. Bellerophontes Pegaso vehitur initio ad res utiles gerendas, postea factus elatior, cum vellet altius ad Iovis colloquium vehi, narratur a Pegaso excussus esse. Contra haec mala debebant homines manere in vocatione, et fide acquiescere in Deo, et hoc facere, inquit Salomon: *Est donum Dei.* Sequitur ergo in textu:

Non est melius homini, quam laetari et benefacere vitae suae. Omnis enim homo qui comedit et bibit, et videt bonum de labore suo, hoc donum Dei est.

Haec verba non dicuntur μιμητικῶς in persona helluonis, sed sunt asseveratio recte docentis pertinens ad institutam conclusionem, quae approbat rerum usum, ut a Deo ordinatus est, hunc usum ait felicem et suavem esse Deo iuvante, iubet igitur uti rebus iuxta ordinationem Dei, et ostendit unde petendum sit, ut sit usus felix, et ubi acquiescendum sit. Fides intueatur Deum, faciat officia vocationis, petat et expectet a Deo auxilium et successus, et perferat incommoda, et quatenus labor est felix, sciat eum a Deo iuvari et gubernari, et ei gratias agat.

Haec est sententia verborum. Qui videt bonum de labore suo, Dei donum est. Approbat et postulat loborem, et dicit, iuvante Deo felicem et gratum esse. Haec sententia congruit cum toto Psalmo: Nisi Dominus aedificaverit domum etc. Sicut sagittae in manu potentis, ita filii fortium. Talis fuit gubernatio Iosaphat, quae quanquam et ipsa offensiones aliquas habuit, tamen magna ex parte salutaris et felix fuit iuvante Deo, et acquievit ipse in Deo. Econtra gubernatio Achas inquieta, infelix fuit, cum ipse esset sine fide, et multa humana sapientia extra vocationem conaretur.

Omnia opera, quae facit Deus, firma sunt.

Commoratur in superiore sententia: Humana consilia sine Deo sunt infelicia, ut gubernatio Achaz, Agesilai. Econtra Dei opera firma sunt, id est, salutaria, felicia, procedentia, etiamsi diabolus variis modis impedire conatur, ut Davidis praelia felicia sunt, gubernatio Iosaphat salutaris est.

Praecipue vero observandum est epiphonema: *Haec facit Deus, ut timeatur.* Haec particula de timore Dei aliquoties repetita in hoc libro ostendit, Salomonem non inanes querelas re-

citare more philosophico, aut sicut in poëmatis dicitur: Dum loquimur fugerit invida aetas, carpe diem quam minimum credula postero: sed tradere regulam vitae maxime necessariam, circumdare nobis metas vocationis, damnare fiduciam nostri, curiositatem et alias errantes cupiditates, et monstrare voluntatem Dei, docere timorem et fidem. Deus ideo punit Lysandrum, Agesilaum, Brutum, Antonium et alios innumerabiles, quia movent res non necessarias vel curiositate vel ambitione, punit Alexandrum, quia factus insolentior interficit amicos, vult coli ut Deus. Hae poenae delinquentium, et econtra gubernatio salutaris invocantium Deum, admonent nos de timore Dei, et docet nos Deus his ipsis exemplis, ne fiducia nostri ruamus extra vocationem, nec indulgeamus nostrae curiositati et nostris cupiditatibus, sed ut agnoscamus infirmitatem nostram, timeamus Deum, obtemperemus ipsius mandatis, fide petamus et expectemus auxilium a Deo, et in ipso acquiescamus.

Quod factum est, ipsum permanet.

Loquitur Salomon de eventibus, et illustrat sententiam, Humana consilia cum non gubernantur divinitus, sunt irrita, ut Antonius frustra conatur occupare monarchiam, sed vincit Augustus. Nec potest impediri humanis consiliis Augustus, quia Deus hunc eventum gubernat. De talibus eventibus loquitur, cum ait: Quod factum est ipsum permanet, id est, ea quae Deus agit et iuvat, eveniunt, et prorsus congruit haec doctrina cum communi regula: Nisi Dominus aedificaverit domum etc. Item: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum de coelo. Item: Sine me nihil potestis facere.

Ea quae futura sunt, iam fuerunt.

Id est, ea quae eventura sunt, eveniunt, quia a Deo multo ante decreta sunt. Cyrus erit rex, nec potest ab Astyage interfici, quia multo ante hoc decretum est. Haec enarratio simplex est nativa sententia textus, saepe autem dictum est, multas admonitiones in hac doctrina contineri. Cum humani conatus sine Deo irriti sint, tantum facias mandata divinitus, et petas, ut ipse te regat et adiuvet, vult enim adiuvare servientes in vocatione, et invocantes ipsum. Sicut Psalmus inquit: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet.

Iustum et impium iudicabit Deus.

Rursus sequuntur exempla miseriarum humanarum et confusionum: multa fiunt iniuste etiam in gubernatione non tyrannica, quia nec inspicere omnia negocia boni possunt, et multa geruntur per homines negligentes, multa per improbos obtemperantes pravis affectibus, interea tamen Deus servat utcunque politicum ordinem, et suo tempore iudicat.

Dixi in corde meo de filiis hominum.

Addit in fine generalem querelam, de confusione vitae humanae in externa specie: dicit videri similem interitum pecudum et hominum. In hoc loco interpretes multum sudarunt: dixerunt in persona hominis Epicurei haec recitari, sed Salomon de externa specie loquitur. Si tantum oculi et ratio humana consulerentur sine verbo Dei, videtur haec vita hominum in tanta confusione casu regi, et homines esse velut agmen formicarum, et conteri perinde ut conterentur agmina formicarum, et contra hanc speciem postea monebit opponendum esse verbum Dei.

Caput IV.

Verti me ad alia, et vidi calumnias, quae sub Sole geruntur, et lacrimas innocentum.

Initio capitis 4. redit ad iniurias, quae sunt insigne exemplum confusionis in vita humana. Ac si consolatio in Evangelio non proposita esset, vera esset vox, Optimum non nasci.

Rursus contemplatus sum omnes labores hominum patere invidiae.

Aliud exemplum de invidia. Haec quoque magnum impedimentum est necessariarum et utilium actionum in vita, ut Scipionem invidi retrahunt ex Africa.

Stultus complicat manus suas et comedit carnes suas.

Addit alia exempla de ignavo. Item de avaro, et in vituperatione avari ingreditur in locum de laude societatis: et monet necessariam vitae esse consociationem hominum, officiorum, artium, opificum et ordinum, Omnes ordines mutuis auxiliis indigent, et singuli homines referre

suos labores debent ad communem consociationem, tueri congregationem, cavere ne fiant dissipationes, iuxta illa dicta: Bonum est conservativum, congregativum et communicativum sui. Econtra, Malum est dissipativum et destructivum sui, sed homo πλεονεκτικὸς suae utilitati vult consulere, etiam cum pernicie communi. Id malum vituperat.

Melior est pauper sapiens rege sene et stulto.

Aliud exemplum de ambitiosis et inquietis in imperio. Inquieti in imperiis etiam multa sine necessitate turbant, ac postea plectuntur, ut Saul, Eurystheus et alii innumerabiles.

Caput V.

Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei, et appropinqua ut audias.

Hic redit ad praecepta, et initio discernit veros cultus Dei ab hypocritis, et revocat nos ab externa specie confusionum humanarum ad agnitionem Dei, ad considerationem mandatorum et promissionum divinarum. Ac manifeste refutantur huius capitis testimonio inepti, qui hunc librum Salomonis somniarunt prophanum vel Epicureum sermonem esse.

Ac principio docet praecipuum cultum esse audire verbum Dei, id est, mandata et promissiones, et in vera fide obedire verbo Dei, sicut Ieremiae 7. iisdem verbis praecipitur. Non praecepi ei de holocaustis, sed hoc praecepi eis: Audite vocem meam, et ero vobis Deus, et eritis mihi populus. Tota igitur doctrina primi praecepti hic cogitanda est. Nec sine causa facit mentionem domus Dei. Monet enim ut quaeratur doctrina de Ecclesia et vero ministerio, et audiamus docentem Ecclesiam, sicut alibi dicitur: Nisi vitula mea arassent non invenissent. Et Deut. 17.: Venies ad sacerdotem, et hi doceant te iuxta legem Dei, ubi expresse coniungit Legem et Doctores.

Hoc melius est quam stultorum victimae.

Multi solas ceremonias somniant esse cultum Dei, sicut Ethnici colentes Deum gestibus, sicut nominat Plato. Horum stulticia manifesta est, quia lex dicit: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Alii cum non agnoscant non sufficere ceremonias, postulant externam disciplinam operum moralium, ut Pharisaei, sed nec disciplina sine poenitentia et fide est cultus Dei, ut Matth. 5. dicitur: Nisi iusticia vestra abundabit supra Pharisaeorum insticiam etc. Oportet autem accedere in corde poenitentiam et fidem accipientem remissionem peccatorum propter Mediatorem. De his discriminibus hic concionatur Salomon: vult primum corda regi verbo Dei, timore et fide.

Semper autem usitatum fuit cumulare sacrificia, et varios cultus comminisci, atque ita a voce Dei discesserunt Ethnici, Pharisaei, Monachi. Hanc audaciam hominis damnat et adfirmat tetrum peccatum esse, etiamsi homines hanc superstitionem putant esse excellentem virtutem. Ideo addit: *Nesciunt quantum faciant mali.*

Ne sis velox ad loquendum aut proferendum sermonem.

Antea iussit nos audire, discere, deliberare ex verbo Dei, iuxta dictum: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Hic addit consequens eius sententiae, Cum audiendum sit verbum Dei, sequitur prohibitio, ne quid doceas, adfirmes, facias contra verbum Dei, ut Ethnici, Pharisaei, Papae, Monachi, finxerunt cultus et numina verbum Dei. Samosatenus, Arius, audacissime finxerunt dogmata contra verbum Dei, sic in facto Absalon. Antonius et multi alii moverunt imperia sine vocatione et contra verbum Dei. Iosias quanquam vir sanctus, tamen lapsus est, movens bellum non-necessarium. Itaque dictum Salomonis concionatur omnibus hominibus, ut audiant verbum Dei, nihil adfirment in Ecclesia, quod non est a Deo traditum: non moveant imperia sine vocatione et sine necessitate. Sic dicit Petrus: Qui loquitur, loquatur oracula Dei, scilicet in docendo, et qui administrat, administret tanquam ex virtute, quam suppeditat Deus, id est, maneat intra metas vocationis, quam Deus adiuvat, qui non vult iuvare sua curiositate tentantes aliena a vocatione, iuxta illud: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet. Haec dicta Petri prorsus cum hoc loco Salomonis congruunt.

Addit autem comminationem Salomon: *Deus in coelo est*, id est, est inspector, iudex et vindex. Psalm. 32.: Videt omnes filios hominum, intelligit omnia opera eorum. Item: Reddit unicuique iuxta opera eorum.

Multas curas sequuntur somnia, et in multis sermonibus invenitur stulticia.

Differunt cura laboris, cura de exitu, et cura extra vocationem. Cura laboris severissime praecipitur Rom. 12.: Qui praeest, sit diligens. 1. Corinth. 4.: Hoc requiritur in ministerio, ut fidelis sit. Est autem adfectata negligentia similis perfidiae. Laudanda est igitur cura Davidis, cum tempora et loca oportuna dimicationi praevidet, ut Alexander dicebat Parmenioni: An putas me dormire potuisse, priusquam constituissem, quomodo instructuri simus aciem? Petere autem a Deo felicem exitum praelii David solet, et hanc curam Deo commendat.

Econtra vero utroque modo peccatur, cum stulta persuasione propter vires aut fortunam aliquis sibi certam victoriam promittit, ut Pompeius, aut cum diffidentia excruciatur, ut Aratus. Talem curam hic reprehendit Salomon, quae angitur de exitu.

Est et haec cura reprehendenda, movere non necessaria, aliena a vocatione. Haec est πολυπραγμοσύνη saepe prohibita, ut apud Paulum: Propria agite. Et apud Petrum: Non sitis ἀλλοτριοεπίσκοποι. Haec duo genera curarum inutilia sunt, et frustra excruciant mentes. Ideo hic additur: *Tales curas parere multa somnia.* Etsi autem sic enarrant, quod multas anxietatis animi pariant, tamen opinor hoc significari, curas ipsas, quae prohibitae sunt, inania somnia esse: πολυπραγμοσύνη Cassii et Bruti, de constituendo pulcro statu Reipub. erat tantum vanissimum somnium. Huc pertinet dictum: μάταιοι μάταια λογίζονται διὰ ἐπιθυμίας. Regula autem de curis ista teneatur: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet. Prior pars praecipit de cura laboris in vocatione et de fide, Altera pars addit promissionem: Ipse faciet.

Vox stulti in multiloquio.

Saepe hanc admonitionem repetit, ne temere pronuncient homines de dogmatibus et in deliberationibus, sed recte et diu consideratis fontibus et veris causis: ac manifestum est, saepe errare praecipites et multa iudicantes. Ideo cap. 10. Proverb. inquit: *In multiloquio non deerit peccatum.* Et extant similes admonitiones plurimae, quae prohibent garrulitatem, praecipitantiam iudiciorum, et similia vitia.

Si quid vovisti Deo, non moreris reddere.

Temeritati linguae addit exemplum de votis: sciamus autem simul alia multa complectenda esse, iuramenta, pacta, sponsiones, iudicia de doctrina, deliberationes. Nam in his omnibus opus est vitare praecipitantiam et temeritatem, et mox additur gravissima admonitio de providentia. Quia temeritas illa est propria securi pectoris, quod non curat iudicium Dei, et vel admiratione propriae sapientiae, vel aemulatione, vel aliis cupiditatibus incitatur, et turbet dogmata, aut moveat non movenda. Sit infixa animis haec admonitio de providentia, et confirmetur assensio in nobis exemplis poenarum omnium quae legimus, et quae quotidie cernimus, et opponatur vox divina, quae concionatur de providentia, et cuius exempla in poenis cernimus, stultae securitati, et dubitationi humanae, et omnibus opinionibus Epicureis et Cyclopicis.

Coram Angelo.

Usitatum est patribus et Prophetis Filium Dei, nominare Angelum, quia sciunt hunc Dominum, Ecclesiae promissum, nuncium esse miradi decreti de liberatione generis humani. Sic et Iacob nominat eum Angelum, et addit descriptionem, quae discernit eum a creatis Angelis. Quia inquit: Benedicat vobis Angelus, qui liberavit me ex omnibus malis. Adfirmat ergo hunc Angelum omnipotentem esse, liberantem a peccato et a morte, et facit eius mentionem: quia proprie scit hunc esse Dominum et custodem Ecclesiae.

Si videris calumnias egenorum et violenta iudicia.

Mox addit admonitionem, ne propterea dubitetur de providentia, quia multae iniuriae permittuntur, ut Diogenes dicebat, Harpalum dicere vivum testimonium contra Deos, quod in magnis voluptatibus post multa scelera vivebat. Huic obiectioni respondendum est ex ipsa experientia, Quanquam aliquandiu permittuntur iniuriae, tamen sequuntur poenae, et Deus regulam servat, quae est nervus disciplinae, Atrocia delicta etiam in hac vita puniuntur atrocibus poenis, iuxta illa dicta: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Vae qui spolias, quia spoliaberis. Ideo Salomon mox addit comminationem, et di-

cit reliquos esse alios *Iudices*, a quibus puniantur illi qui iniusta fecerunt, ut Augustus punit Antonium. Et insignis descriptio regis hic observanda est, cum ait: *Super omnes est rex in terra ad culturam agrorum*, ubi discernit regem a tyranno, tyrannus dissipat et vastat, bonus princeps fovet societatem, et tuetur culturam terrae, Ecclesiae, artium et omnium rerum bonarum.

Avarus non implebitur pecunia, et qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.

Postea sequuntur longae conciones vituperantes Avariciam, et repetit sententiam supra positam, quae iubet uti rebus iuxta ordinationem Dei, cibo, potu, coniugio, et servire vocationi bona conscientia et fide: eventus vero, qui non sunt in potestate nostra, commendare Deo, sicut saepe monuit, et subinde repetendum est dictum: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet.

Caput VI.

Etiamsi quis celebris est, tamen hoc scitur, quod homo sit, et non potest certare cum eo quod est potentius.

In fine sexti capitis ponit sententiam, quae regat nos, ut officia vocationis faciamus, nec abiiciamus, vocationem propter dissimilitudinem eventuum, sic enim ait: Quisquis homo nominatur, non potest certare cum eo, quod est potentius, id est, non potest eventus gubernare, et sequitur: *Sunt enim inania verba*, id est, hae curae et imaginationes inanes sunt, et nihil prosunt homini. Noster textus inquit. Quid necesse est homini maiora se quaerere, sed lectio Ebraea tantum inquit: Nihil prosunt homini. Monent autem ut dixi, ut consideremus, quae curae ad nos pertineant, quae non pertineant ad nos, sicut supra tres gradus fecimus, curam laboris iuxta vocationem, haec ad nos pertinet, aliae sunt curae de eventu. Item de rebus aliis extra vocationem. Hae non pertinent ad nos.

Caput VII.

Ignorat homo quid sibi prosit in hac vita in diebus vanitatis.

Loquitur autem, de rebus sub Sole, hoc est, de eventibus in hac mortali vita prosperis et adversis. Ioseph putat sibi nocere venditionem et profuit. Ideo sequitur, Nec potest scire homo futura sub Sole, id est, quid sit futurum post res prosperas aut adversas. David ex summa calamitate reducitur in regnum, Saul ex summa gloria ruit in exitium etc. Iubet igitur Deo obtemperare in prosperis et adversis rebus, et ipsi commendare exitus, non fiducia prosperitatis iniusta aut non necessaria tentare, nec frangi adversitate ac deficere a Deo, sed meminisse regulam Iob: Etiamsi occiderit me, sperabo in eum.

Melius est nomen bonum, quam unguenta preciosa.

Hic coacervat multas sententias, quarum aliae hortantur ad agendum, aliae ad patientiam, aliae consolantur egentes, aliae adflictos, ut in singulis, quo referendae sunt, ostendam. Prima de bono nomine seu gloria est adhortatio ad agendum. Dictum est autem alibi, quid, recte loquendo, sit gloria seu bonum nomen coram iudicio humano. Est enim adprobatio conscientiae nostrae recte iudicantis, et aliorum recte iudicantium, ut Scipio liberans sponsam alterius, habet gloriam, id est, ipsius conscientiae manet illaesa, habet et adprobationem aliorum recte iudicantium. Thraso non habet gloriam, quia nec ipse recte iudicat, arrogans sibi falsa: nec alii qui mentiuntur adsentando, Deus autem utrunque praecipit, et ut recta faciamus, et ut recte facta adprobemus, iuxta illud: Non dicas falsum testimonium. Vult noticiam virtutum extare, et ut agnoscamus qualis ipse sit, et ut sit rectrix vitae. Et ut conspici discrimen virtutum et vitiorum possit, vult Deus humanis iudiciis quoque puniri scelera: vult et recte facta adprobari propter duas causas, ut discrimen virtutum et vitiorum sit conspectius, et ut alii exemplis erudiantur. Vult igitur famosos eiici ex societate, tribui vero honestum locum in societate illis, quorum mores sunt sine infamia.

Cum igitur talis adprobatio sit sancita divinitus, et sit res bona, manifestum est hanc gloriam adpetendam esse, et quidem mandatum Dei est, ut scandala vitemus, ut Paulus inquit: Omnia ad gloriam Dei facite, et non sitis scandalo Ecclesiae. Et bene dixit Augustinus: Bona conscientia mihi opus est propter Deum, Bona fama propter proximum. Alibi dixit: Melius est nomen bonum, quam divitiae multae. Ibi gradus osten-

dit, docet famam anteferendam esse facultatibus et divitiis. Sponsor potius amittat facultates quam famam. Hic dulcior est admonitio: *Bona fama est melior balsamo*, id est, ut balsamum sanat et recreat corpora, ita bona fama magna levatio est cordi, Et econtra mala fama horribilis carnificina est. Sic in Proverbiis dicitur: Bona fama pinguefacit ossa. Et Pindarus inquit: Non aqua tepida sic reficit ossa defatigata sicut gloria. Et Thucydides: Seni honos est alimentum. Haec dextre intelligantur, et discernantur gloria conscientiae et adprobationis humanae, et gloria iusticiae coram Deo, de qua alibi dicitur. Qui gloriatur, in Domino glorietur.

Alibi vero loquitur de adprobatione conscientiae. Haec est gloriatio nostra, incolumitas conscientiae nostrae. Item: Probet opus suum unusquisque, et sic habebit gloriam apud sese, non apud alios, id est, examinet sua facta, quae si recte facta sunt, habebis adprobationem tuae conscientiae, quae est gloria de qua diximus: Non hoc ages quod faciunt plurimi, ut crescas obtrectatione aliorum vel adplausu multitudinis.

Melior est dies mortis, quam dies nativitatis.

Hoc dictum consolatio est. Fit autem collatio non simpliciter vitae et mortis, sed calamitatum et liberationis, quae tamen fide agnoscenda est, Et in Ecclesia hoc dictum nec obscurum, nec ambiguum est de credentibus. Congruit enim cum illo dicto Apocal. 14.: Beati mortui qui in Domino moriuntur. Et talia dicta sunt testimonia de futura vita, sicut Proverb. 14. inquit: Spem retinet iustus in morte sua. Et Iob: Etiamsi occidet me, sperabo in eo. Nec quaeram alias interpretationes, nec addam illa ethnica, Optimum non nasci, aut quam celerrime aboleri. Haec aliena sunt a doctrina Ecclesiae.

Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii.

Haec dicta congruunt cum notissimis sententiis, Luxuriant animi rebus plerunque secundis. Item: Sedit populus manducare, et surrexit ludere. Item: Bonum mihi quod humiliasti me, ut discam iustificationes tuas. Item: Vexatio dat intellectum. In rebus secundis fiunt homines negligentiores, minus cogitant de ira Dei, et minus expetunt auxilium Dei, deinde fiunt et insolentiores, confidunt sua industria, sua potentia, et facile impelluntur a diabolo. Ideo ex illo fastigio postea ruunt in magnas calamitates, iuxta illud: Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant. Econtra aerumnae sunt commonefactiones de nostra infirmitate, et de petendo auxilio Dei, et sunt frenum multarum cupiditatum. Ideo Ecclesia subiecta est cruci, ut saepe dicitur alibi de causis calamitatum Ecclesiae, et de vera consolatione.

In fine harum sententiarum significat Salomon, nequaquam diuturnam esse hanc laetitiam stultorum, cito eos ex securitate, et insolentia ruere in tragicas calamitates, ut Saul, David, Croesus, Xerxes, Alexander, Pompeius, Caesar, Antonius, et alii innumerabiles oppressi sunt tristissimis casibus, ut exempla irae Dei conspiciantur, ut caeteros commonefaciant de poenitentia, de timore Dei, et de invocatione. Servat enim regulam Deus, Abominatio est coram Deo, quidquid est sublime coram hominibus. Item, disperdit superbos mente cordis sui. Itaque de brevitate laeticiae stultorum inquit Salomon, talem esse, qualis est sonitus spinarum ardentium quae cito conflagrant.

Calumnia conturbat sapientem, et perdit cor beneficum.

Detestatio est calumniae, ut manifestum est in omni gubernatione nocentissimam pestem esse calumniam, ut Palamedes, Miltiades, Aristides, Cimon, Themistocles, optime meriti calumniis oppressi sunt. Nec rara, nec obscura sunt huius mali exempla, et fontes noti sunt. Homines natura superbi sunt, alii magis, alii minus: ideo alienae gloriae invident, et ut eam extenuent, sophismata quaerunt ad depravanda aliorum consilia et facta. Haec sophistica depravatio nominatur Calumnia. Est autem multo nocentior in Ecclesia, ubi quaeruntur sophismata et cavillationes ad eludendam veritatem simplicem, et ad depravationem eorum, quae recte tradita sunt. Constat autem divinitus praecipi in secundo praecepto, ne corrumpatur veritas doctrinae. Item de caeteris negociis, Non dicas falsum testimonium. Haec praecepta confirment nos, ut sophisticen et calumnias detestemur et fugiamus.

Melior est finis consilii, quam initium.

Generaliter monet, finem in deliberationibus prospiciendum esse, quasi dicat, Melius est finem consilii prospicere quam initium, iuxta illud: Quidquid agas, prudenter agas, et respice

finem. Aut sit haec simplex enarratio, Intelligatur dictum Salomonis de bonis et honestis consiliis. In his melior est finis duobus modis: primum constantia voluntatis in re honesta perficienda, deinde et eventu. Multi θρασύδειλοι sunt fortes initio in docendo, in bellis movendis, in tumultuando: postea levi momento fracti confessionem abiiciunt, deserunt aciem etc. Postulat igitur in hoc dicto, In bonis consiliis perseverantiam, sicut in Evangelio dicitur: Qui perseveraverit in finem, hic salvus erit. Praeterea et eventu causa honesta melior est: quanquam enim multa adversa patienda sunt, tamen vincit tandem causa honesta.

Melior est patiens arrogante.

Superbia fons est impatientiae, cupiditatis vindictae et contentionis, ut in Proverbiis dicitur: Inter superbos est contentio. Hinc magnae dissensiones in imperiis et in Ecclesia oriuntur, ut quia Alcibiades et Coriolanus impatienter ferunt iniurias, inferunt bella patriae. Camillus, Fabius, Scipio tolerant iniurias. Notus est versus, Non ponebat enim rumores ante salutem. De hac mansuetudine et tolerantia dictum est: Beati mites, quia possidebunt terram. Item, Proverb. 16.: Melior est patiens expugnatore urbium. Ideo et sequens sententia inquit: Non sis velox ad irascendum, quia ira in sinu stulti quiescit. Et plurimae sunt traditae admonitiones in omnibus scriptis de moderatione irae.

Ne dicas, cur priora tempora meliora fuerunt?

Haec admonitio etiam de patientia concionatur. Ut enim Thucydides inquit de imperiis, ita fit propemodum in tota vita, ἀεὶ τὸ παρὸν βαρὺ. Semper praesens status molestior est, propius enim sentiuntur praesentia incommoda. Ideo et aliorum tempora laudamus, et alium statum expetimus. Tenenda est autem regula: Humiliamini sub potenti manu Dei, id est, non fremite adversus Deum, obedite patienter in ferendis iis oneribus, quae Deus suo cuique loco et tempore imponit, sicut inquit Iob: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Habent sua incommoda, quaelibet tempora. Est felicior gubernatio Davidis, quam Ezechiae, et tamen habuit suas calamitates. Et Ezechiae suae aetatis mala ferenda sunt. Et sapientia est adversa recte ferre, nec augere stulta curatione, iuxta admonitionem: μὴ τὸ κακὸν ἰῶ κακῷ. Huc pertinet regula saepe repetita: Subditus esto Deo, et ora eum. Et notus sit versus Pythagorae:

ὧν ἂν μοῖραν ἔχῃς, ταύτην φέρε, μηδ᾽ ἀγανάκτει.

Bona est sapientia cum haereditate, et melior, quem videre Solem, id est, quam vita ipsa. Protegit sapientia, protegit et pecunia. Sed doctrina sapientiae quiddam melius est, quia dat vitam.

Occurrit obiectioni. Cum antea dixerit, Sapientiam esse adflictionem, quia saepe falluntur homines, et saepe non respondent eventus bonis consiliis, videtur deterrere homines a cura discendi et gubernandi. Imo inquit, Praecipio ut discatis, gubernetis Ecclesiam, communem societatem, oeconomias, quaeratis facultates. Nam et hi labores, et res ipsae, pax, facultates, sunt res bonae, sed eventus Deo commendetur, sicut saepe iam dictum est: Facias vocationis officia, et eventus Deo commenda. Ideo mox addit: Considera opera Dei, quia nemo potest directum facere, id quod curvum fecit, id est, humana diligentia, non potest omnia mala vel cavere, vel sanare, nec propterea abiicienda est gubernatio, sed Deo obediendum in vocatione, et haec dulcissima consolatio tenenda, quam Paulus proponit: Non inanis est labor vester in Domino.

In adversis vero mens non fremat contra Deum. Eodem pertinet sequens consolatio: *In die bona fruere bonis*, id est, cum eventus sunt secundi, age Deo gratias, et eo bono utaris, nec confidito rebus secundis, nec hac stulta fiducia elatus premito alios aut moveas non movenda, ut faciant Xerxes, Pompeius et alii multi, sed sis modestus, praepares te ad ferenda adversa, quia mox erunt vices.

Addit autem causam, Quare Deus velit has vices esse, ne, inquit, homines inveniant aliud, id est, ne sua curiositate in rebus secundis quaerant inconcessa, sicut Bellerophontes elatus rebus secundis, Pegaso vult intra coelum ferri. Sed simus modesti, et maneamus intra metas vocationis, et reprimamur metu poenae, quae sequitur insolentiam, iniusticiam, neglectionem vocationis etc.

Proponit etiam consolationes in rebus adversis, Ne homines aliud inveniant, id est, ne con-

fugiant ad inconcessa auxilia, sicut Saul consulit mulierem magicam, et imperatores Constantinopolitani attraxerunt Turcas: sed petamus et expectemus a Deo auxilium, et utamur remediis ab ipso ordinatis. Nec obscurum est, valde multa peccare homines, cum mederi adversis conantur, inconcessis remediis.

Iustus perit in sua iusticia, et impius vivit diu in malicia.

Duae regulae sunt, quae, etsi videntur discrepare, tamen verae sunt, et non discrepant, cum suus cuique locus tribuitur. Altera est prorsus politica: Atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis in hac vita, iuxta illud: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Haec ita regulariter fiunt in toto genere humano, sive lapsus maneat in impietate, sive convertatur ad Deum, etsi conversis mitigantur poenae. Quanquam autem nemo est sine delictis, tamen qui non polluti sunt atrocibus sceleribus, non incidunt in tales tragicos casus, ut Augusti exitus placidus est.

Altera regula est, Ecclesia subiecta est cruci, ut Abel, Ieremias, Baptista, Apostoli et martyres, interficiuntur. Haec sunt singularia non pertinentia ad illud politicum iudicium. Scit Ecclesia alias esse causas necis Abel, et alias necis Absalonis: sed homines sine doctrina Ecclesiae turbantur in his exemplis, ut dubitent de providentia. Econtra vero sciamus illustre testimonium providentiae esse, illos ipsos regulares et ordinarios exitus homicidarum. Deinde de Sanctis testimonia praesentiae Dei manifestiora habemus, Paulus antea revocavit mortuos in vitam, fuit igitur curae Deo, et erit etiamsi a Nerone interficitur.

Non sis nimis iustus nec nimis sapiens, ne facias vastitatem.

Non dubium est Salomonem loqui de iusticia politica, et gubernatrice huius externae vitae, et hanc perspicua est accommodatio huius dicti, et valde utile praeceptum est. Iusticia versatur in medio inter negligentiam et crudelitatem, Nimia severitas fit crudelitas, ut fuit in Aureliano, Nimia indulgentia, quae non punit atrocia delicta, confirmat facinorosos, qualis fuit in Arcadio. Sed gubernator salutaris, ut Augustus videt medium, quod habet probabilem rationem. Id medium haec admonitio Salomonis iubet quaeri, et vincat bonitas. Nec subtilissime quaeratur medium, sicut in Deo misericordia superat iudicium. Diligenter autem et comminatio observanda est, quam addit: Ne facias vastationem, Nimia severitas facit vastationem, Multi sanabiles sine necessitate interficiuntur, Multi boni fugiunt gubernationem.

Mox addit similem admonitionem de sapientia, Non sis nimis sapiens. Ut nimia severitas fit crudelitas, ita nimia sapientia, hoc est nimia subtilitas, fit cavillatrix, rixosa, *πολυπραγμονικὴ*, sophistica, *ἀντιλογικὴ*, ut dicit Menander: Leges bonae sunt, sed si quis eas nimis subtiliter interpretatur, fit sycophanta, ut qui pactus 30 dierum inducias, noctu populatus est agros. Imperator est dominus Mediolani, rex Gallicus subtilitatem invenire potest, qua dicat ad se pertinere Mediolanum. Plena est vita talium exemplorum, et inde oriri bella et vastitates manifestum est. Ideo multae extant admonitiones de fugienda illa cavillatrice sapientia. Et Agesilaus dixit: *τὸ λίαν δίκαιον πρόφασις ἐστὶ.*

Ne sis nimis impius, nec sis stultus, ne moriaris, non tuo ipsius tempore.

Haec admonitio cohaeret cum proxima quae loquitur de altero extremo, scilicet de negligentia, Non toleret magistratus atrocia et enormia delicta, non taceat fidelis doctor de rebus necessariis et de idolomania, non devores camelos, colato culice. Ac atrocem poenam negligentiae proponit: *Ne moriaris non tuo tempore*, id est, ne si negligenter rexeris tuos mores, et nimium laxaveris frenos cupiditatibus, Deus te puniat vel per magistratus vel aliis modis, sicut ipse David ruit in poenas nimium sibi indulgens.

Cum autem velit quaeri medium postea addit, Quis sit ille, qui medium cernit Deo monstrante, et consilia eius ac manum regente, scilicet, timens Deum: ita monet sine timore Dei, sine invocatione, sine auxilio divino, non esse felicem gubernationem, iuxta illa dicta: Nisi Dominus custodierit. Item: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet.

Bonum quod apprehenderis in hoc et in illo, non dimittat manus tua. Timens Deum evadet ex omnibus illis.

Cum severitas est bona, exerceas eam, rursus cum lenitas prodest, utaris lenitate. Iubet

mediocritatem negociis seu circumstantiis convenientem quaeri, ut alias duriores, alias leniores sint, ut medicus aliis dat alia pharmaca. Fabius videt quando pugnandum sit, quando non sit pugnandum. Saul stulto zelo interficit Gabaonitas, Iosue pepercit eis.

Observanda est autem emphasis in verbo Apprehendere. Significat enim quaerendam esse veram causam vel severe vel leniter agendi, sicut Paulus inquit: Unusquisque certus sit in sua sententia. Bonum quod apprehenderis, id est, cum re deliberata invenerit conscientia veram rationem, cui firmiter assentiendum est, illa ratio anteferatur iracundiae, et aliis affectibus. Sed dicat aliquis, quomodo potest inveniri illa mediocritas seu virtus conveniens circumstantiae. Respondet: *Timens Deum evadet ex his omnibus*, id est, eliget meliorem sententiam, quia timens Deum intuetur legem divinam, et simul regitur Spiritu sancto, et petit sua consilia gubernari, moderatur impetus, vult consulere Ecclesiae et publicae saluti, non gerit morem privato dolori et privatis cupiditatibus.

Sapientia magis confortat sapientem, quam decem principes in civitate.

Generalis admonitio est, quae significat bona consilia et moderationem antecellere viribus, gubernator melius munitus est diligentia in cavendis periculis, moderatione in frenandis affectibus, invocatione Dei, quam si magna praesidia et magnos exercitus sibi circumdet, ut Alexander Pheraeus interfectus est a coniuge et eius fratribus, etiamsi noctu inter praesidia in turri cubabat, quo ascendendum erat per scalas. Pater Alexandri in publica pompa spectantibus principibus et satellitibus interfectus est. Iulius in Senatu suo interfectus est, et sunt innumerabilia exempla: sed principes mitiores et tranquilliorem gubernationem et placidos exitus habuerunt, ut Iosaphat, Augustus, Theodosius.

Non est homo iustus in terra, qui quanquam bona facit, non etiam peccet.

Politica sententia est, non de peccato haerente in natura, sed de erratis et lapsibus externis: etiam iusti et benemerentes tamen aliquando peccant, non in eadem actione, sed in diversis. Bonus et salutaris princeps est David, et plerunque recte facit, et tamen multa negligit, imo ruit perniciose rapta amici coniuge et marito interfecto, viro sancto et forti. Iosias bonus et salutaris princeps, tamen erat moto bello non necessario. Ita nec iusti sunt sine aliquibus lapsibus. Huc Theognidis versus accommodetur: *αὐτὰρ ἀνὴρ ἀγαθὸς πότε μὲν κακὸς ἄλλοτε ἐσθλός.* Item Euripides: *ὁ πολλὰ πράττων πολλὰ καὶ ἁμαρτάνει.*

Hinc et descriptiones sumuntur bonorum et malorum gubernatorum. Bonus gubernator est, qui studium habet recte faciendi, et plerunque recte facit, etiamsi aliquando cessat. Ita fuerunt boni principes, David, Iosias, Augustus. Sed malus gubernator est, qui non habet studium recte faciendi, et plerunque scelerate facit, etiamsi aliquando recte facit, ut Cambyses. Sumitur igitur discrimen a perpetua voluntate seu *προαιρέσει.* Sicut et Paulus hanc metam constituit, Hoc requiritur, fideles ut simus. Agnoscamus autem in talibus admonitionibus ingentem infirmitatem nostram, metuamus insidias diaboli, et assidue petamus, ut et regat nos Deus, et sanet errata nostra, sicut Petrus praecipit: Vigilate, quia adversarius vester circumit.

Non omnibus sermonibus accommoda cor tuum.

Admonitio est de obtrectationibus, ne vel ipsi simus obtrectatores, vel frangamur obtrectatione seu calumniis. Est autem obtrectatio contraria veritati et candori, recte facta aut excusabilia depravans, aut propter aliqua errata de recte facientibus serens pravam opinionem. Adeoque multi delectantur obtrectatione, ut Pindarus dicit, Sermones maledicos obsonium esse. Hoc vitium prohibetur in praecepto octavo: Non dicas falsum testimonium. Et in Levitico: Non sis susurro in populis. Supra autem dictum est de iudicio conscientiae et de fama. Etsi autem utriusque conservatio curanda est, tamen prior sit cura, ne conscientia fiat saucia, postea expetatur et bona fama, ut inquit Augustinus: Bona conscientia mihi opus est propter Deum, Bona fama propter proximum. Et quia multi sunt obtrectatores, non propterea nimium doleamus, si qui non iudicant candide, sed consolemur nos testimonio conscientiae, sicut Paulus inquit: Haec est gloriatio nostra, testimonium conscientiae nostrae. Item: Probet unusquisque opus suum, et

sic apud sese gloriam habebit, et non pendebit ex alio. Salomon hoc loco iubet eos minus irasci obtrectationibus, quia nos ipsi saepe eodem modo peccamus. Recitat enim Salomon communia hominum vitia.

Cuncta tentavi in sapientia, Dixi, sapiens efficiar, et ipsa longius recessit a me.

Postea in textu sequitur repetitio. Negat ab hominibus omnes errores prospici et caveri posse, et manifestum est, magnos et tristes lapsus esse summorum et sapientissimorum hominum. In hac querela commonefacti de nostra infirmitate, petamus nos regi a Deo, ut saepe dictum est: Scio Domine, quod non est hominis via eius. Item: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet.

Inveni amariorem morte mulierem, quae laqueus est venatorum etc.

Postea de mulieribus loquitur. Quandocunque enim recitantur infirmitates et calamitates nostrae, in eo catalogo partem aliquam occupant ipsarum mulierum morbi, et furores in viris, qui propter mulieres magnas calamitates sibi et aliis accersunt, ut Samson, David, Paris, et alii innumerabiles.

Deus fecit hominem rectum, sed ipse quaerit multas deliberatiohes.

Non principaliter de Creatione loquitur, sed de modo actionum, quem Deus hominibus rectum proposuit, id est, Deus instituit ordinem, quo comedas, bibas, sis maritus, servias in vocatione certa, et maneas intra metas tuae vocationis. Sed homo quaerit varias deliberationes. David habebat suas coniuges forma et virtute praestantes, et tamen appetit alienam. Antonius habet magnum imperium, sed appetit Monarchiam. Has errantes cupiditates, et hallucinantem sapientiam taxat, ut Pericles, Demosthenes, Brutus, Cicero, et alii multi sapientiae specie labuntur.

Nec male accommodatur dictum ad doctrinas. Deus dedit homini certum doctrinae genus, et intra eas metas vult coërceri mentes nostras, sed hominum ingenia vagabunda quaerunt alias opiniones, et delectantur varietate imaginationum tanquam ludis. Hoc ingens malum severissime taxatur multis locis, ut apud Ieremiam: Hoc praecepi, audite me.

Caput VIII.

Sapientia hominis est lumen vultus, et pertinax erit dignus odio.

Etsi generale dictum est, Sapientia adfert hilaritatem, quia bona conscientia tranquilla est. Mala vero est horribilis carnificina, et comitantur eam aliae poenae externae, ut tandem opprimuntur tyranni: tamen videtur hic proprie dici adhuc de materia proximi capitis, Sapientia, id est, diiudicatio et delectus, ubi prosit severitas, ubi prosit lenitas, ubi sit praeliandum, ubi sit cedendum, adfert laeticiam: sed pervicax, id est, durus, qui non audit recte monentes, sed suae iracundiae morem gerit, perdit sese et alios. Sicut Periclis et Demosthenis pertinacia fuit exitiosa toti Graeciae.

Ego os regis observo et verba iuramenti Dei.

Haec sententia valde digna est consideratione, et memoria, et quidem perspicue ostendit hunc librum non docere ocium monasticum, ut multi insulse interpretati sunt: sed hic deducit hominem ad omnes necessarias actiones, et ad multa difficilia et periculosa certamina, et ne sit licentia, circumdat vitae hominis metas, et ordinat obedientiam. Iubet observare *Os*, id est, mandata regis, et addit restrictionem: Et verba iuramenti Dei, id est, legem Dei. Nominat enim et alibi legem iuramentum, quia Deus iureiurando sanxit promissiones et comminationes. Igitur non dubium est puniri scelera, sed mitigantur poenae agentibus poenitentiam. Nam id quoque in iuramento comprehenditur. Sic sit ordinata obedientia: Primum voci divinae obediamus, quam et os regis sonare debet. Deinde et regi mandanti non pugnantia cum voce divina. Haec congruunt ad regulam: Oportet Deo magis obedire quam hominibus.

Iam considera qualis meta circumdata sit homini, Non sit licentia, quae indulgeat omnibus cupiditatibus, nec sit ocium, nec sit πολυπραγμοσύνη, sed facias mandata divinitus, et officia vocationis, in quam a rege collocatus es, non tuas curiositate, ambitione, vel quacunque cupiditate ad alia negocia. Additum est igitur in textu.

Non festines recedere a facie eius, id est, non discedas a vocatione, non turbes ordinem,

non rapias dominationem, nec stes in opere malo, id est, non facias ea quae scis prohiberi lege.

Postea sequuntur dicta de poenis, ubi in fine dicit: *Non erit evasio.* Supra vero inquit: *Quia omne quod voluerit, faciet rex*, scilicet Deo defendente legitima imperia. Loquitur enim de legitima potestate, seu legitimo ordine, quem Deus tuetur, sicut Rom. 13. dicitur: Qui potestati resistunt, poenam habebunt. Haec doctrina alias saepe repetita est.

Qui custodit praeceptum, non ruet in poenas. Tempus et iudicium intelligit cor sapiens, quia cuiuslibet negocii tempus et iudicium veniet. Sed magna est calamitas hominis nescientis praeterita et futura. Nec habet homo potestatem suae vitae, nec habet potestatem suae mortis, et non est evasio in bello, et non liberabit impietas impium.

Haec continua oratio de poenis concionatur, et hanc generalem regulam tradit: Atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis etiam in hac vita, ut homicidia, periuria, adulteria, incestae libidines, rapinae, et similia, ut scriptum est: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Econtra promittit tranquilliorem vitam modestis: Qui custodit praeceptum, non ruet in poenas.

Deinde occurrit tacitae obiectioni Salomon. Quia enim differuntur poenae, confirmatur in multis audacia. Huic stultae imaginationi et securitati opponit sequentia dicta. Imo, inquit, *Sapiens intelligit tempus et iudicium*, id est, scit poenas suo tempore venturas esse etiamsi aliquantisper differantur, et scit cuiuslibet negocii venturum esse iudicium, id est, non est cyclopicus, non contemnit providentiam, sed scit verissimam esse comminationem divinam quae recitatur Psal. 61.: Reddes unicuique iuxta opera sua, et Psal. 57.: Utique est Deus iudicans in terra, Et lex naturae et experientia eandem doctrinam etiam Ethnicis ostenderunt, iuxta illa dicta: ἔχει θεὸς ἔκδικον ὄμμα. Item: θεὸς οἶδε δικάζειν. Item: Sera tamen tacitis poena venit pedibus. Item: Tarditatem poenae gravitate supplicii compensat.

Deinde verba quae sequuntur, continent detestationem illius cyclopicae securitatis. Magna calamitas est, inquit, homines nec praeterita curare, nec futura, id est, omnibus temporibus videmus horrenda spectacula poenarum, et tamen tam atrocia exempla rident multi: de talibus praeteritis poenis videlicet et exemplis loquitur.

Postea addit expressam comminationem. Venient, inquit, poenae, quas nullo modo poteris impedire aut arcere. Homo non habet in potestate sua vitam aut mortem, id est, non potest retinere vitam aut arcere mortem, cum Deus eum poenis opprimit. Non est evasio, inquit, in bello, Et nequaquam erit impunita impietas. Haec dicta non indigent alia enarratione, sed adsentiamur voci divinae minitanti poenam omnibus qui non agunt poenitentiam, sicut inquit Dominus Lucae 13.: Nisi poenitentiam agetis, omnes similiter peribitis. Haec fulmina nequaquam sciamus esse inanem sonitum, sed vere expavescamus cogitatione et metu praesentium et aeternarum poenarum, et ad Deum convertamur, frenemus iniustos impetus, et oremus regi a Deo etc.

Interdum dominatur homo homini in malum suum.

Antea perspicue posita est adseveratio de providentia, expresse dictum est puniri delicta. Nunc addit obiectiones, quas refutat admixtis querelis. Contra inquit: Videmus sceleratos saepe florere opibus et potentia, iustos opprimi et interfici. Haec iniusticia non toleraretur, si esset providentia. Hanc notissimam obiectionem et hic recitat, et hoc modo refutat. Quanquam saepe florent scelerati, saepe opprimuntur iusti, tamen certissimum est, tandem et hos iniustos daturos esse poenas, et melius fore iustis. Hanc solutionem recitat et David Psalmo 56.: Vidi impium exaltatum ut cedros Libani, praeterii, et ecce non erat. Salus autem iustorum a Domino. Dominatur aliquantisper Saul, qui pellit Davidem, interficit sacerdotes, Herodes Baptistam, Nero Paulum, sed aliquanto post hi tyranni in hac vita manifestis poenis opprimuntur.

Sed dicat aliquis, quid hoc prodest bonis interfectis? Haec quaestio excruciat homines, id quoque Salomon hic deplorat: quia humana ratio causas ignorat, quare universaliter tantis aerumnis natura subiecta sit, sed doctrina Ecclesiae monstrat causam, scilicet peccatum in omnibus. Interea tamen suus locus est politicae iusticiae, et

non prodest sceleratis scelerate facere, quia tamen certum est eos puniri, et ibi exemplum providentiae Dei conspicitur. Ita una pars obiectionis ratione iudicari potest, ut etiam in poëmatis dicitur. Sera tamen tacitis poena venit pedibus.

Altera pars obiectionis, quid de bonis fiat, non iudicatur humana sapientia, sed in verbo Dei proposita est ipsis liberatio, in qua fide acquiescendum est. Abel, Baptista, norunt Deum esse iustum, et expectant futuram Ecclesiae liberationem et salutem, de qua testificatur resurrectio Filii Dei, et aliorum sanctorum, et alia miracula in Ecclesia. Ideo et alibi inquit Salomon: Iusto spes est in morte. Et Iob inquit: Etiamsi occidet me, sperabo in eum. Sic Ecclesia respondet ad illam obiectionem.

Sed quia differuntur poenae, crescit in hominibus securitas et audacia. Hanc querelam et hic intexit Salomon, quia non cito fit decretum contra mala facta, aestuant hominum corda ad scelerate faciendum. Huic querelae rursus addit solutionem et adseverationem. Etiamsi diu tolerantur scelerati, samen scio, quod erit bonum timentibus Deum, qui timent a facie eius, et non erit bonum impio nec prolongabuntur dies eius, sed sicut umbra transibunt qui non timent faciem eius. Docet igitur Salomon, ne offensi illa inaequalitate in hac vita deficiamus a Deo, sed acquiescamus in verbo Dei, quod promittit liberationem, et salutem iustis, poenae vero denunciantur impiis, et verbo et exemplis manifestis. Ideo de poenis multa extant dicta etiam apud poëtas, ut apud Claudianum:

Saepe mihi dubiam traxit sententia mentem,
Curarent superi terras, an nullus inesset
Rector, et incerto fluerent mortalia casu,
Nam cum dispositi spectabam foedera mundi,
Praescriptosque maris fines annique meatus,
Et lucis noctisque vices, tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei, qui lege moveri
Sidera, qui fruges diverso tempore nasci,
Qui variam Phoeben alieno iusserit igne
Compleri, Solemque suo, porrexerit undis
Littora, tellurem medio libraverit axe.
Sed cum res hominum tanta caligine volui
Aspicerem, laetosque diu florere nocentes,
Vexarique pios, rursus labefacta cadebat
Relligio, causaeque viam non sponte sequebar
Alterius, vacuo quae semina currere motu
Adfirmat, magnumque novas per inane figuras
Fortuna non arte regi, quae numina sensu
Ambiguo vel nulla putat vel nescia nostri.
Abstulit hunc tandem Ruffini poena tumultum
Absolvitque Deos, iam non ad culmina rerum
Iniustos crevisse queror, tolluntur in altum,
Ut lapsu graviore ruant.

Sunt iusti quibus mala accidunt.

Immoratur institutae concioni de providentia, et repetit doctrinam, in qua est asseveratio: Non propterea negandam esse providentiam, etiamsi poenae sceleratorum differuntur, aut iusti in hac vita premuntur. Ac vera refutatio est obiectionis, restare aliud iudicium, in quo non momentanea compensatio fiet, sed aeterna. Hanc refutationem comprehendit, cum iubet timere Deum, et ponit asseverationem: *Bene erit timentibus Deum.* Sed quod quaerit humana sapientia causas, quare iusti saepe duriter premantur et mali floreant, vanitas est, id est, irritus labor, quia hoc consilium Dei non invenitur acie humanae mentis, sed Ecclesiae patefactae sunt causae in genere propter quas cruci subiecta est, ut suo loco dicitur.

Iubet igitur Salomon, omissa hac inquisitione humanae rationis, manere in timore Dei et praesentibus donis Dei iuxta praecepta uti, cibo, potu, vocatione politica, oeconomica. Haec est summa longae narrationis in hoc ipso capite. Excruciat enim haec quaestio omnes homines, et multi quia vident res secundas malorum et res adversas iustorum, cogitant non esse providentiam sed excellens robur fidei est his spectaculis non frangi, ac retinere veram agnitionem Dei, et expectare iudicium. Eadem concio copiose recitatur in Psalmo 36.: Noli aemulari. Et studiosi considerent, ubi poëtae aut alii scriptores in hanc materiam ingrediantur, ut saepe fit: interdum recitant dubitationes, interdum asseverationes, ut, Discite iusticiam moniti, et non spernere divos. Et Aristoteles in Rhetoricis recitat Stesichori dictum: Neminem afficias iniuria. Quia cicadae canent hoc in campis, id est, pauperes oppressi in suis agris sonant has querelas et movent Deum, ut puniat tyrannos.

Caput IX.

Sunt iusti et sapientes et opera eorum in manu Dei sunt, et amorem et odium nescit homo in omnibus quae sunt coram ipso. Omnia eveniunt similiter omnibus, iusto, malo, bono et mundo, sicut in mundo offerenti, et non offerenti. Sicut evenit bono, sic evenit peccatori. Sicut evenit periuro, sic evenit timenti iusiurandum. Hoc est pessimum omnium, quae sub Sole fiunt, quod similes sunt eventus. Ideo corda hominum implentur malicia, et stulticia manet in cordibus eorum in omni vita, donec moriuntur.

Etsi peregrinis interpretationibus haec pars textus obscurata est, tamen manifestum est repeti querelam de hac externa specie, quae multos movet, ut negent providentiam propter res secundas malorum et res adversas iustorum. Salomon autem ideo concionatur de hac externa specie, ut nos ab ea abducat, ne ex his eventibus iudicemus: sed firmissima fide amplectamur vocem divinam, quae affirmat, quae facienda sint, et expectandum esse iudicium. Haec est simplicissima sententia Salomonis, qui expresse damnat hic furores negantium providentiam, quia dicit stulticiam esse exitialem illis ipsis, qui propter haec spectacula seu externam speciem deficiunt a Deo.

Constituta hac simplicissima sententia, iam refutanda est interpretatio monachorum, sparsa in Ecclesiam de hoc dicto: *Nemo scit an amore vel odio dignus sit.* Monachi non vident hoc dictum admonitionem esse, ne de providentia ex rebus secundis aut adversis iudicetur, sed transferunt dictum ad dubitationem conscientiae quaerentis de remissione peccatorum, de qua asseverandum est ex voce Evangelii, non ex eventibus. Manifestum est autem monachos male detorquere hoc dictum ad dubitationem. Quia certe fatendum est, delinquentes contra conscientiam, scire se in odio esse. David rapiens coniugem alterius, scit se facere scelus, cui Deus horribiliter irascitur. Quanquam autem concedunt monachi, in delictis contra conscientiam sciri iram Dei, tamen postea dicunt de conversis semper dubitandum esse, an sit in gratia.

Sciendum est autem certissime, et hanc imaginationem monachorum falsam et impiam esse, et esse deletionem Evangelii. Quia haec est vox externa et immota Evangelii, ut agentes poenitentiam fide statuant vere sibi remitti peccata, et se recipi in gratiam propter Mediatorem, et eluctentur ex dubitatione, iuxta illud Ephes. 3.: Per quem audemus accedere in fiducia per fidem Christi. Item ad Ebrae.: Habentes talem pontificem, accedamus ad thronum gratiae cum fiducia.

Ac sciendum est oportere certitudinem in utraque parte esse. David rapiens coniugem alterius, certo sciat Deum horribiliter irasci, sicut verissimum est. Et ostenditur haec ira in concione Nathan et tristissimis poenis. Postea David, audita absolutione in conversione, repugnet dubitationi et statuat se rursus verissime recipi in gratiam, et hac assensione et fide se etiam in exilio et summus doloribus sustentet.

Sed obiiciunt monachi, imo habent et sancti peccata ignorantiae, ideo non affirment se placere Deo. Respondeo: Utrunque fateantur sancti, se habere peccata ignorantiae et alios morbos multos, sicut inquit David: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens, et tamen se placere Deo propter Mediatorem fide, et tectam esse immunditiem a Mediatore, sicut scriptum est: Nulla nunc damnatio est his qui in Christo Iesu ambulant. Item: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata. Haec consolatio est propria vox Evangelii.

Sed monachi non intelligentes discrimen legis et Evangelii, tenebras in Ecclesiam invexerunt. Postea hoc dictum Salomonis detorserunt ad sua deliramenta, cum Salomon hoc tantum agat, Ne ex specie externa iudicemus, et quidem deducat nos ad verbum Dei. David ne se quidem audita absolutione iudicet abiectum esse, etiamsi est in magnis poenis, et eventus iram Dei ostendit, sed non ex eventu, verum ex verbo Dei iudicare debet. Multo minus ex specie externa de aliis iudicet: pereunt eodem modo Saul et Ionathas, nec discernere hos eventus humana sapientia potest, sed doctrina Ecclesiae discernit. Exitus Saul congruit cum regula: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Exitus Ionathae habet alias causas: quia Deus antea testatus est, Ionathan sibi placere, sed sciunt Ionathas et David causas, quare Ecclesia cruci subiecta sit.

Quid igitur eligendum est? In vivente spes est, Et melior est canis vivus leone mortuo.

Antea recitata est querela, quod iustis et iniustis similia eveniant: haec confusio turbat mentes, et languefacit voluntatem recte agendi. Opponit ergo huic offensioni praeceptum. Imo inquit: Necesse est tamen Deo obedire, et a quaestione exorsus est. Quid igitur eligendum est? Estne eligendus labor, cum non respondeant praemia? Respondet Salomon: Est omnino vocationi obtemperandum, et eventus Deo commendandi sunt, ut supra saepe dictum est: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet. At non poteris esse felix praeliator qualis fuit Asa. Non potes esse dux similis Scipioni, Sis igitur similis Fabio, modo servias tuo loco fideliter, sicut Paulus inquit: Hoc requiritur, fidelis ut sit quisque. Sufficientia vero nostra ex Deo est. Inquit igitur Salomon: In vivente spes est, id est, vivens agat aliquid iuxta vocationem. Et melior est vivus canis leone mortuo, id est, etiamsi non potes esse leo, sis mediocris catulus. Quid iam quaerimus leones, heroicos duces et gubernatores, quales illi veteres fuerunt Gedeon, Samson, David? Utamur nostris, qui etiamsi non sunt illis similes, ut leones, sunt autem velut catuli, Aliquid suo loco agant, et orent Deum, ut faciat eos vasa misericordiae. In hac sententia diu commoratur Salomon. Dicit mortuos iam discessisse ab huius vitae gubernatione, praesentibus utendum esse, et iubet vocationi parere, et acquiescere in Deo fide, et bona conscientia, qualescunque sint eventus.

Vade, comede in laeticia panem tuum, Quia Deo placent opera tua.

Id est, quae facis iuxta vocationem, sicut postea dicit: Haec est pars in vita et labore tuo quem tibi dedit Deus.

Et postea: *Omne quod invenit manus tua, fortiter facito.* Hoc dictum diligenter observandum est, quod quidem satis perspicue ostendit, non doceri a Salomone desertionem societatis communis aut negociorum, aut ocium monachorum, sed proponi gravissimam doctrinam et consolationem. Iubet nos studiose obtemperare vocationi et eventus Deo commendare, et quidem fidelitatem et diligentiam postulat, cum hic ait: Fortiter operare. Et addit consolationem dulcissimam: Pii sciant talem cursum iuxta vocationem Deo placere, et gubernari divinitus, quanquam multa incidunt impedimenta, multae offensiones. Mox autem alia obiectio additur.

Quid prodest laborare, cum non sit velocium cursus nec fortium victoria?

Respondeo: Volo ut labores, et tamen volo homines non confidere propria sapientia et fortitudine, non movere res non necessarias fiducia propriae sapientiae aut fortitudinis: sed petere et expectare auxilium a Deo, et qualescunque sunt eventus, non deficere a Deo, nec fremere adversus eum, sed agnoscere nostram infirmitatem. Simile dictum est illi: Scio Domine, non est hominis via eius. Item: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi datum sit ei de coelo. Haec dicta de eventibus loquuntur, ut suo loco dictum est, non hoc volunt, prorsus nullam esse libertatem in ipsa electione voluntatis.

Tempus et casus valent in omnibus.

Congruit cum dicto: Nisi Dominus aedificaverit domum, frustra laborat qui aedificat eam. Nam hoc vult, tunc demum felices esse conatus, quando Deus eos adiuvat, dat felix momentum et regit eventus. Non enim intelligantur tempus et casus Epicureo more. Sed reprehendit Salomon fiduciam nostrarum virium et nostrae sapientiae, quae imaginatur sufficere humanam diligentiam sine Deo. Ac mox addit vicinam admonitionem Salomon de nostra infirmitate: *Nescit homo finem suum, sed velut piscis capitur*, id est, homines saepe falsis persuasionibus et stulta spe incitati somniant bonos eventus, cum tamen in medio cursu magnis calamitatibus opprimantur, ut accidit Mario, Pompeio, Iulio et aliis innumerabilibus erumpentibus extra vocationem. Huc pertinent communia dicta: Omnia sunt hominum tenui pendentia filo, Et subito casu quae valuere ruunt. Item: *μάταιοι διὰ ἐπιθυμίας μάταια λογίζονται.* Repetendum est ergo dictum saepissime iam recitatum: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Id est, facies necessaria iuxta vocationem, et petas te iuvari a Deo memor tuae infirmitatis.

Vir pauper et sapiens liberabit urbem, et unus peccator multa bona perdet.

Valde prodest considerare in vita, ut supra quoque dictum est: Duo esse hominum genera, alii sunt vasa irae, alii vasa misericordiae. Vasa irae sunt homines infelices, qui sibi et aliis exitio sunt, etsi interdum magni et sapientes sunt, sicut Solon inquit: Everti Respublicas a magnis et excellentibus ingeniis. Ita erant vasa irae Achas, Sedechias, et Romae Catilina, Antonius et multi alii, et in Ecclesia Samosatenus, Arius, Manichaeus, et multi alii perniciosi doctores. De talibus omnibus inquit: Unus peccator, multa bona perdet, *πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.*

Sed vasa misericordiae sunt homines, quorum cursus salutaris est ipsis et aliis, ut Samuel, David, Ieremias. Ac proprie talis Vir pauper in civitate, ut ipse scribit, fuit Ieremias, qui, quanquam ei plurimi non obtemperabant, tamen in illa tanta confusione praecipue servavit Ecclesiam. Hoc discrimine considerato, oremus Deum assiduis gemitibus singuli, ut faciat nos vasa misericordiae, nec sinat nos fieri pestes te *ἀλάστορας* generis humani, sicut clamant Prophetae in Psalmo: Respice servos tuos, et dirige opus manuum nostrarum. Et Esaias: Tu Domine pater noster es, Nos lutum tuum, tu formas nos, Opera manuum tuarum sumus, ne irascaris valde.

Simul autem monet hoc dictum, Bona consilia a paucioribus audiri, et multitudini placere deteriora consilia. Ideo inquit: Sapientia pauperis contemta est. Verba sapientum audiuntur a silentibus, id est, non furentibus aliqua cupiditate, sed quaerentibus veritatem, et ea quae sunt salutaria. Alibi vero inquit Salomon: Melius est occurrere ursae, quae amisit catulos suos, quam fatuo in stulticia sua, id est, occupato aliqua cupiditate, aut fascinato stulta persuasione adversari difficilimum est.

Caput X.

Muscae venenatae corrumpunt suavia unguenta.

Id est: Bona consilia, bona doctrina, artes recte constitutae quotidie corrumpuntur per ardeliones qui facilius audiuntur in aulis et in populo, quam homines modesti et pauperes, recte docentes, aut salutaria consulentes.

Paulisper melior est stulticia quam sapientia et gloria.

Congruit cum dicto: Non ponebat enim rumores ante salutem. Fabius paulisper stultus esse existimatur, sed postea eventus ostendit, eius consilia fuisse salutaria, et congruit quod sequitur: *Sapientum corda in dextra manu esse*, id est, firmius teneri, ne obtemperent iracundiae, dolori, ambitioni. *Stultorum corda sunt in sinistra*, id est, infirmius tenentur, ruunt quo ira, cupiditas gloriae, dolor aut alii coeci affectus impellunt. Et regula traditur de proprietate, universaliter coniuncta cum falsa persuasione sapientiae, videlicet quod omnes sint arrogantes, sese admirentur, et alios despiciant ac iudicent fatuos esse, sicut Epicurei et hypocritae iudicant insanire Apostolos. Pompeius iudicat errare dissuasores belli.

Si praevaluerit impetus potentioris super te, locum tuum ne relinquas. Nam sanatio faciet cessare magnos peccatores.

Id est: Etiamsi aliquantisper vincunt invidi aut sycophantae, aut gloriosi Thrasones, tamen non moveatur recte faciens, ut deserat suam stationem propter perversitatem iudiciorum aut dolorem. Bonus et fidelis pastor non moveatur calumniis aut vulgi clamoribus, ut deserat Ecclesiam, aut sese immutet et inflectat ad iniqua iudicia. Quia interea tamen multa sanare poterit.

Sequitur deinde querela, deplorans hoc commune malum, quod saepe regnant stulti et mali, ut gratior est in aula assentator alludens ad affectus Domini, quam sapiens et fidelis consiliarius, iuxta versus:

ὁ βίος μάλιστα τοῖς πονηροῖς ἥδεται,
πράττει δὲ ἄριστα κόλαξ, ὁ συκοφάντης δεύτερος.

Qui fodit foveam, incidit in eam.

Superiori querelae respondent haec dicta sequentia de poenis, quae monent tristes esse exitus malorum consiliorum, iuxta regulam saepe repetitam: Atrocia delicta puniuntur atrocibus poenis in hac vita. Item: Qua mensura mensi fueritis, eadem remetietur vobis. Ita hic dicit: Qui fodit foveam incidit in eam et congruit hoc

proverbium cum usitatis dictis: ἡ δὲ κακὴ βούλη τῷ βουλεύσαντι κακίστη. Item:

τεύχων ὥς ἑτέρῳ τὶ, ἑῷ κακὸν ἤπατι τεύχει.

Qui diruit sepem, mordebit eum coluber.

Haec peculiaris poena est eorum qui Respublicas mutant, sive πολυπραγμοσύνῃ, sive aliis causis non probandis. Plerunque petulantia illorum ipsorum, quibus laxaverunt frenos, opprimuntur et ipsi duces, sicut Iulium interficiunt sui commilitones, et saepe accidit illud ipsum, quod de Iulio pronunciatum est: Men' servasse, ut essent qui me perderent. Significat autem sepes politiam mediocriter constitutam. Colubri sunt, qui licentia abutuntur alieno labore parta libertate.

Qui transfert lapides, affligetur ab eis.

Figura sermonis usitata est: Transferre lapides, pro eo, quod est mutare leges et formam Reipublicae. Congruit cum sententia proxima: Mutans formam Reipublicae, exercebitur magnis periculis, sive mutet divinitus, sive humana πολυπραγμοσύνῃ seu ambitione, sed tunc exitus deteriores sunt, ut Bruti, Cassii, Antonii. Et semper sit in conspectu Pindari dictum: Facile est movere civitatem, sed rursus in tranquillum sistere, solius Dei.

Figura sequens generalior est: Qui secat ligna, vulnerabitur ab eis. Qui format seu dolat varia ingenia populi vel discipulorum, ut concionatores et doctores, plerunque vulneratur a suis auditoribus.

Sicut ferrum hebetatum non nisi magno labore rursus acuitur, ita magnae diligentiae comes est sapientia.

Praeceptum est de diligentia in agendo et in perferendis multis difficultatibus, sicut dicitur: παθήματα μαθήματα. Taxat autem ignavos in quacunque vocatione, et postulat vigilantiam, curam, laborem et seriam intentionem, sicut in multis aliis dictis praecipitur. Christus vituperat servum ignavum, qui suo talento nihil lucratus erat: et multae sunt admonitiones de diligentia in omnibus scriptis, iuxta illud:

Nil nisi magno vita labore dedit mortalibus.

Item Epicharmus: τῶν πόνων πωλοῦσιν πάντα ἡμῖν ἀγαθὰ θεοὶ. Hesiodus: μελετὴ δέ τε ἔργον ὀφέλλει.

Sit autem diligens intentio in officia vocationis, et in res necessarias, non sit πολυπραγμοσύνη, varia tentans extra vocationem, sicut inutiles canes venatici non sequuntur unam feram, sed subinde avertuntur ad alia. Et notum est dictum Senecae: Necessaria ignoramus, quia non necessaria discimus.

Calumniator similis est serpenti, qui clam mordet.

Congruit cum dicto superiori, Calumnia conturbat sapientem, et necat robur cordis eius. Est omnino saeva pestis calumnia, et fax est magnarum dissensionum, unde postea confusiones religionum, bella et vastitates oriuntur. Ideo et in Moyse praeceptum est: Non sis susurro in populo. Ita hic totum hoc genus calumniatorum et obtrectatorum taxatur.

Verba oris sapientis gratia.

Discernit sapientes consiliarios et doctores a stultis qui habent persuasionem sapientiae, cum tamen desipiant, quia non dirigunt consilia ad veram normam, sed ad suos vel aliorum coecos adfectus, sicut Mardonius Xerxi bellum suadet, vel sicut Pompeius habuit instigatores. Hos ait ignorare, quid antea acciderit, id est, tales non curant exempla priorum, qui stultis consiliis aut perniciosa doctrina se et alios everterunt, nec prospiciunt venturas poenas.

Labor stultorum affligit eos, quia nesciunt viam ad urbem.

Id est: Illi perverse sapientes multa frustra moliuntur, multa conantur reformare, et sibi et aliis accersunt multos tristes casus, nec norunt hominum sensus, nec considerant momenta negociorum, nec vident quid necesse sit agere. Haec comprehendit, cum ait: *Nesciunt viam ad urbem, seu ad aulam*, sicut describitur pastor cui recens in aula fuerat speculum donatum, in quo, cum se contemplatus esset, admiratione formae suae factus est insolentior, et postea in poenas incidit, de quo dicit Franciscus Petrarcha:

Aeternum gemat ille miser, pastoribus aulae
Qui primus mala dona dedit.

Vae terrae cuius Rex puer est, et cuius Principes mane comedunt.

Perspicua sententia est, nec tantum loquitur de his qui aetate pueri sunt, sed etiam de senibus, qui semper in ocio et voluptatib. vixerunt, nec doctrina, nec usu vitae et communibus aerumnis facti sunt cautiores. Et ubi gubernatores praecipue quaerunt voluptates corporis, ibi negliguntur iurisdictio, gubernatio disciplinae, exercitia militaria. Tales sunt sponsi Penelopes fruges consumere nati. Contrarius est versus quem ex Hesiodo citat Polybius: *αἰακιδαὶ πολέμῳ κεχαρηότες, ἠέγε δαιτὶ.*

Caput XI.

Mitte panem tuum super aquas etc.

Totum hoc caput lumen est huius libri. Ostendit enim, in his concionibus institutam esse confirmationem sententiae de providentia, et refutationem argumentorum, quibus homines natura moventur, ut de providentia dubitent. Sit igitur prima sententia, quae hic in fine ponitur: De his omnibus abducet te Deus in iudicium. Expresse affirmat, Deum et iudicare et iudicaturum esse hominum facta, et hanc asseverationem in fine repetet, cum hac concione: Deum time, et mandata eius serva.

Constituta hac sententia, quod et iudicaturus sit Deus, et quod ei iuxta mandata obediendum sit, iam accedunt consolationes. Cum dubitat animus, quid faciam? video multos labores esse irritos, multos ingratos, video accersi odia et aerumnas, deseramne vitae societatem, et abdam me in aliquas solitudines, ac sequar illud vetus dictum: *λάθε βιώσας*? Nequaquam. Sed ut supra dixit: Fortiter facias laborem, quem Deus tibi attribuit. Ita hic inquit: Mandata eius serva, Eventus vero commendes Deo, nec frangaris dolore, si incidant adversa, sed in his Deo obedias, et fide retineas animi tranquillitatem, invocationem et spem. Scias te placere Deo in illa obedientia, labores tuos non fore prorsus irritos, etiamsi interdum saevae tempestates orientur. Ut, Moisi gubernationem turbant multi ingentes tumultus. Davidi movet seditionem filius. Haec ita fieri sciamus, et non abiiciamus spem, pacem cordium, invocationem, et officia nobis mandata, et dictum saepe repetitum cogitemus: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Et illud Pauli: Labor vester non erit inanis in Domino. Et Psal. 1.: Folium eius non defluet. Hanc totam doctrinam et consolationem in vita valde necessariam esse omnes intelligunt, quae quidem ideo divinitus traditur, quia ratio hac confusione offenditur, et dubitat de providentia et de auxilio Dei. Haec est enarratio huius totius capitis, imo totius libri.

Et hic de operibus gubernationis dicit: *Mitte panem tuum super aquas*, id est, doctor spargat doctrinam in populo, ut si spargeret escas in aquam piscibus excipiendas, vel si mitteret frumentum in alia loca. Gubernator labores spargat eodem modo. Etsi enim aliquid peribit, tamen aliquib. proderunt hi labores, et utilitas apud posteros conspicietur. Fuit aerumnosa gubernatio Ieremiae, at profuit tamen universae posteritati. Donec occasio est, facito officia vocationis, sicut et Paulus iubet tempus redimi, quia dies mali sint, id est, iubet uti occasione, quia in tantis miseriis saepe bona consilia impediuntur.

Si nubes fuerint plenae, effundent imbrem.

Postea miscentur in textu consolationes et admonitiones. Si nubes fuerint plenae, effundent imbrem, i. e. non sunt in tua potestate eventus, sed sapienter feras ea quae pro tempore fiunt. Evenient alias alia, alias pluit, alias est serenitas. Nubes plenae erant tempore Moisi, id est, venerat tempus educendi populum ex Aegypto. Rursus alio modo nubes plenae erant tempore Ieremiae, id est, peccato cumulata erant quae adferebant imbrem et exilium huic populo. Et postquam accidit eventus, factum infectum fieri non potest.

Quo cadit arbor, ibi iacet, id congruit cum veteri versu:

οὐ πότε γὰρ δύναται το τετυγμένον εἶναι ἄτυκτον.

Significat eventus non esse in nostra potestate et sapienter ferendos esse: in hac sententia etiam deinceps commoratur. Qui prius vult habere certos et circumscriptos eventus, nihil aget. Ideo dicit: Qui observat ventum, non seminat etc.

Addit deinde admonitionem, nec praesciri posse omnes eventus, sicut et apud Herodotum dicitur antiquum dictum esse: *μὴ ἅμα ἀρχῇ πᾶν τέλος καταφαίνεσθαι.* Et sapientissime propo-

nitur hic imago foetus, sicut nescimus, quomodo in alvo matris formemur, sic gubernatio multorum eventuum prospici non potest. Et hic addenda est consolatio, sicut in hac ipsa imagine videmus Deo curae esse foetum, servari matrem gravidam, dari vitam nascenti in utero, creari alimentum in uberibus, mirabiliter aperiri iuncturas cum partus editur: ita sciamus et reliquam vitam Deo curae esse, iuxta illa dicta: In ipso sumus, vivimus et movemur. Item: Ipse est vita tua et longitudo dierum tuorum. Et in multis magnis periculis servat genus humanum sine causis secundis, sicut dicitur: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.

Mane seminato semen tuum et vespere etc.

Repetit priores admonitiones et consolationes, et intexit concionem de morte et de iudicio. Non frangaris animo, etiamsi quae adversationes impediunt, tu tamen facito officia vocationis. Mane et vespere seminato semen tuum, id est, redimito tempus, ut Paulus inquit: *Quia dies mali sunt*, id est, cum sint magna impedimenta, vos sitis intenti in occasiones bene merendi, iuvandae Ecclesiae, propagandae doctrinae etc.

Deinde consolatio additur: *Dulce est lumen, laetare in adolescentia tua*, id est, donec Deus concedit, reverenter utaris ipsius donis, cum aufert, patienter ei obedias, et in ipso acquiescito, sicut Paulus inquit: Pax Dei habitet in cordibus vestris. Item: Iram Domini portabo, et cum sedebo in tenebris, *Dominus* lux mea est.

Caput XII.

Memento creatoris tui.

In rebus secundis et adversis memento creatoris tui, obtemperes ei, et in eo acquiescito, et fide iuxta ipsius promissiones, quas immensa bonitate propter Mediatorem Ecclesiae tradidit, scias verissime exaudire eum invocantes, et volentes ei obedire, et horribiliter punire contumaces. Ideo repetit commonefactionem de iudicio, et addit mentionem senectae et mortis, ut hoc argumento confirmet adseverationem de providentia, et hortetur nos ad timorem Dei, ad fidem et ad obedientiam. Ne securus contemnas Deum, quia morbi et mors ostendunt nostram imbecillitatem. Etiamsi es ebrius indulgentia fortunae, et magnas spes habes, tamen haec somnia subito excutiet hora mortis. Et si contemsisti Deum in iudicio, rues in aeternam iram, et in aeternas poenas. Hanc commonefactionem de morte et de iudicio proponit, ut nos retrahat a carnali securitate, et a dubitationibus ad considerationem providentiae, ad timorem Dei, ad fidem et ad obedientiam.

Est autem descriptio senectae figurata, quam apparet ex natura ipsa et physicis signis sumtam esse. Sed non omnes metaphorae plane intelliguntur.

Antequam Sol et Luna et stellae obscurabuntur.

Id est, senibus aspectus totius naturae hebetior et tristior est.

Et redit nubes post pluviam.

Id est, subinde novae miseriae, novae calamitates veniunt, cum praeteriit aliquod malum, venit aliud. Sicut in querela Homerica dicitur: *ὥς μοὶ δέχεται κακὸν ἐκ κακοῦ αἰεί.*

Item: *φόβου τὸ γῆρας, οὐ γὰρ ἔρχεται μόνον.* Time senectam, non enim venit sola.

Tremunt custodes domus.

Id est, manus: quia nervi, tendines et ligamenta fiunt languidiora seu flaccida.

Nutant viri fortes.

Id est, Crura et tibiae.

Ociosae erunt molentes et pauciores.

Id est, Dentes erunt imbecilliores et excident.

Caligabunt videntes per foramina.

Id est, Oculi erunt hebetiores.

Claudentur ostia.

Id est, Labra arefient et erunt flaccida.

Surgent ad vocem volucris.

Id est, Somnus erit brevior, et facile cantu galli excitantur senes.

Inclinatae sunt filiae carminis.

Id est, vel aures fiunt surdae, vel vocis organa corrugantur. Quia in senibus et minus est spirituum cordis, et pulmo et trachea vel frigida humiditate, vel siccitate fiunt debiliores.

Excelsa formidabunt in via.

Id est, Caput erit tremulum vertigine.

Florebit amygdalus.

Id est, accidet canicies, ut in amygdalis.

Onerantur locustae.

Id est, incurvantur scapulae et coxae, id est, senes incedunt curvi. Et figura extantium scapularum, et coxae et spinae dorsi incurvae similes est locustae.

Et perit voluptas.

Id est, fastidia sunt et nauseae cibi, potus et aliarum voluptatum: quia virtus est languefacta, fit mala coctio, parum boni sanguinis et spirituum, exigua nutritio etc. Postea de interioribus loquitur.

Antequam rumpatur funiculus argenteus.

Intelligo nervos et τένοντας, ligamenta: sunt enim nervi similes albis filis. Et cum sint instrumenta sensus et motus, praecipuam vim habent in corpore humano.

Et decurrat fons aureus.

Id est, cor, quod est fons et scaturigo omnium virtutum, et vivifici caloris.

Conteretur hydria super fontem.

Id est, vena super epar. Cum enim duos fontes seu duas scaturigines nominaverit, visum est concinne fontem aureum intelligi cor. Quia auri similitudo magis congruit ad cor, et ad spiritus. Postea hydria sit causa vena, quae sanguinem haurit ex epate, et in totum corpus effundit, et verissime est nutrix et canalis totius corporis. Et consentaneum est, Salomonem hic non omisisse opificium venarum, quod in nutricatione praecipuam affert utilitatem, et miranda arte et providentia in totum corpus distributum est, ut omnibus partibus advehatur nutrimentum.

Cisternam plane intelligo ventriculum. Quia vocabulum significat profundam cavitatem, et gyri super ventriculum significant vicinas partes, scilicet intestina, quae collocata sunt tanquam gyri seu orbes, et μεσεντέριον pene speciem rotae efficit, cui implicita sunt intestina.

Hanc mentionem senectae et mortis inseruit, ut lectores de futuro iudicio commonefaciat, sicut mox repetit hanc sententiam: Cuncta adducet Deus in iudicium, vultque cogitatione iudicii confirmari fidem de providentia, et excitari timorem Dei, invocationem et curam recte faciendi. Quia metus aeternae irae et abiectionis et horrendi cruciatus in tota aeternitate duraturi, non est segnis monitor menti non prophanae, et hanc summam refert totam concionem.

Deum time, et mandata eius observa, hoc est praecipuum omnibus hominibus.

Complectitur autem totum cultum et totam obedientiam, et deducit nos ad hunc verum Deum, qui se patefecit in hoc populo Israël, et tradidit ei promissiones et legem, illustribus et non fallentibus testimoniis, hunc Deum vult agnosci, audiri, invocari, coli iuxta hanc ipsam vocem, quam tradidit, et proponit summam normam, quae debet esse rectrix omnium deliberationum et actionum: Intuere Deum et ipsius doctrinam, et ab hac norma non discedito, et scias, discedentem sine ulla dubitatione ruiturum esse in tenebras, laqueos diaboli et tristissimas poenas, referas omnia consilia et omnes actiones ad hunc finem, ut Deo praestes obedientiam, et eum celebres. Hanc regulam etiam in iudicandis omnibus doctrinis teneas, considera quae disputationes, quae doctrinae, qui sermones dissentiant a verbo Dei, aut non prosint ad alendum timorem Dei in mentibus, et confirmandam fidem, et semper sunt, fuerunt et erunt multae Epicureae et multae ociosae opiniones, et multi idolorum cultus. Haec omnia summa vigilantia iudicanda et vitanda sunt. Ad hanc summam refert conciones in hoc libro, quae quidem et summa est universae doctrinae in Ecclesia, iuxta illa dicta: Beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt. Item, totus Psalmus: Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini. Item: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.

Ad hanc eandem summam refert Salomon et suas conciones.

Faciam igitur exemplo Salomonis, et argumentum ac summam huius libri in fine rursus recitabo. Vult in hoc libro Salomon principaliter proponere asseverationem de providentia. Deinde vero refutare obiectiones, quae contra providentiam opponuntur. Cum enim multae et magnae sint in vita confusiones, et magna sit impiorum multitudo, et pauci sint Deum recte agnoscentes et timentes, et impii floreant gloria et opibus, pii sint aerumnosi, et multi interficiantur

a pessimis, et gubernatio fidelis parum proficiat, videntur omnia casu ferri.

Ad hanc obiectionem respondet Salomon: Etsi magna ex parte talis est confusio, tamen tu regaris verbo Dei, et retineas sententiam de providentia firma fide, nec propter haec scandala deficias a Deo, nec abiicias timorem Dei, et fiduciam acquiescentem in Deo, nec deseras vocationem tuam, et illis confusionibus haec duo ordinata opponito. Veniet iudicium, in quo Deus tollet hanc confusionem, et omnes impii abiicientur in aeternas poenas, et iustis bene erit. Iam quoque in hac vita Deus moderatur confusiones, punit atrocia scelera, nec sinit gubernationem prorsus irritam esse, colligit sibi aeternam Ecclesiam, servat aliquas politias et oeconomias. Imo hoc ipsum testimonium est praesentiae Dei, quod, cum tanta sit infirmitas naturae hominum, tanti, tam saevi multorum furores, videmus tamen mirabiliter servari Ecclesiam Dei, et aliqua eius hospitia. Obiectio igitur de confusionibus est fallacia a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter:

Multa fiunt inordinate in hac vita,
Ergo omnia et semper sunt inordinata.

Neganda est consequentia. Nam prorsus tolletur haec confusio tandem, et in hac vita multa fiunt ordinate. Tota machina mundi pulcerrime ordinata est, figura et situs coeli, aëris, aquae et terrae, motus siderum, vices temporum, foecundatio terrae, et nutricatio corporis humani, conservatio specierum, generatio, noticiae regulares in mente, conservatio societatis, poenae atrocium scelerum.

Haec ordinata et regularia opponenda sunt confusionibus. Sed multo magis ipsa revelatio divina, qua editum est verbum, Lex, comminationes, Evangelium et promissiones, opponenda est omnibus spectaculis, quae incurrunt in oculos, et firmiter retinenda est fides, et in fide serviendum vocationi. Recte facito, quia discrimen erit aeternum in venturo iudicio, etiamsi aliquantisper digeruntur poenae. Fac officia vocationis, etiamsi multi labores erunt inanes et ingrati, at aliquando proficies, aderit Deus laboranti et invocanti ipsum. Hac fide spargito doctrinam et labores, ut panem in aquas. Hac fide et spe lenias dolorem. Ita prohibet desperationem et fiduciam nostri, et docet, fide in Deo acquiescendum esse. Nec poteris in vita aliter mederi doloribus, etiamsi contraria tentes, aut deseras vitae societatem. Non vitantur miseriae humano consilio, sed tantum cum acquiescunt corda fide in Deo.

Ad hanc summam recitationes de variis negociis et eventibus supra positae accommodandae sunt, et subinde adiunguntur responsiones, in quibus opponit verbum Dei, et ordinatos eventus, poenas atrocium scelerum, quae sunt testimonia venturi iudicii, et ipsam mentionem iudicii toties repetitam. Prodest autem in qualibet materia considerare, quod sit consilium, quae voluntas scriptoris, et ad quem finem instituta sit oratio.

Sciamus igitur, hunc librum principaliter doctrinam esse de providentia. Deinde consolationem contra varias confusiones vitae, ne propter eas de providentia dubitemus, nec abiiciamus curam recte faciendi, et communes labores vitae, nec deseramus vocationem. Et consolationis loci ducuntur a necessario, a possibili, et ab utili, praemiis et poenis.

A Necessario, quia necesse est Deo obedire. Et firmissime retinenda est haec asseveratio: Genus humanum a Deo conditum esse. Et quanquam accesserunt multae tristes confusiones, tamen nos ab eo servari, et labores ab eo ordinatos esse, ipsum inspectorem, iudicem et adiutorem esse firmissime statuamus. Ideo saepe repetit haec dicta: Deum timeto, quia omnia adducet Deus in iudicium, bona et mala, etiam arcana.

Argumenta sunt a Possibili: Etsi magnae confusiones, et in multis gubernatio est inutilis, ut inquit: Curva non possunt fieri recta, et saepe etiam iusti labuntur: tamen Deus non sinet labores vocationum prorsus irritos esse, aderit invocanti, ut hic dicitur: Sparge panem velut in aquas, quia inveniens eum. Mane et vesperi seminato etc.

Denique saepe repetita est haec consolatio, et hic et alibi. Ut apud Paulum: Non erit labor vester inanis in Domino. Et in Psalmo 1.: Folium eius non defluet.

Et ad locum a possibili pertinent remedia dolorum. Ignescunt irae, ac duris dolor ossibus ardet Pericli, et similibus, quod consilia pulcerrime cogitata de defensione patriae non procedunt. Sed Ieremias acquiescit in Deo, etiam cum res sunt adversae habet haec remedia Ieremias,

quod scit, Deo obediendum esse, et Deum mirabiliter servaturum esse Ecclesiam, ut apud Esaiam dicitur: Ego gestabo vos, etiam in senecta. Item: Et portae inferorum non praevalebunt adversus eam.

Tertius locus est ab Utili, praemiis et a poenis, discerni poenas atrocium scelerum etiam in hac vita, et tamen post hanc vitam Ecclesia ornabitur aeternis bonis, et impii abiicientur in aeternos cruciatus. Hic igitur tertius locus est in hoc libro, scilicet comminatio, quae denunciat poenas omnibus peccantibus, non solum extra Ecclesiam, sed etiam in Ecclesia, ut inquit: Scio, quod bene erit timentibus Deum, et non bene erit impio.

Hos esse principales locos huius libri certum est. Postea multa dicta de communibus eventibus, et de multis virtutibus miscentur. Sed universa doctrina refertur ad hoc caput: *Deum time, et mandata eius observa*, ubi totum cultum, timorem, fidem et bona opera complectitur. Et ita profuturae sunt huius libri admonitiones, cum adiungitur doctrina fidei, de vero Deo, de conversione seu poenitentia, de agnitione Filii Dei, de iusticia fidei, et de nova obedientia. Concionatur enim auditoribus in vera Ecclesia, quibus Deus se patefecit, et promissiones tradidit. Atque ita placent Deo opera vocationis, et hi labores vitae fiunt cultus Dei, cum fides praelucet, qua coram Deo propter Filium redemtorem iusti reputamur, et hac ipsa fide petitur gubernatio et auxilium a Deo, sicut Dominus inquit: Sine me nihil potestis facere. Item: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Et cum fides regit labores, simul refert eos ad gloriam Dei. Est enim cultus Dei opus a Deo mandatum, factum fiducia Filii Dei, cuius finis principalis est, ut haec obedientia Deo praestet honorem, et ostendat, nos hunc verum Deum invocare, qui se in Ecclesia patefecit. Haec fides etiam affert pacem cordi, quia subiicit nos Deo, statuit Deum adesse adiutorem et liberatorem, de qua Paulus dicit: Pax Dei superans omnia consilia mentis humanae, custodiat corda vestra.

Cum autem variae sententiae in has conciones sparsae sint, prudentia adhibeatur in iudicando discrimine earum. Ac in universum in omnibus scriptis quae continent sententias, genera distingui necesse est. In sacris libris alia dicta sunt Legalia, alia Evangelica, alia Dogmatica, alia Consolatoria, alia simpliciter Narrationes de eventibus, seu bonis seu malis.

Legale est, ut in hoc libro saepe repetitum praeceptum de vocatione: Sedulo facito labores, quos tibi Deus dedit. Et ad praecepta adiungantur comminationes, ut hic: Non bene erit impio.

Evangelica sunt, ut: Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Et huc referantur alia dicta de fide, de invocatione et de consolationibus, quae passim sparsae sunt in divinis concionibus, ut: Petite et accipietis. Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Et in hoc libro: Qui videt bonum de labore suo, donum Dei est. Etsi enim obscurius de fide loquitur, tamen significat, petendum et expectandum esse auxilium, sicut Psalmus inquit: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Congruit et cum hoc dicto: Non erit labor vester inanis in Domino.

Alia sunt Dogmatica, ut de essentia Dei, de providentia, de voluntate Dei, de iudicio. Ut: Alium Deum praeter me nescias, nec est alius Deus. Item in hoc libro: Manifesta et occulta iudicabit Deus.

Consolatoria referantur ad Evangelica, ut: Prope est Deus his, qui tribulato sunt corde. Item: Invoca me in die tribulationis, et ego eripiam te.

Narrationes de eventibus sunt, ut in hoc libro multae sunt: Moritur doctus ut indoctus. Curva non fiunt recta. Non est iustus in terra, qui cum recte facit, non etiam peccet. Et prudenter discernenda sunt dicta, quae continent decisiones et promissiones, a narrationibus, ut: Fortuna quem nimium fovet, stultum facit. Vel: Luxuriant animi rebus plerunque secundis. Et in hoc libro: Vidi in loco iusticiae iniquitatem. Tales narrationes non approbant mala, sed ostendunt, ut moniti consideremus ea, et simus intenti ad cavendum, sicut medicus recenset et describit morbos. Haec dixi de generibus sententiarum in libris propheticis et apostolicis.

Iam considerentur et philosophicae sententiae. In his non sunt Evangelicae et Dogmaticae. Sed sunt aut Legales, aut Narrationes de eventibus, ut: *λαῷ μὴ πίστευε, πολύτροπος ἐστὶν ὅμιλος.*

Discrimen igitur sententiarum, quales sunt Hesiodi, Phocylidis, Theognidis, et earum quae in sacris libris continentur, sit in conspectu. Et saepe narrationes prophanae aliter accipiendae sunt, aliter narrationes in sacris libris. Ut, aliud dicitur in hoc versu: Vitam regit fortuna, non sapientia. Aliud in dicto Salomonis: Non est fortium cursus, neque sapientum panis etc. Quia Salomon praecipit, ut regularia faciamus, convenientia mandatis divinis, et prohibet humanam curiositatem, quae sui fiducia movet res extra vocationem. Prohibet etiam fiduciam nostri in operibus vocationis, et vult peti auxilium Dei, et nos optemperare Deo, sive respondeant eventus, sive non respondeant. Confirmat igitur Salomon sententiam de providentia. Sed in illo prophano dicto: Vitam regit fortuna non sapientia, aliud dicitur.

Extat dictum in vita Pomponii Attici: Sui cuique mores fortunam faciunt. Hoc dictum videtur discrepare ab alia regula: Multae tribulationes iustorum. Sed conciliatio haec est. Alterum est politica regula, congruens cum his dictis: Atrocia scelera puniuntur atrocibus poenis in hac vita. Item: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Contra vero placidior cursus vitae est hominum, qui modeste vivunt. Sed in Ecclesia exceptio est, ubi quanquam Deus multis infirmis parcit, tamen aliquos duriter exercet. Et recte institutis notae sunt causae, quare Ecclesia magis prematur, quam caeteri homines. Oportet enim nos similes fieri imaginis Filii Dei.

Sententia prophetica dicit: Maledictus qui confidit in homine. Id congruit cum dicto: Nervus atque artus esse sapientiae illud Epicharmion: *Μέμνησο ἀπιστεῖν.* Sic et Plato monet, ne spes nobis a fortuna, aut ab hominum coniunctionibus pendeant: sed nihil dicit de fiducia Dei.

Verba Platonis, in epitaphio posita, reddidit Cicero hoc modo: Nam cui viro ex se ipso apta sunt omnia, quae ad beate vivendum ferunt, nec suspensa aliorum aut bono casu, aut contrario, huic optime vivendi ratio comparata est. Recte monet, ne pendeant spes a fortuna, aut ab hominum coniunctionibus. Sed quod deducit nos ad nostras virtutes, non satis est. Oportebat enim nos ad Deum deduci, quia multa accidunt homini, ubi virtus humana sine auxilio Dei succumbit. Hic, etiam cum destituunt nos humana consilia omnia, se vult agnosci et invocari Deus, et pollicetur auxilium. Et res ipsa ostendit, invocantibus mitigari calamitates, sicut dictum est: Prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde. Item: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos. Item: Si peccata vestra erunt sicut coccinum, eritis candidi sicut nix etc.

Pugnare videntur et hoc Ennianum: Fortibus est fortuna viris data. Et hoc Salomonis: Non est fortium cursus. Sed vera conciliatio est. Alterum taxat ignavos. Alterum damnat fiduciam nostrae virtutis, et neglectionem Dei, et tamen verum est, Davidem, cum vincit Goliath, non esse ociosum, non ignavum, non incautum.

Hoc modo prudenter considerandum est in dictis, ad quae genera referenda sint. Et quia sententiae plerunque sunt communes regulae vitae, prodest multas habere familiariter notas, et quia sunt monitrices in vita, et quia gignunt argumenta seu confirmationes et refutationes in omnibus causis, et addunt orationi gravitatem, cum in loco et verecunde intexuntur.

Consideranda sunt etiam personarum discrimina et hyperbolae. Nero dicit: Ferrum tuetur principem. Respondet Seneca: Melius Fides. Item, Graecum illud: *Πάντα ἀνθρώπων μανίωδη εἶναι.* Haec hyperbole nequaquam transferatur ad ea quae sunt ordinata divinitus, ad vocem Evangelii, ad confessionem sanctorum, ad officia legitima gubernationis, educationis institutiones. Talis et haec hyperbole est: Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur. Item: Fata regunt homines, certa stant omnia lege. Haec dicta necesse est corrigi erudita et vera interpretatione.

ARGUMENTUM IN ECCLESIASTEN,

REPETITUM ANNO M. D. LIIII.

Consilia scribentium seu intentionem necesse est in legendo considerare, id est, Cogitandum est quid scriptor voluerit agere, an doctrinam de Propositione aliqua tradat, an vero praecipiat agi aliquid, seu an Consolatio instituatur, et in summa prospiciendus est finis scripti quid velit scriptor auferre aut facere lectorem. Ideo et in Rhe-

toricis libellis genera discernuntur, didascalicon et deliberativum. Haec distributio est commonefactio de considerando consilio seu intentione scribentis, seu de fine orationis.

Primum igitur de libro Salomonis, cui titulus est: Ecclesiastes, hoc dico, principalem partem esse doctrinam, videlicet, asseverationem de providentia, hoc est, de hoc articulo fidei, quod Deus vere sit iudex recte et secus factorum, ac velit nos recta facere, et facientes recta iuxta verbum et vocationem ipsi commendare eventus, etiamsi multi magni labores videntur esse irriti, ut labores Ieremiae, quanquam non impediunt excidium patriae, tamen sunt salutares. Rursus etiam iubet certo statuere Deum puniturum esse non recte facientes, etiamsi interdum differuntur poenae.

Haec asseveratio de providentia est principalis pars libri. Quia vero turbatur assensio de providentia horribilibus confusionibus vitae humanae, videlicet quod multi labores, ac plerique magna specie sapientiae suscepti, sed sine mandato, aliqui etiam suscepti iuxta mandata et vocationem videntur irriti. Item Ecclesia subiecta est cruci, et iusti affliguntur, iniusti vero regnant, tenent imperia et opes, ut Turci et alii. Recitat Salomon haec argumenta turbantia assensionem de providentia, et opponit asseverationem, quae habet testimonium verbi Dei, quod vult Solomon omnibus spectaculis, quae in oculos incurrunt, anteferri.

Hoc doctrinae fundamento iacto, addit deinde regulam vitae: Obedias verbo Dei, iuxta vocationem, nec ab eo discedas propter speciosa rationis consilia, aut propter res secundas aut adversas. Deo autem commendes eventus. Ut propter speciosum consilium discedunt a verbo et vocatione Israëlitae cum petunt regem, et volunt in hac politia divinitus constituta novam formam sua sapientia constituere. Discedit a verbo Dei, constituens novum cultum, Ieroboam, quia nolebat videri se non esse parem regi Iuda etc. Multo magis discedunt a vocatione Marius, Catilina, Antonius, qui motis seditionibus regna constituere conantur. Discedunt a verbo Dei fracti rebus adversus pontifices, Menelaus, Alcimus et alii Maccabaeorum temporibus, et nunc multi moventur potentia et gloria regni Turcici et pontificii, ut deficiant a vero Deo.

Tenenda est igitur regula hic saepe repetita: Obedias verbo Dei, et ipsi commendes eventus, quia certo Deus iudicaturus est. Haec regula et alibi saepe repetita est, ut Psalm. 37.: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Hac regula constituta sequuntue deinde consolationes.

Etiamsi magnae sunt confusiones generis humani. Maxima est multitudo impiorum, et iniusti tenent imperia, iusti opprimuntur, et plurima consilia hominum sine Deo sunt inutilia. Imo et labores piorum in tanta contumacia impiae multitudinis et fugacitate vitae videntur esse irriti, et aliquantisper bene constitutae Ecclesiae et civitates cito turbantur, tamen non discedas a regula: Obtemperes Deo, et in ipso laeteris, nec abiicias mandatos labores et ordinem a Deo institutum.

Hae consolationes saepe repetuntur, sed sunt extructae supra asseverationem de providentia et de venturo iudicio, ut cap. 3. dicit: Iustum et impium iudicabit Deus. Et cap. ult.: Cuncta quae fiunt adducet Deus in iudicium. Et cap. 11.: Pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Ad hoc fundamentum adiungitur praeceptum cap. ult.: Deum time, et mandata eius observa, hoc faciat omnis homo. Et de laboribus mandatis inquit cap. 9.: Quicquid potest facere manus tua omnibus viribus facito. Item capit. 11.: Mitte panem tuum super aquas transeuntes, tamen invenies eum. Sicut Paulus inquit: Labor vester non est inanis in Domino. Adduntur et consolationes ut in Deo acquiescamus et laetemur, cum quidem multa adversa impediant necessarios et utiles labores. Cap. 9.: Vade et comede in laeticia panem tuum, quia Deo placent opera tua.

Hae vitae regulae et consolationes semper sint in conspectu, nec turbetur assensio de providentia variis spectaculis, quae non congruunt cum ordine, ut cum iusti opprimuntur, florent impii etc., nec abiiciantur mandati labores propterea quod multa impedimenta occurrunt.

Est igitur principaliter hoc scriptum δογματικὸν sive διδασκαλικὸν, videlicet asseveratio de providentia confirmans pios contra Epicureas et Academicas opiniones. Deinde adduntur praecepta seu regulae vitae et consolationes, haec reipsa summa est huius scripti.

Caput I.

Verba Ecclesiastae filii David regis Hierusalem.

In titulo nominat se Salomon et Regem et Ecclesiasten, id est, Concionatorem, qua appellatione significat ad officium principum pertinere, ut curent recte doceri Ecclesias, sicut in Psalmo dicitur: Et nunc reges intelligite. Item: Aperite portas principes vestras. Item: in conveniendo populos et reges in unum, ut serviant Domino. Hunc dulcem versiculum saepe cogitare oportebat et principes et populos, quia utrisque praecipitur ut conveniant, id est, tueantur communem congregationem et ministerium vocis divinae, et discant veram doctrinam, et vero consensu Deum invocent, et doctrinam conservare studeant. Huius autem pii consensus reges debent esse duces et autores. Ideo hic quoque Salomon se Concionatorem nominat, significans se velle autorem esse pii consensus in Ecclesia, et custodem verae doctrinae.

Vanitas vanitatum et omnia vanitas, quid habet homo amplius de labore suo quo laborat sub Sole.

Initio ponit obiectionem contra asseverationem de providentia, quasi dicat, quae potest esse providentia, cum labores hominum pariter vel irriti vel infelices sint bonorum et malorum. Non enim loquitur Salomon de rebus ipsis a Deo conditis et manentibus in suo ordine, cum ait: Omnia sunt vanitas. Sed de humanis laboribus, videlicet consiliis, affectibus et conatibus, ideo expressius inquit: Quid homo lucratur suo labore. Item: Quo laborat sub Sole.

Nequaquam igitur comprehendit vanitatis appellatione Deum, verbum Dei et ministeria quatenus reguntur verbo Dei, nec creaturas ipsas a Deo conditas. Nam retinenda est sententia dicti in Genesi: Vidit Deus omnia fecerat, et erant valde bona. Sed loquitur hoc loco Salomon de laboribus sub Sole, id est, in hac aerumnosa hominum vita, in qua homines aut errant consiliis et affectibus, et multa frustra conantur, et miserias cumulant, sicut in fabula dicitur de Asino, de quo sunt versus:

Sis asinus quemcunque asinum sors aspera fecit:
Qui placide sortem ferre scit, ille sapit:

Aut bonis rebus et ministeriis divinis inutiliter miscentur humana consilia et humani affectus. Ut bonae res sunt quaerere victum, regere oeconomias, politias, Ecclesias, tamen quantum inutilium curarum et malorum affectuum miscent homines. Saul conatur traducere regnum ad suos posteros. David sperat se regnum traditurum esse Absaloni. Hae cogitationes longe secus cadunt.

Multo magis falluntur spes et consilia impiorum quanquam speciosa, ut Pompeius, Cato, Marcellus, sperant victoriam in causa (ut putant) iusta, sicut dicunt: Causa iubet superos melior sperare secundos. Brutus et Cassius cogitant, interfecto Caesare veterem formam Reipub. se instauraturos esse. Antonius cogitat, se oppresso Augusto monarcham fore. Denique de irritis conatibus hominum saepissime citantur dicta: *Μάταιοι μάταια λογίζονται δι᾽ ἐπιθυμίας.* Item: Scio Domine non est hominis via eius, id est, solis humanis consiliis et viribus nulla vocatio felix est. Item: Nisi Dominus aedificaverit domum, frustra laborat qui aedificaverit eam. Item: *οὐδεὶς ἀνθρώπων ἐστὶν ἅπαντα σοφός.* Item: Heu pectora quantum coecae noctis habent. Et infra in hoc libro: Stultorum infinitus est numerus.

Inde igitur argumentantur, cum tantae sint confusiones, impii dominentur, pii opprimantur, iusta consilia impediantur, quae potest esse providentia. Huic obiectioni postea respondebo. Imo inquit: Sequitur iudicium, etiamsi nunc confusio ordinis esse videtur, ideo mandatis Dei obtemperato, et scias non omnes labores in ministeriis divinis irritos fore. Sicut et Paulus inquit: Non erit labor vester inanis in Domino.

Oritur Sol et occidit, et ad locum suum redit.

Prius incoavit seu querelam de negociis humanis, sive obiectionem contra asseverationem de providentia, quod labores humani pariter sint irriti, bonorum et malorum, vita ipsa est incerta, et fugax, Alexander, Iulius, in cursu maximarum rerum opprimuntur, non sunt durabilia imperia optime constituta. Post Cyrum mox secuta tyrannis Cambysis, defectio Babylonis, post Darium bello Xerxis afflicta tota Asia. Denique saepe repetuntur querelae:

Magna momento ruunt. Item:
Summisque negatum est
Stare diu, nimioque graves sub pondere lapsus.

Propter hanc instabilitatem rerum humanarum, et varias confusiones, dixit initio, negocia sub Sole vanitatem esse, id est, et fugacia, et plena confusionum. Nunc addit similitudinem sumtam a motibus Solis et aquarum, cuius accommodatio prudenter consideretur: tantum enim proponitur, tanquam imago instabilitatis et revolutionis similium miseriarum in negociis humanis, et significat eas miserias nec consilio nec sapientia humana impediri posse, ut cum fuissent magni tumultus, et crebrae seditiones in Repub. Romana sub Consulibus et Tribunis, postea expetita est monarchia, et redierunt tamen similes miseriae. Ita in Israël, cum in Aristocratia, ante regnum magnae calamitates accidissent, populus voluit regem certum constitui, ac sperabat mutata forma Reipub. feliciorem statum fore. Sed aliquanto post secutae sunt tristiores dilacerationes.

Simplicissima igitur accommodatio similitudinis haec est: Sicut Sol et aqua habent assiduas circumgirationes, et revolvuntur, ita humana negocia una cum miseriis, quae admixtae sunt, revolvuntur, nec consilio aut sapientia humana impediri aerumnae in universum possunt.

In privatis et publicis negociis subinde alia consilia tentantur, ad afferendum statum meliorem, et tamen redeunt similes miseriae. In hanc sententiam dicit nihil novi sub Sole, id est, redeunt similes cupiditates, similia consilia, similes eventus, bellorum causae, bella, et calamitosi exitus, sicut Thucydides inquit: Donec talis erit hominum natura, accident similia, alias minus, alias atrocius.

Inquit igitur: Cunctae res sunt difficiles, id est, multa fiunt, quorum causae provideri non possunt. Cur vincitur Pompeius, in causa ut videtur meliore. Item: Difficilima est gubernatio, cum maxima multitudo nolit emendari, ideo dicit: Perversi non possunt corrigi legibus, vigilantia, et severitate gubernatorum.

Haec tota oratio et querela est de miseriis humanis, et obiectio contra providentiam, postea vero tradet refutationem et consolationem.

Refutatio communis haec est, secuturum esse iudicium, consolatio vero, singulos pro vocatione debere mandatis divinis obtemperare, eosque labores non omnino fore irritos, etiamsi multa adversa accidunt, Tenendam esse regulam: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet.

Obiter observent hic studiosi testimonia, quae affirmant terram stare et Solem moveri: prodest enim habere etiam divina testimonia, contra absurdas opiniones eorum, qui ludentes, labefactant communem physicorum doctrinam. Caeteras physicas disputationes hic omitto.

Ego Ecclesiastes fui Rex, et cogitavi quaerere sapienter, de omnibus quae fiunt sub Sole.

Congruit initio dicere, de consideratione. Quia enim videmus dissimiles eventus, movemur, ut quaeramus de providentia, nec loquitur Salomon de consideratione physica, quae ostendit illustria testimonia providentiae divinae, et tanquam vestigia Dei in tota rerum natura, quia impossibile est, casu existere, et manere pulcerrimum ordinem, in positu, ornatu, et motu corporum mundi, et noticiis naturalibus, et conservatione specierum, et distributione ad diversos usus.

De his testimoniis concionatur Paulus, Rom. 2. et Act. 1. et 17. Sed loquitur Salomon de consideratione consiliorum, actionum, et eventuum in gubernatione politica et oeconomica: ideo expresse dicit se considerasse, ea quae fiunt sub Sole, actiones et eventus humanorum consiliorum, ut Pericles, Demosthenes, Cicero, sunt sapientes gubernatores, et tamen horum speciosa consilia habent tetros eventus, quia antea dixit: Cunctae res sunt difficiles, nec potest homo eas explicare sermone, id est, omnes deliberationes sunt difficiles, quia plerumque utrinque pericula occurrunt. Nec humana sapientia prospicit omnia. Et postea dicitur, sapientia saepe fallit, cum inquit, stultorum non est numerus, seu errata sunt innumerabilia.

Nominat autem Salomon hanc ipsam sapientiam seu deliberationes malam afflictionem, et ait hominibus, a Deo datam esse. Haec videntur absurda, sed primum discernatur vocatio, seu ordo divinus, et hominum infirmitas seu caligo, et dubitationes.

Ordo est, ut coniugium, iudicia, magistratus, quae res suo genere bonae sunt, quatenus ordinatae sunt a Deo, et ordo non turbatur hominum vitiis et furoribus, Sed sapientia Dei rectrix est. In Pericle est mala afflictio, id est,

cruciatus, qui est malum poenae, sicut usitate loquimur. Est autem cruciatus dupliciter, quia dubitatio et error cruciant homines, ut Pompeium cruciat primum dubitatio, deinde error, cum vidit calamitosum exitum. Saepe errant etiam sapientes gubernatores, saepe peccant ambitione, ut Perdicas post Alexandrum, saepe falsa specie iuris, ut Brutus, saepe πολυπραγμοσύνῃ et inquietudine animorum, ut Pericles, saepe ira, ut Marius: deinde etiam bonis consiliis saepe non respondent eventus, ut cum Israëlitae dimicarent cum tribu Beniamin: denique omnes patresfamilias, omnes gubernatores, experiuntur plenam esse gubernationem non solum curarum, sed etiam impedimentorum, erratorum, tristium eventuum, quae omnia valde cruciant animos.

Has aerumnas omnes, simul complectitur Salomon, cum ait, hanc sapientiam rectricem esse malam afflictionem. Hinc sunt poëtica figmenta de Prometheo, qui dicitur affixus in Caucaso. Et de Sisypho volvente saxum, et similia.

Demosthenes inquit, se si retexenda esset vita, malle ad certam mortem ire, quam ad summos honores in Repub. Et Aeschines inquit, laetari se liberatum esse a gubernatione Reipub. ac si liberatus esset a rabiosa cane.

Sed cur dicit, a Deo hanc afflictionem datam esse homini, ut gubernatio sit plena aerumnarum et errorum? Respondeo: Generaliter verum est, Deum velle poenam, seu conversionis causa, sed ad ultimam destructionem, sed tamen inde non sequitur Deum causam esse peccatorum, aut velle, vel adiuvare peccata, quae sunt media ad poenam, vel ultimam destructionem.

Deus servat ordinem suum inter errata gubernatorum, ut servat politiam Israël, etiamsi aliquantisper turbant ordinem, Saul, Absalon et similes. Fit autem Davidi gubernatio aerumnosior, quia vel alii turbant eum, vel etiam ipse suo lapsu, causa est impedimentorum. Quia autem vult Deus homines puniri, seu conversionis causa, seu propter ultimam destructionem, non prohibet media, quae ab humana imbecillitate et a furoribus diabolorum oriuntur, non oriuntur a Deo: et gubernator qui experitur impedimenta magis dolet, quam homo privatus, ut magis dolet David, quam homo privatus. Quanquam publicae calamitates, etiam privatos attingunt, ut in Solonis versu dicitur: Intrant in thalamos, publica damna, tuos. Sed tamen plerunque plus periculi, et miseriarum sustinent summi gubernatores, ut dicitur: βίος ἰδιότων ἄριστος, vita privatorum optima. Item: λάθε βιώσας, maneas in vita privata. Item:

Saepius ventis agitatur ingens
Pinus, et celsae graviore casu
Decidunt turres, feriuntque summos
Fulmina montes.

Item, ὄγκου δὲ μεγάλου πτῶμα γίγνεται μέγα. Fastus magni lapsus fit magnus. Item: Irus et est subito, qui modo Croesus erat. Et apud Euripidem Oedipus inquit: Ego qui reges antecellui sapientia, nunc exeo ex patria velut umbra. Inquit igitur Salomon, in magna sapientia est magna indignatio, id est, in consideratione confusionum humanarum, quae fit sine cognitione voluntatis Dei, et sine fiducia auxilii divini, sequitur magnus dolor, ut Pompeius, Cato, feruntur nescientes causas ruinae suae, cum existiment se iustam defensionem suscepisse, et Cato non cedit fortunae, sed humanis consiliis vult continuare bellum, et magis sese, et Rempub. affligere.

Sic saepissime homines cum consiliis humanis fatales calamitates, vincere conantur, nec volunt cedere Deo, et sine vocatione sua, et necessariis causis tumultuari pergunt, cumulant tantum calamitates, et sibi et aliis, ut Zedechias, Turnus. Ideo dictum est: μὴ παίζειν τὴν τυχὴν, non premito fortunam. Item: μὴ κακὸν ἰῶ κακῷ, ne malum sanato malo.

Dicit igitur hic: Quid addit scientiam, id est, considerationem, et correctiones sine agnitione voluntatis Dei, et sine fiducia auxilii divini, addit dolorem, scilicet magis dolebit fremens adversus Deum, et attrahens maiora mala, non profuturis consiliis, ut reges Iudaici variis practicis frustra se muniunt, cum alias cum Babyloniis foedera fecerunt, alias cum Aegyptiis, alias cum Syriacis.

De talibus consiliis in gubernatione loquitur Salomon, quae magna ex parte a πολυπραγμοσύνῃ et cupiditatibus hominum oriuntur, non loquitur de consideratione physica, in qua plurima sunt illustria testimonia providentiae, bonitatis et praesentiae Dei.

Caput II.

Ut in primo capite generalis querela recitata est, quod multa fiant contra regulam, quae turbant assensionem de providentia: ita in secundo capite specialiter enumerat multa vitae genera, et tandem in tertio capite addit spectaculum, in quo est maxima confusio, quod similis sit interitus hominum et pecorum. Ita prius dixit: Sapientes et insipientes similiter mori etc.

In his dictis sciamus Salomonem loqui de spectaculis, quae incurrunt in oculos tanquam *μιμητικῶς* seu recitative commemorantem argumenta, quae turbant assensionem de providentia, non iam loquitur de iudicio secuturo, de quo postea dicit. Fuit excellens sapientia Palamedis, Theramenis, Socratis, Pompeii, Iulii, Ciceronis, et tamen habent tragicos exitus, sicut multi quibus stulticia fuit exitio. Fuerat cautior Demades quam Demosthenes, et tamen interfectus est, cum quidem in conspectu eius primum filii essent interfecti, sicut dicitur: Vetula vulpes vix capitur, sed capitur tamen.

Finis.

PRAEMONENDA
AD PHIL. MELANTHONIS ANNOTATIONES IN EVANGELIA,
QUAE DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS PUBLICE LEGUNTUR.

Prodiit libellus a. 1544. sic inscriptus:

„Annotationes Phil. Mel. in Evangelia, quae usitato more diebus dominicis et festis proponuntur. Witeb. apud Ioann. Lufft. M.D.XLIIII." (1 Alph. 17 pl. 8.). — Recusus est hic liber Witeb. per Petr. Seitz 1544. — Ibid. 1545. 8.

Melanthon librum dicavit Georgio Helto, dedimusque epistolam supra Vol. V. p. 560. Ex illa apparet, librum invito Melanthone editum esse. Scripsit enim Melanthon ad Heltum inter alia haec:

„Ego domi solitus sum iuvenibus summam doctrinae Christianae, tradere et lectiones usitatas in Ecclesia „proponere, ut ad meditationem de virtute omnium summa, i. e. de agnitione et invocatione Dei assue- „fierent, et alia officia Deo grata discerent. — — Aliquid igitur familiariter disserui de plerisque locis, „de quibus antea meum extat iudicium. Nec existimavi futurum, ut hos domesticos sermones, *quos ipse* „*non scripseram*, quisquam efferret. Quanquam autem prorsus *optarim non esse editos*, tamen mi- „nus succenserem iis, qui spargere coeperunt, si mihi concessissent emendandi spacium, aut si ipsi seve- „rius emendassent has confusaneas conciunculas. Nunc hoc mihi tantum relictum est, ut alienae stulti- „ciae veniam petam."

Posteaquam autem viderat Melanthon, hunc librum multis probari, ipse manum ei admovit, eum emendavit et auxit sic inscriptum:

„Annotationes Phil. Mel. in Evangelia, quae — — proponuntur, recognitae et auctae, adiectis in fine aliquot conciunculis. Witebergae ap. Io. Lufft. 1549." (2 Alph. 1 pl. 8.)

Recusus est hic liber Lipsiae, excudeb. Val. Papa. 1552. 8. — Basileae per Io. Oporinum, 1554. (1 Alph. 21 pl.). — Witebergae 1555. (2 Alph. 2 pl.) — Iterum Lipsiae 1561 et Witebergae 1561.

Hanc posteriorem libri formam recudi curavit Peucerus in operibus Melanthonis Vitebergae editis Tom. III. p. 1 sqq. unde hic librum hausimus.

[*De postilla Melanthoniana.*

Est hic locus commodus, de libro qui „*Postilla* Melanthoniana" inscriptus est, pauca commemorare Christophorus Pezelius, fidelis Melanthonis discipulus, qui etiam Epistolas et Consilia Melanthonis edidit, de quibus Vol. I. in praemonendis exposuimus, edidit etiam librum sic inscriptum:

„***Postilla Melanthoniana***, hoc est, Lectionum Evangelicarum quae more recepto et usitato in plerisque Ecclesiis Christianis diebus dominicis et festis proponuntur: ***Explicationes*** piae ac eruditae Philippi Melanthonis, totius quondam Germaniae praeceptoris: in unum quasi corpus collectae a Christophoro Pezelio, Theologiae Doctore: in quibus grammatica quadam diligentia vocabulorum enarratio traditur, et Circumstantiarum, quae se in concionibus Christi et narrationibus Evangelistarum offerunt: et familiari atque ad captum rudiorum accommodata methodo et orationis genere perspicuo et simplici exponuntur praecipui loci universae doctrinae christianae, et de plerisque locis discrimen monstratur humanae et divinae sapientiae. Pars I. a Dominica Adventus, ad Dominicam Quinquagesimae. Heidelbergae, apud Iosuam Harnisch, impensis Matthiae patris. Anno 1594." (2 Alph. 6 pl. 8.) Pars II. Hanoviae ap. Guil. Anton. 1594. (2 Alph. 19 pl.) — Pars III. ibid. 1594. (2 Alph. 7 pl.) et Pars IV. et postrema, ibid. 1595. (2 Alph. 8 pl. 8.)

Rationem, qua Pezelius hunc librum collegit, ipse narravit in praefatione his verbis: „Instaurata Academia „post bellum germanicum quia Hungari multi germanicas conciones in templis intelligere non poterant, Philippus „Melanchthon in illorum gratiam domi suae instituit diebus festis explicationem Evangeliorum Dominicalium. Mox „aliorum concursu aucta frequentia auditorum, in auditorium publicum transtulit eas sive praelectiones sive con„ciunculas, in quibus familiari sermone, in quibus insigniora singulorum textuum explicare solebat. Nam ut in „docenda iuventute exercitatissimus erat et copia multiplicis doctrinae instructissimus, sic ad captum auditorum „praesentium, quorum plerique adolescentes erant, multi etiam adhuc pueri, enarrationes suas dirigens, tum „grammatica et historica, tum vero etiam catechetica et theologica miscere solebat. — — Etsi autem dictare ille „nihil solebat, extemporaneo sermonis genere utens, ut et subirent animos celerius quae dicebantur, et ipse ad „horae clepsydram plura absolveret, tamen, qui cum manus celeritate in scribendo valerent, pleraque ex ore fa„miliariter disserentis excipere, chartas referre studebant, fuitque tanta aliquorum industria, ut ne πάρεργα qui„dem praetermitterent, quin ea quoque annotarent."

Ex omnibus igitur libris manuscriptis discipulorum Melanthonis in Germania et Hungaria, quoscunque congerere ei licuerit, Pezelius ea, quae ipsi videbantur excerpsit et librum suum confecit. Quam parum autem fidei illi sit tribuendum quisque facile iudicabit, qui cogitet, fieri non posse, ut genuina a spuriis, recte percepta a male intellectis nunc bene discernantur.

Post obitum Melanthonis Paulus Eberus, Pastor Ecclesiae Witebergensis, Evangelia dominicalia in commodum iuvenum ex exteris nationibus enarravit, cuius conciones postea prodierunt sic inscriptae:

„Evangeliorum dominicalium expositio, auct. Paulo Ebero. In lucem edita a Ioanne Cellario." Francof. ad Moen. 1576. 8." (2 Alph. 14 pl.)

quem librum Strobelius commemoravit in bibliotheca Melanthoniana sub nro. 658. Quanquam autem vix dubitandum est, Eberum etiam in usum vocasse, quae vel ipse a Melanthone audiverat vel alii literis mandaverant, tamen nemo nunc definire poterit, quae fortasse in illo libro ad Melanthonem, tanquam auctorem, referenda sint. Neutrum itaque librum, nec Pezelii nec Eberi sive potius Cellarii, Melanthonis scriptis inserendum esse iudicavimus.]

XII. ANNOTATIONES PHILIPPI MELANTHONIS IN EVANGELIA,

QUAE USITATO MORE DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS PROPONUNTUR.

Dominica prima Adventus.

Evangelium Matth. 21.

Et cum appropinquassent Hierosolymis, et venissent Bethphage ad montem Olivarum, tunc Iesus misit duos discipulos, dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea, solvite et adducite mihi. Et si quis vobis aliquid dixerit, dicite: Dominus his opus habet, et confestim emittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam dicentem: Dicite filiae Sion, Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam et pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut praeceperat illis Iesus. Et adduxerunt asinam et pullum, et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum super illam collocaverunt. Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via. Alii vero caedebant ramos de arboribus, et sternebant in via. Porro turbae quae praecedebant et sequebantur clamabant, dicentes: Hosanna filio David, Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in altissimis.

Quatuor sunt praecipui loci huius Evangelii.

I. Pompa ingressus.
II. Quale sit regnum Christi.
III. Qui sint veri cultus in eo regno.
IV. Pompa triumphalis est pictura Ecclesiae.

Primus.

Pompa ingressus est publicum testimonium exhibiti Messiae qui promissus fuerat. Voluit enim Deus esse multiplicia testimonia exhibitae promissionis, ad confirmandos pios, et refutandos impios. Sicut initio Angeli, Pastores, Elisabeth, Zacharias, Iohannes Baptista, fuerunt testes, et accesserunt miracula ipsius Christi, et

sonuit vox Dei de coelo, Hic est Filius meus dilectus: ita habet Evangelium sua testimonia, non est ignotum, tametsi res illae non ita geruntur in conspectu omnium, ut res Alexandri, aut Iulii.

Secundus.

Quale sit regnum Messiae, describitur in dicto Zachariae: Ecce rex tuus venit tibi iustus, salvator, et pauper sedens super asinam etc. Sed tota concio apud Zachariam intuenda est, quae docet regnum Christi non fore politiam mundanam, Non erunt, inquit, deinceps in Israël, equi, quadrigae, arcus belli. Haec descriptio, sicut constat, significat regnum Christi non fore mundanum imperium, sed spirituale regnum, quod etsi in hac carne incoatur, tamen post resurrectionem magis conspicietur, et perficietur. Et hae descriptiones ad totum regnum, incoatum et futurum referendae sunt. Et quidem nominatim de morte Messiae, et modo liberationis concionatur. In sanguine testamenti tui, educes vinctos de lacu, id est, Messias suo sanguine, quo confirmabit testamentum, et pactum vitae aeternae, educet vinctos de lacu, id est, mortuos liberabit a captivitate mortis et peccati. Ideo hic ait, Veniet pauper, id est, non ut victor mundanus, sed ut crucem subiturus.

Prodest autem haec testimonia Prophetarum tenere, non solum contra Iudaeos, sed etiam contra nostros hypocritas, qui non recte intelligunt regnum Christi, non norunt praecipuum beneficium esse, quod delevit peccatum sua morte, quod est factus victima pro nobis. Non norunt hoc apprehendendum esse fide, non norunt hac fide vinci peccatum et mortem, et sic incoari regnum Christi in hac vita, et simul carnem subiici cruci et mortificationi. Interim homines fanatici falso imaginantur regnum Christi, aut esse politiam pontificiam, aut politiam Cynicam, qualis est Anabaptistica.

Tertius.

Quando dicimus, quale sit regnum Christi, et quae sint eius beneficia, addendum est, qui sint proprii cultus in eo regno. Hi quoque proponuntur in hoc triumpho: praecipuus est vera agnitio huius salvatoris, et fides, qua credimus eum factum esse victimam pro nostris peccatis, etc. Sicut Iohannes inquit: Omnis qui credit in Filium, habet vitam aeternam.

Secundus est, hanc ipsam doctrinam celebrare et confiteri, sicut hic pii addunt faustas precationes ex Psalmis, et fatentur hunc esse Messiam.

Benedictus qui venit in nomine Domini: id est, Hic Rex a Deo missus, est benedictus, id est, diligitur, adiuvatur a Deo, magnas res geret, liberabit populum ab aeternis malis.

Hosianna filio David, id est, salutem, prosperitatem, successus impertiat Deus filio David, Deus adsit, gubernet eius certamina. Est autem hic quoque totus Psalmus animo intuendus, qui et ipse describit hoc regnum Christi.

Deinde, reliqui cultus sunt, exuere vestes, id est, in professione fortunam et corpus in discrimen adducere. Item, conferre vestes, id est, fortunas, ad iuvandum ministerium. Item, offerre Christo palmam et oleam, id est, agnoscere eum ducem, non facere contra voluntatem eius, nec servire regno diaboli.

Quartus.

Pictura pompae triumphalis est imago Ecclesiae omnium temporum. Semper hae quatuor personae in Ecclesia considerandae sunt. Christus, Apostoli, auditores, et adversarii. Christus est agnoscendus Rex et Salvator. Hic insidet asinae et pullo, id est, populo legis, et gentibus indomitis, qui sine lege vixerunt. Veri ministri, Prophetae, Apostoli, et alii pii doctores adducunt auditores, et imponunt Christum. Populus pius canit Christo, id est, confitetur eum, substernit vestes, iuvat ministerium, Offert palmas, id est, fatetur esse victorem, et profitetur se quoque subiturum esse certamina, fiducia huius victoris, et tamen huic palmas offert, agnoscit se vincere per istum et huius auxilio, Offert oleas, id est, petit ab eo pacem, et fatetur esse autorem aeternae pacis cum Deo. Sic enim olim triumphantes reges excipiebantur: per palmas tribuebatur eis laus victoriae, oleae significabant victos pacem petere.

Iam meminerimus nos quoque in hoc coetu esse. Substernimus vestes, cum iuvamus ministerium, aut venimus in periculum propter confessionem. Offerimus palmas, cum labores et certamina subimus spectantia ad gloriam Christi. Sic studia piorum sunt palmae. Offerimus oleas, cum praedicamus et pacis autorem, et ipsi veram pacem Ecclesiae adiuvamus, retinemus etc.

Pontifices autem et Pharisaei ardentes odio Christi et indignantes, vetant eum sic excipi. Tales sunt semper hypocritae adversantes Evangelio. Quare non deterreamur ab Evangelio, propter iudicia Pontificum et Pharisaeorum. Sciamus Ecclesiam semper in talibus certaminibus versari.

Econtra etiam cogitanda est contraria pictura Pontificum, sese imponentium tergo populi, id est, anteferentium impios et idolatricos cultus mandatis Dei. Item, conculcantium Christum, et membra eius.

Habent autem et impii, qui oleas et palmas, id est, assentatione impiis Pontificibus offerunt, saxa vero iaciunt in Christum. Has imagines oculis proponamus, ut nos de discrimine verae et falsae Ecclesiae admoneant, et agnitionem Christi, et veros cultus exuscitent, et confirment adversus scandala, hoc est, potentiam et autoritatem adversariorum.

Dominica II. Adventus.

Evangelium Lucae 21.

De signis novissimi iudicii.

Erunt signa in Sole et Luna et Stellis, et in terris anxietas gentium per desperationem resonante mari et fluctu, extabescentibus hominibus prae timore et expectatione eorum, quae supervenient orbi terrarum: nam virtutes coelorum movebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate et gloria magna. His autem fieri incipientibus, suspicite et attollite capita vestra, quoniam appropinquat redemtio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficum et omnes arbores, cum protrudunt iam gemmas, cernentes, ex vobis ipsis scitis, quod iam instet aestas. Ita et vos, cum videritis haec fieri, scitote, quod instet regnum Dei. Amen dico vobis, non praeteribit aetas haec, antequam omnia facta fuerint. Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

Concio Christi miscet duas materias, praedictionem excidii Hierosolymae, et calamitates postremi temporis mundi.

Recenset autem praecipue has calamitates, tyrannides contra Evangelium, sectas, idolatriam in Ecclesia, regnorum casus et mutationes, corporum coelestium ruinas. Addit autem duo praecepta, alterum de temperantia et cura pietatis, alterum de oratione, et docet mitigari calamitates oratione. Addit et consolationem piorum.

Secundo. Fuitne opus aliqua futura praescire? Respondeo: Deus et iudicium futurum praesciri voluit, et calamitates Ecclesiae in hac vita. Primum de iudicio. Quia cum differantur poenae et praemia, praemonendi fuerunt homines de futuro iudicio, ne cogitarent mundum casu regi, et nullas esse scelerum poenas, nulla praemia iusticiae. Ergo ut sciamus Deo curae esse humana, et metu poenarum et expectatione praemiorum exuscitemur ad obedientiam, haec praedici necesse fuit.

Quare ab initio mundi extitit doctrina de novissimo iudicio, ut in prima concione ad Cain: Peccatum quiescet, donec revelabitur. Cum ait, Peccatum quiescet, significat futurum ut differantur poenae, sed postea inquit, Revelabitur peccatum, id est, ostendetur ira Dei adversus peccatum. Iam cum plurima peccata hic non revelentur, non puniantur, necesse est aliud iudicium sequi.

Et postea Enoch concionatus est de novissimo iudicio, ut scriptum est in Epistola Iudae: Veniet Dominus facere iudicium. Et deinde Prophetae, ut Esaias capite ultimo: Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea, dicit Dominus, et egredientur, et videbunt cadavera virorum, qui praevaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, et ignis eorum non extinguetur. Deinde Christus et Apostoli hanc doctrinam clarius tradiderunt.

Iam nos cogitatione iudicii ad timorem et fidem excitemus. Ideo enim praedictio divinitus proposita est, et non fallet. Humanae mentes naturaliter avidae sunt cognitionis futurorum, et Deus vult quaedam praevideri, vult nos extendere animos in agnitionem venturarum rerum. Ideo res maximas et necessarias praedixit. Sed his neglectis humana curiositas quaerit levia et inutilia.

Tertio. Quare calamitates Ecclesiae et mundi praedictae sunt?

Primum, ut sciamus non regi mundum casu, non fieri Deo nesciente, quod hic iusti affliguntur.

Item, si non essent praedictae calamitates Ecclesiae, dubitaremus, an haec esset Ecclesia,

quae est oppressa, praesertim cum veniente Messia omnes laeta expectarent.

Item, de erroribus fuerunt edendae praedictiones, ut eos caveremus, ut cum Paulus ait, Prohibitionem coniugii esse doctrinam daemoniorum, seu cum Christus ait, In templo fore desolationem abominandam.

Item, sanctos oportuit praemoneri, quod finis miseriarum futurus sit, ne desperarent.

Item, praedictiones de monarchiis sunt testimonia, quae probant doctrinam huius populi divinam esse. Item, admonent sanctos de tempore adventus utriusque.

Has causas praedictionum consideremus, et nostros animos cogitatione certitudinis earum confirmemus, ut repugnemus impiis, et expectemus liberationem, quam ipsae mutationes regnorum significant, non procul abesse. Daniel testatur destructa quarta monarchia venturum iudicium. Ezechiel testatur paulo ante extremum iudicium Gog et Magog (id est, gentes Scythicas) pervastaturos esse Ecclesiam, quod iam manifeste faciunt Turci, et celeritas cursus eorum, ac magnitudo successuum significat accelerare novissimum diem. Et pene completum est tempus praedictum ab Elia: Sex millia mundus, et postea destructio.

Sicut igitur Christus de Vere ait, coniecturam fieri ex ficu, ita collatione Prophetarum nos admoneamus de fine mundi, seu de novissimo iudicio. Haec de praedictionibus utile est cogitare, ut animi praeparentur, et confirmentur in fide, excitentur ad timorem et obedientiam.

Quarto. Praecepta etiam considerentur. Significat Christus futurum, ut postremo tempore crescant, luxus, superbia et avaricia. Id fieri in conspectu est. Ideo praemonet Christus, inquiens : Cavete ne corda vestra graventur crapula, ebrietate, et curis victus.

Secundum praeceptum de oratione, dulcissimam consolationem continet, quia testatur mitigari calamitates oratione. Sed meminerimus non posse Deum invocari mala conscientia. Ideo agenda est poenitentia, et urgendus cursus bonae conscientiae in fide, ne opprimamur ingentibus ruinis postremi temporis, praesertim cum videamus iam in conspectu grassantes Gog et Magog, qui delere Ecclesiam funditus conantur. Adversus hos dimicemus oratione.

Dominica III. Adventus.

Evangelium Matth. 11.

Cum audisset Ioannes in carcere facta Christi, missis duobus discipulis suis, dixit illi: Tu es ille qui venturus est, an alterum expectamus? Et respondens Iesus dixit illis: Ite et renunciate Ioanni ea, quae auditis et videtis: Coeci visum recipiunt, et claudi ambulant, Leprosi mundantur, et surdi audiunt, Mortui excitantur, et pauperes laetum accipiunt Evangelii nuncium. Et beatus est quisquis non fuerit offensus in me. Euntibus autem illis, coepit Iesus dicere turbis de Ioanne: Quid existis in desertum ut videretis? Num arundinem, quae agitatur a vento? Age, quid existis ut videritis? Num hominem mollibus vestibus amictum? Ecce qui mollia gestant in domibus regum sunt. At, quid existis videre? Num Prophetam? Certe dico vobis, et excellentiorem Propheta. Hic est enim de quo scriptum est: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui praeparaturus est viam tuam ante te.

Quinque sunt loci.

I. Testimonium doctrinae.
II. De scandalo Crucis, et specie Christi et Ecclesiae.
III. De officio et constantia Concionatoris.
IV. De officio Iohannis, et collatione Ioannis et Christi.
V. De discrimine Veteris ac Novi Testamenti. Lex et Prophetae usque ad Ioannem.

De primo.

Miracula perpetua totius Ecclesiae intuenda sunt. Et quanquam apud gentes acciderunt interdum quaedam inusitata, tamen nunquam extra Ecclesiam facta est resuscitatio mortuorum. Item miracula ethnica nunquam fuerunt servationes universales, sicut servatio Nohae, aut eductio ex Aegypto, aut perpetua conservatio Ecclesiae inter tantas procellas. Allegat igitur Christus miracula, ut confirmaret auditores, Et quia Prophetae praedixerant, Messiam haec miracula facturum esse, admonet ut agnoscant Messiam, et sciant tempus iam adesse, de quo dixerunt Prophetae.

De secundo.

Beatus qui in me non fuerit scandalizatus, Offendit omnes sapientes infirma species Christi. Et Iudaei longe aliam imaginationem de regno Messiae habebant. Ideo admonet nos, ne offendamur hac infirma specie, et docet opponere vera testimonia, scilicet verbi et miraculorum.

Est et similis Ecclesiae species, quae est infirma, aerumnosa, dissipata. Ideo hic dicit: Pauperibus evangelizatur, significans qualis sit Ecclesia.

Recenset autem et hoc inter miracula, quod Ecclesia sit talis coetus. Nam et Prophetae inter signa Messiae et miracula haec posuerunt, et Maria inquit: Exaltavit humiles. Magnum enim miraculum est, quod colligit Deus Ecclesiam ex miseris, abiectis, credentibus, et hanc opponit potentiae diaboli et mundi, et glorificat eam magnis operibus, et conservat. Sicut Psalmus inquit: Mirificat Deus sanctum suum. Interim vero pereunt monarchae et potentes.

Praeterea ipsi credentes intelligunt hoc esse singulare et admirandum opus Dei, quod Deus exaudit, respicit, vivificat afflictos, quod in sola Ecclesia docetur, et omnibus hominibus, et omnibus gentibus ignotum est, ignaris Evangelii.

De tertio.

Constantia Iohannis ornatur egregio encomio, quam vult exemplo esse docentibus in Ecclesia. Econtra aularum sapientia est, inflectere se ad navis latus felicius. Et omnibus aetatibus accidit, ut aulae voluerint attemperari religiones ad suas utilitates, et inveniuntur levia ingenia, quae serviunt Principum cupiditatibus. Sed hortatur omnes doctores Christus, ut Ioannis constantiam imitentur.

De quarto.

De officio Ioannis, et collatione Christi, Non surrexit maior, scilicet in officio. Etsi enim Prophetae fuerunt gubernatores politici, et repurgatores Ecclesiae, et doctores Evangelii, tamen non incoaverunt totum ministerium novi Testamenti, videlicet, praedicationem Evangelii et Baptismum, non ostenderunt praesentem Christum, non incoaverunt universalem vocationem gentium.

Quod autem addit Christus, Qui minor est in regno coelorum, maior est eo, hoc dictum de persona Christi intelligo, qui vocat sese minorem, quia revera Christus vera cordis humilitate vincit omnes angelos et homines, Cum enim perfecte norit patrem, perfectissime tribuit ei summum honorem, et se infra eum abiicit longius, quam ulli angeli aut homines. Arbitror etiam propter tantam humilitatem a superbis angelis despectum fuisse, et hoc peccato lapsos esse angelos.

Deinde in passione, Christus revera etiam depressus est infra omnes homines, sicut Esaias inquit: Vidimus eum despectum, et novissimum virorum. Item: Ego sum vermis, et non homo. Hanc humilitatem Christi consideremus, et discamus deprimere superbiam nostram, admirationem nostri, fiduciam nostri, contemtum aliorum, impatientiam, securitatem, cupiditatem vindictae, et similes affectus, qui oriuntur a superbia, sicut ipse dicit: Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde.

Dicit autem Christus se maiorem esse, scilicet persona et officio, quia Christus non est tantum doctor, sicut Ioannes, sed ipse redemtor, sanctificator, vivificator, cuius fiducia accipimus remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, et vitam aeternam. Ideo ait Ioannes: Ego baptizo aqua, id est, ministerio: Christus baptizabit Spiritu sancto, id est, dabit remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, et vitam aeternam.

De quinto.

Lex et Prophetae usque ad Ioannem, id est, politia Moisi et ceremoniae desinunt in Ioanne, et hoc dictum tanquam regula teneatur, confirmans abrogationem politiae Moisi et ceremoniarum, postea sequitur ministerium spirituale Evangelii, quod Ioannes incoat, arguit peccata, et praedicat remissionem peccatorum propter agnum Dei etc.

Si quis obiiciat, Si lex usque ad Iohannem, ergo postea non est praedicanda? respondeo breviter ad antecedens: Dictum loquitur de politia Moisi, et non de ministerio spirituali, quod est omnium temporum, usque ad vitam aeternam. Manet enim vox Dei, arguens peccata, quae est aeterna lex, et additur vox Evangelii de remissione peccatorum.

Regnum coelorum vi invaditur, et violenti rapiunt illud, id est, non ignavi, non timidi, non cedentes minis, aut terroribus diaboli. Non enim potest regnum coelorum obtineri, sine veris certaminibus, publicis et privatis. Adolescentes

dimicent cum suis cupiditatibus, sciant esse opus aliqua contentione ad domandas cupiditates. Secundes dimicent cum persecutoribus Evangelii, cum infidelitate, et aliis morsibus diaboli, hoc docet dictum, violenti rapiunt, scilicet certantes et praeliantes adversus diabolum.

Dominica IIII. Adventus.

Evangelium Iohan. 1.

Hoc est testimonium Iohannis, quando miserunt Iudaei ab Hierosolymis Sacerdotes et Levitas, ut interrogarent eum: Tu quis es? Et non negavit, et confessus est, inquiens: Non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum: Quid ergo? Elias es tu? Et dicit: Non sum. Es tu Propheta? Et respondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es? ut responsum demus iis, qui miserunt nos. Quid dicis de te ipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto, Dirigite viam Domini, sicut dixit Esaias Propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisaeis, et interrogaverunt eum, ac dixerunt ei: Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo aqua, sed in medio vestrum stat, quem vos nescitis, ipse est, qui post me venit, qui prior me est, cuius ego non sum dignus, ut solvam lorum calciamenti. Haec in Bethabara facta sunt trans Iordanem, ubi Ioannes baptizabat.

Loci *sex* sunt.

Primus. Quod oporteat extare testimonia de Christo, sicut statim initio post nativitatem de eo Angeli, Ioseph, Pastores, Simeon, Anna, Magi, Zacharias, et nunc Ioannes de eo testatur, deinde accesserunt miracula. His testimoniis multi vocati sunt ad Evangelium, et fides piorum confirmata est. Item, hic cernitur quae fuerit Ecclesia in hoc populo, scilicet exiguus coetus credentium.

Secundus. De vocatione, an liceat docere, ceremonias instituere, non vocato ab ordinaria potestate. De hac re hic praecipua quaestio est, et semper magna contentio est ordinariae potestati cum Prophetis, quos mittit Deus extra ordinem, ad reprehendendam ordinariam potestatem. Ideo hic expostulant sacerdotes cum Iohanne, qui abducebat populum ab ordinario ministerio, tradebat novum verbum, recipiebat gentes, instituebat novam ceremoniam, Haec fiebant omnia sine autoritate summi sacerdotis. Iohannes respondet de vocatione sua, inquiens, se divinitus missum esse, et allegat verbum *Dei* ex Esaia.

Sic in genere omnes, qui sunt in ministeriis, debent reprehendere impiam doctrinam, sive ordinaria potestas assentiatur, sive non. Iuxta illud: Oportet Deo magis obedire quam hominibus. Docet igitur, cum discedimus ab ordinaria potestate, discedendum esse mandato divino, scilicet, ne approbemus impiam doctrinam, aut impios cultus.

Tertius. Confessio Iohannis est exemplum constantiae, et perspicuae confessionis. Non deterretur autoritate Pontificum, et clare confitetur, quae sit sua vocatio, quod munus, quis sit, et testatur de Christo, quod sit Filius Dei, quod fuerit ante assumtam naturam humanam, quod sit agnus *Dei*, id est, victima.

Quartus. Exemplum pertinaciae et coecitatis sacerdotum, qui discedunt hostili animo, spreto testimonio Iohannis.

Quintus. Quid differat Baptismus Iohannis a Baptismo Christi. Ceremonia nihil differt, et Iohannes est primus, per quem ceremonia divinitus instituta est. Nec effectus differt, requiritur fides, sive Iohannes, sive Apostoli baptisent. Et sic fide proderat Baptismus Iohannis, sicut postea prodest Baptismus Apostolorum.

Sed inter personam Iohannis et Christi est discrimen: Iohannes, id est, omnes ministri, baptisant aqua, id est, administrant ceremoniam et verbum. Christus igni baptisat, id est, dat Spiritum sanctum, qui iudicat et arguit peccatum in nobis, et affert novam vitam, et lucem.

Sextus. Quis sit Christus. Iohannes clare testatur, hunc Iesum esse Filium Dei, et quidem antea fuisse, ante assumtam humanam naturam, affirmat esse redemtorem, passurum pro mundo. Ideo inquit: Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, id est, est victima a Deo proposita, sola placens Deo, sustinens poenas pro peccatis mundi, etc. Hic simul interpretatur sacrificia legis, quod fuerint tantum signa huius futuri sacrificii, et non iustistificaverint.

Die natali Christi,
Evangelium Iohan. 1.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, et sine eo factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebrae eam non apprehenderunt. Erat homo missus a Deo, cui nomen Ioannes. Hic venit ad testificandum, ut testaretur de luce, ut omnes crederent per ipsum. Non erat ille lux, sed missus erat, ut testaretur de luce. Erat lux illa vera, quae illuminat omnem hominem venientem in mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit. In sua venit, et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, videlicet his, qui credunt in nomen ipsius, qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis, et conspeximus gloriam eius, gloriam velut unigeniti a Patre, plenum gratia et veritate.

Initium Evangelii Iohannis docet, quis sit Christus, et quam ob causam venerit in mundum, Quod sit discrimen legis et Evangelii, Quae sint propria Christi beneficia. Haec apto ordine exponuntur. Ac ut alii Evangelistae initio describunt nativitatem ex virgine, ut testentur Christum esse natum ex semine David: ita Iohannes describit initio nativitatem aeternam, dicit, quae sit persona Filius Dei ante assumtionem humanae naturae.

Ideo autem Iohannes de hoc articulo clarius concionari voluit, ut Hebionis et Cerinthi errorem refutaret, qui docuerant in Christo tantum esse humanam naturam, sicut nunc quoque Iudaei de Messia somniant: hos ut refutaret Iohannes, testatur in Christo duas esse naturas, divinam et humanam, ac de divina sic dicit: In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum.

Credamus voci Spiritus sancti de Dei natura, non humanis cogitationibus, et agnoscamus immensam magnitudinem bonitatis divinae erga nos, cum intelligimus admirabili consilio aeterni Patris constitutum, ut hic Filius, qui apud ipsum ab aeterno fuit, ad nos descenderet, ac fieret victima pro nobis, et rex noster, defensor, adiutor et salvator. Quo pignore potuit Deus magis testari, quod vere nos curet et diligat, quam dato Filio, cui vere communicavit essentiam suam? Sicut de consilio Patris et ipse Christus inquit: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret etc.

Haec cogitare utile est, ut sciamus postulare et velle Deum, credi haec de sua voluntate, quod propter hunc Filium vere nos diligat, quod velit invocari fiducia huius Filii, quod hanc tradiderit normam, quae veros cultus a falsis discernit. Quanquam Iudaei et Mahometistae invocant conditorem coeli et terrae, tamen quia non invocant eum mentione et fiducia Filii, repudiat et abominatur eorum cultus: sic vult invocari et coli, ut ipse se patefecit, mentione et fiducia Filii mediatoris. Haec in Ecclesia moneri necesse est, et propterea Iohannis concionem haec docentem meditemur, et sicut inquit Basilius, imprimamus cordibus tanquam sigillum.

Quia vero diabolus odit Filium Dei, et impulit multa levia ingenia, ut hanc doctrinam Iohannis depravarent, praesertim alioqui extra conspectum rationis positam: ideo piae mentes diligenter admonendae sunt, ut veram, certam et perpetuam catholicae Ecclesiae Dei sententiam retineant, et tradant posteris. Sumta est autem narratio ex Gen. 1. ibi describitur Deus dicens, ita hic Iohannes ait, In principio fuisse verbum apud Deum.

Primum ergo discas ex eo loco, quid sit *Deus.* Quia enim dicit, est substantia intelligens: et quia ante omnia est, est aeternus: et quia condidit omnia, est omnipotens, et est bonus, bona volens et dans creaturis.

Secundo, quod hic ait Iohannes, Verbum fuisse in principio, discas eum hoc velle, quod fuerit coaeternum Patri. Erat, inquit, in principio, quasi diceret: Non est conditum, sed erat ante conditionem.

Quare autem vocat Verbum? Hic firmissimis pectoribus retineamus sententiam, quod λόγος significet personam, ut postea textus clare ostendit. Cur autem vocetur λόγος, alii aliam expositionem tradiderunt. Iohannes sumsit a Moise,

qui ait: Deus dixit. Sed primum recensebo explicationem, postea refutabimus calumniatores, qui hunc locum depravarunt. Irenaeus ait Filium dici λόγον, quia est persona loquens cum patribus, sicut hic Iohannes inquit: Filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Et Ambrosius et Hilarius dicunt, Filium cum patribus locutum esse.

Basilius et alii dicunt, Filium dici λόγον, quia sit imago patris, genita a patre sese cogitante: pater enim intuens sese, gignit cogitationem, quae vocatur Verbum, quae cogitatio est imago patris, in quam imaginem pater, ut ita dicamus, transfundit suam essentiam. Haec imago substantialis patris est altera persona, et dicitur Verbum. Sequitur in textu.

Et Verbum erat apud Deum.

Hic personae discernuntur, Pater et Filius. Deinde, ut tamen sciamus, Filium non esse creatum ex nihilo, sed vere natum ex substantia patris, et esse lumen de lumine, ut inquit symbolum, ideo additur: Et Deus erat verbum. Hic clare affirmat λόγον esse Deum, ergo et ipse λόγος est persona divinam essentiam habens. Nam λόγος ponitur subiecti loco, et Deus, tanquam describens quid sit λόγος, ponitur praedicati loco.

Sicut autem Iohannes vocat Filium λόγον, sic in Epistola ad Ebraeos dicitur fulgor gloriae, et imago substantiae patris. Haec verba describunt aliquo modo Filium et generationem: quia enim dicitur imago, est alia persona similis patri, sapientia, iusticia, potentia, et quia est fulgor paternae essentiae, significatur communicata essentia. Sequitur autem in Iohanne:

Omnia per ipsum facta sunt, Et sine ipso factum est nihil, quod factum est.

Haec sententia saepe repetita est in scripturis, ut ad Colossenses et Ebraeos: Per quem fecit secula, et in Iohanne: Mundus per ipsum factus est. Est autem illustre testimonium, quod λόγος sit omnipotens, et cum patre conditor rerum.

Sed diserte dicitur: Per Filium omnia condidit, quasi patre deliberante cum Filio et statuente, ut cum ait: Faciamus hominem ad imaginem nostram. Sed de modo non disseramus, tantum testimonia meminerimus, ut sciamus Filium esse omnipotentem, et opitulatorem nobis a patre donatum, et cum patre invocandum. Cur additur:

Sine eo factum est nihil, quod factum est.

Non dubito quin discernat hic condita a non conditis, quasi dicat: Videtis in mundo coelestia corpora, elementa, plantas, animantia, homines, certas leges coelestium corporum, vires plantarum, generationes, videtis et homines praeditos esse mente et intelligentia. Haec omnia agnoscitis esse pulcerrima, optima, ac testari, esse aliquam aeternam mentem architectatricem. Sed praeter haec in tam pulcra rerum omnium natura, videtis in hominibus peccatum et mortem, miramini infinitam confusionem vitae humanae, quae religionum et imperiorum dilacerationes? quantum in singulis hominibus est viciosarum cupiditatum, erroris et lapsuum? Quam multi insontes et benemeriti pereunt tragicis casibus?

Haec mala tanta sunt, ut ea intuentes profani, obliviscantur pulcritudinem mundi, et incipiant dubitare de causa mundi. Magis enim moventur conspectu ingentium malorum, quam pulcritudinis naturae. Hinc sunt illa Epicurea. Sed sors incerta vagatur, Fertque refertque vices, et habent mortalia casum.

Discerni igitur apud Iohannem necesse erat opera Dei, ab illa mole miseriarum non condita. Ideo Iohannes inquit, ea tantum per Filium facta esse, quae sunt condita, id est, ipsam pulcerrimam et optimam rerum naturam, alia vero quae irrepserunt, scilicet peccatum et mortem non condita, non esse orta a Deo volente et efficiente, sicut scriptum est: Non Deus volens impietatem tu es: et Ose. 13.: Perditio tua ex te est Israël, tantum in me auxilium tuum.

Ergo Iohannes, ut discernat et excludat ab operibus Dei mala, sic locutus est: Sine ipso nihil factum est, quod factum est, quasi dicat, tantum opera, quae condita sunt, sunt per eum condita, non alia, quae postea accesserunt non condita, scilicet peccatum et mors, quae sunt destructio naturae et operum Dei.

Praeterea cum ait: Omnia per ipsum facta sunt, non tantum intelligatur fabricatio mundi, sed etiam comprehendantur omnes mirandae liberationes in Ecclesia factae ab initio. Quia hic λόγος est Emmanuel, id est, Deus nobiscum agens, nos defendens contra diabolum. Iohannes in-

quit: Filius qui est in sinu patris, ipse revelavit nobis. Hic Filius locutus est cum patribus, dedit promissiones, servavit Nohe, Abraham, Ioseph, Moisen ereptum ex undis, affuit populo cum educerentur ex Aegypto, sicut inquit Paulus de comitante petra, gubernavit manus Iosuae, Gedeonis, Davidis contra diabolum. Quare sicut eum agnoscebant venturum, ita nos agnoscamus exhibitum, et invocemus ut nos adiuvet, sicut de eo Iohannes concionatur: Filius Dei venit, ut destruat opera diaboli, Ergo invocemus Filium Dei, ut defendat Ecclesiam suam contra Turcas, et alios hostes. Item, ut regat mentes nostras, et sanctificet Spiritu sancto, sicut inquit: Veniemus ad eum, et mansionem faciemus. Sequitur:

In ipso vita erat.

Id est, hic λόγος est vivificator, non tantum dans naturalem vitam et motum rebus, sed etiam peculiariter Ecclesiam liberans ab aeterna morte: interim enim significat se loqui de liberationibus in Ecclesia. Iacob adversus fratrem servatus est, Moises ex undis ereptus. Ita servati et vivificati sunt et caeteri sancti per Filium Dei, per quem et ab aeterna morte liberati sunt.

Et vita erat lux hominum.

Hic ipse vivificator et semper ab initio est illuminator Ecclesiae, sicut antea dictum est: Filius qui est in sinu patris, ipse revelavit nobis, et postea cum apparuit, illuminat Ecclesiam. Idem enim verbum et patribus et nobis impertit, et creat hoc verbo lucem novam, id est, firmam, illustrem et vivificam noticiam Dei in mentibus credentium, sicut alibi dicitur: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum Christum.

Haec est simplex de luce sententia: alii hic de luce corporali disputant. Quanquam autem verum est, et corporalem lucem per eum conditam esse, ut caetera corpora, tamen hic loqui Iohannem praecipue de alia luce, quae est noticia voluntatis Dei, et incoatio vitae aeternae, sequentia verba indicant, cum dicitur: Et tenebrae lucem non comprehenderunt. Hic enim discernitur Ecclesia vera ab impiis non agnoscentibus lucem, scilicet Filium Dei, nec habentibus veram Dei noticiam. Est autem diligenter observandum, quod totum genus humanum, vocat tenebras, praeter illos solos, in quibus est noticia Filii Dei, seu in quibus suam lucem per Evangelium accendit.

Habes igitur primam doctrinam in hoc textu, de Filio Dei, quod sit persona genita ab aeterno patre de eius substantia et coaeterna, et quod non sit ociosa: sed quod per eam res bonae omnes conditae sint, et factae mirandae liberationes in Ecclesia, et quod sit vivificator, liberator et illuminator Ecclesiae. Sequens concio describet assumtionem humanae naturae.

Inserit autem prius testimonium Iohannis Baptistae, et diserte dicit, Iohannem Baptistam longe infra Messiam esse, videlicet ministrum doctrinae, nec esse vivificatorem aut illuminatorem, quae proprie competunt Filio Dei, efficaci in mentibus nostris, et danti Spiritum sanctum. Postea sequitur repetitio de Filio Dei: *In* mundo erat, et mundus per ipsum factus est. Hic cum loquatur de Christo qui apparuit, manifeste ostendit in eo naturam divinam esse, quia dicit: *Mundus per eum factus est.* Non erat autem mundus conditus per humanam naturam.

Quod dicit: *Illuminat omnem hominem*, significat primum per ipsum revelari verbum, quod ad omnes pertinet. Seu illuminat omnem hominem, scilicet qui illuminatur, sicut infra inquit: De plenitudine eius omnes accepimus.

Est etiam inserta sententia de appellatione: quomodo consequamur vitam et lucem, scilicet fide.

Dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomen eius.

Et addit, regenerationem nostram, non esse carnalem, sicut Anabaptistae imaginantur, ex sanctis nasci filios sine peccato, quia dicit:

Non ex sanguinibus.

Id est, fiunt filii non carnali generatione.

Neque ex voluntate carnis, aut voluntate viri.

Id est, non adoptione humana vel legali, nec humano studio seu imitatione. Respicit autem Iohannes ad populum legis, significans populum Dei esse non tantum semen Abrahae, neque legales filios, hoc est, circumcisos ex gentibus, id est, insertos politiae Mosaicae, fore populum, sed simpliciter Ecclesiam Dei esse, omnes rena-

tos fide filii Dei, sive Iudaei fuerint, sive gentes, sine discrimine locorum aut gentium, etc.

Et Verbum caro factum est.

Cum ait: Verbum caro factum est, testatur Filium Dei assumsisse humanam naturam, et Christum esse personam, in qua sunt duae naturae, λόγος lucens in tota natura, et natura humana assumta, id est, corpus et anima.

Usus est autem Iohannes appellatione carnis, ut significaret infirmitatem naturae assumtae, quae fuit sine peccato, sed tamen subiecta morti, sicut dicitur ad Philippenses: Habitu inventus ut homo humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem. Quanquam igitur hic caro significat totum hominem, tamen emphasis observanda est, dici carnem ad significandam mortalitatem.

Postea allegat Iohannes testimonia: Vidimus gloriam eius, id est, miranda opera, resuscitationem mortuorum, et alia, fuit igitur dator vitae et omnipotens.

Iam cognita hac narratione Iohannis, facilis est refutatio Samosateni et Arii. Samosatenus vafre elusit textum, negans verbo significari personam, sed propositum Dei volentis condere humanum genus, et salvare per quendam excellentem hominem. Ad hanc imaginationem detorsit Iohannis narrationem.

Sed firma est refutatio, cum dicitur: Verbum caro factum est, id non potest intelligi de verbo vocali, vel de cogitatione, quae est ipse aeternus pater, sed necesse est de aliqua persona intelligi. Item, de Christo dicitur: Mundus per ipsum factus est. Iam si Christus tantum esset homo, nec maneret in eo natura divina, sic dici non posset, Ergo λόγος significat manentem personam.

Nec difficilis est Arii refutatio, si consideremus, quae fuerit principalis quaestio. Arius concedebat Verbum esse personam, sed negabat esse de substantia aeterni patris, ac contendebat ex nihilo creatum esse. Hic necesse fuit refragari. Et refutatur hoc testimonio, Iohannes ait: Deus erat verbum, loquitur autem hic de Deo proprie, non metaphorice. Item, ad Ebraeos dicitur: Fulgor et imago substantiae patris, Ergo vere est de substantia aeterni patris. Item, toties vocatur unigenitus Filius Dei, ut discernatur a filiis adoptione. Cur igitur sit proprie filius nativitate, necesse est eum esse de substantia patris.

Postea sequuntur descriptiones donorum et officii. *Plenus* gratiae, id est, patri placens prae omnibus, sicut dicit: Hic est Filius meus dilectus. Et Ephes. 1.: Propter hunc dilectum dilexit nos. *Plenus* veritatis, id est, verae noticiae Dei, et vere iusticiae.

Ante me est, seu anterior me, id est, praestantior vocatione, et gloria seu potentia. *Quia* prior me erat, id est, coaeternus patri et ab aeterno ordinatus ad hoc officium, et primus propter quem Deus dilexit Ecclesiam, et qui fuit efficax in Ecclesia inde usque ab initio, id est, fuit adiutor et liberator omnium electorum.

Ex plenitudine eius omnes accepimus.

Omnes patres, Prophetae et sancti, hoc revelante accepimus Evangelium, hoc donante accepimus remissionem peccatorum. Hoc movente et gubernante accepimus lucem, seu noticiam spiritualem, novam iusticiam et vitam aeternam. Sic ipse enarrat, *Gratiam pro gratia*, id est, acceptationem nostri, propterea quod ipse est acceptus seu dilectus. Ideo autem sic dicit, ut testetur nos non propter nostram dignitatem placere, sed propter filium dilectum.

Sequitur discrimen Moisi et Messiae, legis et Evangelii, *Lex per Moisen* data est, quasi diceret, magnum discrimen est inter officia Moisi et Messiae. Moises fuit minister legis, quae non tollit peccatum et mortem: sed Christus adfert gratiam et veritatem. *Gratiam*, id est, remissionem peccatorum et reconciliationem. *Veritatem*, id est, veram agnitionem Dei, veram iusticiam, sublato peccato et morte, efficit populum Dei iustum et perpetuum.

Deum nemo vidit.

Lex naturaliter nota est, et nascitur nobiscum quaedam legis noticia de Deo, quod sit Deus, quod puniat sontes. Sed voluntas illa, de remissione peccatorum gratuita, de admirabili salvatione hominis per Filium, nequaquam naturaliter nota est hominibus, sed tantum revelata per Filium. Ideo dicit: Deum nemo vidit unquam. Vera est enarratio, sive de substantia, sive de voluntate arcana salvandi homines, intelligas. Sed hic loquitur de agnitione voluntatis arcanae,

et mirabili consilio salvandi homines. Id certe nemo hominum vidit aut deprehendit, sed solus Filius, qui est in sinu patris, enarravit, quod videlicet hoc mirabili modo, quem stupet mundus, voluerit salvare homines, Filio misso, ut fieret victima, ut resuscitatus regnaret, redderet vitam aeternam, sanctificaret sibi perpetuam Ecclesiam. Quae omnia sunt plena admirabilium operum, quae ratio attonita non potest comprehendere. Ideo maxima pars hominum negligit propter incredulitatem, postea fascinata a diabolo odit et persequitur, sicut supra significatum est: Tenebrae non comprehenderunt lucem.

Sed nos audiamus hunc Filium, sicut mandatum est, *Hunc* audite, Et discamus discernere eius verbum a lege, et a sapientia mundi, et accipiamus ex eius plenitudine gratiam et veritatem, et sciamus certo haec contingere credentibus, et exuscitemus fidem intuentes in tot promissiones et mandata, quae praecipiunt, ut credamus in Filium, sicut postea ait Baptista: Omnis qui credit in Filium, habet vitam aeternam.

Historia nativitatis Christi.

Luc. 2.

Factum est autem in diebus illis, exiit decretum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis. Haec descriptio prima facta est praeside Syriae Cyrenio. Et ibant omnes, ut describerentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Ioseph a Galilaea, de civitate Nazareth in Iudaeam, in civitatem David, quae vocatur Bethlehem, eo quod esset de domo et familia David, ut describeretur cum Maria desponsata sibi uxore, quae erat praegnans.

Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, et reclinavit eum in praesepio, quia non erat eis locus in diversorio.

Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis iuxta gregem suum. Et ecce angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Domini circumfulsit illos, et timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere, Ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est vobis hodie salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David. Et hoc vobis signum, Invenietis infantem pannis involutum, positum in praesepi. Et subito facta est cum angelo multitudo militiae coelestis, laudantium Deum, et dicentium: Gloria in altissimis Deo, et in terra pax, hominibus beneplacitum.

Et factum est, ut discesserunt ab eis angeli in coelum, et homines pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem, et videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus notum fecit nobis. Et venerunt festinantes, et invenerunt Mariam et Ioseph, et infantem positum in praesepi. Videntes autem notum fecerunt verbum, quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati sunt de his, quae dicta erant a pastoribus ad ipsos. Maria autem conservabat omnia verba haec, conferens in corde suo. Et reversi sunt pastores, glorificantes et laudantes Deum in omnibus quae audierant et viderant, sicut dictum est ad illos.

Loci huius historiae praecipui.

I. Quare fiat mentio Augusti, census et oppidi.
II. Quod promissiones mirabiliter impleantur.
III. Officia politica sanctorum.
IV. Curat Deus praesepe, id est, aliquod hospitium Ecclesiae suae.
V. Testes de nato Christo, angeli et pastores.
VI. Doctrina in concione et cantico angelorum.
VII. Cur angelus sic confirmet dictum suum: Scitote me verum dixisse, quia videbitis infantem in praesepi iacentem.
VIII. Mariae studium, haec testimonia memoriae mandantis et repetentis.

De primo.

Ideo fit mentio Augusti, census et oppidi, quia praedictum est, in quarta monarchia venturum esse Messiam, et quidem stante politia Moisi, sed tamen subiecta servituti. Augustus significat quartam monarchiam, Census servitutem, oppidi et familiae descriptio testatur adhuc stare politiam. Admonetur ergo lector, ut cum eventum prophetiis congruere videt, firmius credat:

et refutantur Iudaei, qui post quartam monarchiam, et post eversam politiam Moisi, adhuc expectant Messiam, cum oportuerit eum stante hac politia, imo stante secundo templo, nasci, sicut Aggaeus, Daniel et Micheas testantur.

De secundo.

Sed mirabiliter implentur promissiones, promiserat Deus se daturum Iacob terram Canaan, sed prius inducit eum in Aegyptum, et ibi longo tempore miseram posteritatem duriter affligit, promiserat se defensurum esse templum, sed tamen sinit deleri a Nabugdonosor, et postea restituit. Ita plerunque promissiones, aliter quam nos imaginamur, exhibentur. Id scire nos oportet, ne verbum Dei abiiciamus, cum occurrunt impedimenta, quae videntur pugnare cum promissione: ut Ecclesia promissa est vita, tamen prius mergimur in mortem.

Est igitur et hoc loco aliter impleta promissio, quam homines imaginabantur. Sciebant omnes fore ut nasceretur Christus in Bethlehem, sed cogitabant futurum esse aliquem opulentum civem ibi habitantem, munitum nobilium coniunctione, in cuius familia nasceretur Christus, ut haberet socios postea rerum gerendarum. Quanquam autem Ioseph est civis ac nobilis, tamen ibi non habitat, nec stipatus est praesidiis amicorum, tantum in diversorio exigui temporis hospitium habet.

De tertio.

Venturus erat Messias, cum populo esset in servitute, et tamen haberet *αὐτονομίαν*. Maxime vero declarant servitutem hae duae personae, natae regio genere, nondum enim memoria generis extincta erat, sed ante annos centum et sexaginta adhuc tenuit gubernationem Iannes, qui ab Antiocho interfectus est, quem Iannem recenset Lucas tritavum Ioseph. Quare senes viderant multos, quibus ille Iannes notus fuit: ut enim certa esset familiae series, Deus non voluit penitus extinctam esse memoriam successionis in ea familia.

Duo autem discantur ex hoc exemplo. Quod sancti debeant politica officia obire pro vocatione, et ea ad utilitatem Ecclesiae dirigere: ut hic fit, obtemperant sancti, et hoc iter servit maxime utilitati Ecclesiae, imo Deus ita gubernat edicti tempus, ut serviat Augustus quanquam ignarus huic magno operi. His exemplis admoniti, sciamus Deo curae esse, ne imperia penitus obruant Ecclesiam.

De quarto.

Ut igitur hoc loco Deus curat praesepe nascenti Christo, sic semper aliquod hospitium praebuit et praebet Ecclesiae, alias magis, alias minus tranquillum. Ac de utraque re commonefacit nos hoc spectaculum, de miseriis Ecclesiae et de hospitio. Est aerumnosa, sed tamen Deus aliquod hospitium curat, ut navim servabat Paulo, tantisper donec in portum veniret, Actor. 27.

De quinto.

Etsi ea quae in Ecclesia geruntur, non sic incurrunt in oculos, ut res gestae Alexandri, aut C. Caesaris, quae conspiciuntur omnium gentium oculis: tamen Deus vult Ecclesiam certam esse, et exhibet multa testimonia. Ideo et hic de Nativitate diligenter recitantur testimonia, quae nobis inculcare debemus, ut fidem in nobis confirment. Initio testes sunt de tempore et loco, Daniel et Micheas. Cum igitur eventus respondeat, certum est vaticinia illa fuisse divina. Iam vero a conceptu sunt testes, Maria, Ioseph, Zacharias, Elisabeth, et horum familiae. A nativitate, Pastores, Magi, Simeon, Anna, et multi alii.

Est igitur Ecclesia visibilis coetus, habens certa testimonia hominum vere asseverantium ea quae Deus ostendit, etiamsi haec testimonia propter personas imbecilles contemnuntur. Ut pastorum narratio a multis spreta fuit, et tamen aliqui etiam in functione ordinaria sacerdotum fuerunt testes, ut Zacharias et Simeon.

Nos vero diligenter ea nobis proponamus, quia fides exemplo membrorum Ecclesiae confirmatur de omnibus articulis. Simul etiam consideremus dissimilitudinem Ecclesiae et imperiorum, et sciamus Ecclesiam non esse sine testimoniis, etiamsi res, quae in ea geruntur, non sic incurrunt in oculos omnium, ut exercitus magni imperiorum, qui pervagantur orbem terrarum.

De sexto.

Doctrina praecipue observanda est, et applicatio historiae in hoc dicto: Ecce, annuncio vobis gaudium magnum, natus est vobis hodie salvator Christus. Nulla creatura potest huius admirandi consilii causas et magnitudinem satis expendere, imo humana ratio haec audiens, Dei Filium missum esse, ut supplicio afficeretur, ob-

stupescit et refugit. Ideo inquit Propheta: Quis credet sermoni nostro? Sed nos haec cogitemus: Cum certum sit genus humanum a Deo conditum esse, ut ipse agnoscatur, certum etiam esse, quod Deus in aliquo verbo sese patefecerit. Prima est autem haec prophetica doctrina et unica, quae omnibus aetatibus testimonia habuit, quod sit a Deo tradita. In hac doctrina revelatum est hoc consilium de Filio Dei. Ideo adsentiamur tot testimoniis divinis, resurrectioni mortuorum et aliis, nec repugnemus voci Dei, etiamsi non perspicimus res tantas.

Deinde de causis cogitemus, non frustra tanta res Dei consilio decreta et constituta est, sed necesse est magnas esse causas. Sunt autem tres nobis praecipue cogitandae. Magnitudo irae Dei adversus peccatum: Et immensa misericordia Dei, Et amor Filii erga nos.

Conditus erat homo ad excellentem dignitatem, et esset imago Dei, id est, ut in homine semper luceret noticia Dei, et Deus in eo habitaret, et eo delectaretur, ibi acquiesceret ac Sabbatum ageret, et homines vere laudarent Deum. Hanc tantam dignitatem amisit Adam suo lapsu, et iam aeternam iram meruerat, sicut diaboli: nec ulla creatura placare Deum poterat, nec ullum erat par precium pro peccato. Ideo Filius Dei intercessit illi magnae et horrendae irae, et factum est decretum hoc admirandum de redemtione per Filium Dei.

Si intelligeremus aliquo modo iram Dei, possemus melius cogitare hoc consilium magnam causam habuisse: sed humana caecitas nec videt, nec curat ista, verum Ecclesia se ad harum rerum cogitationem accendere et excitare debet. Angelos arbitror magnitudinem peccati et irae Dei magis et ex hoc consilio aestimare, quam ex poenis aeternis diaboli. Ac necesse est pium pectus animo cohorrescere cogitatione harum rerum. Impii haec non curant, quia non vident quam tetra res sit peccatum.

Nos vero cogitemus, quam horrenda mala sint contemtus Dei, Epicurei furores, dubitationes de Deo, idolatriae, et multiplex confusio et contumacia adversus Deum. Haec illam magnam iram in mente Dei iusta excitarunt, quam placare non potuit ulla creatura, et propter quam deprecator factus est Filius. Haec prima causa est.

Secunda est immensa misericordia aeterni patris: condiderat opus quo voluit delectari, nec voluit illud in universum perire, nec potuit aversari Filium deprecantem, ideo decretum de Filio mittendo factum est. Et quidem sciendum est, gratiam exuberare supra peccatum, ut inquit Paulus: Est ingens ira, sed placatur per hunc deprecatorem.

Tertia causa est ipsius Filii amor erga nos, quem necesse est verum et immensum esse, cum et deprecator fuerit, et postea subierit poenam pro nobis, et perpetuo sit propiciator.

Haec omnia pluris faceremus, si iram Dei et poenarum magnitudinem cogitare possemus. Angeli clamant se annunciare magnum gaudium, quia ipsi intelligunt quanta res sit ira Dei et poenae aeternae, ideo sciunt hoc beneficium vere magnam laetitiam salvandis parituram esse: sed mundus his rebus parum afficitur, habet quisque sua negocia, quae voluptates aut dolores adferunt. Hanc praecipuam rem, Dei reconciliationem et vitam aeternam pauci curant: sed hi qui curant et norunt peccatum, his est magna consolatio Filii agnitio. Hi de appellatione huius beneficii teneant doctrinam de fide, quae hic in particula *Vobis* significatur: Vobis annuncio gaudium, vobis natus est, id est, unusquisque statuat pro sese Filium Dei victimam esse factum, sibi reconciliatum esse patrem, sibi redditam esse vitam aeternam.

De cantico angelorum.

Sicut Prophetae de regno Messiae loquentes, plerunque de consummatione loquuntur, videlicet de illo ipso futuro statu, in quo resuscitati fruemur aeterna gloria cum Christo, ita si hic angelorum hymnum ad eum statum referas, quem certe complectuntur angeli, facilima erit declaratio.

Et hymnus est descriptio illius aeterni regni, quasi dicant: Messias adferet vobis deinceps non imperium mundi, sicut putatis, sed aliud quoddam regnum, quod erit tale: Deus coram agnoscetur, et tunc aeterna et vera laude sine ullis dubitationibus celebrabitur, intelligemus quomodo sit conditus homo, intelligemus iram *Dei* adversus peccatum, et praedicabimus misericordiam, conspiciemus Filium *Dei*, et qualis sit illa miranda societas divinae et humanae naturae videbimus, cernemus quomodo semper adfuerit Ecclesiae, et quomodo factae sint mirandae liberationes, intercessio post lapsum, liberatio in diluvio, in mari

rubro, et deinceps omnibus temporibus. Laudabimus igitur potentiam, sapientiam, iusticiam, bonitatem et misericordiam Dei.

Erit et in terra *pax*, quia diaboli et impii omnes erunt in suppliciis aeternis, et mors erit abolita. Ecclesia ardebit amore Dei, et erit dulcissime consociata benevolentia et studiis doctrinae, nihil odiorum, dissidiorum, tumultuum et factionum erit.

Nec erit tantum pax, sed etiam *laetitia* hominibus, quia ipsis hominibus bene erit, et suaviter fruentur conspectu Dei et Christi, agnitione tantarum rerum et mutua consuetudine. Si illum statum inspicias, quem certe complectuntur angeli, facile potest intelligi canticum.

Confer autem ad hunc statum regna mundi. Primum debebant Dei gloriam illustrare, sed fere semper defenderunt et defendent idola, et manifestus est contemtus Dei in maxima parte regum: ut Alexandro, Antiocho, Caesare, Caligula etc. Nec in terra faciunt pacem, quia subinde nova bella, novi tumultus, novae confusiones omnibus aetatibus oriuntur, adeo ut non sine causa dicat Plato, pacem inane nomen esse, quod cur dicatur, gubernatores facile intelligunt, qui sciunt nihil esse ocii et quietis. Deinde semper manent in mundo inter principes et in populo, odia, iniuriae et perpetuae discordiae.

Postremo nec laetitia est ulla diuturna in hac vita, quae obnoxia est infinitis calamitatibus, et morti, et accedunt poenae aeternae. Haec antithesis declarat hymnum angelorum.

Quanquam autem commodissima et maxime illustris est haec interpretatio de consummatione regni Christi, tamen quia id regnum in hac vita incoatur, etiam ad Ecclesiam ante resurrectionem accommodemus hunc hymnum. Eadem gloria Deo tribuenda est in hac vita, etsi nondum cernitur oculis corporalibus. Eadem pax et laetitia erunt animis, sed interim incurrunt multa impedimenta: magnae aerumnae foris, faciunt ne conspiciantur in animis illa incoata bona. Denique hoc futurum regnum, quod hic incoatur, adhuc velatum est.

Idem significant hae quaestiones: Quid adfert adventus Christi? Quae sunt beneficia Evangelii? Quale regnum est Ecclesiae? Haec adfert Christus, seu haec beneficia distribuit Evangelium, facit ut gloriam Deo tribuamus, ut sit pax in terra, et ut homines vere laetentur, seu habeant vera et non peritura gaudia.

De gloria.

Tribuere gloriam, est tribuere potentiam, sapientiam, iusticiam, bonitatem et misericordiam: ut Epicurus non tribuit Deo gloriam, quia fingit nihil esse Deum, aut Deum ociosum esse. Nec Saul tribuit Deo gloriam, etsi enim iudicat esse Deum, et sentit eum irasci peccatis: tamen non statuit sibi ignosci, fugit Deum, et horribiliter ei irascitur. Ergo nec ratio, nec lex sine Evangelio tribuit gloriam Deo.

Ut igitur vere tribuatur Deo gloria, necesse fuit per Christum adferri ex sinu patris Evangelium, quo audito, tribuimus Deo misericordiam, quod vere nos recipiat, vere remittat nobis peccata, curet nos, et velit nobis reddere vitam aeternam. Hic igitur agnoscimus Deum non esse ociosum, sed iram sentimus in poenitentia et poenis, et misericordiam cernimus in remissione peccatorum, quam ut credimus, simul statuimus vere nos respici, exaudiri, curari, iuvari, defendi ab eo.

Ita gloria tribuitur Deo prorsus eadem, quae tribuetur in vita aeterna, sed tunc erunt omnia illustriora. Nunc impediunt aerumnae foris, ne gloriae conspiciatur. Vere pius circundatus a Turcis, etsi videt magnam esse potentiam Turcicam et species talis offertur oculis, quasi Deus nihil curet nos, tamen retinet hanc sententiam: Christus pro nobis crucifixus et resuscitatus vere est Filius Dei et salvator noster, propter hunc Deus te recepit, te curat, et in aeternum servabit.

Ac nunc quidem Ecclesia dispersa est, et subiecta cruci, iusto iudicio Dei, sed tamen aliqua membra servabit Deus in hac vita, etiamsi aliqua interfici sinit. Sic pius tribuit gloriam Deo, quod adsit, recipiat, curet, sit servaturus, etiamsi externae aerumnae impediunt, quo minus adhuc illa cernantur, et conspicietur gloria suo tempore.

Et in terra pax.

Pax in Ecclesia praesenti talis est: inter Deum et Ecclesiam pax est, quia Deus iam placatus per Christum, non irascitur nobis, et nos non fugimus eum. Est item pax adversus hostes eatenus, quod custodem certum habemus contra diabolum et eius organa, et scimus non posse saevire ho-

stem pro sua crudelitate, sed reprimi eum a Christo, nec plus nocere, nisi quantum ei permittitur, sicut inquit Christus: Capilli capitis vestri numerati sunt etc. Cum autem adhuc maneat mors corporis, maneant et caeterae calamitates communes generis humani, et diabolus non desinat oppugnare Ecclesiam, nondum pax consummata est. Arcentur hostes, etiamsi nondum sunt prorsus oppressi. Sed erit integra pax, cum Ecclesia post resurrectionem ornabitur sua gloria.

Laetitia. Omnes homines quaerunt aliquid ultimum in quo acquiescunt, et quo vere laetentur. Sicut avaro summum bonum est, quo vere laetatur, ingens accessio pecuniae, et vere dolet ingenti iactura. Ita Scipioni summum bonum est gloriosa victoria, hac maxime laetatur, et contra maxime doleret, si vinceretur. Haec exempla monstrant, qualis sit hic affectus, quaerens aliquid ultimum, quo laetetur animus.

Sed supra communes hominum affectus, est in Ecclesia, ut in Ieremia, in Paulo, peculiaris affectus, acquiescere in Deo, seu laetari agnito Deo, quem sciunt iam se habere propicium et custodem, quare ei volentes et laeti obtemperant, et hac laetitia superant metum et moerorem, quem adferunt pericula corporis, famae aut rerum, ut cum Laurentius iacet in craticula, tamen retinet magnitudinem animi acquiescentis in Deo, quae non potest existere, nisi animus laetetur et delectetur Deo. Sic David inquit: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Item: Dedisti laetitiam in corde meo, a fructu frumenti multiplicati sunt. Porro: Sine Christi agnitione non potest animus laetari in Deo, quia adhuc fugit iratum. Item: Non scit placere Deo obedientiam, in tanta nostra infirmitate. Sed illas priores partes hymni comitatur laetitia. *Gloria* significat veram notitiam Dei in Evangelio patefactam. *Pax* significat pacem cum Deo, et custodiri a Deo, Ex his oritur laetitia et voluntaria obedientia. Sed haec laetitia in hac vita saepe interturbatur magnis terroribus et doloribus, ex quibus tamen eluctatur, sed post hanc vitam erit integra.

Ut autem intelligas hymnum concionari de summis bonis et de vita aeterna, intuearis primum praeceptum, prorsus enim complectitur hymnus praecipua opera et summos cultus primi praecepti, scilicet veram agnitionem Dei, pacem cum Deo, id est, credere Deum esse reconciliatum propter Filium, et laetitiam, id est, veram dilectionem Dei. Haec cum erunt consummata, erunt ipsa vita aeterna.

Est ergo hymnus descriptio beneficiorum Christi, seu summa Evangelii, seu descriptio regni aeterni Ecclesiae, quod tamen in hac vita incoatur.

Praeterea ut angeli sunt praecentores, ita sciant omnes pastores se hunc hymnum debere Ecclesiae praecinere, id est, tradere veram doctrinam, qua agnoscatur Deus, annunciare pacem conscientiae, propter Filium Dei, et esse autores pacis et concordiae in Ecclesia, retinere etiam laetitiam conscientiarum, id est, cavere ne saucientur conscientiae vel perturbentur, qua re impeditur invocatio. Impii doctores omnia membra conturbant. Primum, quia falsa doctrina laedit gloriam Dei. Deinde, turbat concordiam Ecclesiae. Tertio, sauciat mentes, ne recte invocent Deum. Iulius turbat in secundo gradu, contendens de re non necessaria, de tempore Paschatis. David quanquam erat bonus doctor, ac retinuerat concordiam, tamen contristat bonos suo scandalo, rapta alterius coniuge. Sint ergo intenti doctores in hos tres gradus, ut vere praecinant hymnum angelicum populo, id est, ut vera doceant, pacem piis conscientiis annuncient, tueantur concordiam, et caveant scandala, ne quoquo modo sauciatis mentibus impediant invocationem Dei.

De septimo.

Signa plerunque vocantur opera inusitata a Deo facta, ut testentur aliquid nunciari divinitus, ut resuscitatio Lazari erat opus a Deo factum, ut testaretur Christum vere a Deo missum esse. An hoc loco etiam sic intelligit signum, cum ait: Invenietis infantem in praesepi? Alias aliter signa intelliguntur. Hic simplicissimum est dicere, quod signum vocet, non miraculum quod de narratione testificetur, sed rem qua velit agnosci hunc infantem, et discerni a caeteris, quasi dicat, Hic infans est Messias, quem invenietis positum in praesepi, in fasciolis, ita discernitur infans a caeteris omnibus, quia Deus certo monstrari Christum voluit, voluit sciri quis esset, ubi esset, quae mater esset. Vult enim Deus extare certa testimonia tantae rei in Ecclesia.

Caeterum ipse conspectus angelorum erat signum, id est, miraculum testificans de narra-

tione. Difficile erat credere hunc esse Messiam, natum ex paupercula muliere, ut igitur hoc crederetur, pastores confirmantur re inusitata, conspectu angelorum, sed ut agnoscant et discernant infantem a caeteris, adduntur circumstantiae.

Caeterum hic allegoria consideretur. Quod iubet infantem quaerere in praesepi involutum fasciis, significat Messiam quaerendum esse in dictis Prophetarum, in ipso populo legis, suntque dicta Prophetarum fasciae, quibus evolutis aspicitur et agnoscitur Filius Dei. Cur credis Filium Dei induisse humanam naturam? Quia credis solum hoc verbum, quod extat in Ecclesia, esse a Deo traditum, et in hoc verbo Deus promisit se talem Messiam missurum esse. Haec confirmatio, hoc testimonium toto pectore tenendum est, quod Deus clarissimis testimoniis ostendit se tradidisse hoc verbum Prophetis, Christo et Apostolis, quod sonant, et in hoc verbo adfirmatur, talem esse Messiam, ideo assentiris.

Omnia igitur miracula a principio, omnia dicta Prophetarum, sunt signa et testimonia de hoc Messia: hae sunt illae fasciae, quibus involutus est, has vult nos considerare Deus, dedit testimonium verbo Moisi, et deinde aliorum Prophetarum, qui omnes eandem promissionem repetiverunt. Esaias inquit: Parvulus natus est nobis etc. Deus, pater vitae aeternae. Micheas inquit: Egressus eius ante initium mundi. Iohannes inquit: In principio erat verbum. Addunt etiam, cur datus sit, ut: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Cum igitur nominantur fasciolae, deduci nos ad talia dicta sciamus, quibus vere involuta est noticia Messiae, et hae fasciae sunt signa, id est, testimonia miranda de Messia.

De octavo.

Quod inquit Mariam haec omnia meminisse et contulisse in corde suo, monet totam Ecclesiam, ut hoc studium considerandi testimonia imitemur. Audiverat mater ex pastoribus narrationem angelorum: hanc conferebat ad caetera miracula quae norat, et collatione omnium confirmabat suam fidem. Rursus et Ioseph exposuit pastoribus miracula sibi nota, ut illorum fidem confirmaret. Ita nos alere fidem et confirmare debemus collatione omnium harum rerum, dictorum propheticorum miraculorum et factorum, quae narrantur in Evangelio. Haec meditatio utilis est piis, ac semper accedat ultima cogitatio de causis, non temere, non frustra tantam rem a Deo decretam esse, ut Filius indueret humanam naturam: longe supra conspectum omnium creaturarum posita est causarum magnitudo, sunt enim causae, vera et inenarrabilis ira Dei adversus peccatum, et immensa misericordia erga genus humanum, quod Deus condiderat, ut in eo celebraretur. Ideo totum perire noluit.

Quare agnoscamus voluntatem Dei, et ei gratias agamus, quod Filium misit, et sicut in Psalmo scriptum est: Osculamini Filium. Ita vera pietate eum amplectamur, discamus hunc praecipuum cultum Dei esse, invocare Deum fiducia Filii, et statuamus vere exaudiri sic invocantes. Talibus exercitiis vult Deus in nobis veram fidem accendi, et haec fides est agnitio Messiae, quae est incoatio vitae aeternae, sicut scriptum est: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te esse verum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum.

Die Circumcisionis Domini.

Evangelium Lucae 2.

Et postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, *quod vocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.*

I. Locus. Collatio ritus, et verbi Dei.
II. Quid sint Sacramenta.
III. Quare sit instituta Circumcisio, et cuius beneficii fuerit pignus.
IV. Quid significaverit, et quare in hac parte corporis voluerit Deus extare signum.
V. Quare Christus circumcisus sit.

De primo.

De collatione ritus, et verbi Dei.

Vituperamus ethnicas ceremonias propter absurditatem, quod discurrebant luperci pelliti, et alias. Plus videtur absurditatis habere circumcisio: sed primum hic discamus, in ceremoniis divinis non opus sine verbo, sed una cum verbo Dei considerandum esse. Ethnici habuerunt ritus sine ullo verbo Dei, et multae gentes circumcisionem retinuerunt sine verbo Dei, ut Colchi, Aegyptii, et nunc Turcae et Iudaei retinent. Sed opus sine verbo Dei nihil est, imo est res damnata a Deo. Hanc regulam diligenter memine-

rimus de omnibus operibus, quod verbum requirendum sit, et ibi voluntas Dei agnoscenda, postea in opere significatio aliqua quaerenda est.

De secundo.

Quid sint Sacramenta.

Deus subinde instauravit collapsam doctrinam suarum promissionum, et ut haec instauratio esset illustrior, nova signa instituta sunt. Et generaliter sacramentum proprie dictum, est signum promissae reconciliationis. Quaerenda est igitur promissio addita signis.

Duae autem traditae sunt promissiones Abrahae: altera de reconciliatione, altera de causa reconciliationis, videlicet de semine, in quo benedicentur omnes gentes. Hae promissiones coniungendae sunt: Ero Deus eorum. Item: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Harum promissionum nota fuit illa circumcisio, instituta in illa parte corporis, ut de venturo semine admoneret circumcisos.

De tertio.

Quare sit instituta circumcisio.

Est igitur circumcisio Sacramentum additis promissionibus, videlicet promissione reconciliationis, et promissione seminis. Nam promissio terrae, et regni seu politiae, data est propter semen. Oportuit enim certum esse populum, in quo salvator nasceretur, et propter has promissiones circumcisio adferebat gratiam, quia Deus inquit: Ero Deus eorum. Hinc potest intelligi vere fuisse sacramentum, et adulti admoniti hoc signo, fide intuebantur promissionem gratiae, et venturi salvatoris. Hac fide placebant Deo, et invocabant eum.

Haec fides et invocatio sunt summi cultus, ignoti carnalibus iudiciis, quos pii praestabant admoniti per circumcisionem, etiamsi opus ipsum videbatur impiis absurdum. Erat autem gratum pignus, et insigne testimonium his, qui inde statuebant Deum propicium esse.

De quarto.

Quid significaverit.

Omnia opera ceremonialia et moralia sunt symbola, et imagines praecipuae earum rerum, quae in promissionibus significantur. Deinde accedunt et aliae significationes rerum coelestium. Et quidem ea, quae proprie Sacramenta dicuntur, praecipue sunt signa voluntatis Dei erga nos, propositae in promissionibus. Postea possunt addi aliae significationes.

Circumcisio igitur principaliter significabat promissam reconciliationem, quia Deus dicit, Ero Deus eorum: et locus admonebat de causa reconciliationis. Quia enim fuit promissum semen, in quo benedicerentur omnes gentes, ideo illi parti corporis additum est signum. Haec fuit praecipua significatio.

Sed ad hanc accedunt aliae, quia praeciditur particula a membro generationis, significabatur hanc naturam lapsam esse, et nunc destinatam morti, et hanc pelliculam abiiciendam esse. Sed tamen venturum semen, quod sublata maledictione redditurum esset novam et aeternam naturam et vitam. Haec sancti videbant tanquam picta esse in hac imagine.

Accedebant et aliae admonitiones, mundus miserrime contaminat eas partes, et generatione abutitur, Deus econtra in hac ipsa parte posuit notam, ut cogitemus Deum velle, ut haec membra sint sancta, et sancte utamur generatione.

Nobis baptismus praecipue significat reconciliationem in promissione propositam: sed postea multa monet imago. Mergimur, ut peccatum abluatur mersione, videlicet morte Christi, et nos inserti morti Christi mortificemur, et omnibus procellis obruamur: sed resurgimus et emergimus cum Christo. Sic coena Domini praecipue pignus est reconciliationis, sed imago ipsa testatur nos effici membra Christi. Item, nos mutuo membra esse unius corporis. Sic et moralia voluit Christus esse symbola: Remittite, et remittetur vobis. Amor parentum erga liberos est στοργὴ divinitus indita humano pectori, et imago amoris Dei erga nos.

De quarto.

Quare Christus sit circumcisus.

Placebat Filius Dei etiam sine circumcisione, nec tenebatur illa lege: Si quis non fuerit circumsisus, eradicabitur. Sed sicut universaliter Christus voluit esse subiectus legi, sic etiam circumcidendus erat. Et concurrunt multae causae. Voluit extare testimonium, quod natus esset ex posteris Abrahae in hoc populo, quod esset huius Ecclesiae socius et membrum: sed praecipua causa est subiectio sub legem, quae non est intelligenda tantum civiliter, quod voluerit esse

obsequens civis, sed subiectio sub legem in illa persona, quae non erat debitrix, singulare beneficium significat, ad nos pertinens. Est enim subiectus lege pro nobis, videlicet, non tantum officiis legalibus, sed etiam maledictioni et poenae, quam nos eramus meriti, ut fieret hostia pro nobis, placans patrem, et liberans nos a maledictione legis. Ita circumcidi Christum, significabat eum subiici legi pro nobis, cum ipse non esset debitor, et iam obligari ad mortem pro nobis.

Haec beneficia agnoscere, intelligere et celebrare discamus, videlicet nos redemtos esse a maledictione legis, hoc est, ab ira Dei propter Filium legi subiectum, et hac fide Deum invocemus, et ei obediamus: discamus item hanc veterem naturam lapsam, amputatam et praecisam esse, et promissam novam et perpetuam naturam et vitam.

In Epiphaniis Domini.

Evangelium Matth. 2.

Cum autem natus esset Iesus in Bethlehem Iudae in diebus Herodis regis, Ecce Magi ab Oriente venerunt Ierosolymam, dicentes: Ubi est qui natus est rex Iudaeorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, et venimus adorare eum.

Audiens autem Herodes rex, turbatus est, et omnis Ierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum et scribas populi, sciscitabatur ab eis, ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudaeae. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda, ex te enim exibit mihi dux, qui regat populum meum Israël.

Tunc Herodes clam vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellae quae apparuerat, et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite et exquirite diligenter de puero, et cum inveneritis, renunciate mihi, ut et ego veniens adorem eum.

Qui cum audissent regem, abierunt. Et ecce stella, quam viderant in Oriente, antecedebat eos, usque dum veniens staret supra ubi erat puer. Videntes autem stellam, gavisi sunt gaudio magno valde. Et intrantes domum, invenerunt puerum cum Maria matre eius, et procidentes adoraverunt eum. Et apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, Aurum, Thus et Myrrham. Et oraculo admoniti in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reversi sunt in regionem suam.

Loci *quinque.*

I. Testimonium de nato Messia.
II. De vocatione gentium.
III. Testimonium Prophetae de loco, et locus nominatus est, ut de tempore etiam nos confirmet, quod videlicet stante politia huius populi, venire Christum oportuerit.
IV. Nato Christo mox sequitur persecutio.
V. Magi offerunt munera, ut infans et parentes habeant victum.

De primo.

Saepe dicimus dissimilitudinem observandam esse imperiorum et Ecclesiae. Alexandri victoriae conspiciuntur omnium oculis, et omnium gentium testimonia habent: sed res, quae geruntur in Ecclesia, non sic incurrunt in oculos, et tamen oportet esse certa testimonia.

Quanquam igitur non omnes norant ibi natum esse Messiam, tamen multa sunt testimonia proposita, ut fides sit certa. Mater scit se virginem peperisse, Ioseph audit idem ex angelis: Nunciant angeli pastoribus, natum esse Messiam: nunc stella monet magos, qui postea erant testes nati Messiae, nec refert utrum stella nova, aut angelus fuerit, ut Chrysostomus intelligit. Ita deinceps reliqua testimonia consideranda sunt, ut fidem nostram confirmemus, et certo sciamus exhibitum esse Messiam, et hunc esse salvatorem, et facturum ea, quae promisit, exauditurum nos etc.

De secundo.

De vocatione gentium.

Magi proprie dicebantur Persarum sacerdotes, quos necesse est aliquam habuisse de venturo salvatore doctrinam: alioqui enim cur in Iudaea quaererent regem, quam sciebant oppressam esse misera servitute? Arbitror autem fuisse reliquias Ecclesia Danielis, qui fuit praefectus Persiae: ac fuisse pios, quales plurimi erant inter gentes, qui invocabant Deum fide promissionum traditarum

populo Israël, etiamsi ceremoniis non onerabantur. Sciebant autem ex Daniele etiam circiter ea tempora venturum esse Messiam.

Estque hoc exemplum insigne testimonium, quod Evangelium ad gentes pertineat. Et cum de vocatione gentium dicitur, simul comprehenditur haec doctrina, quod gratis, non propter legem donetur remissio peccatorum. Haec consolatio simul veniat in mentem.

De tertio.

De loco Micheae.

Utile testimonium est ad refutandos hoc tempore Iudaeos, oportuit nasci Christum in Bethlehem: ergo necesse est eum venisse iam, quia oportuit eum stante politia illa nasci, quam Deus funditus delevit, ut testetur venisse Christum. O mira Dei consilia, excidium Iudaicum confirmat pios, et convincit Iudaeorum pertinaciam.

Est autem et hoc observandum in dicto Micheae, quod de utraque natura in Christo concionatur, dicit: ducem venturum esse ex Bethlehem, id de nativitate ex virgine dicitur. Deinde addit: Egressus eius ante initium mundi. Hic testatur eum esse natum ex patre ante initium mundi. Iam hic dicendum est, qualis sit dux, qui liberat, videlicet, a veris malis, a peccato, ab ira Dei, et a morte aeterna: et hanc liberationem verbo suo efficit in credentibus, non propter nostram dignitatem. Haec cogitanda sunt hoc loco.

De quarto.

De persecutione.

Nato Christo statim metuunt mutationem regni Herodes et Pharisaei: ideo conantur eum tollere. Et diligenter hic consideranda est simulatio. Sic semper Ecclesia oppugnantur simulatione et aperta vi.

De quinto.

Magi offerunt munera.

Magi agnoscunt hunc infantem esse Messiam, quia haud dubie fuerunt tales, quales supra descripsi, discipuli Prophetarum, qui tenuerunt doctrinam de futuro Messia, sicut haec doctrina late toto orbe terrarum sparsa fuit. Et iam Hierosolymis audierant vaticinium Micheae, quo etiam confirmati sunt. Nec dubium est, quin de talibus scripturis multa cum Ioseph, Zacharia et reliquo sodalitio ibi contulerint.

Porro hoc totum exemplum est illustris pictura Ecclesiae, qualis sit, in quibus periculis versetur; quomodo defendatur, et alatur, non humanis consiliis, sed Deo gubernante. Ecclesia est coetus paucorum dispersus, Mariae, Ioseph, Zachariae, Elisabeth, Simeonis, Annae, Pastorum, Magorum, et similium, cum interim sibi titulum sumerent Pontifices, et alii impii cum verbo Dei belligerantes, cum Ecclesia tantum ibi sit, ubi est verbum Dei. Hostes sunt Herodes et Pontifices, et defenditur haec Ecclesia adversus Herodem, et alitur muneribus Magorum. Hic Deus mirabili modo servat Ecclesiam, etiam in hac vita, sicut inquit Psalmus, Non vidi iustum derelictum in fame, etc.

Allegoria.

Magi offerunt Aurum, Thus, Myrrham, in his est pulcra significatio, quanquam prius considerandum est beneficium corporale, quod Deus munere oblato a Magis voluerit curare victum matri et puero. Quia Deus vult sustentari Ecclesias liberalitate aliquorum piorum principum aut locupletum. Et quod haec beneficia magni aestimet Christus, testatur ipse, cum dicit: Quodcunque fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis. Item: Qui dederit alicui potum aquae frigidae in nomine meo etc. Sic et Paulus dulcissime gratias agit Philemoni, quod exceperit et iuverit pauperes et egentes ministros: Refecta sunt, inquit, abs te viscera sanctorum.

Aurum regulariter significat puram doctrinam fidei. Sicut in Psalm.: Lex tua sicut aurum purissimum. Thus significat invocationem et confessionem. Myrrha crucem et afflictiones, quae sequuntur confessionem.

Haec munera nos quoque debemus offerre Christo. Primus cultus est studium doctrinae, et fides. Secundus est invocatio. Nam sic vere colitur, non cum ipsi damus, sed cum ab eo petimus. Sed invocari debet fide, id est, fiducia mediatoris Christi, non propter nostra merita. Postea sequuntur afflictiones, non tantum corporales, sed etiam diaboli insidiae. Et Deus vult Ecclesiam subiectam esse afflictionibus, ut in his exerceatur fides.

Dominica I. post Epiphania.

Evangelium Lucae 2.

Et ibant parentes eius quotannis in Ierusalem, in die festo Paschae. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem festi, consummatisque diebus cum redirent illi, remansit puer Iesus in Ierusalem, et non cognoverunt parentes eius. Existimantes autem eum esse in comitatu, venerunt iter diei, et requirebant eum inter cognatos et inter notos. Et non invenientes eum, regressi sunt in Ierusalem, requirentes eum. Et factum est post triduum, invenerunt illum in templo sedentem in medio doctorum, et audientem illos, et interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super intelligentia et responsis eius.

Et videntes eum, stupebant. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quaerebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quaerebatis? Nesciebatis, quod in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est eis. Et descendit cum eis, et venit Nazareth, et erat subditus illis. Mater autem eius conservabat omnia verba haec in corde suo. Et Iesus proficiebat sapientia et aetate, et gratia apud Deum et homines.

Loci *septem* sunt.

Primus.

Exemplum de servandis ceremoniis divinitus institutis. Maria, Ioseph et Iesus veniunt ad Pascha, tametsi erant iusti, nec pro sese habebant opus hac disciplina, sed praebent exemplum, ut discamus ceremonias servandas esse, quae prosunt ad conservationem ministerii, tum ut ipsi discamus, tam ut alii invitentur, et propagetur Evangelium.

Secundus.

Filius inconsultis parentibus manet in templo, et confert cum doctoribus de doctrina, haud dubie disputans de regno Messiae, quod ipsi arbitrabantur fore mundanum, et reprehendens errorem eorum de cultibus, quos putabant esse iusticiam.

Tertius.

Quando licet filiis detrectare autoritatem parentum? Respondeo, Mandatum Dei anteferendum est voluntati parentum, ut Christus inquit: Si quis patrem aut matrem plus diligit quam me, non est me dignus. Ut quando parentes prohibent studium verae doctrinae, confessionem, coniugium. Rursus extra hunc casum debetur obedientia parentibus. Ut hic Christus redit domum cum parentibus, absoluto vocationis officio.

Quartus.

De negligentia et dolore Mariae. Mundus non intelligit esse peccata, nisi externa civilia peccata. Non agnoscit quantum malum sit naturalis infirmitas, et negligentia in quocunque mandato Dei. Sed sancti intelligunt magnitudinem huius interioris imbecillitatis, et saepe experiuntur ingentes poenas sequi levem negligentiam, ut videtur: et magnitudo calamitatum, quibus praecipue oppressi sunt sancti, coarguit et convincit eos, quod adhuc circumferant peccatum, et quidem in illis calamitatibus agnoscunt sua vitia, securitatem, negligentiam, diffidentiam etc.

Ita hic Maria agnovit suam negligentiam, cogitabat sibi praecipue mandatam esse custodiam huius filii, se esse oblitam officii sui, conferebat se cum Eva, quae antea perdiderat genus humanum, nunc ipsa cogitat se alteram Evam esse quae amisso filio, rursus perdiderit genus humanum, cogitavit omnia miracula, quibus Deus ipsam ad curam huius filii excitaverat. Cum igitur videret quantum peccatum esset haec negligentia, necesse est fuisse ingentes dolores toto triduo, quorum magnitudinem nemo hominum intelligit.

Hic igitur discamus, qualia sint peccata sanctorum, nec extenuemus vitium naturalis infirmitatis aut negligentiae. Sicut magnitudo calamitatum monere nos debebat, ne id extenuaremus. Est autem in singulis sanctis multiplex negligentia, quae postea etiam accersit ingentes aerumnas.

Quintus.

Christus invenitur in templo, id est, in ministerio: quo significatum est, quaerendum esse Christum apud Ecclesiam, Ecclesiam audiendam esse, sed iudicandam esse ex ministerio, hoc est, ex verbo Dei. Illa demum est Ecclesia, quae

habet ministerium verbi Dei, et verbo monstrante, reperitur Christus.

Sextus.

Ut Christus officio vocationis absoluto domum redit cum parentibus, ita meminerimus et nobis praecipi, ut obediamus parentibus, sed ita ut anteferamus mandatum Dei, iuxta vocationem.

Septimus.

Quomodo proficit Filius Dei? Respondeo: In omnibus sanctis dona fiunt illustriora, et excitatiora usu, sicut econtra fiunt languidiora, et extinguuntur negligentia, ut parabola de Talento docet. Et Paulus inquit ad Tim.: Excita donum quod tibi est collatum etc. Habebant Apostoli donum linguarum, sed id alebant lectione et exercitatione.

Haec exempla nos quoque hortentur ad intentionem et curam, et ad exercitationem in omnibus donis spiritualibus, hoc est, in studiis et coërcendis pravis cupiditatibus, in excitandis bonis motibus, invocatione et aliis.

Dominica II. post Epiphania.

Evangelium Iohannis 2.

Et die tertia nuptiae factae sunt in Cana Galilaeae, et erat mater Iesu ibi. Vocatus est autem et Iesus et discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater Iesu ad eum: Vinum non habent. Dicit ei Iesus: Quid mihi tecum est mulier? Nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: Quodcunque dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideae hydriae sex, positae secundum purificationem Iudaeorum, capientes singulae metretas binas vel ternas.

Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleverunt eas usque ad summum. Et dicit eis: Haurite nunc, et ferte architriclino. Et tulerunt. Cum autem gustasset architriclinus aquam vinum factam, et non sciret unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, vocat sponsum architriclinus, et dicit ei: Omnis homo primum bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, Tu servasti bonum vinum usque nunc.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galilaeae, et manifestavit gloriam suam, et crediderunt in eum discipuli eius.

Quatuor loci insignes sunt.

I. De coniugio quod ornat sua approbatione Christus.
II. Consolatio necessaria in coniugio.
III. De invocatione.
IIII. Allegoria Ecclesiae.

De primo.

Necesse est hominibus proponi mandata Dei de prohibitis libidinibus, et horribilem iram, qua Deus praecipue punit prohibitas libidines. Sicut inquit Paulus: Scortatores, adulteri etc. non possidebunt regnum Dei. Item ad Ebraeos, de castitate: Sine hac nemo Deum videbit. Item: Fornicatores et adulteros iudicabit Deus.

Et poenae cogitentur in populo Dei, et inter gentes. Multae enim magnae clades, bella et vastationes ortae sunt ex libidinibus. Diluvii causa fuerunt libidines, post diluvium deletionis Sodomorum. Num. 25. cap. occisa 24 millia propter stupra. Postea vero tota tribus Beniamin deleta est propter violatam sacerdotis uxorem. Item, David dedit gravissimas poenas adulterii.

Historiae gentium plurimae sunt. Troia eversa est, Romae reges expulsi, Athenis interfecti filii Pisistrati. Philippus Macedo interfectus est propter libidines. Periit et Alexander inter voluptates. Lacedaemonii deleti sunt, cum quidam stuprassent filias hospitis, et postea interfecissent. Thebanae calamitates etiam dicuntur ortae propter raptum Chrysippi. Et Aristoteles plurima exempla collegit in politicis, quibus admonet, mutatas esse Respub. propter libidines. Et natura quo magis decrescit, eo fit imbecillior. Ideo remedium divinitus propositum magnifaciendum et amandum est, et fugiendae causae turpitudinis.

Etsi autem magnum onus est liberi et uxor, ut dicitur: μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνὴ, et totum coniugium multiplicia habet impedimenta, et multas aerumnas et miserias, tamen ordinationi Dei parendum est. Non disputemus de suavitate huius generis vitae, sed meminerimus esse necessarium, propter mandatum Dei, quia Deus horribiliter irascitur prohibitis libidinibus. Deinde cogitemus quae sit causa difficultatis, scilicet peccatum originis, et tyrannis diaboli, qui auget calamitates, et opponamus consolationem.

Secundus locus, *de consolatione.*

Cum difficultates coniugii sint poenae peccati originis, et in his diabolus exerceat suam saevitiam, sciamus tamen Deum non permittere diabolo, ut ordinationem divinam prorsus deleat, sicut conatur. Adest igitur Deus, et conservat coniugium, et ut caeterae afflictiones in vita, ita maxime coniugium fit piis schola exercendae fidei, invocationis, confessionis, obedientiae, dilectionis erga caeteros homines, et erga Rempub. Quia coniugium implicat homines negociis, parentes cupiunt tradere posteris Ecclesiam et Rempub. Ideo multo magis afficiuntur cura Reipub. et Ecclesiae quam caeteri, qui nec liberos, nec coniuges habent, nisi sint summi viri, ut Christus, Elias, Paulus. Et est pietas intelligere, quod Deus ita devinxerit inter se homines, ut habeamus materiam exercendae fidei et dilectionis.

Item pios opus ipsum generationis, de creatione admonet, et de praesentia Dei, mirabiliter formantis foetum, impertientis vitam. Item, est immanis, qui non vult alteram partem generis humani conservare.

His igitur qui pie in matrimonio versantur, hic promittitur consolatio, cum Christus donat vinum sponso, id est, toto tempore coniugii adiuvat eos, depellit diabolum, a quo praecipue augentur aerumnae coniugales.

Proponamus igitur nobis necessitatem et mandatum Dei de coniugio. Item, comminationes de poenis libidinum, Cogitemus et consolationes coniugibus propositas, quod Deus defendat suam ordinationem, quod Christus depellat diabolum, quod velit coniugium esse scholam exercendae fidei, invocationis et dilectionis.

Tertius, *de invocatione.*

In periculis, humano affectu cito liberari cupimus, sed interdum differtur auxilium, ut quasi reiecti videamur, ibi discamus non deficere fide, etiam cum non statim exaudimur, sicut monet Christus in Parabola de iudice tarde vindicante. Eius rei hic proposita est imago, Maria petit autoritate materna: ut filius vinum efficiat, sed ille reiicit matrem, videlicet admonens eam, haec mandata non pertinere ad maternum officium, et se non velle ea quae ad ipsius vocationem pertinent, gubernari affectibus humanis: et tamen postea facit quod illa petiverat.

Discamus igitur in invocatione utrunque, non defatigari, scilicet cum differtur auxilium, et expectare ac petere auxilium, quia Deus requirit utrunque, obedientiam in afflictionibus, et invocationem.

Quartus locus. *Allegoria.*

Pictura est Ecclesiae, quae celebrat nuptiale convivium, cum docet et confitetur Evangelium. Et quia accedunt ingentes afflictiones et ingentia pericula, videntur negligi a sponso, imo ipsa Ecclesia cum invocat videtur reiecta esse, videtur non exaudita. Sed tamen exauditur, et tandem donatur optimum vinum.

Dominica III. post Epiphania.

Evangelium Matth. 8.

Cum autem descendisset de monte, secutae sunt eum turbae multae. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. Et extendens manum Iesus, tetigit eum, dicens: Volo, mundus esto. Et confestim est mundata lepra eius. Et ait illi Iesus: Vide nemini dixeris, sed vade, ostende te ipsum sacerdoti, et offer munus quod praecipit Moses, in testimonium illis.

Cum autem introisset Iesus Capernaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum et dicens: Domine, puer meus iacet in domo paralyticus, et graviter torquetur. Et ait Iesus: Ego veniam et curabo eum. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbum, et sanabitur puer meus, Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic, vade, et vadit, et alteri, veni, et venit, et servo meo, fac hoc, et facit. Audiens autem Iesus miratus est, et sequentibus dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham et Isaac et Iacob in regno coelorum, filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit ploratus et stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer eius in illa hora.

Loci sunt *novem.*

I. Duo sunt miracula, quae primum sunt testimonia, quod hic doctor sit missus a Deo. Deinde sunt exempla promissionum, quod sic velit et nobis opitulari.

II. Fides leprosi petit cum conditione: Si vis etc.

III. Dilectio anteferenda praeceptis ceremonialibus.

IIII. Commendatio ministerii, cum mittuntur leprosi ad sacerdotes.

V. Exemplum Centurionis illustrius est, quod continet doctrinam poenitentiae et fidei.

VI. Laus fidei, quae docet haec exercitia esse veros cultus Dei.

VII. De vocatione gentium.

VIII. De poena non credentium Evangelio.

IX. De Centurione, quod Evangelium approbet politiam et militiam.

De primo.

Semper de miraculis tenenda est regula. Primum, quod testentur hunc doctorem vere a Deo missum esse: ideoque habet Ecclesia multa peculiaria miracula, ut resurrectionem mortuorum etc. ut certi simus Evangelium vere a Deo traditum esse. His testimoniis nostram fidem confirmemus.

Deinde miracula sunt exempla promissionum. Sic vult nobis opitulari Filius Dei, et semper adest nobis, sicut illos iuvabat, et in nostris aerumnis confugere ad eum, petere ab eo auxilium, fide eum invocare debemus.

Et semper referantur miracula ad hanc regulam: Filius *Dei* apparuit, ut destrueret opera diaboli. Christus tollit peccatum et peccati effectus, mortem et alias aerumnas, famem, morbos, excidia, bella. Sed sicut corpori Christi alia tempora fuerunt mitiora, alia saeviora, ut tempore crucifixionis, ita Ecclesia alias magis, alias minus tranquilla est. Nunc extremum tempus est, quod tristissimum est, sed tamen habemus hanc consolationem, quod Daniel inquit: Tunc stabit dux magnus pro filiis populi sui. Iam igitur exerceamus fidem, et invocemus ducem Christum.

De secundo.

In omni invocatione debet adesse fides generalis, quae credat remissionem peccatorum et placere Deo nostras preces, nec irritas esse: sed de rebus, quae petuntur, discrimen est. De promissione gratiae est mandatum, ut nominatim tibi hanc rem tribui credas, ut Paulus inquit Rom. 4.: Credenti autem imputatur fides ad iusticiam. Nam de gratia Deus expressit voluntatem suam, et addidit mandatum, ut singuli credamus promissioni gratiae, et haec fides est obedire Deo in hac invocatione.

De corporalibus vero sciendum est, et aliam obedientiam requiri, ut videlicet parati simus ad obedientiam, si Deus velit nos diutius exerceri, et tamen fides in genere statuat Deum velle peti corporalia, ut conservet Ecclesiam, oeconomias, et politias esse opera Dei, esse Deo curae, et Deum velle nos in his tuendis exercere fidem et invocationem. Et cum in his obtemperamus vocationi, non dubitemus quin Deus nobis opituletur, sicut hic in Centurione apparet, qui laborans pro ministro exauditur.

Adferamus igitur in petitione corporalium fidem remissionis peccatorum, fidem intuentem promissionem beneficiorum corporalium, quod Deus Ecclesiam, politiam, oeconomiam conservare velit, quod velit harum conservationem a se peti. Sed quia non expressit voluntatem suam, quomodo corporalia beneficia singulis daturus sit, et requiritur obedientia nostra in afflictionibus, ideo addita est conditio: Si vis. Sic David petit: Si Dominus volet, reducet me. Et tamen sciamus, preces non esse irritas, quia Deus etiam corporalia dat, ut conservet Ecclesiam, politias et oeconomias.

De tertio.

Lex dicit immundiciem esse, attingere leprosum: sed Christus, ut servet proximum, negligit hanc legem, iuxta regulam, Misericordiam volo magis quam sacrificium. Sic Maccabaei in sabbato dimicarunt. Hic gradus operum discendi sunt, et videndum qui aliis cedant.

De quarto.

Missio ad sacerdotes est commendatio ministerii, quos mundat Deus, hos vult audire Evangelium sonans in Ecclesia. Et quidem iubet dari munus, quia Christus vult conservari mini-

sterium nostris collationibus. Et additur, quod mandavit Moises in testimonium ipsis. Phrasis est Ebraica, quasi dicat, quod constituit Moises ius sacerdotibus, testimonium enim saepe significat legem, seu ius. Et Christus vult comprobatum hoc ius, ut doceat nos de conservando ministerio. Haec est simplicissima interpretatio. Alii aliter enarrant: in testimonium illis, id est, ut tota lex est testimonium de Christo, ita et in hoc casu sacerdotes debebant testari hunc esse Messiam, qui hos sanaverat.

De quinto.

Centurionis exemplum continet doctrinam de poenitentia et de fide, et perspicue docet, fidem non niti propria dignitate: ideo primum fatetur se esse indignum, et tamen petit beneficium. Sic et nos vera poenitentia agnoscamus indignitatem nostram, et excitemus nos ad invocandum Filium Dei. Si incidant dubitationes de modo liberationis, sustentemus nos verbo, et modum Deo permittamus, sicut facit hic Centurio, contentus est verbo Messiae, et quidem praedicat potentiam verbi Christi creaturis imperantem. Quare agnoscit in Christo potentiam a Deo datam, et sentit esse Messiam promissum.

De sexto.

Quia Christus laudat fidem centurionis, hortatur nos ad similia exercitia fidei. Nam hi sunt veri cultus Dei, ut: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te etc.

De septimo.

De vocatione gentium dictum est supra de Magis. Estque hic etiam exemplum, quod iusticia Christiana non sit in externa observatione rituum: sed in veris motibus timoris et fidei. Nam etsi Centurio non est Iudaeus, et in eo, ut in homine militari, nihil est speciosum: tamen Christus opponit eum Iudaeis, qui habebant gloriam iusticiae legis. Ita exaequat Iudaeos et gentes, nec propter externam diversitatem rituum facit discrimen: sed utrisque concedit suae vocationis officia. Leprosum ut Iudaeum iubet ire ad sacerdotes, Centurionem sinit uti suis militaribus officiis.

De octavo.

Horribilis comminatio est de poenis hypocritarum contemnentium Evangelium. Minatur enim Christus Iudaeis exitium, quod freti lege, et titulo populi Dei, contemnebant et persequebantur Christum. Sicut nunc abversarii titulum Ecclesiae opponunt purae doctrinae Evangelii.

Dominica IIII. post Epiphania.

Matth. 8.

Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus: ipse vero dormiebat. Et accesserunt discipuli, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine salva nos, perimus. Et dicit eis: Quid timidi estis modicae fidei? Tunc surgens comminatus est ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. Homines autem mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia et venti et mare obediunt ei?

Loci *quatuor.*

I. Imago periculorum et aerumnarum Ecclesiae.
II. De dubitatione in invocatione.
III. Quod manet in sanctis etiam infirmitas fidei.
IIII. Consolatio, in qua apparet etiam infirmam fidem exaudiri et iuvari.

De primo.

Nihil est admirabilius inter opera Dei, quam gubernatio et conservatio Ecclesiae. Inde usque ab initio mundi, populus *Dei* est exiguus coetus, oppressus ingentibus aerumnis, et deformatus multis scandalis, sicut inquit Paulus: Infirma mundi elegit *Deus.* Et Christus ait: Ago tibi gratias Pater coelestis, quod haec revelasti parvulis. Haec species Ecclesiae non leviter movet humanos animos, qui cogitant magis populum Dei esse maiorem multitudinem, tenentem imperia, florentem gloria, virtute, sapientia. Item, tenentem ordinariam gubernationem, ut, Principes Iudaici iudicabant se esse Ecclesiam, non Apostolos, qui erant pauci, et tanquam seditiosi adversabantur pontificibus. Oportet igitur pios firmissime tenere doctrinam de vera Ecclesia: quod ibi sit Ecclesia, ubi verbum Dei recte traditur, sine impiis dogmatibus, et sine impiis cultibus. In tali coetu necesse est esse aliqua viva et vera membra Ecclesiae.

Iam illa est mira sapientia, Cur Deus suam Ecclesiam, quam pronunciat esse iustam, sinit tam duriter exerceri? Rationes duae sunt.

Quod haec ipsa Ecclesia iustorum adhuc habet peccatum, quod vult Deus agnosci a piis, et mortificari. Sicut Paulus inquit: Corpus morti destinatum est propter peccatum. Et Petrus: Iudicium a domo Dei incipit. In secundis rebus non sentimus iram Dei adversus peccatum, ideo languescunt animi, fiunt ignavi, obliviscuntur Dei. Ut igitur peccatum agnoscamus, Ecclesia subiicitur ingentibus aerumnis, quibus admonemur, ut invocemus liberatorem Filium Dei.

Dictum est ad Cain: Peccatum tuum quiescet, donec revelabitur. Ubi brevi verbo significata est illa totius mundi securitas, cum ait: Peccatum quiescet, scilicet, in impiis poenae differuntur, non cernitur ira Dei. At in Ecclesia non quiescit peccatum, sed agnoscitur, incutit terrores, et magno certamine vincendum est. Ideo propositae sunt aerumnae.

Secunda ratio est, quare Ecclesia subiecta est aerumnis: quia Deus vult potentiam Filii sui ita fieri conspectiorem, cum vincit diabolum per infirmos. Nam in hoc certamine nos non sumus duces, tantum milites vel instrumenta sumus. Diabolus ardet odio Dei, et belligeratur cum Filio Dei, hunc vincit Filius Dei in Ecclesia infirma: sicut restituit Adam lapsum, sicut conservavit Ecclesiam, saevientibus in eam omnium temporum tyrannis. Sciamus igitur nos ad hoc certamen vocatos esse, ut in nostra infirmitate luceat confessio et gloria Dei.

Has causas intueamur in omnibus aerumnis, et sciamus Deo obediendum esse, qui subiecit Ecclesiam talibus afflictionibus. Ac meminerimus nos oportere agnoscere et mortificare peccatum, etiamsi id in impiis quiescit, hoc est, in praesentia, nec iudicatur, nec punitur.

Huc pertinent plurimae sententiae. Humiliamini sub potenti manu Dei. Item, Psalm. 36.: Subditus esto Deo, et expecta eum. Haec tota doctrina ignota est rationi, philosophiae, et legi, sed in Evangelio proposita est, cur affligantur iusti. Item, quod Deus vere exaudiat invocantes ipsum in afflictionibus, quod Deus sanet contritos, quod sacrificium Deo sit Spiritus contribulatus.

Haec de primo loco breviter monui, in quo singuli cogitemus de nostris aerumnis, praesertim illis quae comitantur nos, postquam in navim Christi conscendimus. Haec navicula concutitur ingentibus procellis. Diabolus impellit tyrannos ad eam delendam, serit scandala horribilia et inextricabilia. Sed propter haec non deficiamus a veritate, discamus item regi Ecclesiam non humanis consiliis, sed divinis, ac Deum velle, ut non nitamur nostris consiliis et praesidiis, sed simpliciter obtemperemus vocationi, et ipsum invocemus.

Secundus locus.

Naturaliter dubitant animi, praesertim in afflictionibus, an Deo curae simus, an sit nos servaturus, an velit exaudire. Hoc ingens et arcanum peccatum non intelligunt hypocritae. Imo fingunt has tenebras et dubitationes non esse peccata. Hic error maxime reprehendendus est in Ecclesia. Et discrimen facit doctrina de fide inter Ecclesiam et omnes alias sectas: est enim mandatum Dei aeternum et immutabile, ut credamus in Filium Dei, hoc est, ut credamus nobis propter Filium Dei ignosci, nos recipi, curae esse Deo, exaudiri a Deo, et servandos esse. Ideo toties scriptum est: Orate sine haesitatione. Oret in fide nihil haesitans: imo cum dubitatione semper coniuncta est indignatio adversus Deum, superantur autem impii dubitatione, sed sancti cum dubitatione luctantur, et vincunt eam fide.

Haec doctrina in conspectu nobis esse debet in omni invocatione et clamitandum est: Domine adauge nobis fidem. Item: Credo Domine, sed adiuva incredulitatem meam. Colligendae sunt etiam sententiae et exempla, quae prohibent dubitationem, ut: Omnis qui confidit in eum non confundetur. Item: Fides tua te salvum fecit. Et in hoc Evangelio Christus obiurgat Apostolos: Quid timetis, seu potius trepidatis, vos modicae fidei?

Diligenter autem considerandum est discrimen, ubi sit dubitatio impia, seu quae nominatim credi et expectari oporteat, videlicet promissionem Evangelii propriam, quod Deus propter Christum tibi velit ignoscere, te recipere, te exaudire et salvare. Haec necesse est credi, et praelucere haec generalis fides in omni invocatione debet, quia est mandatum immutabile et universale: Hunc audite. Omnis qui credit in Filium salvabitur. Qui non credit in Filium, manet ira Dei super eum.

Sed de eventibus periculorum corporalium regula tenenda est: Quod Deus in his quoque opitulari nobis velit, velit invocari, sed tamen requirat obedientiam, etsi eventus gubernat et mitigat, alias aliter. Ideo sic petamus, ut tamen ad obedientiam in his corporalibus afflictionibus parati simus, ut David pulsus in exilium, petebat se reduci, credebat sibi condonari peccatum, se exaudiri, Deum opitulaturum esse, se habiturum esse vitam aeternam. Sed hunc corporalem eventum Deo committebat, etsi liberationem seu mitigationem petebat, et tamen ad obedientiam paratus erat, sicut inquit: Si volet Dominus, reducet me, si non volet, fiat voluntas Domini.

Sic exercuit Deus omnes sanctos, gubernavit eventus longe aliter, quam ratiocinari humana mens potest. Moises cum educebat populum ex Aegypto nequaquam existimabat tantum exercitum quadraginta annis in deserto regendum esse. Non praevidebat futuras tot seditiones, tantum scandalorum. Tandem inducit Deus populum in terram promissam. Ita eventus longe aliter gubernatur, quam cogitare Moises poterat. Ieremias erat suasor, ut populus proficisceretur in exilium, et affirmabat redituros esse, sed quomodo, quo duce redituri essent, nesciebat. Ita nos oportet vocationi parere, et eventus corporales Deo committere, et tamen exercere fidem in invocatione, et petere, ut Deus gubernet et moderetur pericula et eventus.

Tertius locus.

Testimonium hic extat, quod in sanctis sint peccata, ut hic in Apostolis trepidatio propter infirmitatem fidei. Metuebant se et dominum perituros esse, cum tamen vocationem domini nossent. Haec infirmitas multa peccata gignit, quae tamen ratio non satis iudicare potest. Saepe peccant homines, vel securitate vel diffidentia, ut nunc multi iniusta diffidentia quaerunt praesidia inconcessa.

Quartus locus.

Proponitur dulcis consolatio, quod etiam infirmam fidem Deus exaudiat, et sunt multa similia exempla, ut in Marco: Credo Domine, sed adiuva incredulitatem meam. Haec exempla monent, ut agnoscamus infirmitatem, et tamen non deterreamur ab invocatione, sic enim crescit fides, cum magis magisque exercetur, sicut dicitur: Habenti dabitur.

Dominica V. post Epiphania.

Evangelium Matth. 13.

De Zizaniis.

Aliam parabolam proposuit eis dicens: Simile est regnum coelorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, venit inimicus eius, et superseminavit zizania in medio tritici, et abiit. Cum autem germinasset herba, et fructum fecisset, tunc apparuerunt et zizania. Accedentes autem servi patrisfamilias, dixerunt ei: Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Ille autem ait: Inimicus homo hoc fecit. Servi autem dixerunt ei: Vis ergo ut euntes colligamus ea? Ille autem ait: Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: Colligite primum zizania, et colligate ea in fasciculos, ut comburantur, triticum autem congregate in horreum meum.

Unus est praecipuus locus huius Evangelii, quod in Ecclesia non liceat tollere vi et gladio inobedientes, scilicet quod attinet ad ministerium Apostolorum et verbi, id est, ad potestatem ecclesiasticam, cuius officium proprium est, non vi corporali, sed tantum verbo arguere homines. Nam regnum Christi est regnum spirituale, quod solo verbo, sine gladio regitur.

Iam hic quaeritur: Utrum igitur, non licet tollere adulteros, homicidas? etc. Sic enim aliquis argumentari posset: Zizania non sunt tollenda, Adulteri sunt zizania: ergo adulteri non sunt tollendi. Concedendum est totum argumentum, quod attinet ministerium verbi, non quod ad civilem potestatem. Magistratus civilis habet potestatem tollendi adulteros, homicidas, et similes palam flagitiosos. Magistratus enim, ut inquit Paulus, est qui fert gladium in terrorem malis, ut puniat eos. Item: Lex est iniustis posita, et poenarum civilium tres sunt causae. Prima est Iusticia Dei. Secunda, Exemplum. Tertia, Pax publica, ut alias prolixius dicitur.

Licetne magistratui punire haereticos? Maxime. Magistratus enim est custos totius legis,

hoc est, non tantum secundae, verum etiam primae tabulae, quod ad externam disciplinam attinet Sed iudicium de doctrina non tantum pertinet ad magistratum, sed ad totam Ecclesiam, cuius pars est magistratus. Is igitur viderit, ut certo iudicet, non ut nunc fit, ex duorum aut trium monachorum saevitia et crudelitate, sed ex sententia optimorum et doctissimorum in Ecclesia.

Sic in haeresi Donatistarum, qui fingebant Ecclesiam, in qua prorsus nulli essent viciosi, et contendebant, Sacramenta per malos administrata fieri irrita, Constantinus imperator iudicium commisit Episcopis Romanis, qui cum recognita damnassent Donatistas, neque ii stare hoc iudicio vellent. Imperator Arelati conventum instituit, ubi praesens ipse re diiudicata sententiam tulit contra Donatistas, et ut poena aliqua afficerentur, transtulit bona ipsorum ecclesiastica ad veram Ecclesiam.

Ita in summa hoc Evangelium docet, ne Apostoli praetextu Evangelii arripiant gladium, et constituant regnum mundanum, quod longe aliud est, quam regnum Christi. Sed de eorum officio loquitur Paulus: Increpa, argue, cum omni imperio. Quibus verbis significat Paulus, potestatem ecclesiasticam posse imperare in iis, quae sunt iuris divini, eique necessario obediendum esse. Id enim significat ἐπιταγή.

Dominica Septuagesimae.

Evangelium Matth. 20.

Simile est regnum coelorum homini patrifamilias, qui exiit primo diluculo conducere operarios in vineam suam. Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro ociosos, et dixit illis: Ite et vos in vineam, et quod iustum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam, et fecit similiter. Circa undecimam vero horam exiit, et invenit alios stantes ociosos, et dixit illis: Quid hic statis tota die ociosi? Dicunt: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam, et quod iustum fuerit, accipietis.

Cum autem sero factum esset, dixit Dominus vineae procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem, incipiens a novissimis usque ad primos. Et cum venissent, qui circa undecimam horam, acceperunt singuli denarium. Venientes autem primi, arbitrati sunt, quod plus essent accepturi. Acceperunt autem et ipsi singuli denarium. Eo autem accepto, murmurabant adversus patremfamilias, dicentes: Hi novissimi unam horam fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei et aestum.

Et ille respondens uni eorum dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade: volo autem huic novissimo dare sicut et tibi. An non licet mihi quod volo facere in rebus meis? An oculus tuus nequam est, quod ego bonus sum? Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi. Multi enim sunt vocati, pauci vero electi.

I. Locus, De ordine Ecclesiae omnium temporum.
II. De vocatione gentium.
III. De denario et meritis.
IIII. Comminatio adversus ingratos, miscentes humanos affectus ministerio Evangelii, et corrumpentes bonam causam.

De primo.

Parabola significat ab initio mundi semper aliquam Ecclesiam vocatam esse, et mirabiliter gubernatam et servatam, quae quidem et nobis in conspectu esse debet, ut nos doctrinae perpetuitas, et exempla prioris Ecclesiae doceant et confirment. Ut enim Nohe, Abraham, Iacob, non humanis praesidiis defensi sunt: sic sciamus semper veram Ecclesiam divinitus regi et defendi. Et hanc esse veram Ecclesiam, quae veram doctrinam circumfert, et in hac fide Deum invocat, et pericula sustinet.

Cum autem sint duo corpora, Alterum verae Ecclesiae, Alterum impiae et persecutricis, saepe accidit, ut vera Ecclesia sit prorsus oppressa, et soli impii dominantes, teneant publicum ministerium, sicut in Papatu. Hic discant pii, non propterea nullam esse Ecclesiam, et ministerium valere, etiamsi est penes impios et persecutores, quod deberet quidem eripi impiis, sed dum per vim tenent, non propterea ea, quae recte administrant, ut baptismum, pro salute Ecclesiae,

sunt inefficacia, aut irrita, sed valent, quia ministerium non est istarum personarum, sed est Ecclesiae.

De secundo.

Haec parabola in genere est comminatio adversus omnes ingratos omnium temporum, qui miscent humanos affectus ministerio Evangelii, et privatis cupiditatibus praetexunt nomen Dei, nomen Evangelii, nomen Ecclesiae. Sed tamen hic plerunque dicitur de vocatione gentium, de qua quoties dicitur, complectenda est doctrina Evangelii de gratuita remissione peccatorum. Ideo enim fit exaequatio gentium et Iudaeorum, quia lex non meretur remissionem peccatorum: sed donatur reconciliatio propter Filium Dei gratis: et haec consolatio utraque manu tenenda est, ut fide possimus invocare Deum in vera agnitione Christi.

De tertio.

Hic fit mentio denarii et mercedis, ideo hunc locum adversarii valde iactitant: sed dum rixamur de meritis, et rixas sequuntur multa humana vitia, odium, studium quaerendi humana praesidia, superbia, iniuriae, fit ut primi fiant novissimi, et bona causa male agendo corrumpatur: ideo primum commonefacti hac gravissima comminatione, reverenter audiamus Evangelium, simus fideles in ministerio, simus patientes, et luceat fides nostra in professione fidei. Sed tamen refutemus modeste immodicas laudes meriti, quas non recte ex hoc textu excerpunt.

Ac satis apparet etiam ante haec tempora, piis vocabulum meriti multos scrupulos iniecisse, ideo erumpit Bernardus in hanc vocem, sufficit ad meritum scire, quod non sufficiat meritum, hoc quid aliud est, quam quod oporteat credere propter Christum accipi vitam aeternam, non propter nostra merita? Sicut alias ipse clarius dicit.

In accommodandis parabolis videndum est, quae sit principalis propositio, et cuius rei similitudo pingatur. Non enim semper singula membra congruunt, ut hic genus convenit: benemeriti postea insolentes, et ingrati eiiciuntur, recipiuntur obsequentes et grati. Huius regulae generalis imago pingitur, nec necesse est ipsa praemia similiter se habere, sicut hic dissimilitudo est, quia denarius datus est etiam ingratis. At vita aeterna non datur his, qui hic intelliguntur reiici. Non igitur quadrabunt membra, si ubique denarium de vita aeterna interpreteris: est que praecipua collatio non in similitudine praemiorum, sed in similitudine ingratitudinis. Iudaei cum fierent ingrati reiiciuntur, nacti antea praemia, quae data fuerant tum praesentia, tum perpetua. Nunc alii recipiuntur, ut grati iis praemiis fruantur, quae dabuntur. Haec accommodatio generis est nativa sententia textus, urgere in singulis membris similitudinem, calumniosum est.

Caeterum et hoc modo contexi singula membra possunt: Ut paterfamilias dat denarium, ita Deus dat Evangelium patribus, Prophetis, populo, tamen populus fit ingratus, quare reiicitur, et tandem retinet denarium, sed non fruitur eo, quia promissio non est irrita, quae ad Iudaeos et gentes pertinet, et prodesset Iudaeis, si crederent, ut Rom. 11. disputatur: communicatur autem gentibus Evangelium, quae fiunt Ecclesia et populus Dei, si manserint grati. Nam eadem parabola universaliter minatur et Iudaeis et gentibus, si accersant negligentiam, et contemtum Dei, et similes furores, sicut tunc Iudaei fecerunt. Haec accommodatio satis concinna est.

Si quis autem non desinit urgere partem collationis, quia hic tantum dicitur dari merces iis, qui sunt grati, responderi potest ex hac ipsa similitudine. Primum.

Hic dari inaequaliter meritis: ergo non tantum habetur ratio meritorum, sed significare voluit Christus, potius spectandam esse misericordiam *Dei*, quam nostra merita. Hoc fateri adversarios necesse est. Mox autem haec quaestio sequitur, Cum misericordia spectanda sit, an fiducia misericordiae possit ex conditione meritorum pendere. Constat autem labefactari hanc fiduciam, si addatur conditio nostrae dignitatis. Et nota est Pauli sententia: Ideo ex fide gratis, ut certa et firma sit promissio.

Denique concedo, usitatam phrasim legis esse de aeterna vita, ut de mercede loqui, quia lex etiam de fide, tanquam de nostra iusticia loquitur, et tamen scimus fidem non esse fiduciam nostrae dignitatis, sed fiduciam misericordiae Dei.

Postremo et hoc verum est, vitam aeternam, etsi datur propter Christum, tamen simul esse mercedem, quia compensat recte facta. Minus esset disputationum de hoc vocabulo, si non inde nimis absurda extruxissent monachi. Nam audita hac voce mercedis, postea prorsus ut in hu-

manis contractibus, finxerunt meritum, seu precium, dixerunt nostra bona opera esse legis impletionem, et pro hoc tanquam precio, id est, causa sufficienti, et impellente voluntatem Dei, deberi vitam aeternam. Ita obliti sunt Evangelii de Christo, et de fide in Christum, sicut constat de hac fide, quae est fiducia gratuitae misericordiae propter Christum promissae, silentium apud eos esse. Item, adfinxerunt absurdiora, quosdam abundare meritis, qui possint ea aliis applicare. Haec portenta necesse fuit taxari, ideo de vocabulo aliquid disputandum fuit. Et his absurdis refutatis prudens facile videre potest, quatenus congruat vocabulum mercedis.

Haec monuisse satis sit. Sed simul veras causas recte faciendi colligamus, ne et nos inter ingratos istos, de quibus hic dicitur, eiiciamur. Sciamus puniri peccata horribilibus poenis, praesentibus et futuris, Sciamus non posse Deum invocari mala conscientia, Sciamus hominem desertum a Deo, obnoxium esse tyrannidi diaboli, sicut dicitur: Qui peccatum facit, ex diabolo est. Ideo fugiamus peccatum. Deinde et hoc sciamus, bona opera esse debita necessaria, et mereri ingentia praemia, in hac vita et post hanc vitam: et tamen manet haec sententia, quod propter aliud simus, reconciliati, et haeredes vitae aeternae, et quod ita placeat obedientia, si offeratur in fide propter mediatorem.

Has causas bene operandi semper intueamur, et nos ad timorem Dei exuscitemus, in hoc cursu melius discemus res illas maximas intelligere, quam in ociosis rixis, et tunc rei magnitudo aliquo modo conspicitur. Indicari de vocabulis facile potest, et qui vidit aliquo modo magnitudinem infirmitatis humanae, et immunditiei, facile intelligit praeconia meriti inania esse, Et rursus, qui intelligit placere Deo obedientiam propter Filium, intelliget compensari nostra benefacta immensis praemiis amplioribus, quam meriti ratio, etiamsi qua esset, posceret.

Dominica Sexagesimae.

Evangelium Lucae 8.

Cum autem turba plurima conveniret, et de civitatibus properarent ad eum, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat seminare semen suum. Et dum seminat, aliud quidem cecidit secus viam, et conculcatum est, et volucres coeli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, et natum exaruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, et simul exortae spinae, suffocaverunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam, et ortum, fecit fructum centuplum. Haec dicens, clamabat: Qui habet aures audiendi, audiat.

Interrogabant autem eum discipuli eius, dicentes, quae esset haec parabola? Ille autem dixit: Vobis datum est, nosse mysteria regni Dei, caeteris autem in parabolis, ut videntes non videant, et audientes non intelligant.

Est autem haec parabola: Semen est verbum Dei. Qui autem secus viam, hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, et tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant. Qui autem supra petram, hi sunt, qui cum audierint, cum gaudio suscipiunt verbum, Et hi radices non habent, qui ad tempus credunt, sed in tempore tentationis recedunt. Quod autem inter spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, et a solicitudinibus, et divitiis, et voluptatibus vitae euntes suffocantur, et non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui corde sincero et bono audientes verbum, retinent, et fructum afferunt in patientia.

Nemo autem lucernam accendens, operit eam vase, aut subter lectum ponit, sed super candelabrum ponit, ut intrantes videant lumen. Non est enim occultum, quod non manifestetur, neque absconditum, quod non cognoscatur, et in apertum veniat. Videte ergo, quomodo audiatis. Qui enim habet, illi dabitur, et quicunque non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

Summa Evangelii, et principalis propositio est consolatio de Ecclesia, quod certo sit aliqua Ecclesia, ubicunque docetur Evangelium. Est et consolatio adversus scandalum paucitatis credentium.

Est ergo primus locus. Evangelium nunquam prorsus est sine fructu, sed semper in aliquibus est efficax, ut testatur Esai. 55.: Non revertetur verbum ad me vacuum, sed faciet, quaecunque volui.

Secundus. Semper in eo coetu, ubi est vera doctrina, necesse est aliqua esse vera membra Ecclesiae, quia verbum Dei non est sine fructu, et necesse est aliquam esse Ecclesiam. Haec non est defendentium impias opiniones, ergo necesse est eam in altero coetu esse.

Tertius. Cum Ecclesia sit exigua, sicut inquit Esaias: Nisi Deus reliquisset nobis semen, essemus sicut Sodoma. Animi multorum dubitant, an sit aliqua Ecclesia Dei, an Deus adhuc exaudiat, praestet promissa. Adversus id scandalum confirmat nos haec parabola, praecipit, ut credamus esse Ecclesiam, et vere Deum exaudire, et praestare promissa Ecclesiae. Et testatur illos bonam esse terram, qui non deficiunt ab Evangelio.

Quartus. Modos recenset deficientium: ubi diligenter observandum est, quod non tantum enumerat vulgaria peccata humanae infirmitatis, ut inconcessos quaestus, et illicitas voluptates, et metum persecutionis, sed addit alias obscuras tentationes, videlicet cum diabolus excutit animis rectam sententiam, et instillat Epicureas opiniones, vel alias. Adversus has insidias oportet pios esse vigilantes.

Quintus. Dulcissima consolatio proposita est in dicto, Habenti dabitur: quod videlicet infirmos Deus recipiat, quod velit eos provehere, quod initia non contemnat. Sicut alibi dicitur: Linum fumigans non extinguet. Item Paulus de infirmis: Deus eos recepit. Sunt autem habentes qui habent initia poenitentiae, et hos ipsos hic vocat bonam terram, scilicet non deficientes a verbo Dei, quia supra enumeravit deficientes.

Sextus. Traditur et doctrina quae praecipit, ut studeamus proficere, ut simus habentes, ut retineamus verbum, quod sine cura et sine dimicatione fieri non potest.

Septimus. Gradus sunt piorum, alii fructum faciunt centuplum etc. quod generaliter intelligendum est de donis singulorum, et de ministeriis, ut Ioseph copiosiorem fructum tulit, quam reliqui fratres, hoc est, et donis excelluit, et plures convertit. Estque praecipuus fructus confiteri et docere, sicut Christus inquit: Sic pater coelestis glorificabitur, si eritis mei discipuli, et copiosiorem fructum feretis, id est, propagabitis et conservabitis Evangelium.

Octavus. Comminationes multae hic propositae sunt adversus contemtores verbi Dei, et persecutores. Mirum est enim, qui fiat, ut tanta pertinacia agnitam veritatem oppugnent. Hic autem admonemur, ne illorum pertinacia vel iudiciis frangamur, quia praedictum est, tales aliquos fore hostes verae Ecclesiae, qui videntes, tamen sunt coeci futuri. Quare fugiendi sunt pertinaces illi hostes Evangelii, et contra erigendae mentes, ut retineamus verbum Dei, simus bona terra, feramus aliquem fructum, unusquisque in sua vocatione.

Eadem Dominica Sexagesimae.

Evangelium Matth. 13.

I. Locus, imago Ecclesiae, quae admonet et confirmat pios, et obiurgat ignavos.

II. De incrementis piorum, et excaecatione contemnentium et persequentium.

III. Quomodo patres noverint regnum Christi.

IIII. De multiplici fructu.

De primo.

Multa offendunt infirmos animos, paucitas piorum, quotidianae desertiones et perfidiae. Adversus haec scandala teneamus consolationem in hac imagine propositam, quae admonet futuram talem confusionem, et dissimilitudinem in Ecclesia, et erigamus nos, ne propter aliorum lapsus, et ipsi deficiamus.

Et causae confusionis et desertionis hic recitantur. Prima est obscurior caeteris, sed communior et potentior, videlicet cum praestigiis diaboli capiuntur animi, et excutitur verbum Dei, sicut Eva primum seducta est. Ita plurimi sapientes fiunt Epicurei, aut Academici, aut haeretici, quibus diabolus offert aliquam falsam persuasionem, ac deinde implicatos et irretitos tenet et urget, sicut videmus, quomodo paulatim Evam everterit. Has insidias saepe Paulus describit, et vocat tela ignita.

Habet autem haec aetas plurima et varia exempla, partim propter ingeniorum petulantiam, quae crescit, partim, quia diabolus postremo tempore sentiens brevi affuturum esse iudicem, rabiosius grassatur. Ideo iam plures sunt ἄθεοι, et monstrosiores sectae oriuntur, ut deliria Anabaptistarum multiplicia.

Cogitemus igitur vigilandum esse, ac repugnandum insidiis diaboli, qui miras quaerit occasiones, quibus pertrahat animos in errores et ad defectionem etc. Ac dicto Petri excitemur:

Vigilate, quia adversarius vester tanquam leo rugiens circumit.

Reliquae causae desertionis minus sunt obscurae, ut metus suppliciorum, immoderatae solicitudines retinendarum opum, imperii, dignitatis.

De secundo.

Valde utilis doctrina hic traditur, de incrementis piorum. Lucae 8. Videte quomodo audiatis: Habenti enim dabitur, et a non habente, quod videtur habere, auferetur. Discamus igitur exercenda esse dona spiritualia, quia in his exercitiis crescunt, sicut alibi Paulus inquit: Qui fideliter serviunt confirmantur in fide. Et Augustinus: Dilectio meretur incrementum dilectionis. Ideo Christus inquit: Si possunt homines bona dare, quanto magis pater vester qui in coelis est, dabit Spiritum sanctum petentibus: quod significat non ociosis, non securis, non contemnentibus, sed audientibus verbum Dei, cupientibus obedire, et petentibus auxilium.

Extant promissiones, extant mandata, quae iubent petere, ergo vult dare et cumulare dona, sicut et precatio ipsa testatur, quam Christus tradidit. Sanctificetur nomen tuum, id est, da ut vere agnoscamus Deum, vere invocemus, tolle idololatriam et omnes impias opiniones. Adveniat regnum tuum, id est, rege tu nos Spiritu sancto, non concedas regnum diabolo. Fiat voluntas tua, sicut in coelo obtemperant angeli, et suum quisque facit officium, ita fac ut in terra obtemperent tibi omnes doctores, principes, gubernatores, privati, suo quisque loco, tolle omnia scandala gubernatorum et aliorum, quae offendunt tuam voluntatem. Da panem quotidianum, id est, omnia corporis commoda, pacem, annonam, bonum regimen. Remitte debita, ne sinas nos succumbere diabolo in tentationibus. Libera nos ab omnibus malis, et traduc in vitam aeternam.

Hic videmus praecipere Christum, ut omnis generis bona, spiritualia et corporalia petamus, et haec cumulare vult petentibus et exercentibus. Additur autem et hic comminatio contra negligentes. Ut videntes non videant. Item: A non habente, quod videtur habere, auferetur, id est, contemtores punientur caecitate et multiplici amentia.

De tertio.

Vestri autem beati oculi etc.

Christus inquit de Abraham, Abraham vidit diem meum et laetatus est: ita omnes sancti ab initio mundi salvati sunt fide venturi liberatoris, quem norant promissum esse, et alii habuerunt lucem clariorem aliis. Quod autem hic dicuntur non vidisse, intelligatur tantum de conversatione corporali. Hanc incoationem regni patres mirati sunt, et certe coram cupiebant audire praedicantem, cupiebant videre suum Dominum, cupiebant crescere agnitione sui Domini.

De quarto.

Diversi fructus significant, alios excellere aliis donis. Item, in singulis vocationibus alios plus laborare aliis, ut Paulus pluribus praedicavit, quam aliquis alius.

Dominica Quinquagesimae.

Evangelium Lucae 18.

Assumsit autem Iesus duodecim, et ait ad illos: Ecce ascendimus Ierosolymam, et consumabuntur omnia, quae scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, et illudetur, et contumeliis afficietur, et conspuetur. Et postquam flagellaverint, occident eum, et die tertia resurget. Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non cognoscebant quae dicebantur.

Factum est autem, cum appropinquaret Iericho, coecus quidam sedebat secus viam mendicans. Cum autem audiret turbam praetereuntem, sciscitabatur, quid hoc esset. Annunciaverunt autem ei, quod Iesus Nazarenus transiret. Et clamavit, dicens: Iesu fili David miserere mei. Et qui praeibant, increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat: Fili David miserere mei. Stans autem Iesus, iussit illum adduci ad se. Cum autem appropinquasset, interrogavit illum, dicens: Quid tibi vis ut faciam? Ac ille dixit: Domine, ut respiciam. Et Iesus dixit ei: Respice, fides tua te salvum fecit. Et confestim respexit, et sequebatur illum glorificans Deum, et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

Primus locus est de coecitate humana, quae fugit crucem, et de Christo et de Ecclesia propter crucem secus iudicat. Sicut Apostoli et Iudaei expectabant Messiam, qui eis daret opes et imperia, non qui augeret miseriam. Sic prophani non iudicant hunc aerumnosum coetum esse Ecclesiam, quem reges et principes persequuntur. Ideo Evangelium toties nos admonet, oportere Ecclesiam similem esse Filio Dei. Sicut ab initio subiecta fuit afflictionibus, ut exempla Abel, Isaac, Iacob, Ioseph, Esaiae, Ieremiae, et similium testantur. Talis semper est Ecclesia sicut in Paradiso praedictum est: Et serpens calcaneum eius mordebit.

Secundus. Quod Ecclesia habeat errores et infirmitatem, testatur haec imbecillitas Apostolorum, qui tum nondum persuaderi poterant, Christum tam atrocia et indigna passurum esse: estque consolatio, quod Deus etiam infirmos, qui tamen sunt dociles, non aspernatur, sicut Paulus inquit de infirmis: Deus eos recepit.

Tertius. Accommodatio fiat ad nos ipsos. Haec misera natura est sub peccato, ideo morti et multis ingentibus calamitatibus subiecti sumus, et iudicium a domo Dei incipit. Porro cum sumus in afflictionibus, cogitamus nos abiectos et desertos esse. Hic discamus ex Evangelio iudicare de his aerumnis, discamus hanc oportere esse formam Ecclesiae, imponi aerumnas, ut agnoscamus peccatum, et quaeramus liberatorem. Sicut inquit Paulus: Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Item: Venite ad me omnes, qui laboratis. Item: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Secunda pars.

De coeco.

Coecus fide impetrat visum, et constantiam fidei tantam praestat, ut non desinat clamare, etiam aliis eum obiurgantibus. Hoc exemplum, ut pleraque alia, videlicet Centurionis, Cananeae et aliorum, pertinet ad hunc praecipuum locum, docet qualis liberator sit Christus, docet item de fide: nam hunc cultum ratio et lex non docent, sed est proprius Evangelii. Ideo toties proponitur, ut nos quoque eum exercere discamus, et Christo praestare.

Sicut hic coecus, sicut Cananaea petunt fide sanationem propter hunc Dominum, nec deterrentur ab eo conspectu suae indignitatis, ita et nos confugere ad hunc Dominum, fide petere et expectare necessaria beneficia debemus. Hic est praecipuus cultus, et proprius sanctorum seu Ecclesiae, et huc omnes tales sententiae pertinent: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Item: In ipso gentes sperabunt.

Huc congerantur omnia exempla in Evangelio, ubi Christus suo testimonio fidem praedicat. Fides tua salvum te fecit. Et haec ipsa exempla testantur, Christum esse talem liberatorem, cui haec natura, mors et peccatum subiecta sint, qui sit liberaturus nos, a veris et aeternis malis, a quibus nemo alius princeps liberare potuit. Et sic sentit coecus de hoc Domino, cum vocat eum filium David, id est, Messiam promissum Davidi, et petit reddi visum, quod nemo praestare poterat, nisi talis Dominus, cui haec natura rerum subiecta sit.

Dominica Invocavit.

Evangelium Matth. 4.

Tunc Iesus ductus est in desertum a spiritu, ut tentaretur a diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus et quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens ad eum tentator, dixit: Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit: Scriptum est, Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Tunc assumsit eum diabolus in sanctam civitatem, et statuit eum supra pinnaculum templi, et dixit ei: Si filius Dei es, demitte te deorsum, scriptum est enim, Quia angelis suis mandabit de te, et in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus: Rursum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.

Iterum assumsit eum diabolus in montem excelsum valde, et ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum, et dixit ei: Haec omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me. Tunc dicit ei Iesus: Vade Satana, scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Tunc reliquit eum diabolus. Et ecce, angeli accesserunt, et ministrabant ei.

I. Locus: Quod non casu tentemur.
II. De tyrannide et insidiis diaboli.
III. Quomodo liberetur homo ex hac servitute, scilicet per Filium Dei.
IIII. Victoria Filii Dei prodest nobis, et sicut in sua persona vicit, ita vult in credentibus vincere insidias diaboli, etsi vult nos quoque certare, ut experiamur auxilium.
V. Tres tentationes in persona Christi sunt exempla tentationum Ecclesiae, et persecutionum.

Primum Ecclesia premitur inopia, et excruciatur a tyrannis.

Secundo laceratur a doctoribus impiis, qui dogmata spargunt sua audacia sine verbo Dei.

Tertio contaminatur manifesta idololatria.

De primis quatuor locis.

Etsi tot horribilia scelera, idololatriae, libidines, caedes, bella, excidia regnorum, et magnae calamitates, quae sequuntur scelera, satis ostendunt grassari aliquem saevum et potentem hostem adversus genus humanum: tamen tantus est stupor hominum, ut haec ducat levia, et putet casu accidere. Sed doctrina Evangelii patefacit veras causas, ostendit diabolum grassari adversus genus humanum, et homines propter peccatum subiectos esse eius tyrannidi. Rursus etiam ostendit nobis liberatorem, qui cum diabolo praeliatur. Sicut Iohannes inquit: Filius Dei apparuit ut destruat opera diaboli. Itaque in summa de tentationibus tenendae sunt hae admonitiones, de causis, et de liberatore.

Certum est, non casu accidere tanta hominum mala, sed diabolum odio Dei hostiliter grassari contra omnes, et insigni morsu sauciare singulos, sicut initio Evam et Adam sauciavit. Quare suam quisque vitam intueatur, et deprehendet aliquod insigne vulnus. Insidiose pertrahit diabolus vel ad scelus, vel ad calamitatem, ut inde pertrahat in desperationem et blasphemiam. Has insidias consideremus, et discamus confugere ad ducem nostrum Christum Filium Dei, qui praeliatur adversus diabolum, sicut initio in Genesi dictum est: Hoc semen conteret caput serpentis, quae vox prorsus convenit cum illo dicto Iohannis: Filius Dei apparuit, ut destruat opera diaboli, id est, peccata, calamitates, mortem.

Haec in summa hic observanda sunt, ut praeparemus animos, quia non levia certamina subeunda sunt. In his luceat et exerceatur fides, et imploretur auxilium Filii Dei, qui ideo vicit diabolum in his tentationibus, ut ostendat se victorem fore, etiam in his praeliis, in quibus nos adoritur diabolus.

V.

De Christi tentationibus cogitemus fuisse mirum quoddam, insidiosum et vehemens certamen, et multo acrius et maius, quam a nobis cogitari possit. Tentatus est alias saepe: sed hae tentationes nominatim describuntur, quia haud dubie significant aliquid toti Ecclesiae.

VI.

De prima tentatione historiae notae sunt, tempore Apostolorum et Martyrum corpora et facultates piorum semper erant in periculo. Idem solet accidere quandocunque moventur certamina de doctrina, ut nunc: et haec tentatio sub Turcica tyrannide recrudescit. Hic insultat diabolus multorum animis, Si filii Dei estis, si Deo servitis, scilicet victitandum vobis erit ex lapidibus. Est enim ironia obiicientis inopiam, famem, et alias miserias exprobantis.

Hic quaerendae et opponendae sunt consolationes. Primum sciamus mansuram esse Ecclesiam, et non posse everti a portis inferorum. Deinde sciamus invocantes Christum habituros esse auxilium, iuxta hoc dictum: Filius Dei apparuit, ut destruat opera diaboli. Item: Non in solo pane vivit homo, in Ecclesia alitur, conservatur, defenditur non tantum communibus et visibilibus auxiliis et modis, sed etiam divinis, quae non perspicit ratio. Si tamen Ecclesia maneat in agnitione verbi Dei, non deficiat a verbo Dei. Psalmus inquit: Scitote quod mirificat Dominus sanctum suum. Ita, etsi iam non videmus, qualis sit futura Ecclesia, etiamsi Turci tota Europa potirentur, tamen si retinebimus verbum Dei, curae erit Deo, ut habeamus defensionem.

Caeterum haec doctrina etiam singulis accommodanda est, unusquisque in sua inopia, in suis periculis cogitet, se solis humanis consiliis non posse tueri vitam, vocationem, statum: sed petendum et expectandum esse auxilium divinum, ut in fide et invocatione Dei vivamus. Sed pauci

sic vivunt, omnes quaerunt opes, ut habeant certa auxilia in conspectu et in promtu, et ridetur doctrina Christi: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis.

VII.

De secunda.

Ordo historiarum ostendit post corporales vexationes accessisse haereses, sicut hic apte significatur. Stans in fastigio templi, est aliquis excellens doctrina, Is se deiiciens, id est, spargens dogma, sine verbo Dei, tentat Deum. Tales fuerunt, sunt et erunt plurimi, sed tunc erant, Ebion, Cerinthus, Marcion, Manes, Samosatenus, Arius, Pelagius, et similes.

Tentare Deum proprie, est certare cum Deo fiducia propriae sapientiae, iusticiae et virium, ac nolle regi ipsius Dei verbo, ac ordinatione et vocatione. Sed his spretis aliud quaerere, fiducia nostrae sapientiae, quod nobis magis placet. Ut humana sapientia Pontifices mandarunt coelibatum, Samosatenus corrupit doctrinam de Filio Dei, et quaerebat aliud concinnius. Pseudoapostoli quaerebant humano iudicio aliquid plausibilius cum legem abrogari nollent. Ideo dicit Petrus: Quid tentatis Deum? id est, fiducia vestrae sapientiae et humanarum rationum certatis cum Deo, disceditis ab eius verbo. Et postea Pontifices profecto horribiliter tentaverunt Deum multis pravis dogmatibus, de abusu sacramentorum, de ignoratione fidei et verae invocationis, de monasticis cultibus.

VIII.

De tertia.

Postrema tentatio, est regni causa manifestam idolatriam constituere et defendere. Sicut utrunque regnum Papae et Mahometi habet praecipuos nervos, terram idolatriam. Praemonet igitur nos Christus, ut haec regna postrema oppressura Ecclesiam, indicare discamus, et vitemus idolatrias, et non defugiamus certamina, et significatur exitus certaminum.

Dominica Reminiscere.

Evangelium Matth. 15.

Et egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri et Sidonis, Et ecce mulier Cananaea a finibus illis egressa, clamavit ad eum, dicens: Miserere mei Domine fili David, filia mea a daemonio male vexatur. Ille autem non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait: Non sum missus nisi ad oves, quae perierunt, domus Israël.

At illa venit et adoravit eum, dicens: Domine adiuva me. Ille autem respondens ait: Non est bonum sumere panem filiorum, ac proiicere catellis. At illa dixit: Etiam Domine, Sed enim et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi: O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Loci praecipui *tres* sunt.

I. Locus, De miraculis.
II. De tentationibus quae obstrepunt precanti.
III. De fide et praecipuo cultu.

De primo.

Primum hic generalis doctrina repetenda est, quod miracula sint testimonia hunc doctorem vere missum esse a Deo. Item, quod hic doctor sit Dominus, et promissus salvator, qualem se praedicat, destruens opera diaboli, peccatum, tyrannidem diaboli, et mortem.

De secundo.

Peculiaris imago hic proponitur. Nusquam adeo duriter praeterit, aut reiicit preces ortas ex vero et magno dolore, ut hic. Et duo obiiciuntur. Primum, quod non sit ex Israël. Secundo, quod sit indigna, ut canis. Ex his tentationibus ipsa tamen eluctatur, et tandem fide impetrat, quod petit. Hic igitur discamus singulorum animos oppugnari similibus tentationibus. Nec propterea fidem abiiciendam esse, sed potius erigendam inter hos fluctus.

Sunt autem duae praecipue tentationes: altera de indignitate, altera de electione. Prior ex lege oritur. Semper enim clamitat lex in conscientiis nostris Deum respicere, exaudire, salvare dignos, iustos. Nos vero iniustos, indignos, pollutos et abiectos esse sicut canes. Huic tentationi debet opponi doctrina Evangelii de gratuita iustificatione, et de exclusiva, Gratis, et colligi testimonia quae ostendunt indignos, iniu-

stos recipi. Rom. 3.: Gratis iustificamur fide. Item: Beati quorum remissae sunt iniquitates. Item, tibi sum tantum peccator. Item, hoc loco conferri debent peccatum et gratia. Sicut Paulus confert Rom. 6.: Gratia exuberat supra peccatum. Pluris fiat Filius Dei, et sacrificium Filii Dei, quam nostrum peccatum, ut statuamus nobis ignosci, remitti peccatum, et incipiamus obedire Deo. Hae sunt firmae et verae consolationes, contra tentationem de indignitate.

Altera concurrit de electione. Quia homines, cum vident reiici multos bene meritos, ut Saulem, Augustum, Ciceronem, et recipi longe deteriores, ut Magdalenam, latronem in cruce etc. disputant de particularitate, videlicet, Deum habere quendam catalogum eorum, quos velit salvos facere, caeteros vero negligi, sicut canes. Ita tribuunt Deo inaequalitatem, quod reipsa est accusare eum tyrannidis. Haec est durissima tentatio.

Sed huic tentationi opponenda est doctrina, quod promissiones sunt universales. Et diligenter universales colligendae sunt, ut Iohan. 3.: Ut omnis qui credit in Filium, non pereat. Item: Venite ad me omnes. Item, Rom. 10.: Deus est idem omnibus, dives in omnes invocantes se.

Huc adiungatur mandatum immutabile, et quod longe positum est, supra omnes leges, videlicet, quod praecipit, ut omnes credant Filio Dei, et huic mandato necesse est omnes obtemperare. Nec nos quaerere, aut scrutari voluntatem Dei debemus, seposito hoc mandato, et reiectis promissionibus. Et cum Christus dicat: Ego sum via, veritas, et vita. Item: Qui videt me, videt et patrem, voluntas Dei necessario quaerenda est in Filio nobis donato, et Evangelio, quod Filius Dei ex sinu patris protulit.

Has consolationes meminerimus, ut habeamus firmas refutationes illarum tentationum, quae plurimorum animos exercent, et quotidie in invocatione proferamus has consolationes.

Nam si inspexeris animum tuum, videbis te his duabus tentationibus impediri, ne invoces, quia cogitas te indignum esse. Item, cogitas Deum suos quosdam elegisse, te vero negligi. Et accedunt huc humana argumenta, quia non sumus pares Abrahae, Eliae, Elisaeo, Danieli, et similibus, sumus imbecilles, sine magnis donis, sine autoritate, ideo negligi nos iudicamus, et desperatione quadam omittimus invocationem.

Sed hic debemus intueri animis doctrinam Evangelii, quae praecipit de fide, sicut iam dictum est. Debemus etiam intueri hanc Cananaeam magistram, quae refutata indignitate et particularitate ratiocinatur promissiones non tantum ad Israël pertinere, sed etiam ad gentes. Canes, inquit, edunt de micis. Ita excitata fide invocare Deum in agnitione Filii eius debemus. Et haec fides ac invocatio in his qui agunt poenitentiam, est summus cultus Dei, et praecipuus Ecclesiae, sicut hic dicitur: O mulier magna est fides tua. Et hanc non esse irritam, sed impetrare bona, haec ipsa vox testatur: Fiat tibi sicut vis, iuxta illud: Petite, et accipietis.

Proponitur ergo nobis in hoc Evangelio exemplum fidei eluctantis ex gravissimis tentationibus, et bona impetrantis, ut nos quoque discamus vincere diffidentiam, excitare fidem et invocationem. Nec habemus minores causas, quam haec Cananaea, quae laborat de filia sua, sic et nos de nostris necessitatibus, et de publicis.

Dominica Oculi.

Evangelium Lucae 11.

Et erat eiiciens daemonium, et illud erat mutum. Factum est autem egresso daemonio, locutus est mutus, et admiratae sunt turbae. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe daemoniorum eiicit daemonia. Alii autem tentantes, signum de coelo quaerebant ab eo. Ipse autem sciens cogitationes eorum, dixit eis: Omne regnum contra seipsum divisum, desolabitur, et domus supra domum cadet. Si autem et Satanas contra seipsum divisus est, quomodo stabit regnum eius? quia dicitis, in Beelzebub me eiicere daemonia. Si autem ego in Beelzebub eiicio daemonia, filii vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Si autem in digito Dei eiicio daemonia, profecto pervenit in vos regnum Dei.

Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea quae possidet. Si autem fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma eius aufert, in quibus confidebat, et spolia eius distribuit. Qui non est mecum, contra me est, et qui non colligit mecum, dispergit.

Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quaerens requiem, et non inveniens, dicit: Revertar in domum meam, unde exivi. Et cum venerit, invenit eam scopis mundatam et ornatam, tunc vadit et assumit septem alios spiritus, nequiores se, et ingressi, habitant ibi. Et fiunt novissima hominis illius peiora primis.

Factum est autem, cum haec diceret, extollens vocem quaedam mulier de turba, dixit illi: Beatus venter qui te portavit, et ubera quae suxisti. At ille dixit: Quinimo, beati qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

I. Locus, Disputatio principalis est de miraculis.
II. De blasphemis, et de mediis seu neutralibus.
III. Doctrina de timore Dei, contra securitatem, quae sequi solet liberationem.

De primo.

Fuerunt omnibus temporibus inde usque ab initio mundi et Ecclesiae, et impiorum aliqua miracula, ut apud Ethnicos saepe spectra aliquid denunciarunt. Item, Statuae locutae sunt. Item, Calchas praedixit fore, ut primum decimo anno Troia caperetur. Quaeri igitur potest, si doctrina ex miraculis iudicanda est, utra est vera? Respondeo: Vera discernuntur a falsis dupliciter, primum impossibilitate, secundo finibus.

Primum enim habet Ecclesia quaedam propria miracula, quae diabolus non potest imitari, ut resuscitationem mortuorum, sistere cursum Solis, anum sterilem et effoetam efficere foecundam. Haec et similia sunt solius Ecclesiae, et sunt impossibilia diabolo. Ideo miracula Ecclesiae anteferenda sunt Ethnicis, et sunt certa, et firma testimonia doctrinae divinitus traditae. His adnumerandum est, quod et hic traditur, eiicere repugnantem diabolum. Etsi enim diabolus interdum quasi colludens, cedit etiam praestigiatoribus et impostoribus, tamen haec eiectio, quam Christus et Apostoli faciebant, erat dissimilis: eiiciebant enim repugnantem, non colludentem, quia toties clamitat diabolus, se ante tempus cruciari. Recte igitur argumentatur Christus, Eiicio diabolum repugnantem et invitum, et ubique eiicio, quamvis atrociter saevientem: ergo eiicio divina potentia superante diabolum repugnantem.

Secundum discrimen sumendum est a finibus. Finis miraculorum diaboli est regulariter alicuius erroris aut sceleris confirmatio. Econtra, finis miraculorum Ecclesiae est confirmatio veri cultus, et consentit cum verbo iam ante revelato, de vero cultu et Filio Dei. Ut vaticinia Tiresiae, aut Calchantis, quos fines habebant? Iubebant mactare humanas hostias, et confirmabant praesentem idolomaniam. Cum autem hi errores sint manifesti furores, et quidem multa alia vitia Ethnicorum stabilierint, satis apparet haec miracula non esse divina. Talia miracula fiunt etiam nunc in invocatione mortuorum, ut confirmetur impietas et error.

Haec discrimina miraculorum diligenter observanda sunt, ut confirmemus animos nostros testimoniis verorum miraculorum, et discernamus ea a praestigiis. Magna est enim diaboli potentia, et multos offundit errores humanis mentibus: et omnibus temporibus confirmavit impias superstitiones prodigiosis quibusdam eventibus. Ideo muniendi sunt pii firmis testimoniis, ut Moses superabat Magos, sic Ecclesia superat diabolum dupliciter. Habet quaedam propria miracula, quae imitari diabolus non potest. Item, refert ea non ad stabilienda scelera, sed ad confirmandam veram agnitionem Dei, et consentientem cum verbo Dei tradito. Has regulas meminerimus.

De secundo.

Dicitur hic quoddam peccatum non remitti. Nec opus est a priori definire, quodnam sit: quia nos habemus mandatum, ut agamus poenitentiam, et credamus omnia peccata remitti. Huic regulae necesse est obtemperare, quia universaliter vera est sententia: Gratia exuberat supra peccatum. Item: Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed pro peccatis totius mundi. Sed manifestum est, quosdam mordicus tenere perpetuum contemtum, vel odium Christi, etiam contra conscientiam. Hi nec volunt oblatam remissionem accipere, nec volunt credere, sed aut securi superbissime derident Evangelium, aut furenter oderunt. De his a posteriore iudicemus, habere eos peccatum contra Spiritum sanctum, quia in illo perpetuo contemtu, vel odio Christi discedunt, et ruunt in aeternam iram, sicut Iudas, et similes.

Et hic utrique complectendi sunt, hostes qui contra conscientiam Evangelium oppugnant, et medii, qui superbe contra conscientiam derident omnes religiones, de his dicit: Qui non est mecum, dispergit. Tales enim plurimi sunt. Tales sunt etiam, qui sibi suo arbitrio fingunt religiones, et sumunt ex Evangelio quod libet, quod non libet reiiciunt.

De tertio.

Postquam Christus de rebus maxime arcanis, et sublimibus contra adversarios superiora dixit, iam vertit sermonem ad Ecclesiam, cui concionatur de timore Dei, quasi dicat, maior est potentia diaboli, quam vos intelligitis, maior ira adversus blasphemiam, quam cogitare potestis. Iam igitur vos praemoneo, ut agnito Evangelio, et consecuti liberationem, retineatis timorem Dei, quia multi post liberationem fiunt securi et ociosi: et ocium alit ac incendit pravas cupiditates, sicut scriptum est: Incrassatus est servus meus, et recalcitravit. Item: Sedit populus manducare et bibere, et resurrexit ludere. Et Sodoma sexennio aut circiter, postquam hostes divinitus profligati erant per Abraham, coepit ruere in horrenda vitia. Et in Matthaeo nominatim dicitur de ocio: Invenit domum vacantem etc. Ideo excutiamus securitatem propositis exemplis, quae ostendunt, quae vitia, et quae poenae post securitatem secutae sint.

Dominica Laetare.

Evangelium Iohannis 6.

Post haec abiit Iesus trans mare Galilaeae, quod est Tyberiadis, et sequebatur eum turba multa, quia videbant eius signa, quae faciebat super his, qui infirmabantur. Subiit autem in montem Iesus, et ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum Pascha, dies festus Iudaeorum. Cum sublevasset ergo oculos Iesus, et vidisset quod turba multa veniret ad se, dicit ad Philippum: Unde ememus panes, ut manducent hi? Hoc autem dicebat, tentans eum. Ipse enim sciebat, quid esset facturus.

Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisque eorum modicum quid accipiat. Dicit unus ex discipulis eius Andreas frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinque panes hordeaceos et duos pisces. Sed haec quid sunt inter tot?

Dixit autem Iesus: Facite homines discumbere. Erat autem foenum multum in eo loco. Discubuerunt ergo viri, numero quasi quinque millia. Accepit autem Iesus panes, et cum gratias egisset, distribuit discipulis, discipuli vero discumbentibus. Similiter et ex piscibus quantum volebant.

Ut autem impleti sunt, dicit discipulis suis: Colligite quae superfuerunt fragmenta, ut ne quid pereat. Collegerunt ergo et impleverunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinque panibus hordeaceis, quae superfuerant his qui manducaverant. Illi ergo homines, cum vidissent, quod IESUS *fecerat signum, dicebant: Quia hic est vere ille Propheta, qui venturus est in mundum.* IESUS *ergo cum cognovisset, quod venturi essent, et rapturi ipsum, ut facerent eum regem, secessit iterum in montem ipse solus.*

I. Locus, Consolatio contra curam victus et defensionis.
II. Exemplum de praemiis liberalitatis.
III. Praeceptum de parsimonia: Colligite reliquias, ne pereant.
IIII. Allegoria, Cum doctores pascunt Ecclesiam docendo, agitatione fit illustrior doctrina: et reliquiae diligenter et cum delectu asservandae sunt.

De primo.

Iohannes Baptista interfectus est secundo anno praedicationis Christi, et post necem eius, cum Herodes etiam insidiaretur Christo, secessit aliquantisper Christus. In hoc secessu, cum haud dubie Apostoli viderent suam vitam in periculo esse, ac metuerent vel supplicia, vel exilia, et famem: hic Christus moestis ostendit aliquam consolationem, ut saepe fit in Ecclesia, et exemplum proponit huius regulae: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Item: Pietas habet promissiones praesentis vitae et futurae. Item, Psalmi dicunt: Non est inopia timentibus eum. Item: Saturabuntur in die famis. Vult nos Deus primum quaerere regnum Dei, id est, doctrinam coelestem, et huic obedire, et in

vocatione fideles esse. Postea, etsi vult Ecclesiam subiectam esse cruci, tamen non sinit eam penitus deleri, sed conservat corpus, dat victum, dat aliquem nidum, dat oeconomias, dat politias, defendit et liberat Ecclesiam mirabilibus modis, etiam destitutam humanis praesidiis: sicut exempla Abrahae, Isaac, Iacob, Ioseph ostendunt.

Idem docet historia huius textus, quae nos de promissione admonet, et consolatur in similibus periculis, ut iam, etsi diabolus in Turcis et aliis tyrannis et principibus minitatur se funditus deleturum esse Ecclesiam, tamen obediamus Christo, et expectemus defensionem a Christo, qui mirando aliquo eventu servabit reliquias Ecclesiae, sicut dixit: Ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Et quidem vult Christus nos exercere fidem et invocationem in his corporalibus periculis.

De secundo.

Post distributionem superest magnus cumulus reliquiarum. Hic significatum est compensari eleemosynas magnis praemiis, et non minui facultates, sed defendi et augeri divinitus, ut saepe docet scriptura: Date, et dabitur vobis. Item: Qui dat potum aquae frigidae, non perdet mercedem suam etc. Et vult nos Deus exercere fidem et expectationem auxilii in hoc officio liberalitatis: sicut ostendit in exemplo viduae Sareptanae. Est et hoc insigne, quod Apostolis mandatur distributio, ut gubernatores praecipue admoneantur de cura pauperum. Item, crescunt cibi in manibus Apostolorum, quia piorum contrectatio et societas est felix, sicut dicitur de Abraham: Propter te benedixit nobis Deus.

De tertio.

Ut antea de liberalitate, quae est pia et non ambitiosa communicatio, ita postea de parsimonia praecipit, ne fiant inanes profusiones, Ac discamus hic vere peccatum esse prodigalitatem, quae videlicet facit inutiles sumtus. Primum, quia Deus vult nos suis donis reverenter uti, hoc est, agnoscere, quod sint divinitus data, et modeste conferre ad eos usus, ad quos condita sunt. Conferre res ad alios usus, per ludibrium, est contumelia afficere dona Dei. Ideo Paulus inquit: Omnis creatura Dei bona, et cum gratiarum actione percipienda. Item, 1. Corinth. 7.: Utentes mundo sic, ut non abutamini. Item, Rom. 13.: Carnem ne curetis ad concupiscentiam, sed ad necessitatem, id est, utamini rebus pro necessitate, non pro libidine. Vult Deus comparci res ad nostras, et aliorum necessitates, et detestatur luxum ac profusiones. Sicut econtra praecipit temperantiam et modestiam: Attendite, ne corda vestra graventur crapula et ebrietate. Diligenter igitur hoc loco praeceptum de parsimonia observandum est: Colligite reliquias, ne quid pereat. Suntque duae vicinae virtutes, Liberalitas et Parsimonia.

De quarto.

Allegoria est dulcissima: significat enim distributionem doctrinae. Haec crescit agitando, sicut alibi dicit Paulus: Colonum oportet primum de fructibus percipere: ita docens primum accipit praemia a Deo, illustratur ipse maiori luce. Deinde reliquiae verae doctrinae diligenter et cum delectu servandae sunt. Quare et nos veterum monumenta, sed cum delectu servemus. Ac utinam eius rei maior cura fuisset, et monumenta tradita per Apostolorum discipulos conservata essent.

Cophini significant literas et eruditionem, quibus conservari monumenta debent.

Dominica Iudica.

Evangelium Iohannis 8.

Quis ex vobis arguet me de peccato? Si autem veritatem dico, quare vos non creditis mihi? Qui ex Deo est, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis.

Responderunt ergo Iudaei, et dixerunt ei: Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, et daemonium habes? Respondit Iesus: Ego daemonium non habeo, sed honoro Patrem meum, et vos inhonorastis me. Ego autem non quaero gloriam meam, Est qui quaerit et iudicat.

Amen amen dico vobis, si quis sermonem meum servaverit, mortem non videbit in aeternum. Dixerunt ergo Iudaei: Nunc cognovimus quod daemonium habes, Abraham mortuus est, et Prophetae, et tu dicis, Si quis sermonem meum servaverit, non gustabit mortem in aeternum. Nunquid

maior es patre nostro Abraham, qui mortuus est, et Prophetae mortui sunt. Quem teipsum tu facis?

Respondit Iesus: Si ego glorifico meipsum, gloria mea nihil est, Est pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus vester est, et non cognovistis eum, Ego autem novi eum, et si dixero quod non noverim eum, ero similis vobis mendax, sed novi eum, et verbum eius servo.

Abraham pater vester exultavit ut videret diem meum, et vidit, et gavisus est. Dixerunt ergo Iudaei ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, et Abraham vidisti? Dixit eis Iesus: Amen amen dico vobis, antequam Abraham esset, ego sum. Tulerunt ergo lapides, ut iacerent in eum. Iesus autem abscondit se, et exivit de templo.

I. Locus, Asseveratio, quod recte doceat, et sit missus a Deo.

II. De causa pertinaciae, seu indurationis impiorum.

III. Refutatio convicii, quod ad doctrinam proprie pertinet.

IIII. Doctrina propria Christi, quod sit missus, ut aboleat mortem.

V. Altercatio mutua, an Christus antecellat Patribus et Prophetis? et quomodo Patres et Prophetae salvati sint.

VI. Testimonium de divinitate Filii.

De primo.

Omnes docentes in Ecclesia oportet habere hanc certitudinem, quod recte doceant: ideo Christus inquit, sibi non posse obiici peccatum, scilicet quod sit pseudopropheta, quod sit impostor. De hac specie praecipue loquitur. Etsi enim et alioqui sine peccato fuit, tamen praecipua quaestio est de ministerio, et regula communis ad omnes pertinet. Omnes sint certi, se vera docere sicut inquit Petrus: Qui loquitur, loquatur sermones Dei. Deinde etiam caveant, ne doctrinam scandalis deforment.

De secundo.

Causa pertinaciae et indurationis impiorum est ipsorum perversa voluntas, deserta a Deo, quia contra conscientiam adversata est doctrinae, et deinde confirmata a diabolo, qui impellit, ut humanas persuasiones ipsi sibi exaggerent, quaerant praetextus sui odii, ut Iudaei argumentabantur, Legem Moisi a Deo traditam, non posse mutari, promissum esse huic populo regnum, politiam divinitus constitutam, non esse dissolvendam. Haec erant speciosa et plausibilia, quibus paulatim et alebantur et confirmabantur Timonica odia. De talibus loquitur Paulus Rom. 11. et Psal. 69.: Dorsum eorum semper incurva. Ita nunc disputant sapientes, magnam esse autoritatem Ecclesiae, non labefactandum esse statum ordinis ecclesiastici etc. His fascinati imaginationibus, maiores paulatim flammas odii adversus Evangelium concipiunt. Ideo simus intenti, ne diabolus offundat nobis persuasiones, quae odium aut contemtum Evangelii pariant, ne postea sequatur haec horrenda poena, excaecatio vel induratio Pharaonis, seu Iudae, de quo dicitur: Et ingressus est in eum satanas. Ita hic dicit: Qui non sunt ex Deo, non audiunt, id est, deserti a Deo. Deseruntur autem propter blasphemias.

De tertio.

Christus alterum convicium praeterit, alterum refutat: Daemonium habes. Hoc enim proprie pertinebat ad doctrinam. Talia convicia refutare pars est necessaria confessionis.

De quarto.

Si quis sermonem meum servabit, mortem non videbit in aeternum. Haec videbatur esse mira vox, et longe supra hominem, quia pollicetur vitam aeternam. Deinde hoc offendit Iudaeos, quod non inquit: Si quis sermonem Moisi servabit. Item, quod discrimen est inter sermonem Moisi et Messiae. Non existimabant Pharisaei Messiam allaturum esse aliam doctrinam, praeter Mosaicam. Sed hic testatur, se alium sermonem afferre, scilicet Evangelium, hoc est, dicit se mitti, ut sit victima pro peccato, et homines reconciliari Deo, non per legem Moisi, sed fiducia Messiae, et hac fiducia Deum invocandum esse, et regnaturum esse Messiam in coelo, ac gubernaturum suam Ecclesiam Spiritu sancto et verbo, non futurum mundi dominum, qui politica imperia teneat, Ecclesiam futuram in cruce, non habituram imperia mundi. Hic sermo longe differt a Pharisaeorum opinionibus, quas de lege ipsi habebant.

De quinto.

Hic ipse articulus est proprius Evangelii, quod Messias antecellat patribus et Prophetis, sicut Iohannes inquit: Ex plenitudine eius omnes accepimus. Ideo omnes sancti ab initio usque ad finem uno et eodem modo salvantur, scilicet fide, qua credunt Deum ipsis remittere peccata per misericordiam, propter liberatorem promissum. Hac fide se Adam, Abraham, Moises, David, et omnes sancti consolabantur: hac fide placebant Deo, hac fiducia Deum invocabant.

Ideo hic dicitur: Abraham vidit diem meum, et laetatus est, id est, agnovit in promissione meum adventum, mea beneficia: Et laetatus est, id est, accepit remissionem peccatorum, novam lucem, et incoationem vitae aeternae, quae est laetitia, pax etc. Sed Pharisaei longe alias opiniones de Messia habebant, erant oppressi imaginationibus iusticiae legis, nihil norant de fide in Messiam, aut de victima pro peccato, tantum expectabant regnum mundanum. Ideo has conciones Christi furenter detestantur.

De sexto.

Testimonium hic clarum extat, quod Filius Dei fuerit etiam ante assumtam carnem. Sicut clare dicit: Antequam Abraham natus esset, ego sum, sed hoc declarandum est ex primo capite: In principio erat verbum etc.

Die Parasceves.

De passione Domini nostri Iesu Christi.

Triplex est meditatio passionis Filii Dei, Paedagogica, Spiritualis et Exemplaris.

Paedagogica, est saepe legere ipsas narrationes discendae aut docendae historiae causa, et quaerere testimonia Prophetarum, et causas, an Deus voluerit Filium pati, cur voluerit eum pati, quomodo natura humana sit subiecta peccato, an redemta per solum Filium etc. et confirmare tali lectione fidem, qua adsentimur historiae. Haec diligentia etiam est utilis, et sine hac sequentes usus haberi non possunt. Ideo haec lectio et cogitatio sit crebra, ut simul accedant sequentes usus.

Spiritualis meditatio haec est, quia Filium Dei oportuit fieri hostiam, agnoscere magnitudinem irae Dei adversus peccatum, et vere expavescere, ac rursus agnoscere misericordiam, et fide erigi et vivificari, quia haec hostia est praestantior tota mole peccati, et Filius est certum pignus, quod Deus diligat nos, et velit nos salvos facere. Cum hi veri motus, pavores et consolatio, timor et fides, sensus irae Dei et vivificatio per fidem in Filium Dei accedunt, haec est praecipua et salutaris meditatio, et applicatio beneficii Dei ad nos.

Sed utrumque oportet animo intueri, iram et misericordiam. Homines ociosis animis cogitant de Deo, non existimant eum vere irasci peccato, quia humani animi levitas non magnifacit errata sua. Sed Deus hanc amentiam vult corrigi: ideo totum genus humanum ingentibus calamitatibus oneravit. Omnes miseriae singulorum, mors, et supplicia, bella, excidia, vastitates, ut diluvium, conflagratio Sodomae, clades omnium regnorum, omnium aetatum, sunt testimonia proposita, ut convincant nos, Deum vere irasci peccato. Sed evidens testimonium erit impiis, qui in hac vita verbum et testimonia Dei contemnunt, cruciatus aeternus post hanc vitam.

Verum in hoc mundo visibili fuit evidentissimum testimonium irae Dei, quod placari nulla re potuit, nisi morte unigeniti Filii: non poterat placari, nec sanctorum aerumnis, ut Abel, et aliorum. Iam cogita, quis hominum satis consideret magnitudinem huius irae, et beneficium Dei tanti aestimet, quanti revera aestimandum est: omnes igitur sunt ingrati, ignari, et irae Dei, et beneficii. Hanc securitatem, ingratitudinem, ignorantiam agnoscamus, et aliquo modo corrigamus.

Rursus, cum verus pavor extitit in corde, accedat consolatio, et agnoscamus magnitudinem misericordiae, quod voluit Deus ideo pati Filium, ut per hunc placatus, vere nos recipiat, et salvet: et discamus applicationem, quod non aliter consequamur remissionem peccatorum, et vitam aeternam, nisi hac ipsa fide, statuentes, quod propter Filium Dei factum pro nobis victimam, pater aeternus recipiat nos, et salvet.

De hac applicatione teneantur in promtu testimonia, Rom. 3.: Iustificamur autem gratis per redemtionem Iesu, quem fecit Deus propiciatorem, per fidem in sanguine eius etc. Rom. 8.: Pro peccato damnavit peccatum. 2. Cor. 5: Eum, qui non novit peccatum, fecit peccatum, ut nos fieremus iusticia Dei per ipsum. Hanc applica-

tionem discas, ne sanguis Christi frustra pro te effusus sit, et Deo gratias agas, et ei obedias pro tanto munere. Haec meditatio, videlicet expavescere intuentem iram Dei in passione Filii, et rursus erigi fide, agnoscentem misericordiam, et gratias agere, est vere cultus Dei, qui debet esse perpetuus.

Iam cogita, quam multi homines sint, qui hoc tantum munus curent, qui non anteferant sanguini Filii Dei suas cupiditates. Plurimi fatentur se dubitare, an ad ipsos pertineat hoc tantum munus: sed contra hanc dubitationem confirmemus nos Evangelio, et assiduo exercitio in invocatione.

Tertii generis meditatio est exemplaris, ubi iam utimur hoc exemplo, ut lege, seu regula, quod sicut Christus passus est, ita oporteat et nos pati. Esque haec singularis sapientia Ecclesiae, intelligere causas calamitatum humanarum, et veras consolationes. Sapientes inde usque ab initio mundi mirati sunt, quid sit causae, cur haec praestans natura hominum tantis aerumnis onerata sit, imo qui fiat, ut optimi tristissimis casibus opprimantur, et alii alias causas cogitaverunt. Sed verbum Dei monstrat veras causas. Initio, ut Paulus inquit, Per peccatum pervasit mors in omnes homines, et secuti sunt morsus diaboli ingentes, sicut dicitur de serpente: Serpens mordebit calcaneum tuum.

Causae afflictionum.

I. Peccatum et morsus diaboli.
II. Peccati agnitio in Ecclesia.
III. Voluntas Dei, volentis revocare ad poenitentiam, et agnitionem promissae misericordiae.
IIII. Occasio confirmandae fidei.
V. Agnitio auxilii Dei, et exercitium, ut confirmetur fiducia Dei, exuatur fiducia nostri.
VI. Ut conspiciatur in nostra imbecillitate potentia Dei.
VII. Ut efficiamur similes Filii Dei.
VIII. Ut afflictio sit testimonium futurae vitae.

Sed cur Christus cum esset sine peccato, subiectus est cruci? Quia mors est poena peccati. Cum igitur Christus esset victima, hoc est, poenam peccati pro nobis subiturus esset, mors et tristissimae afflictiones ei subeundae fuerunt. Et vult Deus Ecclesiam huius sui capitis similem fieri, ideo praecipua membra, Abel, Esaias, Prophetae, Apostoli, et alii multi interfecti sunt, ut fierent similes capitis. Sed in his et caeteris hominibus afflictiones hanc quoque causam habent, ut ipsi suum et generis humani peccatum agnoscant. Nam Ecclesia praecipue suciecta est cruci, ut agnoscat peccatum, quod impii contemnunt. Deinde accedunt et caeterae causae, quas recensui.

Ac praecipue finis afflictionum considerandus est, videlicet, quod velit Deus nos affligi, non ut pereamus, sed ut salvemur, hoc est, ad agnitionem peccati et misericordiae revocemur, iuxta illud: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Hanc voluntatem Dei, et has causas humana ratio per sese non videt: cum sunt res adversae, statim cogitamus nos abiectos esse a Deo. Rursus hos putamus diligi, qui florent gloria et potentia. Sed hic error eximendus est animis, et opponenda imago Christi, et discenda perpetua sententia Evangelii, quod subiecta sit Ecclesia cruci, et quare subiecta sit, et tenendae sententiae, quae docent nos de hac voluntate Dei, ut: Qui vult me sequi, tollat crucem suam, et sequatur me. Item: Multae tribulationes iustorum. Item: Humiliamini sub potenti manu Dei, videlicet, quae et potenter humiliat, et potenter liberat.

Caput LIII. Esaiae.

Hoc caput *octo* habet locos praecipuos.

I. Locus est historia.
II. Causa.
III. Applicatio beneficii. Noticia eius iustificabit multos.
IIII. Praedicatio poenitentiae universalis.
V. Promissio universalis.
VI. De sacerdotio Christi.
VII. De resurrectione, et regno.
VIII. De poenis impiorum.

Quis credit sermoni nostro, et brachium Domini quis agnoscet? Pullulabit coram Deo sicut virgultum, et sicut radix de terra sitiente. Non est species ei neque decor, cum aspiceremus eum, non erat species quae placeret. Despectus erat et abiectissimus omnium, dolore et aerumnis oppressus. Sic abhorruimus eum, ut vultus nostros averteremus ab eo: ideo nihili fecimus eum.

Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse sustinuit, nos reputavimus eum tanquam adflictum, et a Deo percussum et proiectum. Sed vulneratus est propter peccata nostra, et adflictus propter iniquitates nostras.

Poenam ipse sustinet, ut nobis pax et venia concedatur, et vulneribus eius nos sanati sumus.

Omnes nos quasi oves erravimus, singuli in viis suis, et Dominus coniecit in eum iniquitates omnium nostrum. Cum affligeretur et humiliaretur, non aperuit os suum, sicut agnus qui ad mactationem ducitur, et sicut ovis, quae obmutescit coram tondente ipsam, nec aperit os suum.

Ex afflictione et poena liberatus est, et quis enarrabit secula eius? Cum abscissus est de terra viventium, propter scelus populi percussi eum, et sepultus est sicut impii, et mortuus sicut divites. Ipse non iniuste egit, nec dolus fuit in ore eius, sed Deo placuit eum conterere afflictione. Quia dedit animam suam ut esset hostia pro peccato, videbit longam posteritatem, et consilium Dei feliciter perficietur manu eius, quia laboravit anima eius, fruetur voluptate.

Et servus meus iustus iustificabit noticia sui multos, quia peccata eorum ipse sustinuit. Ideo distribuam ei magnam haereditatem, et fortes spoliabit, quia tradidit animam suam in mortem, et cum sceleratis reputatus est, et ipse peccata multorum sustinuit, et pro transgressoribus rogavit.

De Agno mactato in Paschate.

Ex capite 12. Exodi.

Certum est veterem ritum mactationis agni tantis miraculis institutum, non solum fuisse signum admonens de praeterita liberatione, sed etiam de futura, et de agno, hoc est, victima, per quam vera et aeterna liberatio donanda erat. Ideo et Paulus confert vetus Pascha cum Christo, inquiens: Pascha nostrum immolatus est Christus.

Ut autem in nostro Paschate, id est, passione Christi, conspicitur magnitudo irae Dei adversus peccatum: et rursus misericordia in incoatione vitae aeternae, per resurrectionem, et promissionem liberationis a peccato et a morte. Ita in Paschate veteri tota historia consideretur, ut et ira Dei adversus peccata Aegyptiorum, et misericordia in liberatione Ecclesiae agnoscatur.

Triste exemplum fuit, regnum illud omnium toto orbe terrarum florentissimum, subito tumultu dissipari et everti, consumta maxima parte hominum, continuatis cladibus multiplicibus, deletis principibus, mutata tota regni forma. Hae fuerunt poenae idololatriae, magiae, libidinum, crudelitatis adversus sanctos.

Primum autem describitur tempus, primo mense, id est, mense lunari, qui proxime secutus est aequinoctium vernum, is enim fuit anni initium. Die decimo eligendus est agnus integer, anniculus, masculus, et ex agnis et hoedis, id est, ex reliquo grege sumendus, et servandus usque ad XIII. diem, tunc vespere mactandus est. Haec descriptio convenit ad Christum. Generaliter agnus et praesertim mactatus significat victimam: quare et ipsi Israëlitae intelligebant significari aliam quandam victimam, per quam consecuturi essent veram et aeternam liberationem, et eam victimam oportebat esse integram, sine peccato, masculam, fortem: sumtam ex reliquo grege, id est, ex populo Israël. Oportuit igitur Christum in hoc populo nasci, et non alibi, oportuit eum in hoc populo praedicare, et pati: ideo prius segregabatur agnus, ut significaretur prius Christum aliquo tempore praedicaturum esse.

II. Vespere mactabunt, et sanguine conspergent limina: significabatur Christum vespere, circa mundi finem venturum esse, et sanguine eius conspergendam Ecclesiam, id est, sanguine Christi abluendum peccatum.

III. Carnes assae edantur. Manducatio nostra Ioan. 6. descripta est. Ut Israëlitae vescentes agnum nutriebantur, sic nos cum fiducia Christi in veris terroribus erigimur, efficimur membra Christi, vivificamur per eum: ascendit enim, ut det dona hominibus, et vere sit efficax, det Spiritum sanctum. Sed comedantur carnes assae: non dubium est passionem significari ipsa appellatione agni et mactationis. Significatur autem et hic agni passio: quia Christus vere expertus est ignem, hoc est, iudicium Dei, subiens poenas pro nobis. Sed usitatum est haec de qualitate manducantium interpretari. Crudum edunt agnum, qui ipsi carnalem cruditatem retinent, scilicet, Epicuream aut hypocriticam securitatem, quae

est esse sine poenitentia, sine agnitione irae Dei. Item, retinere opiniones humanas de Deo, non emendare errores ex verbo Dei, sicut multi inflectunt doctrinam Christianam ad philosophiam humanam.

Et panes sint azymi. Id manifeste significat puritatem doctrinae. Non fingamus alias opiniones de Deo, ut ethnici idololatrae, nec de Christo, ut Mahometistae et haeretici, nec alios cultus, ut Papistae, sed conservetur puritas doctrinae.

Quod vero additur, cum lactucis agrestibus textus generaliter escas acerbas nominat, significat autem doctrinam poenitentiae, aut ipsum etiam sensum praesentium adflictionum, qui nos admonet, genus humanum propter peccatum subiectum esse irae Dei, nec posse liberari, nisi per agnum, quem Deus significaverat per hos ritus, id est, per Filium, quem nobis exhibuit.

IIII. Non crudum. De nostra cruditate interpretor. Crudum enim edunt, qui ipsi carnalem cruditatem retinent, ut ante dictum est, id est, cum opiniones carnales de Deo et de religione, tum securitatem et contemtum iudicii Dei, qualis est in iis qui sunt sine poenitentia, sine agnitione irae Dei, sine dolore et metu poenarum peccati. Iam cogitemus, quam multi homines in Ecclesia crudi, Christum et Evangelium fastidiant.

V. Assum igni. Non dubito significari passionem Christi, qui vere sensit ignem divini iudicii, et irae Dei adversus peccata. Et qui assum edunt, agnoscant assationem, id est, agnoscant et ipsi iudicium Dei adversus peccata, quod videlicet adeo irascatur Deus peccato, ut nulla victima potuerit placari, nisi morte Filii, Nec diluamus hunc cibum maceratione in aqua, id est, securitate et opinionibus carnalibus.

VI. Totum comedetis. Doctrina de Christo teneatur integra. Usitatum est enim haereticis, partem retinere doctrinae de Christo, sicut Samosatenus retinebat hanc partem, Christum esse hominem, retinuit et Mahometus eandem: denique alii aliam particulam retinuerunt. Adversarii nostri retinent articulos de duabus naturis, sed non de officio, noluit hac fide invocari Deum, ut credamus nos vere recipi propter Filium mediatorem gratis. Ecclesia vero Christi retinet integram doctrinam.

VII. Renes accingetis, et eritis calceati. Non dubium est, populum legis sic vescentem in apparatu viatoris, admonitum esse hoc ipso ritu, quod alia maior liberatio adhuc expectaretur, interim eos futuros viatores, habituros magna pericula, exilia, mutationes regni sui: tunc vero habituros quietem, hac peregrinatione perfecta, cum veniret altera liberatio, quae ducet in vitam et gloriam sempiternam.

VIII. Dicitur *Phase* Domini, quod Deus transierit, percusserit Aegyptios, et pepercerit familiis, ubi limen fuit conspersum sanguine: haec est principalis significatio. Misso Filio iudicabit Deus mundum, transibit per omnes gentes, et abiiciet eas in aeternos cruciatus, sed parcet Ecclesiae suae conspersae sanguine Filii Dei.

Haec pars manifeste testatur, in hac tota imagine depingi Christum, et passionem Christi, quia hic clare dicitur, parci familiis ubi limen erat conspersum sanguine. Constat autem non liberari nos aliter a morte aeterna, nisi sanguine Filii Dei. Ad hanc significationem imago aperte congruit.

Caeterum apparatus viatoris nos quoque admonet de certaminibus, exiliis, et aerumnis in hac vita suscipiendis. Etsi enim incoata est liberatio, tamen nondum est perfecta, sed perficietur, cum per mortem educti fuerimus in aeternam vitam. Ut autem mare non obruebat Israëlitas euntes per undas, ita mors non absorbet eos, qui agno Christo credunt.

Hoc modo nos admonet typus de perficienda liberatione, ut Israëlitas admonebat restare aliam liberationem. Nec dubium est, sapientes viros in populo Israël, cum steterunt in convivio accincti, talibus verbis admonuisse suos: Videtis quid hic noster apparatus significet, Deus nos iubet esse accinctos ad exilia, ad dimicationes ad pericula. Haec igitur pia mente suscipiamus, et expectemus alteram liberationem, quae ducet nos in aeternam quietem, significatam hac liberatione.

IX. Postremo, rursus praecipitur de azymis panibus, et de fermentato. Nec dubium est azymon significare puritatem doctrinae, invocationis, fidei, cultuum, ut cultus sint azymi, non fermentati humanis opinionibus extra verbum Dei, sicut gentes, Mahomet, monachi, et nunc multi docti miscent fermenta, id est, suas bellas cogitationes et plausibiles opiniones, alienas a verbo Dei et doctrina fidei.

Hanc collationem agni Paschalis cum agno Christo diligenter contemplemur, incurrat in oculos mactatio, et aspersio sanguinis. Mactatio

significat mortem Christi. Aspersio significat applicationem, qua singuli fide applicant sibi beneficium Christi, atque ita sanguine eius asperguntur, ut inquit Petrus. Cogitentur et causae irae Dei adversus peccatum generis humani, et misericordia, quod sanguine Filii sui nos redemerit, retineatur fides in invocatione, quod vere propter hunc Filium recipiamur, non propter nostram dignitatem. Considerentur et poenae Aegypti, significantes exitium omnium impiorum.

De Resurrectione Christi.

Evangelium Lucae 24.

Et ecce duo ex illis ibant ipso die in castellum, quod aberat spacio stadiorum sexaginta ab Ierusalem, nomine Emaus. Et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quae acciderant. Et factum est dum loquerentur, et secum quaererent, et ipse Iesus appropinquans, ibat cum illis: oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Ait autem ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Respondens autem unus, cui nomen Cleophas, dixit ad eum: Tu solus peregrinus es in Ierusalem, et non cognovisti quae facta sunt in illa in his diebus? Et dixit illis: Quae?

Illi autem dixerunt, de Iesu Nazareno, qui fuit vir Propheta, potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo, et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus, quod ipse esset redemturus Israël. Atqui super haec omnia tertius dies est hodie, cum haec facta sunt. Sed et mulieres quaedam ex nostris terruerunt nos, quae ante lucem fuerunt ad monumentum, et non invento corpore eius, venerunt dicentes, se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicant eum vivere. Et abierunt quidam ex iis, qui erant nobiscum, ad monumentum, et ita invenerunt, sicut et mulieres dixerunt, ipsum vero non viderunt.

Et ipse dixit ad eos: O stulti et tardi corde ad credendum, in omnibus quae locuti sunt Prophetae. Nonne haec oportuit pati Christum, et intrare in gloriam suam? Et incipiens a Mose et ab omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant. Et appropinquaverunt ad castellum quo ibant, Et ipse finxit se longius ire, et coëgerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est dies. Et intravit ut maneret cum illis.

Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. Aperti autem sunt oculi eorum, et agnoverunt eum, Et ipse evanuit ab eis. Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in via, et dum aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora, regressi sunt in Ierusalem, et invenerunt congregatos undecim, et eos, qui cum illis erant, dicentes, quod surrexerit Dominus vere, et apparuit Simoni. Et ipsi narrabant quae gesta erant in via, et quomodo agnitus esset eis in fractione panis.

Dum autem haec loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, et dicit eis: Pax vobis. Territi vero et timidi facti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, et quare cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate me et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. Adhuc autem illis non credentibus prae gaudio et mirantibus, dixit illis: Habetis hic aliquid, quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. Et accipiens coram illis comedit.

Dixit autem ad eos: Haec sunt verba quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moisi, et Prophetis, et Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas, dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine eius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Hierosolyma.

Hoc caput *sex* habet praecipuos locos.

I. Pia colloquia.

II. Infirmitas discipulorum.

III. Etiam infirmi dociles placent Deo.

IIII. Confirmatio Evangelii ex testimoniis propheticis.

V. De resurrectione, quod videlicet fides debeat intueri resuscitatum et regnantem Christum.

VI. De beneficiis resurrectionis.

De primo.

Bis intervenit Christus colloquiis discipulorum, disputantium de resurrectione. Exemplum igitur monet, et testatur, Deum favere piae meditationi et sermoni, et per haec efficacem esse. Ideo scriptum est: Abundet sermo Dei inter vos. Item: Sit sermo vester sale conditus.

De secundo.

Insignis est infirmitas in discipulis. Dubitant enim de resurrectione, cum quidem antea praedicta esset. Sunt igitur in sanctis peccata, infirmitas fidei, dubitationes, ignorantiae, securitas, viciosi impetus multi, diffidentiae etc. Sicut in Psalm. dicitur: Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me. Ac deprehendet in sese quisque suae fidei infirmitatem, cogitans de aeternitate, de resurrectione nostra etc. Item, securitatem nimis magnam, et multa errata, quae oriuntur ex diffidentia, vel fiducia carnali. Hic igitur discamus, perpetuam in sanctis poenitentiam esse debere, et sanctos non esse iustos lege, quia legi non satisfaciunt, et damnanda est operum fiducia, et rursus discendum, quod agentes poenitentiam fide consequantur remissionem, et placeant Deo propter Christum. Sunt hic etiam discernenda peccata: nam delicta contra conscientiam excutiunt fidem, gratiam, et Spiritum sanctum.

De tertio.

Utilis consolatio est, exemplum infirmitatis Apostolorum in tota historia Evangelii. Testatur enim infirmos, si tamen sint dociles, et fundamentum teneant, placere Deo, sicut et Paulus inquit: Infirmum in fide assumite, Deus enim eum recipit. Ac semper in Ecclesia maxima pars habet insignes infirmitates.

Discernendi sunt autem infirmi dociles, ab hypocritis arrogantibus praefractis, contumacibus. Infirmi dociles sunt, qui fundamentum tenent, id est, articulos fidei, etsi in quibusdam nondum satis explicatam doctrinam tenent, de quibus tamen audiunt alios doctiores, quaerunt testimonia scripturae, non repugnant, non defendunt privatas persuasiones, aut privatos affectus, ambitiones, aut alias cupiditates, praetextu verbi Dei, male detortis scripturis etc. Econtra contumaces sunt, qui in quibusdam articulis veras sententias oppugnant, vel inscitia, vel arrogantia, et fiducia suae sapientiae, admiratione suarum opinionum, vel propter aliquas privatas cupiditates etc. Tales contumaces non placent Deo, nec infirmi nominandi sunt, sed potius contentiosi, inimici Evangelio.

De quarto.

Christus ipse deducit Ecclesiam ad testimonia prophetica, et non tantum convincit discipulos suis miraculis, et sua ipsius resurrectione, sed addit testimonia scripturae: quia non vult nos ex solis miraculis iudicare, sed miracula consentire debent cum tradito verbo. Iam hic utile est colligere aliqua testimonia, de quibus haud dubie Christus disseruit, quando docuit de passione, de resurrectione, de victima pro peccato, de abolenda morte, de restituenda vita aeterna, et refutavit imaginationes de regno mundano Messiae. Nam discipuli habebant vulgarem persuasionem, Messiam habiturum esse regnum mundi, et dominationem politicam. Verum Christus diversum hic docet, videlicet, se missum esse, ut fieret victima pro peccato, promulgaret Evangelium, et resuscitatus det Spiritum sanctum, adiuvet invocantes Patrem per ipsum, mittat Apostolos, et aedificet et conservet Ecclesiam, ac in resurrectione mortuorum glorificet eam.

Haec in promissionibus et concionibus Prophetarum dicta sunt, ut in prima promissione: Semen mulieris conculcabit caput serpentis, id est, Christus destruet opera diaboli, peccatum et mortem, Et serpens calcaneum eius mordebit, id est, diabolus exercebit saevitiam in Christum et Ecclesiam, sed tamen vincetur et conculcabitur. Huc pertinet et quinquagesimum tertium caput Esaiae. Item, victimae in lege significabant veram victimam, sicut inquit Epistola ad Ebraeos, impossibile fuit sanguine taurorum et vitulorum tolli peccatum.

De quinto.

Fides nostra intueri in omni precatione et invocatione Christum resuscitatum, viventem et

regnantem, debet, et tenere regulam: Quicquid petieritis patrem in nomine meo etc. Id est, fiducia Christi, non fiducia vestrae dignitatis. Nam Christus est perpetuus pontifex, perpetuo pro nobis intercedens, perpetuo dona dans hominibus. Nec imaginandum est, sibi eum beatum esse, ociosum esse, sed resurrexit ut regnet, id est, ut sit efficax in invocantibus ipsum, sicut inquit ad Apostolos: Data est mihi omnis potestas, Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Et in Psalm. dicitur: Sede a dextris meis, quo significatum est, Christum regnaturum esse divina potentia.

De sexto.

De beneficiis resurrectionis.

Ad Rom. 4. dicitur: Qui traditus est propter delicta nostra, et resuscitatus est propter nostram iusticiam. Hic discrimen tradit persolutae poenae pro nobis, et deinde exhibendae nobis iusticiae et vitae. Quod enim Christus mortuus est, persolvit poenam, quam debuimus. Sed si mansisset in morte, non fuisset completum beneficium, nec habuisset ipse regnum promissum, nec fuisset efficax in liberandis suis a morte aeterna: ideo oportuit eum resurgere, ut sedens ad dexteram patris, hoc est, regnans potentia divina, sit efficax. Sunt igitur beneficia resurrectionis, omnia opera Christi regnantis, videlicet, iustificare credentes, sanctificare dato Spiritu sancto, defendere eos adversus potestatem diaboli, liberare eos a morte aeterna, incoare vitam aeternam in credentibus, et postea eos resuscitare, instaurare totam naturam humanam victuram nova luce, sapientia, iusticia, et vita perpetua. Nihil horum fieret a mortuo et ocioso.

De his operibus concionantur dicta prophetica, quae loquuntur de resurrectione, ut Ose. 13.: De manu mortis liberabo eos, et de morte redimam eos: Ero mors tua o mors, morsus tuus ero inferne. Haec concio Oseae declarat veteres promissiones, et significat qualis liberatio per Messiam promissa sit, videlicet, non restitutio et amplificatio regni politici, sed longe alia res, scilicet destructio mortis et peccati, et restitutio vitae aeternae. Ideo dicitur: Ero mors tua o mors, id est, delebo mortem, delebo inferos, reddam vitam et iusticiam perpetuam, scilicet credentibus. In his verbis caetera insunt, id est, Ergo regnat Messias, intercedit pro nobis apud patrem, ut recipiat nos, ac iustos pronunciet, dat nobis Spiritum sanctum, dimicat pro nobis contra diabolum, incoat in credentibus vitam aeternam, et resuscitat mortuos, sicut ipse resurrexit. Porro haec beneficia et intelligemus, et consequemur, si excitabimus nos ad invocationem, et petemus auxilium in publicis periculis et nostris, a Christo regnante, nec somniabimus ociosum esse.

Simile dictum est apud Esaiam: Illo die stabit radix Iessae, quae erit signum populis, ad ipsum gentes confugient, et erit sepultura eius gloriosa. Descriptio est regnantis Christi. Die illo stabit, id est, non evertetur promissus liberator ex stirpe Iessae. Et erit signum populis, id est, erit tanquam dux gerens vexillum: poterit conspici in signo suo, id est, praedicatione Evangelii: et gentes ad eum confugient, invocabunt eum. Quando? Non tantum, cum in hac vita conversabitur nobiscum, ut mortalis homo, sed etiam postea, cum mors eius erit gloriosa, id est, cum resurrexerit. Nam mors si non sequeretur resurrectio, seu nova vita, non esset vera gloria. Testatur ergo dictum Prophetae, resurrecturum esse hunc Dominum, et non mansurum in morte, et tunc gentes invocaturas esse ipsum. Hic docet qualis sit cultus in novo Testamento futurus, non mactabunt victimas, sed confugient ad hunc ducem, ab hoc petent auxilium. Hic liberabit invocantes a summis malis, a quibus liberari non possunt ullo alio modo, videlicet, ab ira Dei, a peccato, a morte perpetua, a potestate diaboli etc. Sunt autem traditae hae conciones Prophetarum, ut fidem in nobis excitent et confirment, et nos hortentur ad hos cultus, ad agnitionem et invocationem Christi, atque ita dulcescent nobis hae conciones, et beneficia resurrectionis intelligemus, si invocationem serio exercebimus admoniti his sententiis. Huc pertinent omnes sententiae quae loquuntur de perpetuo regno Christi etc.

Dominica I. post Pascha.

Evangelium Ioannis 20.

Cum ergo sero esset die illo una Sabbatorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Iudaeorum, venit Iesus, et stetit in medium, et dicit eis: Pax vobis. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus suum. Gavisi sunt ergo

discipuli viso Domino. Dixit ergo eis Iesus iterum: Pax vobis. Sicut misit me pater, et ego mitto vos. Et cum hoc dixisset, insufflavit eis et dixit: Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.

Thomas autem unus de duodecim, qui dicitur didymus, non erat cum eis, quando venit Iesus. Dixerunt ergo ei alii discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clavorum, et mittam digitum meum in vestigium clavorum, et mittam manum meam in latus eius, non credam.

Et post dies octo iterum erant discipuli eius intus, et Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, et stetit in medium, et dixit: Pax vobis. Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum, et noli esse incredulus, sed credens. Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus, et Deus meus. Dixit ei Iesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti, Beati qui non viderunt, et crediderunt.

Multa quidem igitur et alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in hoc libro. Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Iesus est Christus Filius Dei, et ut credentes vitam habeatis in nomine eius.

I. De testimoniis.
II. Missio Apostolorum, et donatio Spiritus sancti.
III. Mandatum de remissione peccatorum et summa Evangelii.
IIII. Duo testimonia de divinitate Christi.
V. Confirmatio credentium voci Evangelii de rebus quas oculi non conspexerunt.

De primo.

Saepe hoc dictum est in his conciunculis. Etsi res gestae Alexandri aut C. Caesaris magis incurrunt in oculos, et habent celebratiora testimonia, tamen sciendum est et Ecclesiam habere certa testimonia, de voluntate Dei, et de exhibito Filio Dei, quae diligenter colligenda sunt animis, ut fidem confirment, ut de resurrectione exhibita sunt testimonia totis illis quadraginta diebus, quibus Christus familiariter cum Apostolorum coetu post resurrectionem conversatus est, eosque erudiit de suo regno, de Evangelio, de vita aeterna. Nec vero tantum Christus una versatus est, sed etiam alii multi resuscitati, ut noster dux ascensurus in coelum, haberet comitatum aliquem, id agmen arbitror fuisse primos parentes, et aliquos ex Regibus et Prophetis, quod duxit Christus, ut initia aeterni regni viderent, sicut norant et Moises et Elias. Quare pia mens testimonia studiose consideret, ut et Paulus ea recitat 1. Corinth. 15.: Visus est Cephae, deinde universo coetui Apostolorum, postea quingentis fratribus simul, rursus Iacobo, deinde iterum omnibus Apostolis, postremo, inquit, et mihi visus est. Et Apostolos vera narrasse Deus ipse testatur, qui propterea ornavit eos miraculis, ut sciamus eos divinitus missos esse, veros testes, et doctores esse de voluntate Dei, et de Christo.

De secundo.

Etsi Christus habet quaedam propria munera, quae non sunt communia Apostolis, tamen ministerium docendi est commune, Christus non tantum est Doctor, sed missus fuit ut fieret victima pro humano genere, et est mediator seu propiciator, et sua potentia reddit vitam aeternam, sicut inquit Iohan. 5.: Sicut pater excitat mortuos et vivificat, sic et Filius, quos vult, vivificat. Sed Apostoli tantum circumferunt vocem Evangelii, et sunt testes de exhibito Messia, et enarrant beneficia eius. Id officium hic eis commendat, eosque admonet qua autoritate commendet, videlicet aeterni patris, et sua. Sicut misit me pater, sic mitto vos. Et statim additur Spiritus sanctus, et nominatim exprimitur quid acturi sint, ut Luc. ultimo dicitur: Ite praedicaturi poenitentiam in nomine meo, et remissionem peccatorum.

Primum autem hic discamus, autoritate divina institutum esse ministerium Evangelii, idque efficax esse, et salutare. Nam ideo dicit: Sicut me misit pater. Habetis mandatum idem Evangelii docendi, idque erit ratum Deo, et efficax, sicut Paulus inquit: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Cogita igitur quantum hic munus universo generi humano donet, cum mittit Evangelii ministros, et pollicetur Deum Evangelio adfuturum esse, sicut haec

copiose declarantur 2. Corinth. 3.: Sufficientia nostra ex Deo est, qui fecit nos idoneos ministros novi Testamenti, non literae sed spiritus. Et Ephes. 4.: Et ipse dedit alios quidem Apostolos, alios vero Prophetas, Pastores et Doctores, ut aedificetur Ecclesia, nec fluctuemus agitati fallacibus praestigiis etc., promittit etiam sese adfore opitulatorem: Ubicunque duo aut tres congregati erunt in nomine meo, in medio eorum sum. Item: Ego sum vobiscum usque ad consummationem seculi etc.

Haec omnia sunt hoc loco cogitanda, ut agnoscamus magnitudinem huius divini muneris, amemus et veneremur ministerium Evangelii, audiamus, et vere credamus Dei munus esse, et per hanc Evangelii vocem, quamvis spretam ab impiis, tamen vere reddi vitam aeternam iis, qui eam amplectuntur. Apostoli expectabant mundi imperium, et somniabant fore, ut iam Christus pulsis Romanis praesidiis occuparet Iudaeam, deinde adiuncturus caeteras provincias, ac impositurus eis Apostolos, ut Alexander suis commilitonibus tradidit regendas provincias. Sed hic audiunt Apostoli longe aliam vocem: Sicut me misit pater, scilicet ad docendum Evangelium, et sustinendas aerumnas quas adfert confessio, non ut armis imperium constituam: ita et vos mitto, et polliceor Deum voce Evangelii adfuturum esse.

Haec concio satis docet non fungi munere Christi pontifices, qui non docent Evangelium, sed imperium constituerunt, et cultus defendunt pugnantes cum Evangelio. Pios vero valde confirmat, tum doctores, tum auditores. Diabolus et eius organa immanitate odii infinita ardent adversus Evangelium. Ideo multi potentes et sapientes bellum gerunt cum Evangelio, sed pii doctores hac se voce sustentent: Sicut misit me pater. Adest Deus huic militiae, ideo non frangantur animi iudiciis mundi. Auditores etiam sciant non esse inanem fabulam, has tam mirandas conciones de vita aeterna, de futuro iudicio, de remissione peccatorum etc. Sed sciant immensa bonitate Dei electam esse Ecclesiam a Deo, quam velit hoc mirabili modo sibi adiungere, et donari aeternis bonis.

De tertio.

Summam Evangelii et hic et in ultimo capite Lucae complexus est Christus, quam oportet infixam esse animis, ut discrimen semper sit in conspectu inter doctrinam humanae rationis, Legem et Evangelium. Mirantur sapientes quid tantopere iactitet Ecclesia singulare genus doctrinae, cum videant a legumlatoribus, oratoribus et philosophis doctrinam de virtutibus eruditissime traditam esse. Plerique multo libentius legunt Ethica Aristotelis, aut Officia Ciceronis, aut Iurisconsultorum dicta, quam Evangelium. Quorsum, inquiunt, opus est hac confusanea doctrina, quae continet interdum sententias dissentientes a civili consuetudine vitae? Aut quid novi traditur in Evangelio?

Haec humana iudicia accurate refutanda sunt, et discernendum est Evangelium ab omnibus aliis generibus doctrinarum, a philosophia, a legibus civilibus, a Mahometi opinionibus, a Iudaicis iudiciis. Humanae menti insita est quaedam legis noticia, id est, discrimen honestarum et turpium actionum, seu praestandarum actionum et fugiendarum, videlicet actionum, quarum genera recensentur in Decalogo. Ex hac legis doctrina orta est philosophia, et natae sunt civiles et Mahometicae ac Iudaicae opiniones. Et ut numerorum noticia omnibus hominibus communis est, quia nobiscum nascitur, ita communis est illa legum noticia omnibus hominibus.

Sed longe alia est Evangelii vox, quam Filius Dei ex sinu patris revelavit humano generi. Cum Adam lapsus agnosceret se iam reum esse irae divinae et aeternae mortis, non poterat statuere sibi ignosci, se recipi in gratiam, sibi reddi vitam aeternam. Ideo prolata est nova promissio, in qua testatus est Deus, se propter quoddam venturum semen recipere homines in gratiam, et redditurum esse vitam aeternam iis, qui fiducia eius promissionis ipsum invocaturi erant. Eaque promissio subinde magis declarata est per Patres et Prophetas, ut in Psalmis, Esaia, Daniele et Zacharia videmus. Tandem vero per ipsum Filium Dei, qui promissus fuerat, clarissime enarrata est, et per Apostolos sparsa in omnes gentes. Humana mens non habet insitam hanc noticiam, Deum velle gratis nos recipere in gratiam, remittere peccata propter Filium, et propter eum exaudire nos, et certo nobis reddere vitam aeternam. Haec igitur sententia ignota humanae rationi, patefacta est voce Dei, primum in Paradiso, ac deinceps, ut dictum est, per Patres,

Prophetas, Baptistam, Christum et Apostolos magis magisque declarata.

Ut igitur Ecclesia Dei statim post lapsum rursus instaurata est, ita mox institutum est ministerium Evangelii, nec alia doctrina in Paradiso sonuit, nisi haec quam tradit Christus, iubens praedicari poenitentiam, et remissionem peccatorum. Accusavit Deus lapsos parentes, et addidit promissionem de reddenda vita aeterna, qua agnoscebant se in gratiam recipi, cum dicitur: Semen mulieris conculcabit caput serpentis, id est, veniet semen, quod destruet regnum diaboli, abolebit peccatum et mortem, ac instaurabit vitam aeternam.

Haec concio tradita est primis parentibus, quam omnes posteri retinere et meminisse debuerant. Sed impii aspernati sunt, Ecclecia Dei retinuit. Et subinde haec lux in mundo rursus accensa est, sicut et per Christum et Apostolos renovata est.

Eandem ergo concionem Christus iubet Apostolos circumferre inter gentes, quae inde usque ab initio in Ecclesia, et quae in Paradiso sonuerat, id est, iubet eos retegere et arguere peccatum, concionari de ira Dei adversus peccatum, et de aeternis poenis, addere vero doctrinam de remissione peccatorum, et de vita aeterna, quam pollicetur Deus propter Filium, gratis, his qui fide statuunt, sibi haec vere propter Filium Dei mediatorem dari.

Et quidem expresse hic inquit: Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, et quorum retinueritis peccata, retenta erunt. Vult voce Ecclesiae remitti peccata, iis qui cupiunt redire ad Deum et Evangelio obtemperant, seu singulis, seu pluribus: et hanc vocem testatur in coelo ratam esse. Cumque accipimus fide reconciliationem, incoatur in nobis vita aeterna, et post hanc vitam prorsus abolito peccato et morte, donabimur perpetua vita, luce, sapientia, iusticia, laetitia et consuetudine Dei. Haec omnia comprehendi sciamus, cum fit mentio remissionis peccatorum: ac magnitudo beneficiorum, quae in Evangelio proponuntur per mediatorem, consideranda est, verbis enarrari satis non potest.

Econtra et irae magnitudo consideretur. Evangelium denunciat retentionem peccatorum, id est, aeternam iram, aeternas poenas omnibus contemtoribus et hostibus Evangelii.

Nec dubium est sapientes Epicureos ex sublimi deridere hoc dictum: Quorum retinueritis peccata, retenta erunt. Quid hoc, inquiunt, mali est? Sed fugiamus et detestemur Epicureos, nec contemnamus haec coelestia fulmina. Deus in Evangelio suo patefacit iram suam adversus contemtores et hostes Christi, sicut Moises inquit: Qui non audierit eum, ego vindex ero. Hanc vocem vult Deus pronunciari adversus contemtores et hostes Christi, et sententiam ratam esse aeternae poenae testabuntur. Et saepe in hac vita manifesta poenae signa sunt huius divini iudicii, ut Ananias interficitur voce Petri, Achab, Iesabel dant poenas reiecti a Deo, voce Eliae.

Haec quae de missione Apostolorum et summa Evangelii breviter diximus, longiore explicatione tractantur, cum dicitur, quid sit Ecclesia, quid Evangelium, quid poenitentia, quid iustificatio. Ex his locis plura sumantur ad hanc enarrationem.

De quarto.

Diligenter hic observes doctrinam de tribus personis divinitatis. Fit mentio aeterni Patris et Filii: Sicut pater misit me, et ego mittam vos. Deinde fit mentio Spiritus sancti: Inflavit in eos Spiritum sanctum. Haec loca in precationibus nostris cogitemus, et aeternum Deum patrem, qui cum Filio suo et Spiritu sancto res bonas omnes condidit, invocemus, mediatore Filio. Et ea testimonia mente intueamur, quibus sic se patefecit Deus, ut in baptismo Christi trium personarum expressa mentio fit, et in hac vera et miranda synodo, ubi Filius Dei dat Spiritum sanctum Apostolis.

Sunt et testimonia duo de Filii divinitate, quia infra Thomas vocat eum Deum. Item, quia hoc loco Filius dat Spiritum sanctum. Porro nulla creatura potest per sese dare Spiritum sanctum, cum sit vere Dei aeterni spiritus, καὶ ὁμοούσιος Patri et Filio, quia dicitur: Effundam de meo Spiritu. Est enim emphasis in dictione: Meo.

Observent autem pii talia testimonia, eaque diligenter expendant. Ea meditatio plus conducit quam prolixae et intricatae disputationes.

De quinto.

Dulcissima consolatio est in fine, et nos deducit ad Apostolorum testimonium. Beati, inquit, qui credent etiamsi non viderint. Iubet nos

credere testimonio Apostolorum, sicut et Iohan. 17. ait Christus: Non pro his tantum rogo, sed etiam pro credituris per verbum eorum in me. Hic clare testatur Ecclesiam esse non tantum Apostolos, qui ipsum audiverunt, sed etiam universam multitudinem, quae audit Evangelium, quod proponunt Apostoli. Huic verbo vult nos assentiri, nec praeter hoc verbum requiri novas revelationes aut voces de coelo, ut fingunt Anabaptistae.

Porro, quam difficile sit humanae menti consistere in hoc ipso verbo, exempla ostendunt, quia plurimi homines deficiunt a Deo, quia quaerunt alia nova testimonia de voluntate Dei. Saul cogitat, etsi Deus est misericors, tamen sibi non ignosci, quia deseritur in praelio. Hic etiam amissa victoria, amissis omnibus creaturis, tamen Deum abiicere non debebat. Sed retinere promissionem, qua norat promissam esse reconciliationem et vitam aeternam propter mediatorem. David amisso regno, et quod multo erat tristius et luctuosius, exutus gloria, qua antecelluerat omnibus hominibus suae aetatis, tamen intelligit se non debere a Deo deficere, non accusare Deum mendacii, sed meminisse promissionis, in qua offertur omnibus remissio peccatorum et vita aeterna, qui fide ad Deum redeunt.

In tali agone et lucta discitur, quanta vis sit huius dicti: Beati qui non vident, et tamen credunt. Nondum videt David se recipi in gratiam, cum expellitur in exilium, cum filius contaminat eius coniuges, cum adversus patrem capit arma. Haec horrenda spectacula fides superat, et statuit tamen sibi remitti peccata, et expectat mitigationem poenarum.

Hoc exemplum utiliter docet pios, et confirmat fidem. Sed hic opus est recte tenere doctrinam Evangelii de remissione peccatorum, videlicet, quod haec sit aeterna et immutabilis sententia Evangelii, et qui non perseverant in delictis contra conscientiam, sed perterrefacti petunt remissionem vere et certo eam consequuntur propter Filium Dei gratis, fide, non propter proprias virtutes.

Haec fides antefert omnibus peccatis, omnibus terroribus, et omnibus creaturis, hoc inenarrabile munus, quod Filius Dei pro nobis fit victima. Hac se consolatione mens erigens, et se fiducia misericordiae, propter Filium promissae sustentans, accipit Spiritum sanctum, sicut ad Gal. 3. scriptum est, Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Deinde sequi novam obedientiam et iusticiam bonae conscientiae oportet, quae docetur in praeceptis Dei, et quanquam est adhuc imperfecta, tamen placet in renatis propter mediatorem.

Haec summa Evangelii saepe in Ecclesia recitanda est, ut omnibus fiat familiarissime nota. Et integra sententia sumatur ex iis scriptis, quae totam controversiam declarant, et moneantur homines, ut discant hanc salutarem doctrinam transferre ad usum, redeant ad Deum per poenitentiam, et fide agnoscant beneficia Christi, ac Deum invocent fiducia misericordiae promissae propter Christum, sicut Daniel orat. Non propter iusticias nostras exaudi nos, sed propter misericordiam tuam, ac propter promissum Dominum. In his exercitiis et illustrior et dulcior haec doctrina piis mentibus erit. Nam nec Epicurei, nec hypocritae fascinati suis deliriis, intelligunt hanc sapientiam Ecclesiae propriam.

Dominica II. post Pascha.

Evangelium Iohannis 10.

Ego sum pastor bonus, Bonus pastor animam suam ponit pro ovibus, Mercenarius autem et qui non est pastor, cuius non sunt oves propriae, videt lupum venientem, et deserit oves, et fugit, et lupus rapit illas, et dispergit oves. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, et non sunt illi curae oves. Ego sum pastor bonus, et cognosco meas, et cognoscor a meis. Sicut novit me pater, et ego agnosco patrem, et animam meam pono pro ovibus. Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili, et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile, et unus pastor.

Loci *quatuor* sunt praecipui.

I. Politicum praeceptum de discrimine gubernatorum.
II. Evangelica doctrina discernenda a politica, de pastore Messia. Et qualis sit pastor Messias.
III. Quid sit Ecclesia.
IIII. Quid significetur per ianitorem.

De primo.

Initio sciendum est ingens discrimen esse inter doctrinam politicam et Evangelium, sed tamen

sumuntur ex politicis praeceptis figurae et similitudines, quia sunt notae humanis iudiciis. Primum igitur discernamus gubernatores iuxta politicam doctrinam. Aut boni principes praesunt, ut Augustus, aut tyranni, ut Nero, aut ignavi, ut Honorius, id est, qui etiamsi tranquillis temporibus sunt mediocres, tamen referunt gubernationem tantum ad suam utilitatem, et serviunt ventri, nec suscipiunt labores aut pericula ad defensionem suorum. Bonos principes nominat Pastores, tyrannos Praedones et fures seu grassatores. Ignavos vocat mercenarios, sic triplices sunt aulici, boni, ut Ionathas, Daniel, perniciosi, ut Doëg: reliqua est magna turba ignavorum, qui in rebus secundis mediocriter serviunt, sed pericula fugiunt, consulunt suae utilitati etc.

Haec discrimina sunt et ecclesiasticorum gubernatorum: alii sunt boni, ut Ieremias, Paulus: alii perniciosi, ut Haeretici et Episcopi ac Monachi defensores impiorum dogmatum et impiorum cultuum: ignavi, ut nunc multi, qui mediocriter docent, sed metu impediti non palam taxant errores, non dimicant cum adversariis, non audent ingenue profiteri quod sentiunt, sed formidant odia, exilia, cruciatus, ignominiam.

Prodest autem haec discrimina considerare. Primum, ut agnoscamus bonos gubernatores, tum politicos, tum ecclesiasticos, singularia Dei dona esse, ac Deo pro his salutaribus muneribus gratias agamus. Deinde, ut quantum suo quisque loco potest, imitari bonos studeat, et poenas sceleratorum et ignavorum intueatur, ut sese ad timorem Dei, et diligentiam pro sua mediocritate exuscitet. Postremo exempla bonorum et malorum nos commonefaciant, ut Deum oremus, ut faciat nos ministros utiles, gubernet ac adiuvet nos, nec sinat nos ruere ac fieri pestes generis humani, et vasa irae, ut fuerunt Nero, Caligula, Arius, Manichaeus.

De secundo.

Dixi discrimen esse inter doctrinam politicam et Evangelium. Bonus princeps regit externam disciplinam suis consiliis ac legibus, et praeliatur cum opus est. Haec officia tantum serviunt praesenti mortali vitae, nec adferunt vitam aeternam, nec mutant mentes.

Paulus impertit Evangelium, per quod incoat Deus vitam aeternam in mentibus. Sed tamen Paulus tantum docet, non est victima pro peccato, non est mediator propter quem Deus nos recipit, nec est is qui dat Spiritum sanctum, et reddit vitam aeternam. Imo diligentissime discernendi sunt omnes Prophetae, Apostoli et alii ministri, a Christo Filio Dei.

Quanquam autem hi in sua vocatione sunt boni pastores, tamen longe maius est munus pastoris Christi. Is non solum docet Evangelium, sed etiam est victima pro nostris peccatis, est mediator, propter quem aeternus pater nos recipit, et donat Spiritum sanctum credentibus, et incoat in eis vitam aeternam, adest Ecclesiae et defendit eam mirabiliter, et resuscitabit mortuos.

Quare alio modo intelligatur Pastor, quam caeteri boni principes, Prophetae, aut Apostoli. Sunt passim sapientes ignari Evangelii, sicut Mahometus et alii multi, qui de Christo cogitantes, imaginantur eum fuisse doctorem, quales multi fuerunt, ut Socrates, Solon, et alii legumlatores, fingunt eum dedisse legem, sed propria et praecipua eius officia ignorant. Hae tenebrae acerrime taxandae sunt, et in Ecclesia illustrandum est discrimen legis et Evangelii.

Sunt et personae discernendae Prophetarum, Apostolorum et Christi. Lex est doctrina praecipiens quales nos esse, quid facere et omittere oporteat, et denuncians aeternam iram et poenas propter peccata universo generi humano, sicut clare dicitur: Maledictus qui non permanet in omnibus his, quae scripta sunt in lege, etc. Econtra, Evangelium pollicetur agentibus poenitentiam, remissionem peccatorum gratis, propter Filium Dei mediatorem, et postulat huic promissioni credi, et docet in hac fide Deo placere incoatam obedientiam. Monstrat igitur Christum propiciatorem, propter quem inde usque ab initio omnes electi intellexerunt se recipi in gratiam a Deo.

Ideo in textu omnes doctores damnat, qui omissa doctrina promissionis seu Evangelii tradiderunt legem aut cultus. Omnes, inquit, qui ante me venerunt, fures sunt et latrones. Omitte temporis imaginationem, cum ait, Ante me, sed intellige ordinem in docendo, quocunque tempore, ut sit, ante me, id est, me non praeeunte. Omnes qui docuerunt legem non praeeunte luce promissionis de Christo, fuerunt fures et latrones, ut Chaldaei, Aegyptii, Baalitae, impii sacerdotes in Iuda, Pharisaei, Sadducaei, Graeci, Romani docuerunt legem et cultus aliquos, sed

non praelucente Christo. Hos omnes pronunciat Christus fures esse et latrones.

Non potest non perhorrescere pia mens, considerans hic damnari maximam partem generis humani, imo maximam partem eorum qui dominantur in Ecclesia. Constat Mahometum esse furem et latronem, quia venit non praeeunte, non ducente Christo. Retinuerunt nomen Christi pontifices et monachi, sed obruerunt doctrinam de fide in Christum, dixerunt homines mereri remissionem peccatorum propriis operibus, dixerunt eos posse legi satisfacere, et lege iustos esse, sed tamen semper dubitandum esse: damnant vocem Evangelii, quae iubet credere, quod propter Filium Dei simus iusti, id est, accepti. Hoc est etiam venire non praeeunte Christo. Addantur exempla de caeteris crassioribus erroribus, dicunt sacrificulos in Missa offerre Filium Dei, et hoc opere mereri populo remissionem peccatorum. Hoc certe est non praeeunte Christo venire.

Econtra nos sciamus omnes pios doctores in Ecclesia inde usque ab initio, Adam, Seth, Nohe, Sem, Abraham, Davidem, Esaiam, et similes non tantum de lege concionatos esse, sed etiam de Evangelio, et inculcasse, ac illustrasse promissionem de venturo semine, sicut Psalmi et conciones Esaiae clarissime testantur, Messiam futurum victimam, propter quam Deus sit propicius, et reddat iusticiam et vitam aeternam.

Praeit autem Christus dupliciter, Evangelio seu doctrina, et efficacia. Cum audimus promissionem seu vocem Evangelii, amplectimur donatam remissionem peccatorum, fide. Et cum fide agnoscimus Christum, ipse vere est efficax, dat Spiritum sanctum, et incoat in nobis novam lucem. At econtra ubi ignota est promissio, non potest oriri fides, nec accipi remissio peccatorum. Et ubi ignota est promissio Christi, non est efficax Christus, non dat Spiritum sanctum, sicut clare testatur haec vox Apostolorum: Non est aliud nomen, in quo oporteat salvos fieri etc. Mahometus etsi legis doctrinam de externis moribus retinet, tamen prorsus abiicit promissionem, seu Evangelium, negat Filium Dei esse redemtorem, iubet dubitare singulos an placeant Deo, prorsus ignorat lucem fidei. Ideo nec remissionem peccatorum, nec Spiritum sanctum accipit, sed manet in morte, sicut Baptista inquit: Qui non credit Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum.

Ex hac distinctione legis et Evangelii, ministrorum et Christi, membra textus fiunt planiora, Christus est pastor bonus, non solum, ut Paulus docens Evangelium, sed etiam quia ipse est victima, redemtor, mediator, dans Spiritum sanctum, et vitam aeternam. Ideo dicit: Ego veni ut vitam habeant. Caeteri qui tenent titulos pastorum, Pharisaei et Sadducaei sunt fures, latrones, et quidem in populo saniores, tamen mercenarii sunt, id est, ignavi, non suscipiunt pericula confessionis: Imo sine auxilio Christi haec imbecilla natura in omnibus hominibus fugit crucem. Ideo dictum est: Sine me nihil potestis facere. Ego sum ianua, si quis per me ingredietur, salvabitur, et ingredietur et egredietur, et pabulum inveniet.

Per hanc ianuam Christum ingrediebatur Esaias, et salvabatur, ingrediebatur et egrediebatur, id est, primum accipiebat a Christo gratiam, Spiritus sancti dona, et postea alios docebat. Et pabulum inveniebat, donabatur sapientia, iusticia, et vita aeterna.

De tertio.

De Ecclesia, seu de populo Dei.

Certissime persuasum erat Pontificibus et Sacerdotibus Iudaicis, sese esse praecipua membra populi Dei, seu verae Ecclesiae, suum consensum esse veritatem irrefragabilem, magna ex parte membra sui ordinis esse electos ad societatem beatitudinis Abrahae. Sicut nunc Pontifices, Episcopi, Canonici, Monachi, gloriantur se esse praecipua membra Ecclesiae, suum consensum adfirmant esse veritatem divinitus lucentem in Ecclesia. Et hoc consensu tuentur manifestos errores, interficiunt pios, qui non probant ipsorum idola, ut Missas, invocationem mortuorum, et alia portenta.

Itaque necesse est pios moneri, quid sit Ecclesia, et quod sit coetus dissimilis caeteris politiis, Etiamsi in regno praecipua membra sunt, Rex, Senatores, Duces, Principes, tamen Ecclesia non pendet ex his titulis, successione ordinaria, ut vocant. Sed est coetus hominum amplectentium sinceram Evangelii doctrinam, et ei obedientium, cui coetui sunt admixti quidam mali, sed tamen de doctrina consentientes.

Definimus enim visibilem Ecclesiam, nec fingimus ideam Platonicam, ut quidam calumniose

nobis obiiciunt. Certe hoc confessione omnium sanorum conceditur, pugnantes cum Evangelio, non esse membra Ecclesiae, sive vocentur Pontifices, sive Episcopi, sive aliter, quia Paulus aperte dicit: Si quis aliud Evangelium docebit, anathema sit. Non erant igitur membra Ecclesiae, Caiphas, Sacerdotes, Pharisaei, Saducaei, et omnes alii, quicunque dissentiebant a Christo. Sed erant Ecclesia, Christus, Maria, Apostoli et reliqui, qui assentiebantur Evangelio. Sic definit hoc loco Christus Ecclesiam. Et oves eum sequuntur, et agnoscunt vocem eius. Item: Novi meos, et agnoscor a meis. Et deinde: Vos non creditis, quia non estis ex ovibus meis.

Scio moderata ingenia valde moveri autoritate nominis Ecclesiae, et ordinariae potestatis. Ut autem pium est amare et venerari nomen Ecclesiae, ita necesse est discere, quae sit vera Ecclesia, ac de visibili loquor: certe quae gerit bellum cum Evangelio, nequaquam est visibilis Ecclesia, ut constat ex multis testimoniis Evangelii, imo et Canonum. Si movetur animus autoritate tam honesti consessus episcoporum et doctorum, qui decreta faciunt, ut circumferatur et adoretur panis, ut mortui invocentur etc. magis moveatur his dictis: Fugite idololatriam, Non habebitis deos alienos. Quid alienius est ab Ecclesia, quam primo praecepto bellum indicere? Exhorrescunt pii haec cogitantes.

Cum autem necesse sit singulos esse membra Ecclesiae, nec salus sit extra Ecclesiam, discamus veram et firmam doctrinam de Ecclesia, quid sit, et ubi sit: et nos ad eam constanti pectore adiungamus, et simul cum ea Deum invocemus et celebremus.

Et ut visibilem Ecclesiam inde usque ab initio cogitamus, coetum Adae, Seth, Enoch, Nohae, Sem, Abrahae et reliquorum, ita nunc visibilem coetum oculis quaeramus, id est, illos, qui amplectuntur vocem Evangelii, et non defendunt idola. In hoc coetu semper necesse est esse aliquos electos, iuxta illud: Quos elegit, hos et vocavit.

Hoc dictum continet gravissimam doctrinam et dulcissimam consolationem. Testatur enim non quaerendos esse electos extra hanc visibilem Ecclesiam, quae est coetus vocatus, id est, amplectens vocem Evangelii. Valet enim argumentum: Omnes electos vocari necesse est, id est, ad doctrinae agnitionem et professionem adduci. Ergo qui non sunt in numero vocatorum, non sunt electi.

Magna haec est consolatio. Nec de electione sine vocatione cogites. Illi sunt electi, qui vocati amplectuntur vocem Evangelii, et eam non abiiciunt ad extremum. Meminerimus ergo hoc dictum, Quos elegit, hos et vocavit: et vocationem magnifaciamus, quod Dei voluntate ad agnitionem Evangelii adducti simus, et illum coetum vocatorum sciamus esse veram Dei Ecclesiam, in quo cum fiat vocatio docendo, sunt ministri recte docentes Evangelium, et recte administrantes sacramenta.

Sic Ecclesia multis locis definitur Ioh. 10.: Oves meae vocem meam audiunt.

Iohan. 15.: Si manseritis in me, et verba mea manserint in vobis, quod volueritis, petetis, et fiet vobis.

Ephes. 2.: Estis cives sanctorum et domestici Dei, extructi super fundamentum Prophetarum et Apostolorum, existente lapide angulari Iesu Christo.

Et Esaiae 59.: Hoc est foedus meum cum eis, dicit Dominus, spiritus meus qui est in te, et verba mea quae posui in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui in sempiternum. Haec promissio et adfirmat mansuram esse Ecclesiam Dei, et docet coetum esse visibilem, in quo sonat verbum traditum per Prophetas. Et ibi, inquit, certo est efficax Deus, dat Spiritum sanctum, In eo numero sunt aliqui electi.

Has sententias teneamus infixas animis, ut sciamus vere aliquam esse Ecclesiam Dei, et nos ad eum adiungamus, et cum ea Deum invocemus in agnitione Filii eius Iesu Christi.

Ubicunque es sive in mari, sive in carcere, sive inter Turcas, sive inter Ethnicos, tamen animo, voluntate, professione, invocatione coniungito te cum visibili coetu, id est, cum amplectentibus puram Evangelii doctrinam, ubicunque sunt, Noribergae, Vratislaviae, Lipsiae, et ubicunque sonat vox Evangelii pura. Et eum coetum ubi poteris foveto, et eius coetus studia mediocribus officiis adiuva, et concordiam eius tuearis, sicut praecipit Christus: Hoc est mandatum meum, ut diligatis invicem. Item: Qui in dilectione manet, in Deo manet.

Amplexus doctrinam veram, ita manebit in Deo, si etiam in dilectione manserit, id est, si

propter Deum studebit verae Ecclesiae concordiam tueri, non ambitione, aut aliis pravis affectibus movebit certamina, quae distrahunt voluntates gubernatorum aut populi.

Nec ita vivamus, velut errones, aut solitarii, ignorantes, an simus in Ecclesia, aut in qua Ecclesia esse velimus. Sed simus, ut Paulus praecipit, *συμπολῖται ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ.* Cum Ioseph abductus esset in Aegyptum, tamen erat *συμπολίτης* Ecclesiae sui patris Iacob, et in Aegypto multos ad societatem eius civitatis adiunxit.

Si sumus in Ecclesiis, in quibus sonat pura vox Evangelii, agamus Deo gratias, laetemur aliquos esse coetus vere invocantes Deum, agnoscamus magnum esse beneficium, quod una sumus, ut in Psalmo dicitur: Quam dilecta tabernacula tua Domine, Beati, qui habitant in domo tua. Et Christus inquit: Ubi duo aut tres congregati erunt in nomine meo, in medio eorum sum, Quantum bonum est versari in tali coetu, quem scias Deo curae esse, a Deo custodiri etc., ut in Psalmo dicitur: Deus in medio eius.

Id de coetu cogites, quoties venis in tale templum, in talem scholam et consessum, ubi sonat vox Evangelii pura, et non defenduntur pertinaciter errores. Et una cum hoc coetu Deum invoca, professionem declara usu sacramentorum, et honestis officiis omnibus, et foveto concordiam. Sin autem procul abes, animo voluntate, professione, invocatione te ad illos pios coetus recte docentes adiungito.

De quarto.

De ianitore seu ostiario.

In similitudinibus non nimis anxie singularum partium applicationes quaerendae sunt, sed in summa congruere satis est praecipuas partes: ideo hic omitti allegoria ianitoris posset. Sed tamen non vitupero diligentiam eorum, qui eam tractarunt.

Aliqui ianitorem intelligunt Spiritum S. qui cum sit efficax in praedicatione Evangelii, aperit Christo mentes hominum, et eas accendit, ut hunc pastorem agnoscant, sequantur, et ament. Haec expositio plana et expedita est.

Altera expositio mihi non displicet, etsi obscurior est, intelligi ianitorem, legem, quae cedit uni Christo. Tenet lex inclusum totum genus humanum, suo carcere, maledictione, hoc est, ira Dei, condemnatione, morte calamitatibus omnis generis, tyrannide diaboli. Cum autem Christus superat mortem, et solvit pro nobis *λύτρα*, cedit lex maledicens, et oves emissae ex carcere, iam laetae pastorem et ducem sequuntur.

Dominica Iubilate.

Evangelium Iohannis 16.

Dixit Iesus discipulis suis: Modicum, et non videtis me, et iterum modicum et videtis me, quia vado ad patrem. Dixerunt ergo quidam ex discipulis eius inter se: Quid est hoc, quod dicit nobis, modicum et non videtis me, et rursus, modicum et videbitis me, et quia ego vado ad patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc, quod dicit, modicum? Nescimus quid loquatur. Cognovit autem Iesus, quia volebant ipsum interrogare, et dixit eis: De hoc quaeritis inter vos, quod dixi, modicum, et non videtis me, et iterum modicum, et videbitis me. Amen amen dico vobis, Plorabitis et flebitis vos, mundus contra gaudebit. Vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium.

Mulier cum parit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Cum autem peperit puerum, iam non meminit pressurae propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristiciam habetis, sed iterum videbo vos, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Et in illo die me non interrogabitis quicquam.

Duo sunt loci.

I. Praedicatio de afflictionibus Ecclesiae.
II. Consolatio in his afflictionibus.

Dominica Cantate.

Evangelium Iohannis 16.

Nunc autem vado ad eum, qui misit me, et nemo ex vobis interrogat me, quo vadam. Sed quia haec locutus sum vobis, moestitudo implevit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis, ut ego vadam. Si enim non abiero, Consolator ille non veniet ad vos. Sin autem abiero, mit-

tam cum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, et de iusticia, et de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me, De iusticia vero, quia ad patrem vado, et posthac non videtis me. me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

Ad haec multa habeo quae vobis dicam, sed non potestis portare nunc. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur a semetipso, sed quaecunque audierit loquetur, et quae futura sunt annunciabit vobis. Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, et annunciabit vobis. Omnia quaecunque habet pater, mea sunt. Propterea dixi, quod de meo accipiet et annunciabit vobis.

Summa Evangelii.

Descriptio est regni Christi, videlicet officii docendi, summae Evangelii, et persecutionis.

Primum ait: Spiritus sanctus arguet mundum. Hic ostendit Christus regnum suum non esse mundanam politiam, humanis consiliis et viribus, aut armis constituendam, sed esse coetum, cui praeest Filius Dei, dans Spiritum sanctum, arguentem singulos et omnes, scilicet, per ministerium Evangelii. Etsi autem nihil est contemtius munere docendi Evangelii, tamen hic magnam potentiam ei tribuit. Nam arguere, est superioris, et habentis autoritatem. Estque reprehensio errorum et peccatorum humanorum, et est efficax obiurgatio, impellit corda, ut agnoscant iram Dei, vulnerat mentes, et convertit aliquos ad Deum, impiis vero maledicit, ut ruant in perpetuum interitum. Sicut ab initio in Ecclesia Spiritus sanctus arguit mundum. Nohae arguit suum seculum. Moises arguit Pharaonem. Elias, Elisaeus arguerunt reges Israël. Daniel reges Babylonicos. Baptista pontifices, Herodem, et alios. Deinde Christus, Apostoli et successores arguerunt omnium gentium homines, multos converterunt, Ecclesiam collegerunt, et tyrannis maledixerunt. Et fuit efficax Spiritus sanctus in credentibus iuvandis, et in impiis puniendis, magnae mutationes mundi secutae sunt, et manet hoc officium in Ecclesia, quae alias est magis, alias minus pura, alias maiores coetus habet, ut nunc rursus excitata est flamma Evangelii, qua Spiritus sanctus arguit idololatrias mundi, et ostendit salutarem doctrinam, qua multi convertuntur ad Deum, et fiunt mutationes rerum.

Haec omnia complectitur verbum arguendi, seu reprehendendi. Quare singuli cedamus huic autoritati et potentiae: et rogemus Filium Dei, ut in nobis quoque Spiritus sanctus sit efficax, arguat pravas opiniones, peccata, in nobis et aliis, impellat corda, ut agnoscant iram Dei. Sic et Paulus Rom. 1. inquit: Revelatur ira Dei de coelo super omnem impietatem.

De secundo.

De distinctione doctrinarum.

De peccato, Quia non credunt etc.

Mundus novit peccata civilia, seu externa, ut caedes, adulteria, furta: sed radicem peccati non novit, videlicet contemtum Dei, et contemtum Filii Dei donati, ut sit propiciator. Itaque hoc peccatum prorsus ignotum est rationi, videlicet, quod nostra natura sit sub peccato, et omnia nostra sint rea, sed sic tantum liberemur a peccato, si credamus Filium Dei esse propiciatorem. Haec non iudicantur a ratione, sed tantum sunt revelata in Evangelio, ideo refragantur humana iudicia. Videtur absurdum Filium Dei crucifigi, videtur res inutilis, et commentitia, promittere liberatorem a peccato et morte aeterna, per fiduciam huius crucifixi. Arguit igitur has tenebras humanae mentis Evangelium.

De iusticia, Quia vado ad patrem etc.

Mundus intelligit iusticiam esse obedientiam legum, sed Christus hic aliam iusticiam proponit, scilicet suam passionem, resurrectionem, perpetuam intercessionem, et efficaciam. Nam haec omnia complectitur, cum ait: Vado ad patrem, moriar, resurgam, regnabo, ero mediator coram patre, ero salvator. Sumus igitur iusti, id est, accepti, non nostris virtutibus, sed propter Christum mediatorem, passum, regnantem. Haec iusticia longe discernenda est a legis iusticia. Etsi enim opera habent suum locum, tamen non sunt illa res, propter quam sumus reconciliati, et accepti Deo, sed propter mediatorem Christum sumus iusti, id est, accepti fide, et donamur vita aeterna propter Christum euntem ad patrem, resuscitantem nos a mortuis, et constituentem regnum aeternum. Utrunque autem ignorat mundus, peccatum et iusticiam, ignorat Filium Dei,

et veram invocationem, ideo fingit cultus sua audacia. Hinc sunt omnium gentium idololatriae. Has damnat et arguit haec vox Spiritus sancti, quae clamitat peccatum esse, non credere in Filium Dei, et nos iustus, id est, acceptos esse propter mediatorem Christum, et donari vita aeterna, quia Christus abiit ad patrem etc. Cum hoc modo agnovimus Filium, vere possumus invocare patrem, et liberamur a falsis cultibus etc.

De iudicio.

Dixit de summa Evangelii, videlicet, quod natura nostra sit sub peccato, et quod tantum fide in Christum a peccato liberemur: item, quod iusti et salvi simus transitu Christi, nunc addit tertium de iudicio, id est, de persecutione. Mundus offensus specie imbecillitatis Christi et Evangelii, negant hanc vocem esse verbum Dei, et diabolus hostis Filii Dei impellit sua membra, ut omni saevitia deleant Evangelium, et in tanta potentia impiorum videtur subinde interitura tota Ecclesia, sed emergit tamen, et resistit potentiae diaboli et mundi, et manet non humanis viribus, aut consiliis, sed quia Christus reprimit diabolum iam iudicatum et condemnatum. Non potest igitur diabolus grassari quantum vult, nec perdere Ecclesiam, quae glorificabitur suo tempore, imo neque in hac vita funditus eam delere potest.

Ita in hac concione quasi pictura Ecclesiae proponitur, cum inquit: Arguet mundum, testatur eam verbo condi, deinde discernit doctrinam a lege, quod non liberemur a peccato, nisi fide Filii Dei. Item, quod iusti simus propter Christum mediatorem, et quod detur vita aeterna ipso eunte ad patrem, id est, regnante et resuscitante nos, etc.

Iam haec cum profitetur Ecclesia, diabolus excitat ingentia certamina, et mundus defendit suas opiniones, idololatrias et alios errores: ideo Ecclesia interim sub cruce est, sed vincit tamen, et glorificabitur, quia diabolus condemnatus est. Has consolationes diligenter meminerimus, ut discamus, quomodo contingat liberatio a peccato, scilicet, fide in Filium Dei. Discamus item, nos non esse iustos propter nostras virtutes, sed propter Filium, qui vadit ad patrem, id est, intercedit pro nobis, iustificat et vivificat etc. Discamus item in tantis periculis non interituram tamen esse Ecclesiam, etiamsi rabies impiorum, et potentia Turcica, et multae confusiones rerum humanarum, videntur penitus minari interitum Ecclesiae.

Dominica Vocem Iucunditatis.

Evangelium Iohannis 16.

Amen amen dico vobis, quaecunque petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Hactenus non petiistis quicquam in nomine meo. Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit perfectum. Haec per proverbia locutus sum vobis, Veniet tempus, cum iam non per proverbia loquar vobis, sed palam de patre meo annunciabo vobis, in illo die in nomine meo petetis. Et non dico vobis, quod ego rogaturus sim patrem pro vobis. Ipse enim pater amat vos, quia me amastis, et credidistis quod a Deo exiverim.

Semper de oratione haec *quatuor* tenenda sunt: Praeceptum Dei, Promissio divina, Fides, et res petenda.

De Praecepto.

Sciamus hoc summum officium esse, ad quod conditi sumus, agnoscere et invocare *Deum*, ideoque praecipua et prima lex est de agnitione *Dei* et invocatione, ut testatur dictum: Dominum Deum tuum adorabis, et ei soli servies. Itaque saepe repetitum est praeceptum de invocatione, ut Lucae 18.: Oportet semper orare. Et in Psalm. 49.: Invoca me in die tribulationis. Et Matth. 7.: Petite et accipietis etc. Haec praecepta nos doceant, praecipuum et summum cultum esse invocationem.

Hoc opus discernit veram Ecclesiam, seu populum Dei, ab omnibus reliquis hominibus. Quanquam homines naturaliter intelligunt praeceptum, quod iubet Deum invocare, tamen impii nec invocant, nec norunt, quomodo sit invocandus. Ideo in Psalmo dicitur: Deum non invocaverunt. Etsi autem magnum quiddam est, nosse praeceptum de invocatione, tamen nondum satis est, sed oportet adiungi promissionem.

De secundo.

Accedat ergo promissio, quae testatur Deum audire nostras preces, et praestare, quae petimus. Norunt gentes praeceptum, sed dubitant, an audiantur, ut Virgilius inquit: Famamque fovemus inanem. Sed Ecclesiae sunt traditae promissio-

nes, et patefacta voluntas Dei, ut Deut. 4. dicitur: Non est alio natio tam gloriosa, quae habeat Deum appropinquantem, sicut Deus noster adest omnibus nobis invocantibus eum.

Huc iam promissiones omnes colligantur in tota scriptura. Praecipua vero proponitur in hodierna lectione, confirmata iureiurando Filii Dei. Amen amen dico vobis, Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Petite et accipietis. Omnis qui petit accipit. Item: Si homines possunt hominibus bona dare, quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item: Venite ad me omnes, qui laboratis. Item: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Item, multum iuvabit deprecatio iusti assidua. Item, Matth. 18. de precatione communi: Amen dico vobis, De quacunque re consentient duo, quicquid petent, fiet.

Has promissiones necesse est inspici, quia dubitatio in precatione, an Deus recipiat nostras preces, est impia. Ideo scribitur, Petat in fide. Iam hic cogitemus, quam pauci homines praestent hunc cultum Deo. Ideo magna causa est, cur dicat Psalmus, Deum non invocant. Pauci enim sic accedunt ad precandum, cum bona conscientia et fide, ut statuant recipi suas preces.

De tertio.

Tertium est fides. Hic sciendum est, quid vocetur fides. Primum fides intelligatur fiducia reconciliationis donatae propter Christum, et quod propter hunc mediatorem et pontificem aeternus Deus accipiat nostras preces. Hanc generalem fidem necesse est adferri in omni invocatione. Ideo hic diserte additum est: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, id est, non fiducia dignitatis vestrae, sed fiducia mediatoris Christi, quia necesse est teneri regulam, quod non sit accessus ad patrem aeternum, nisi per Filium, sicut Rom. 5. dicitur: Per hunc habemus accessum. Item: Habentes talem pontificem, accedamus ad thronum gratiae. Item: Semper vivens, ut interpellet pro nobis.

Haec igitur fides discernit peccantes, Iudaeos et Turcas, et omnes habentes malam conscientiam, hypocritas et Christianos vere invocantes. Iudaei, Turcae gloriantur se invocare Deum conditorem rerum, et quidem valde superbiunt hac doctrina, quod unum Deum nominent, sed non invocant Deum aeternum patrem Filii missi et constituti mediatoris, imo mediatorem ipsum Filium Dei contumelia afficiunt, ideo non invocant. Deinde habentes propositum peccandi, non possunt Deum invocare, non accedunt ad Deum per mediatorem, et sunt sine fide, ut Iohannes inquit, 1. Ioh. 3.: Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus ad Deum, etc. Postremo, hypocritae, id est, accedentes fiducia suae dignitatis, vel dubitantes, quia agnoscunt suam indignitatem, non accedunt ad Deum, non vere invocant. Sed adversus haec necesse est adferri hanc fidem, quae agnoscit Deum placatum esse per Filium, et fiducia huius mediatoris, invocat et petit, et statuit accipi preces nostras, et Deo placere, nec irritas esse, etiamsi eventus vel differuntur, vel non respondent nostrae cogitationi.

Hic etiam tenenda est doctrina, quod fides quaedam petat sine conditione, quaedam vero cum aliqua conditione. Sine conditione petenda et expectanda sunt illa, de quibus nominatim, et specialiter expressa est voluntas Dei, quod haec ipsa nominatim daturus sit, videlicet, quae sunt propria Evangelii, remissionem peccatorum, reconciliationem, donationem Spiritus sancti et vitae aeternae. Haec cum petimus, statuendum est vere ea nobis praestari, et illa ipsa fide accipi, quae nos in pavoribus consolatur, iuxta illud: Iustificati fide pacem habemus etc.

In petitione rerum corporalium necesse est adferri fidem generalem, quod Deus tibi sit propicius et accipiat preces tuas, sed de re ipsa, quae nominatim petitur, non statuitur sine conditione, quia in corporalibus aerumnis, debemus obedientiam Deo, sicut David pulsus in exilium, petit quidem se reduci, sed tamen addit: Si non volet me Deus reducere, fiat quod ipsi placet. Imo haec est singularis sapientia Ecclesiae, etiamsi non contingit liberatio corporalis, tamen non ruere in desperationem, in blasphemias, aut odium Dei, sed erigi fide, ac retinere remissionem peccatorum, et spem vitae aeternae certam, quia cum ira Dei sit iusta adversus peccata nostra, debemus obedientiam in poena.

Sed difficile est in tali certamine retinere fidem, ut Saul frustratus spe victoriae prosus opprimitur desperatione, cogitat se abiectum esse a Deo, nec credit sibi remitti peccata, et in hac desperatione sibi mortem consciscit. Ita plurimi ex impatientia, et propter moram ruunt in desperationem et aeternum exitium. Sed inculcanda

est animis doctrina, quod Deus velit affligi Ecclesiam, propter multas causas, ac velit accedere invocationem, ut excitetur fides, accipiens remissionem peccatorum. Deinde, ut statuat Deum autorem esse beneficiorum corporalium, eaque velle dare, ne in hac vita penitus deleatur Ecclesia, sicut servavit Nohae, Abraham, Mosen, mirabilibus modis, ut reliqua esset Ecclesia.

Sic igitur exerceamus fidem utroque modo in petitione corporalium. Primum sciamus statuendum esse de remissione peccatorum propter mediatorem: deinde sciamus a Deo petenda et expectanda esse beneficia corporis, et Deo curae esse Ecclesiam, etiamsi alia membra aliter exercet, ac vult nos ad obedientiam paratos esse. Servabat Ecclesiam Deus, etiamsi tyranni Paulum et Timotheum confecto curriculo interficiebant. Servabit Ecclesiam, etiamsi aliquos pios sinet a Turcis interfici. Sic nos petamus et expectemus auxilium, et tamen ad obedientiam parati simus. Et quidem sciamus non esse irritas preces, sed semper impetrare aliqua bona, imo et mitigationem corporalium aerumnarum, ut Lucae 21. dicitur: Orate ut possitis effugere omnia haec, quae ventura sunt etc.

De quarto.

Quartum est res petenda. Sunt autem, ut iam dictum est, aliae res spirituales, aliae corporales, ut consilium, successus in vocatione, et caetera vitae commoda. Haec omnia vult Deus peti a se, et quidem de vocatione dicitur: Sine me nihil potestis facere.

Ac fides dupliciter exercetur in petitione corporalium. Primum petit remissionem peccatorum. Deinde agnoscit Deum autorem esse bonorum successuum, et aliorum beneficiorum corporalium, et velle ea dare servandae Ecclesiae causa, sicut scriptum est: Scit pater vester quod opus habeatis his omnibus. Item: Reliqua adiicientur vobis. Item: Iacta curam tuam in Deum, et ipse te enutriet.

Hic singuli intueamur peccata nostra, vocationes, calamitates publicas et privatas. His tantis necessitatibus admoniti invocemus Deum, sicut dicit: Petite, nec sit precatio inanis βαττολογία sine petitione. Milites petunt successus in praelio, Senatores sapientiam in dando consilio et gubernatione, Doctores et discipuli in studiis etc. Deinde et pacem, foecunditatem terrae, honestum et tranquillum regimen civile, ut 1. Timoth. 2. dicitur: Ut tranquillam et quietam vitam agamus in omni pietate et honestate.

Postremo, quoties de precatione cogitamus, adiungatur gratiarum actio, agnoscamus acceptum beneficium a Deo profectum esse, et ei debere gratitudinem, quae ostendenda est dupliciter, celebratione ipsius, et nostra obedientia, et quotidie multa beneficia a Deo accipimus, saepe defendimur adversus diabolum, depulsis eius insidiis a Filio Dei, quas nos prorsus ignoramus. Et sunt alia innumerabilia beneficia, ideo Paulus inquit, 1. Thessal. ultimo: Incessanter orate, in omnibus gratias agite.

Dominica Exaudi.

Evangelium Iohannis 15.

Cum venerit autem Paracletus, quem ego mittam vobis a patre, spiritum veritatis, qui a patre procedit, ille testimonium perhibebit de me. Quin et vos testes estis, quia ab initio mecum estis.

Haec locutus sum vobis, ut ne quid offendamini, Alienos a synagogis facient vos, sed venit hora, ut omnis qui occiderit vos, videatur cultum praestare Deo. Et haec facient vobis, quia non noverunt patrem, neque me. Sed haec locutus sum vobis, ut cum venerit tempus illud, reminiscamini eorum, quod ego dixerim vobis. Haec autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram.

Loci *quatuor.*

I. Doctrina de Deo, quis sit, et quomodo sit agnoscendus et invocandus.

II. Quis sit Spiritus sanctus, et quod sit proprium eius officium.

III. Testificatio duplex, altera per ministerium, altera in cordibus.

IV. Doctrina de cruce.

De primo.

Saepe monendi sunt homines de invocatione. Multi precationes dicunt quadam consuetudine, ita ut mens neque cogitet, quem Deum invocet, neque secum ipsa quaerat, cur exaudiat Deus, neque seiungat suam invocationem a Turcica, et

aliis impiorum ritibus. Haec incogitantia similis est consuetudini stultorum, qui currunt ad statuas, et ibi aliquid murmurant, non cogitantes, quid aut cur invocent. Cumque talis sit invocatio maximae partis hominum, hic error saepe taxandus est, et docendae sunt mentes, ut recte invocent. Quidam Eremita dixit, nullum esse maiorem laborem precatione, quod verissimum est, quia et attentionem retinere est difficile, hoc est, cogitare Deum sicut se patefecit, et seiungere nostram invocationem ab Ethnica et Turcica, et simul respicere ad promissionem, ut fides excitetur. Haec tota attentio maior est, cum sumus in dolore, sed cum animi sunt ociosi, ebrii voluptatibus, magis vagantur. Sed tamen pii et moderati, doctrinam de invocatione discant, et se recte assuefaciant: ita in veris doloribus etiam ardentiorem consolationem sentient.

Ac primum quidem cum precationem incoamus, cogitandum est, quis sit Deus. Invocant Turci et alii impii, sed aberrant a Deo dupliciter. Primum quod de essentia Dei falsam opinionem mordicus retinent. Secundo quod voluntatem ignorant. Turci enim et similes, etsi dicunt hunc esse Deum, qui condidit coelum ac terram, tamen negant vere esse Deum, hunc, qui se per Filium patefecit, qui tradidit nobis Evangelum, negant Filium et Spiritum sanctum esse de essentia patris. Ita primum de essentia errant. Postea et de voluntate, quia verbum revelatum a Deo abiecerunt, ignorant promissionem gratiae, nec possunt credere se respici et exaudiri. Quare cogitantes de voluntate Dei, in horribiles tenebras et dubitationem aeternam irruunt. Seiungenda est igitur ab illorum opinionibus nostra invocatio, ac primum cogitandum, quis sit Deus, is videlicet ac talis, qui se in verbo suo patefecit ab initio, post conditionem et lapsum Adae.

Sic autem patefecit se Deus in Evangelio suo: Unus est omnipotens et aeternus pater, qui cum Filio suo, qui est coaeterna imago patris, et Spiritu sancto, condidit omnes res bonas, et patefecit se dato verbo et misso Filio. Deinde, quia obstrepit tibi indignatis, et dubitamus, an Deus recipiat nos, an curet preces nostras, propone animo promissiones Evangelii: Cogita Deum mandasse, ut invocemus, et credamus placere et recipi nostras preces propter Filium. Et hanc invocationem summum esse cultum, et operum omnium maximum, et Deo gratissimum. Ideo toties clamitat Christus: Petite et accipietis. Item: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Haec quotidie in precando cogitare necesse est. Nec est precatio demurmurare aliqua verba sine hac cogitatione. Ideo difficile opus est precatio: nam primum haec attentio est difficilis, sed multo maior labor, fidem excitare, ut acquiescas in promissione Evangelii, ac statuas preces non esse inane murmur, non dici ethnico more propter consuetudinem, sed revera eas a Deo flagitari, approbari, recipi, exaudiri. Hic cor erudiendum est, ut acquiescat in tot promissionibus, sancitis sanguine et resuscitatione Filii, ut: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos. Haec alias saepe repetuntur. Iam vero recensui, ut hunc textum diligentius aspiciamus, in quo ostenditur, quis sit Deus, fit mentio, Patris, Filii et Spiritus sancti.

Quoties ergo incoas precationem, primum cogites quem velis alloqui, et testimonia de utraque re tibi proponito, videlicet, testimonia quibus se patefecit Deus, quis sit, et promissiones, quod propter Filium exaudiat. Intuere mente aeternum patrem sonantem hanc vocem: Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite. Hunc agnosce creatorem esse cum Filio suo, coaeterna imagine, et Spiritu sancto effuso in Apostolos. Et memento promissiones: Propter hunc Filium Iesum Christum propiciatorem vult nos exaudire Deus, recipere, et regere Spiritu sancto.

Exemplum formae saepe recitavi: Omnipotens aeterne et vive Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, et clamasti de Filio tuo Domino nostro Iesu Christo: Hunc audite: Conditor omnium rerum et conservator, cum Filio tuo coaeterno, λόγῳ et imagine tua, et Spiritu sancto effuso in Apostolos, fovente creaturam tuam, sapiens, bone, misericors, iudex, et fortis, miserere mei propter Iesum Christum Filium tuum, Dominum nostrum, quem voluisti pro nobis esse victimam, μεσίτην καὶ ἱκέτην, mirabili et inenarrabili consilio, et sanctifica, inflamma, doce, rege, iuva cor et animam meam Spiritu sancto tuo, sicut dixit Filius: Quanto magis pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

In tali precatione profitemur quis sit Deus, et qualis sit, et seiungimus nostram precationem ab Ethnica, Iudaica, et Turcica, et promissiones nobis suggerimus, ut fides excitetur. Agno-

scimus hunc esse Deum creatorem rerum, qui se patefecit verbo suo, et misso Filio, et agnoscimus non esse ociosum, aut alligatum secundis causis, sed sapientem, bonum, iustum, iudicem, fortem, miserentem propter Filium, iuvantem nos, et regentem Spiritu sancto: haec omnia complecti in precatione necesse est. Nam quis sit Deus, et cur exaudiat, nisi haec omnia complectamur, cogitari non potest. Assuefaciant ergo se bonae mentes ad talem aliquam formam, et opponant eam Ethnicis et Turcicis opinionibus.

De secundo.

Saepe repetuntur descriptiones personarum divinitatis. Pater est substantia intelligens, aeterna, omnipotens, libere agens, bona, iusta, misericors, gignens ab aeterno imaginem sui: Cum qua et cum Spiritu sancto procedente a Patre et Filio, condidit coelum et terram, et omnes naturas, quas continet.

Filius est substantia genita a patre, coaeterna, imago aeterni patris, et quia mirabili consilio constitutus est propiciator, ideo assumsit humanam naturam, et factus est victima, et pignus, quod Deus velit nos recipere, nobis reddere iusticiam, et vitam aeternam.

Ut autem imago gignitur cogitatione, ita spiritus dicitur procedere a voluntate Patris et Filii, quia est flatus et agitator, movens creaturam, et accendens lucem, et novos motus in cordibus audientium Evangelium. Huic agitationi quae a voluntate est, convenit vocabulum procedere.

Iam vide hoc loco, quanta Dei bonitas describitur, et quanta traditur promissio Ecclesiae. Christus pollicetur, se missurum esse Spiritum sanctum, et simul affirmat patrem velle ut mittatur. Volunt igitur pater aeternus, Filius et Spiritus sanctus, non perire genus humanum, sed reddi hominibus novam lucem, agnitionem Dei, novam iusticiam, fidem, dilectionem, et vitam aeternam: quia enim volunt dari Spiritum sanctum, haec accendi in cordibus hominum non dubium est.

Cum dicitur Spiritus sanctus procedere, personae proprietas indicatur: deinde cum vocatur Spiritus veritatis et παράκλητος, officia seu propria munera describuntur, quae per eum divinitas impertit.

Spiritus veritatis, id est, qui per Evangelium facit lucere in mente veram agnitionem Dei, et in corde accendit motus congruentes voluntati Dei, reverentiam erga Deum, fiduciam, invocationem et dilectionem Dei, odium peccati, consolationem et laetitiam in *Deo* incoantem vitam aeternam.

Haec bona melius intelliguntur ex collatione. Cato etsi iudicio naturali habet hanc noticiam, quod sit aliqua mens aeterna, conditrix rerum, et curans imperia, tamen cum videt confusionem humani generis, et videt se in causa, ut arbitratur, iusta negligi, iterum mergitur in immensas tenebras, amittit totam persuasionem de Deo, cogitat aut nihil esse, aut ociosum, aut iniustum esse. Deinde omnibus religionibus irascitur. His tenebris et hoc mendacio omnium hominum corda oppressa sunt, quae non norunt Evangelium, ex quo solo discimus, cur et quomodo Deus exaudiat, et cur genus humanum subiectum sit morti, et aliis poenis. Saepe vero accenduntur in impiis maiores furores, quia sunt tenebrae in mentibus ignaris Evangelii, et diabolus impellit multos, ut fingant contumeliosa adversus Deum, ut Epicurus horribili petulantia vociferatur, nihil esse Deum. Vulgus fingit idola et multos Deos, ut qui currunt ad statuas mortuorum. Haeretici etiam fingunt sua deliria. Manichaeus duos Deos comminiscitur. Haec exempla cogitemus, et consideremus quanta sit miseria hominum, qui sunt sine Evangelio et sine Spiritu sancto, ac sciamus dari Spiritum sanctum, ut depulsis his furoribus et mendaciis, accendat in nobis veritatem, id est, veram agnitionem Dei, quis sit, et quomodo exaudiat, quomodo coli velit, quomodo iudicaturus sit.

Altera appellatio hoc loco est παράκλητος, quae significat advocatum, scilicet, nos consilio regentem, et consolantem in doloribus, et confirmantem nos in variis certaminibus. Sic albi Christus inquit: Spiritus sanctus ducet vos in omnem veritatem. Nimis vagabundae sunt mentes humanae, ac facile aberrant a Deo, facile admittunt plausibiles opiniones, pugnantes cum verbo Dei, ut Eva decepta est, et Paulus vocat tela ignita diaboli, opinionum spectra, quae diabolus infirmis animis offundit. Adversus haec mala, non possumus esse tuti nisi Spiritus sanctus confirmet mentes. Quare semper petendum est: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Et promissio de Spiritu sancto cogitanda est, qui ideo promittitur Ecclesiae, et singulis invocantibus, ut veritatem in nobis confirmet, retineat

mentes in agnitione verae doctrinae, et accendat verum timorem, veram dilectionem, prohibeat audaciam fingendi opiniones sine verbo Dei etc. Sicut David orat, spiritum rectum, id est, firmum, innova in visceribus meis.

De tertio.

Aliquoties repetita est sententia a Christo: Spiritus sanctus testificabitur de me. Hoc dictum describit officia iam recitata, semper autem coniungatur duplex testificatio, exterior per ministerium, et interior in corde. Utraque est opus Spiritus sancti, et de utraque dicitur: Arguet mundum de peccato.

Arguit autem in ministerio publice, et privatim in singulorum cordibus. Item de ministerio dicitur: Ascendit, dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores, Doctores. Porro hic multae fanaticae opiniones refutantur. Anabaptistae ministerium Evangelii, vocem et doctrinam prorsus abiiciunt, fingunt motus spirituales, sine et extra Evangelium. Defensores viciosorum cultuum monasticorum, invocationis sanctorum, abusus coenae Domini, fingunt cultus sine verbo Dei, et allegant Spiritum sanctum, qui haec approbaverit aut monstraverit.

His erroribus omnibus opponendum est hoc dictum. Spiritus sanctus de Christo testabitur, id est, sonabit vocem a Christo traditam, sicut Christus inquit: Ille rediget vobis in memoriam ea quae dixi. Item: Spiritus sanctus glorificabit me. Quare ubi removetur ministerium, vel Evangelium, ibi Spiritus sanctus non testatur de Christo. Haec primum de ministerio scire necesse est.

Postea quid sit interior testificatio, intelligunt pii, cum verbo Dei audito aut cogitato, existunt sensus irae Dei, ac pavores et dolores de peccato, et rursus consolationes ex agnitione Christi, et fide, et invocatio non impedita mala conscientia. Haec est interior testificatio, quam describit Paulus in hoc dicto: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Nam ut supra dixi de Catone, donec mens dubitat, an Deus velit te recipere et exaudire, fugit Deum, sed cum agnoscis promissionem de mediatore, et credis te recipi, simul Spiritus sanctus est efficax, exuscitat invocationem, dilectionem, et alias virtutes. Et Gal. 3.: Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem.

Hoc dictum semper in conspectu habendum est. Monet enim, et quomodo detur Spiritus sanctus, et quae sit actio praecipua, qua testificatur in nobis. Datur per Evangelium, sicut alias inquit Paulus: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti, id est, Evangelium vere est efficax, Deus vero impertit bona cogitanti Evangelium, et acquiescenti in eo, seu assentienti, cum acquiescimus, et credimus nos recipi et exaudiri, Quia Deus hanc suam voluntatem in Evangelio suo patefecit, et vult nos haec credere, ac misit Filium, ut sit precium, et testis, ac pignus huius voluntatis, In hac consolatione vere datur Spiritus sanctus, et ipsa consolatio et invocatio in corde testificantur de Deo. Accendit iam hanc lucem Spiritus sanctus, ut firmius statuamus nos Deo curae esse, nos recipi, propter Filium, accendit et invocationem.

Haec piis nota sunt, qui sentiunt terrores, et cogitant, quem Deum invocent, an exaudiri se existiment, et cur exaudiat Deus. Maxima pars hominum recitat preces, tantum ut inane murmur, ac plurimi ne cogitant quidem quid invocent, curetne humanos clamores Deus, sed consuetudini obtemperant. Haec impietas corrigenda est, et in omni precatione cogitandum de verbo Dei, ut fides accendatur, et quis Deus, et quomodo invocandus sit, agnoscatur, videlicet, qui se sua voce, et per Filium Christum patefecit.

Hic iterum obstrepit indignitas nostra. Qui magis exaudiet te Deus, quam Saulem et similes, quas habes virtutes? qua in re antecellis caeteris hominibus? Quid putas Deum curare hoc tuum murmur? Hae cogitationes duriter excruciant animos, et saepe sunt tela diaboli, missa ad excutiendam fidem, ut impellant animos in perpetuam desperationem et Epicureas blasphemias. Et multi sic evertuntur. Quare hic inprimis simus intenti, et sciamus hoc proprium esse munus Spiritus sancti, testificari de Deo in corde. Ideo datur ut corda confirmentur agnitione vera Dei.

Sed colligenda sunt praecepta et promissiones Dei, quae testantur eum postulare hunc cultum, scilicet invocationem, et vere eum velle praestare bona petentibus, sicut inquit Christus: Petite et accipietis, et quidem exaudit non propter nostram dignitatem, sed propter Filium, sed tamen non adferatur propositum peccandi. Vivo ego, inquit, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Sic iubet nos Deus acquiescere

in sua promissione, et non sine certamine, ac labore, cor his testimoniis vincitur, ut acquiescat.

In hoc certamine vere est efficax Spiritus sanctus, et corda flectit ut acquiescant. Ita sciamus nos iuvari a Spiritu sancto, in invocatione, sicut dicit in Zacharia: Effundam super eos spiritum gratiae et precum. Et ut in invocatione, sic in omnibus nostris periculis et actionibus, hoc auxilium petamus et expectemus. Sicut Christus inquit: Dabo vobis spiritum paracletum, suppeditantem consilium et auxilium, ut Davidem exulantem sustentat, ne desperet, et flectit ad consilia meliora, et adiuvat in ipsis negociis.

Haec melius intelliguntur, cum in periculis hunc gubernatorem, vera invocatione quaerimus: cogitemus autem Deum non frustra tantas promissiones exhibuisse, vult eas peti. Non frustra misit Filium, sed vult eum agnosci, non frustra promittit nobis omnibus hoc ingens munus, scilicet, societatem suae naturae, effuso in corda nostra, suo divino spiritu, sicut dicitur: Effundam de meo spiritu etc. Vult hoc tantum donum peti, et dat petentibus, ut Christus inquit: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Et quibus det, iam dixi, omnibus qui convertuntur ad Deum, et petunt. Non dat nolentibus petere, aspernantibus tantum donum, nolentibus converti ad Deum. Exciternus igitur nos ad poenitentiam, et petendum Spiritum sanctum.

De quarto.

Postrema pars huius lectionis de cruce concionatur. Opponitur enim praemonitio vulgari Iudaeorum imaginationi, qui simulabant in regno Messiae, se imperia occupaturus esse, et habituros dulcissimam tranquillitatem: hunc errorem taxat, et praemonet, quale sit regnum Messiae futurum ante resurrectionem. Spargam per vos Evangelium meum, in totum mundum, ut colligam Ecclesiam credentem mihi, et confitentem me, quam Spiritu sancto regam, ut in eis incoëntur nova iusticia, et vita aeterna. Non mitto vos ad imperia occupanda, sed plerunque imperia in vos, et Ecclesiam exercebunt saevitiam, imo hic ipse populus Israël, qui gloriatur titulo populi Dei, vobis adversabitur: Eiiciet vos extra Ecclesiam suam, tanquam hostes Dei. Sed nunc praemoneo vos, ut sciatis veram Ecclesiam ibi esse, ubi Evangelium meum erit, et invocatio Dei, per nomen meum, sicut aliquanto ante dixerat: Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quicquid volueritis, petetis, et fiet vobis. Item: In hoc glorificatur pater meus coelestis, ut fructum multum feratis, et fiatis mei discipuli.

Nihil tristius est, quam eiici ex Ecclesia, quae vere sic dicitur. Ideo discamus quae sit vera Ecclesia: deinde etiam repetamus doctrinam generalem de cruce, quare Deus ante resurrectionem velit Ecclesiam subiectam esse cruci, videlicet, quia manet peccatum in hac imbecilli natura, quod vult agnosci, coërceri calamitatibus, et aboleri morte, ut Paulus inquit: Corpus destinatum est morti, propter peccatum, scilicet, haerens in carne.

Vult afflictiones assidua exercitia esse poenitentiae et invocationis, vult item eas esse testimonia doctrinae, cum Prophetae et Apostoli malunt mori, quam abiicere doctrinam, ostendunt se vere sentire, quod docent. Vult item testimonia esse, quod aliud iudicium restet. Quia hic videntur in morte neglecti, Esaias, Ieremias, Paulus, quos Deus ostendit antea sibi curae esse. Necesse est igitur aliud iudicium restare, in quo puniendur tyranni, qui in eos saevierunt, ubi Deus discrimen ostendet suae Ecclesiae et impiorum.

In Die Pentecostes.

Evangelium Iohannis 14.

Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non servat, Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me patris.

Haec locutus sum vobis, apud vos manens. Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittit pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixi vobis.

Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis, Non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quod ego dixi vobis, Vado et venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis utique, quia dixi, Vado ad patrem, quia pater maior me est.

Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Non iam multa loquar vobiscum, venit enim princeps mundi huius, et in me non habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo patrem, et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

De Pentecoste.

Loci *duo.*

I. Collatio Pentecostes veteris Testamenti ad Pentecosten novi Testamenti.

II. De Spiritu sancto, quid sit, ad quid detur, et quibus.

De primo.

Singulari consilio voluit Deus convenire tempora promulgatae legis, et dati Spiritus sancti, ut collatio admoneat pios de utriusque actionis fine. Die quinquagesimo post exitum ex Aegypto, videlicet post Pascha populi Israël, promulgata est lex terribili voce de coelo, quia Deus voluit extare publicum testimonium sui iudicii adversus peccata hominum. Et cum populus audivisset legem, expavit, ac petivit, ut per Moisen deferrentur mandata Dei ad multitudinem. Senserunt enim, se non posse sustinere vocem legis.

Haec historia significat eadem quae geruntur in singulis, cum audimus vocem legis, id est, cum sentimus Deum iudicantem. Non enim potest natura hominum rea, sustinere iram Dei iudicantis, et lege terrentis conscientiam, sicut inquit Ezechias: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Ergo promulgata lege agnoscuntur peccatum et ira Dei.

Haec mala cum tollere velit beneficio novi Testamenti, ut Paschati respondet Pascha, umbrae vera victima, sic promulgationi legis monstrantis peccatum et iram, respondet in hac Pentecoste manifestum testimonium donationis Spiritus sancti, per quem incoatur novum regnum, in quo sonat vox Evangelii de remissione peccatorum, et de donatione Spiritus sancti, incoantis iusticiam et vitam aeternam. Haec secunda Pentecoste multo gloriosior est priore. In priore monstrantur peccatum et ira Dei, in secunda tolluntur.

De secunda.

Quid sit Spiritus sanctus.

Quoties de Trinitate cogitamus, intueamur admirandam revelationem divinitus factam in baptismo Christi, ubi tres personae clarissime discernuntur. Estque Spiritus sanctus persona procedens a Patre et Filio, agitans corda, et exuscitans novos et divinos motus, convenientes legi Dei. Et quidem ipsum dictum Ioëlis testatur, Spiritum sanctum esse substantiae divinae, quia inquit: Effundam de spiritu meo, Meo, inquam, qui est meae substantiae.

Ad quid datur?

Hoc copiose traditur, sed sumam unum dictum Zachariae 12.: Effundam super domum David, et super habitatores Ierusalem, spiritum gratiae et precum. Haec dulcissima sententia complectitur omnia beneficia Spiritus sancti, et veros cultus Dei. Testatur donari Spiritum sanctum, et hunc esse spiritum gratiae, id est, in cordibus nostris testificantem, primum quod simus in gratia Dei, seu inclinantem corda, ut adsentiantur promissioni gratiae. Nam hic primus effectus est Spiritus sancti, inclinare corda ut agnoscant Filium Dei, et statuant se recipi in gratiam, sicut Christus inquit: Ipse me glorificabit, id est, erit testis per Evangelii praedicationem, et inclinabit corda ut adsentiantur Evangelio, et nova luce perfundet, ut intelligant Evangelium, et discernant a sapientia mundi.

Cum autem cognoscimus misericordiam Dei, et accipimus remissionem, audemus iam accedere ad Deum, invocare eum, quia nisi adsit fides, statuens de remissione peccatorum, fugiunt corda Deum, non invocant, sed fide per Christum habemus accessum ad Deum, ut Rom. 5. dicitur. Item, Rom. 8.: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater, id est, cum corda eriguntur voce Evangelii et fide, induuntur Spiritu sancto, agnoscunt misericordiam Dei, vere Deum invocant fiducia Filii, agnoscunt patrem esse etc.

Ideo Zacharias dicit, Spiritum gratiae et precum, duos primos et praecipuos effectus Spiritus sancti complectens, scilicet testificari quod simus in gratia, et impellere ad invocationem. Porro invocatio complectitur reliquos pios motus, dilectionem, et novam obedientiam.

Haec multis concionibus Christi et Apostolorum amplificantur, quae sunt promissiones infigendae animis: Non relinquam vos orphanos. Constat Ecclesiam in mundo, velit orphanam esse sine praesidiis humanis, subiectam cruci, oppugnari a diabolo, moliente sectas, disputationes, scandala, caedes, persecutionem, et ab organis diaboli, tyrannis et aliis. Sed Christus inquit, additurum se nobis paracletum, qui consilio regat, et confirmet mentes, qui retineat mentes in vera sententia, et illustret ut Evangelium recte intelligant, et discernant a sapientia mundi, sicut Christus inquit: Dabo vobis spiritum veritatis, id est, qui efficit veraces in doctrina et in invocatione.

Quibus detur.

Publica exhibitio Spiritus sancti fuit testimonium, quod vere detur Spiritus sanctus toti Ecclesiae. Ideo in hoc testimonio contemplemur universalem promissionem. Ut omnibus offertur remissio peccatorum, et omnibus praecipitur ut credant, ita Spiritus sanctus promissus est omnibus, et datur omnibus agentibus poenitentiam, et fide se sustentantibus, sicut manifeste testatur Paulus Galat. 3. Ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Et Christus inquit, dari eum petentibus. Lucae 11.: Quanto magis pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Ac diligenter observanda est particula petentibus, qua Christus requirit, et postulat petitionem huius muneris. Quod quidem in verbis illis liberaliter promittit.

Quare agamus poenitentiam, et exerceamus fidem in invocatione, et petamus Spiritum sanctum, ut novam lucem et novam obedientiam in nobis incoët, sicut 2. Corinth. 3. dicitur: Nos omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, a gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu, id est, nos audito Evangelio, et accepta remissione peccatorum, gloriam Dei speculamur, id est, audemus accedere ad Deum, et videmus eius gloriam, id est, fulgorem iudicii, ac in illo iudicio, voce Evangelii, consolationem habemus, ac induimur luce fidei, ut magis magisque iram Dei et misericordiam agnoscamus, et nova luce, quae est imago Dei, ornemur, id est, noticia Dei, fiducia praesentiae Dei, dilectione, et caeteris virtutibus, et addit, tanquam a Domini spiritu, ut sciamus hanc renovationem esse, opus Spiritus sancti in nobis.

Illud etiam sciamus, excuti Spiritum sanctum lapsibus, contra conscientiam, ut Gal. 5. dicitur: Spiritu ambulate, et concupiscentiam carnis non perficietis, et deinde: Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, odia, de quibus dixi, talia facientes, regnum Dei non consecuturos esse. Et de his Iohannes inquit: Qui facit peccatum, ex diabolo est, et Ebrae. 10. Filium Dei conculcans, et sanguinem testamenti polluens, et spiritum gratiae contumelia afficiens. Haec doctrina necessaria est Christianis, ut sciant omnibus promissiam esse Spiritum sanctum, et accipi ab omnibus fide in vera poenitentia, et retineri, dum manemus in exercitiis verae poenitentiae et invocationis.

Feria II. Pentecostes.

Actorum 2.

Et cum complerentur dies Pentecostes, erant omnes unanimiter simul. Et factus est repente de coelo sonus tanquam advenientis flatus vehementis. Et replevit totam domum ubi erant sedentes. Et conspectae sunt illis dispertitae linguae, tanquam ignis, seditque supra singulos eorum. Et repleti sunt omnes Spiritu sancto, et coeperunt loqui aliis linguis, prout spiritus dabat eis eloqui.

Erant autem in Ierusalem habitantes Iudaei, viri religiosi ex omni natione quae sub coelo est. Facta autem hac voce, convenit multitudo, et confusa est, quoniam audiebat unusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes, et mirabantur dicentes inter sese: Nonne ecce omnes isti qui loquuntur, Galilaei sunt? Et quomodo nos audimus unusquisque propriam linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, et Medi, et Elamitae, et qui habitant Mesopotamiam, et Iudaeam et Cappadociam, Pontum et Asiam, et Phrygiam, et Pamphyliam, Aegyptum et partes Libyae, quae est circa Cyrenen, et peregrini Romani, Iudaei et proselyti, Cretes et Arabes, audimus eos loquentes nostris linguis magnifica Dei. Stupebant autem omnes, et consternabantur ad invicem dicentes: Quid-

nam vult hoc esse? Alii autem irridentes dicebant, quod musto pleni essent.

Stetit autem Petrus cum undecim, et elevavit vocem suam, et locutus est eis: Viri Iudaei, et qui habitatis Ierusalem universi. Hoc vobis notum sit, et percipite auribus verba mea. Non enim sicut vos existimatis, hi ebrii sunt, est enim hora diei tertia. Sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioël: Et erit in novissimis diebus, dicit Deus, Effundam de spiritu meo, super omnem carnem, Et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae, et adolescentuli vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos, et super ancillas meas, in diebus illis effundam de spiritu meo, et prophetabunt; et dabo prodigia in coelo sursum, et signa in terra deorsum sanguinem et ignem, et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus. Et omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Cum haec sit descriptio initii regni Christi, statim proponitur summa doctrinae, exemplum conversionis, forma et imago huius regni. Primum autem hic attente consideretur species Ecclesiae, et repetantur animo magnificae promissiones datae huic populo, et cogitetur quam magnifica fuerit expectatio mundani regni. Ad hanc expectationem quomodo convenit haec forma? Etsi donum est multo gloriosius, videlicet, incoatio vitae aeternae, per Spiritum sanctum facta, et societas divinae naturae, tamen exigua pars populi consequitur hoc beneficium, et illi ipsi sunt imbecilles, sine opibus, sine potentia mundi, etsi excellunt agnitione Dei et testimoniis Spiritus sancti. Haec species multa monet.

Concio Petri.

Primum refutat tacitam persuasionem populi de regno mundano, et docet regnum Christi fore donationem Spiritus sancti, et vitae aeternae. Ad hoc citat Prophetam, et est insignis sententia: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Hoc dictum testatur Spiritum sanctum esse natura Deum, quia dicit, de spiritu Meo. Diligenter autem observanda est particula de spiritu Meo. Quale testimonium est dilectionis, quod seipsum Deus impertit nobis, quod dato Spiritu sancto, efficit nos participes suae naturae, indit potentiam adversus peccatum et alia mala.

Coniungit autem Propheta primum et secundum adventum, quia donatio Spiritus sancti est incoatio vitae aeternae. Et describitur nova concio eius temporis: Omnis qui invocaverit nomen Domini salvus erit, quasi dicat, tunc proponetur Evangelium de remissione peccatorum, et agnoscetur Dominus, qui est autor huius regni, qui docebit invocationem. Hac invocatione omnes salvabuntur, non lege. Ac diligenter considerandum est, hoc dictum de invocatione oppositum esse opinionibus legis, quia lex deterret ab invocatione, cum accuset. Iam autem proponetur nobis mediator et pontifex, per quem iubebimur invocare, per quem donantur gratis remissio peccatorum et vita aeterna. Hic obiter etiam discamus, verum et praecipuum cultum esse novi Testamenti invocationem.

Refutato errore Iudaeorum de regno corporali, et recitato testimonio de Spiritu sancto, iam incipit concionari de autore regni, scilicet quod propter Filium Dei, crucifixum et resuscitatum, dentur Spiritus sanctus et vita aeterna, quod Filius Dei resuscitatus sit efficax, sit salvaturus, sit iudicaturus vivos et mortuos. Hic addit testimonium ex Psalmo. Deinde in conclusione arguit peccatum eorum, quod hunc Filium Dei, autorem novi regni crucifixerint, et iubet eos agnoscere peccatum, et accipere remissionem peccatorum. Ita complectitur summam Evangelii. Iam autem vide, quale peccatum eis obiiciatur, quod crucifixerint Filium Dei. Maximum peccatum proponit, ut ostendat gratiam exuberare supra peccatum, ne quem magnitudo peccatorum adigat ad desperationem. Meminerimus autem hanc vocem pertinere ad omnes, omnibus temporibus. Singulorum peccata fuerunt causa quare oportuit Filium Dei pati, quia aliter deleri peccatum non potuit. Item, quam multi consenserunt in aliqua falsa dogmata, in supplicia aliqua piorum, aut certe non declararunt suam confessionem, non defendunt sanctos? Ita singuli aliquo modo crucifixerunt Filium Dei. Diligenter igitur haec particula consideretur, et ut nostra peccata agnoscamus, et ut discamus, gratiam exuberare supra peccatum.

Feria III. Pentecostes.

Actorum 15.

Surrexerunt autem quidam de haeresi Pharisaeorum, qui crediderant, dicentes, quod oportet circumcidere eos, et praecipere servare legem Mosi. Conveneruntque Apostoli et seniores videre de hoc verbo.

Cum autem magna disceptatio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos: Viri fratres, vos scitis, quod ab antiquis diebus Deus inter nos elegit per os meum audire gentes verbum Evangelii, et credere. Et Deus qui novit corda testimonium perhibuit eis, dans eis Spiritum sanctum, sicut et nobis, et nihil discrevit inter nos et illos, fide purificans corda eorum. Nunc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super cervices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus salvari, quemadmodum et illi.

Quaestio.

Cum Apostoli instituerint ceremonias, videtur utrunque sequi, quod et velit Deus coli talibus ritibus, et Ecclesia possit imitatione Apostolorum instituere cultus. Respondeo tripliciter: Primum Apostoli haec non instituerunt, sed usitata antea retinuerunt, propter probabiles causas, et ne alienarent imperitiores. Quia mos erat captis urbibus, quae recipiebant veri Dei cultum, sine ceremoniis Mosaicis, tamen haec imponere propter gravissimas causas. Iam si Apostoli et hunc morem sustulissent, dixissent aliqui, prorsus ethnicismum fieri. Ac de his non dubium est, necessariam esse prohibitionem idololatriae, idolothytorum et scortationis.

Caetera duo, de sanguine et suffocato videntur esse ex ἀδιαφόροις. Ideo autem haec observatio magnifiebat, quia tradita est Nohae, et multo vetustior est Moise, et circumcisione. Fuitque huic praecepto addita prohibitio homicidii. Quare simul fuit symbolum politicum. Sic ab esu sanguinis, pene ut a caede abhorrebant homines. Quare credibile est patres haec imposuisse gentibus, ut quamvis lege Moisi non onerarentur, tamen haberent aliquas ceremonias utiles disciplinae causa, quae admonerent de vero cultu Dei et de praeceptis divinis, et discernerent novos cives Ecclesiae Dei ab aliis gentibus, quae adhuc serviebant idolis.

Retinuerunt ergo Apostoli usitatum morem traditum a patribus, et continentem non ceremonias excogitatas humana autoritate, sed divinitus traditas, quarum aliqua erat utilitas. Et in hac re vitaverunt offensiones et scandala eorum, qui fuissent alienati ab Evangelio, si ne hunc quidem morem vetustiorem lege retinuissent. Nam quod habuerint scandali rationem in hoc casu, inde apparet, quod non ubique abstinebant a sanguine.

Secunda responsio de cultibus.

Necessaria cum fiunt vera fide, et fiducia Filii Dei, sunt cultus, id est, sunt opera quae Deus approbat, et consecrata ipsius verbo, et quibus indicat se honore affici, cum ea facimus in fide, ac ut ei obediamus, et eum celebremus, ut fugere idola, non pollui vagis libidinibus, sunt veri cultus, si fiant ut dictum est, sed tamen et de necessariis regula tenenda est, quae hic traditur, quod propter haec non detur remissio peccatorum, sed propter Filium Dei, sicut hic dicitur, Fide purificans corda. Sic et olim ceremoniae Mosaicae erant cultus, cum adhuc verbo Dei consecratae et praeceptae essent, si tamen fiebant in fide, id est, fiducia venturi Messiae, et propter confessionem. His ritibus testabantur Israëlitae, hunc esse verum Deum, qui hoc verbum tradiderat.

Postquam autem illuxit Evangelium de aeterna iusticia et vita, et ritus Mosaici desituri erant una cum politia Mosaica, ritus plerique iam erant ἀδιάφοροι. Horum aliqui retineri poterant disciplinae causa, vel propter confessionem. Retinuerunt igitur Apostoli ritum de sanguine, disciplinae causa, et propter confessionem, quia ritus ille erat symbolum, seu sacramentum severissimae prohibitionis de caede, et prohibitio illa adiuncta erat legi de sanguine. Quare propemodum sanguinis esum sic abominabantur Iudaei, ut caedem ipsam. Cum igitur tot causae concurrerent, disciplina, scandalum et confessio, visum est Apostolis hunc ritum retinendum esse, praesertim in iis locis ubi causae illae valebant. Retinuerunt autem non ut cultum, ac multo minus voluerunt esse meritum remissionis peccatorum, aut iusticiam.

Tertia responsio.

Nec valet consequentia, Apostoli haec retinuerunt, ergo licet Ecclesiae nova instituere tanquam cultus. Neganda est consequentia, quia Apostoli non instituerunt, sed retinuerunt hunc ritum, propter causas quas dixi. Deinde etiamsi quid novi instituissent, non sequitur imitationem concessam esse. Semper haec imitatio nocuit Ecclesiae: Primum, patres mandato divino instituerunt certos ritus et sacrificia, postea imitatio ex falsa persuasione, excogitavit varia sacrificia, etiam hominum mactationes. Ac minime valet consequentia. Apostoli retinuerunt propter disciplinam, aut scandalum; ergo licet imitari, aut fingere novos cultus. Neque haec consequentia valet, Apostoli quosdam ritus tradiderunt, ergo licet caeteris Episcopis novos ritus instituere. Quia apostolica vocatio longe superat episcopalem. Apostolis primum tradidit novum ministerium, et per eos instituit aliquid novi, Episcopus vero est auditor, et accipit verbum, et ritus ab Apostolis, cum certo mandato ut haec non mutata, tradat Ecclesiae.

Dominica Trinitatis.

Evangelium Iohannis 3.

Erat autem homo ex Pharisaeis Nicodemus nomine, princeps Iudaeorum. Hic venit ad Iesum nocte, et dixit ei: Rabbi, scimus quod a Deo veneris magister, Nemo enim potest haec signa facere quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus et dixit ei: Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus: Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in ventrem matris suae iterato introire, et nasci? Respondit Iesus: Amen amen dico tibi, Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, Et quod natum est ex Spiritu, Spiritus est. Non mireris, quod dixi tibi, quod oportet vos nasci denuo. Spiritus ubi vult, spirat, et vocem eius audis, sed nescis unde veniat, aut quo vadat. Sic est omnis, qui natus est ex spiritu. Respondit Nicodemus, et dixit ei: Quomodo possunt haec fieri? Respondit Iesus, et dixit ei: Tu es magister in Israël, et haec ignoras. Amen amen dico tibi, quia quod scimus, loquimur, et quod vidimus, testamur, et testimonium nostrum non accipitis. Si terrena dixi vobis, et non creditis, quomodo, si dixero vobis coelestia, credetis? Et nemo ascendit in coelum, nisi qui descendit de coelo, Filius hominis, qui est in coelo. Et sicut Moises exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam aeternam.

Disputatio est de discrimine iusticiae rationalis et iusticiae fidei, qua vere tollitur peccatum et mors, et fit regeneratio ac incoatio vitae aeternae. Ac primum quidem consideranda est caligo Ecclesiae eius temporis. Mirum est praecipuos doctores ignorasse veram doctrinam de iusticia fidei, et tantum iusticiam legis seu rationalem docuisse, et affinxisse, hac tolli peccatum, hanc mereri vitam aeternam, hanc satisfacere legi Dei. Ideo Christus severe obiurgat Nicodemum: Tune es magister in Israël, et haec ignoras? Porro hic cogitemus similes tenebras et errores perpetuo in Ecclesia extitisse. Ac ante Augustini tempora fere penitus extincta fuit lux de doctrina fidei, per Origenem et Pelagium. Augustinus rursus utcunque accendit. Deinde iterum obscurata est somniis monachorum.

Sed ut ad rem redeamus, sciendum est duplicem esse iusticiam. Altera est rationis, quae est observatio externorum operum Decalogi, quae cum sit difficilis, et a paucis praestetur, magnum et ipsa decus est. Ac humana infirmitas adeo miratur eam, ut solam sufficere existimet, et satisfacere legi Dei. Nec dubium est, omnes qui errant de iusticia fidei, eo errare, quia sic admirantur hanc disciplinam, ut nolint videre interiora peccata, quae manent, etiamsi externa disciplina sit optima, videlicet dubitatio de Deo, esse sine vero timore Dei, sine vera fiducia et dilectione, sese admirari, habere fiduciam sui. Et quidem haec vitia maxime sunt in illis, qui propter virtutis studium antecellunt caeteris.

Sed tamen sciant homines hanc disciplinam necessariam esse propter quatuor causas. Vide-

licet, propter mandatum Dei, ad vitandas poenas, propter communem tranquillitatem, et quia est paedagogia in Christum, id est, in his, qui perseverant in sceleribus contra conscientiam, non est efficax Evangelium, sed repugnant Spiritui sancto vocanti eos. Quanquam autem necessaria est: tamen agnoscamus eam nequaquam legi Dei satisfacere, nec sine peccato esse. Consideremus autem interiora peccata contra utranque tabulam, sed praecipue contra primam, quae quia non videt ratio, tantum de externa disciplina cogitat, ut significatum est in typo: Populus non poterat ferre fulgentem Moisi faciem, sed velatam videbat. Sic nos externam legis umbram utcunque intuemur, non videmus quae peccata interiora lex iudicet, accuset, et damnet. Non intelligimus quantum postulet haec vox: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, et quis volens obtemperat Deo, si mors oppetenda sit in confessione et vocatione? Manent igitur peccata in homine, etiamsi freno disciplinae satis duro regitur. Haec de priore iusticia primum scienda sunt.

Altera est iusticia fidei, quam hic declarat Christus. Orditur autem a signo externo: Nisi quis renatus fuerit ex spiritu et aqua. Nec putemus finitam esse concionem totam, facta mentione signi et Spiritus S. sed mox adiungenda est concio de fide: Sicut Moises exaltavit serpentem in deserto, sic exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat. Haec concio est coniungenda superiori parti, imo superior est *παρασκευὴ* ad hunc locum de fide.

Sed quare a signo orditur? Duae sunt causae. Vult exordium sumi a praedicatione verbi, quae cum signo coniuncta est, et vult in praedicatione poenitentiae argui peccatum, et monstrari Christum, ut faciebat Iohannes: Agite poenitentiam, et credite Evangelio. Et hoc ipso loco Christus arguit naturam captivam peccati: quod natum est ex carne, caro est. Taxatur enim coecitas Pharisaei non habentis lucem spiritualem, non videntis interiora peccata, dubitationes de Deo, vacuitatem timoris et dilectionis Dei, admirationem sui, fiduciam sui etc. Haec peccata et iudicat Spiritus sanctus in praedicatione poenitentiae, et Christus hic taxat: Quod natum est ex carne, caro est, id est, sine luce spirituali, sine vera fide, sine vero timore. Pharisaeo haec nova sunt, qui nihil nisi disciplinam quaerit aut miratur, nec videt peccata interiora. Ideo ea quae de regeneratione divina dicuntur, iudicat absurda esse, sed duriter a Christo obiurgatur.

Deinde pertexit Christus doctrinam de iusticia fidei, et repetit concionem de poenitentia, quasi dicat, noli rem parvam ducere peccatum, aut iram Dei. Oportet crucifigi Messiam, ut fiat ira Dei placata, et sic eris renatus et iustus, si credas in illum crucifixum. Est igitur haec iusticia fidei, cum expavescimus agnitione irae Dei adversus peccatum, credere quod propter Filium Dei pro nobis immolatum, aeternus pater et conditor sit nobis placatus et propicius, remittat nobis peccata, et recipiat nos, ac iustos pronunciet.

Sumus igitur iusti, id est, habemus remissionem peccatorum, at sumus accepti propter Filium, cum hac fide seu fiducia cor in vera poenitentia erigitur, et apprehendit remissionem peccatorum, et acquiescit non in propria dignitate, sed in Filio Dei, sicut dulcissime pingitur in hac imagine, in qua dicitur, Ovis inventa tolli in humeros. Estque haec fides non tantum noticia, qualis est etiam in impiis, sed est fiducia misericordiae, iuxta illud: Omnis qui credit in eum, non confundetur. Estque motus Spiritus sancti intuens Christum, et acquiescens in illo, et fit, cum verbo promissionis erigimur, sicut Paulus clare dicit ad Galat., ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Cum igitur accensa est in corde fiducia misericordiae, sequuntur invocatio et dilectio, et alii boni motus. Nam dilectio non potest existere, nisi praecedat illa fiducia, apprehendens misericordiam. Tantisper Deum fugit mens humana, nec potest diligere, nec expectare ab eo bona, donec sentit iram Dei. Haec ita esse experientia testatur, sed homines securi ideo reclamant, quia hoc certamen eis ignotum est.

Haec est regeneratio, de qua hic concionatur Christus, cum hoc modo fiducia Filii Dei per Spiritum sanctum in pavoribus sustentamur, et liberamur a terroribus peccati, et ab aeterna morte. Postea de effectibus fidei alia quaestio oritur, scilicet de nova obedientia, an propter eas qualitates persona sit iusta, id est, an satisfaciat legi, sit sine peccato, sit iusta, hoc est, accepta coram Deo ad vitam aeternam, propter illas virtutes. Hic sciamus, quod hae novae virtutes non satisfaciant legi Dei. Item, quod in renatis maneant peccata, laborant enim dubitatione, diffidentia,

non timent, non diligunt Deum, ut debebant, manent et alii multi errantes motus. Ideo semper statuendum est de renatis, personam placere Deo fide propter Christum, non propter propriam dignitatem, seu proprias virtutes, sicut clare testantur haec dicta. Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Item: Non intres in iudicium cum servo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item: Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit?

Nec esset difficilis diiudicatio huius quaestionis, si deformitas nostrae naturae nobis in conspectu esset. Ideo enim amplificatur qualiscunque obedientia, quia naturalis immundities non satis conspicitur, sed pii aliquo modo eam agnoscunt, grati igitur amplectuntur hunc consolationem, quod fide propter mediatorem sint iusti, id est, accepti, non propter propriam dignitatem, seu novas qualitates, seu opera. Et tamen oportet incoatam obedientiam in renatis esse, iuxta illud: Nihil nunc damnationis est iis, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.

Quomodo placet haec obedientia?

Hic semper tria iungantur. Primum statuendum est personam habere remissionem et placere propter Christum mediatorem. Secundo agnoscendum est et dolendum, quod haeret in nobis peccatum, et quod obedientia nostra valde imperfecta contaminata est: sciendumque Ecclesiam propterea subiectam esse cruci et ingentibus aerumnis, ut agnoscantur et mortificentur reliquiae peccati. Tertio statuendum est, quod tamen requirat Deus hanc obedientiam, et quod in renato, quanquam imperfecta, placeat, non propter sese, sed propter Christum, ut Petrus inquit: Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum. Hic sedet ad dexteram patris, ut assidue pro nobis interpellet, hic pontifex nostras preces ad patrem perfert.

Haec sunt simplicia, plana, et nihil habent perplexitatis, retinetur certa consolatio, tribuitur mediatori Christo suus honos, retinetur doctrina necessaria ad invocationem, quae fieri non potest, si mens fugit Deum, additur doctrina de obedientia, et excluduntur arrogantia et desperatio. Hypocritae iactant se satisfacere legi Dei. Econtra nos testamur homines non posse satisfacere legi Dei, et tamen obedientiam incoandam esse, et placere propter Christum.

Hic magnitudo misericordiae *Dei* praedicatur, quod recipit et approbat hanc quamvis mutilam, et multis modis contaminatam obedientiam. Haec ipsa magnitudo misericordiae nos hortetur ad bene operandum. Quanta enim consolatio est militi, et scholastico scire, quod haec animi patientia in militia, aut in paupertate et miseriis scholasticis, Deo placeat propter Christum, ut dixi.

Complexus sum summam verae doctrinae Evangelii de iustificatione, de qua Christus concionatus est in disputatione cum Nicodemo, nec est inutile e regione antithesin considerare. Est autem primus error adversariorum, quod imaginantur homines posse satisfacere legi Dei.

Secundus error, quod somniant hominem mereri remissionem peccatorum propriis operibus.

Tertius error, quod prorsus silent de fide accipiente remissionem peccatorum, propter Christum. Imo addunt contrariam sententiam, scilicet quod homo debeat semper dubitare, an sit in gratia.

Quartus error, quod fingunt opera renati esse impletionem legis, et meritum vitae aeternae, cum tamen ne ipsa quidem opera renati, et disciplinam rationalem discernere possint.

Quintus, cum nihil dicant de fide, imo iubeant dubitare, non possunt recte docere iustificationem, et tantum tradunt ethnicam invocationem, cum clamitet Christus: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis, id est, non fiducia vestrae dignitatis, sed fiducia Christi mediatoris.

Dominica I. post Trinitatis.

Evangelium Lucae 16.

Homo autem quidam erat dives, et induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide. Erat autem quidam pauper, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus, et cupiens saturari de micis, quae cadebant de mensa divitis, sed et canes veniebant, et lingebant ulcera eius. Factum est autem, ut moreretur pauper, et portaretur ab angelis in sinum Abrahae. Mortuus est autem et dives, et sepultus est.

Et in inferno elevans oculos suos, cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu eius, et ipse clamans dixit: Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam. Dixit autem Abraham: Fili recordare, quia recepisti bona tua in vita tua, et Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris. Et super haec omnia inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque inde ad nos transmeare.

Ait autem: Rogo ergo te pater, ut mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ut non et ipsi veniant in hunc locum tormenti. Ait illi Abraham: Habent Mosen et Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, poenitentiam agent. Ait autem illi: Si Mosen et Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

Primus locus.

Generalis reprehensio est eorum, qui sunt duri erga pauperes. Nec intelligatur exemplum tantum de uno genere eleemosynarum, sed eundum est per ordines. Pontifices et reges sunt duri erga Ecclesiam, non student recte sanare dissipatam, exercent crudelitatem iniustam. Item, gubernatores alii negligunt defensionem pauperum. Item, privati non iuvant Ecclesiam et pauperes officiis, quibus debebant et poterant iuvare. Ita generaliter intelligatur haec reprehensio. Notum est autem praeceptum: Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Item: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Haec opera sunt necessaria, et quomodo placeant alias saepe dicitur, scilicet, propter Christum mediatorem in his qui credunt.

Secundus locus.

Consolatio proponitur contra scandalum crucis. Lazarus pauper videtur desertus a Deo, cum sit in extremis miseriis. Et tamen hic testatur Christus, hunc placuisse Deo, et curae fuisse, et angelos ei affuisse. Hanc consolationem in calamitatibus tenere necesse est, ne propter eas iudicemus nos abiectos esse.

Tertius locus.

Dives vituperatur, non quod possederit divitias, quia Deus Reipub. causa vult aliquos habere maiores facultates aliis, sed duo vitia tribuuntur diviti. Quod vixerit securus, et neglexerit pauperem. Securitas trahit secum multa vitia, videlicet, quia in securis non est poenitentia, non est metus divini iudicii, non sunt exercitia fidei, non est solicitudo pro Repub., pro Ecclesia etc.

Quartus locus.

Sinus Abrahae est quies piorum, qui ex promissione facta Abrahae, fidem. consolationem et vitam aeternam conceperant.

Quintus locus.

Aeternae poenae describuntur figurate, siti et hiatu. Sed alibi proprie describuntur, quod sit horribilis dolor animi, pavor et fuga.

Sextus locus.

Utilis doctrina traditur de verbo Dei. Christus iubet nos de voluntate Dei tantum consulere verbum Dei, quod nobis propositum est, nec quaerere alias revelationes, nec credere mortuis. Sicut alibi scriptum est: Non quaerite veritatem a mortuis. Haec sententia refutat spectra mortuorum. Item, invocationem sanctorum.

Haec est summa huius historiae. Caeterum imago accommodetur ad praesentes Ecclesiae calamitates. Sicut hic dives negligit Lazarum, ita re ipsa nunc Pontifices, Reges et Principes iacentem Ecclesiam ad vestibulum ipsorum negligunt. Non student veris modis conciliare dissipatam, defendunt errores: alibi interficiuntur doctores, alibi fame pereunt, negliguntur scholae. Interea tamen canes, id est, aliqui spreti e vulgo utcunque iuvant Ecclesiam, et leniunt aerumnas docentium et aliorum, qualibuscunque officiis.

Dominica II. post Trinitatis.

Evangelium Lucae 14.

Homo quidam fecit coenam magnam, et vocavit multos, et misit servum suum hora coenae, ut diceret invitatis: Venite, quia iam

parata sunt omnia. Et coeperunt simul omnes excusare se. Primus dixit ei: Agrum emi, et necesse mihi est exire, et videre illum, Rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, et eo ad probandum illa, Rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Uxorem duxi, et ideo venire non possum. Et reversus servus nunciavit haec domino suo.

Tunc iratus paterfamilias, dixit servo suo: Exi cito in plateas et vicos civitatis, et pauperes ac debiles, et claudos et coecos introduc huc. Et ait servus: Domine factum est ut imperasti, et adhuc locus est. Et ait dominus servo: Exi in vias et sepes, et compelle intrare, ut impleatur domus mea. Dico enim vobis, quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit coenam meam.

Reprehensio est contemtus Evangelii, in his qui praecipue sunt vocati, hoc est, qui videntur esse praecipua pars Ecclesiae. Et adiecta est horribilis sententia de illorum condemnatione: Nemo illorum gustabit coenam. Quanquam autem de reiectione populi Iudaici concionatus est Christus, tamen non de illis solis loquitur, sed generaliter pertinet concio ad omnia tempora, accusat contemtum Evangelii, in doctoribus, regentibus, et praestantiore parte populi.

Est autem agnoscenda et deploranda coecitas humana, quod levius curant homines Deum, et res aeternas, quam ulla reliqua corporis negocia. Sicut plerunque in pagis rustici magis officiosi sunt erga bubulcum, quam animarum pastorem, et interrogati, respondent se magis opus habere bubulco. Hoc exemplum pingit similes affectus in summis. Quanta est contentio de gloria, de opibus, cum interim frigidissime curent homines, ea quae ad gloriam Dei, aut propriam animarum salutem pertinent. Magis anguntur homines iactura pecuniae, quam conscientia alicuius peccati.

Hanc praeposteram solicitudinem et depravationem hominum, significant exempla hic recitata. Alius allegat se emisse agros, hic propter rem familiarem negligit salutem suam. Alius allegat se emisse boves, hic pluris facit civilem potentiam et civilia negocia, quam Evangelium. Sicut iam politici viri dicunt, se esse occupatiores caeteris negociis necessariis, quam ut vacet Evangelium cognoscere. Item, negligunt propter pacem civilem etc. Alius allegat nuptias, hic praefert coniugem et liberos confessioni, non vult in discrimen venire suos propter Evangelium.

Ita in summa huc spectant exempla, ut reprehendant perversionem humanae naturae, quae negligit Deum, et maiori solicitudine curat negocia inferiora, quae etiamsi sunt necessaria, tamen non erant anteferenda Deo, iuxta illud: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis.

Secundus locus proponitur imago Ecclesiae, cum praestantiori parte reiecta vocantur claudi et coeci. Monet igitur Deum conservare Ecclesiam, colligendis aliquibus passim, qui non antecellunt opibus et autoritate, sicut inquit Esaias: Nisi Deus reliquisset nobis semen, essemus facti sicut Sodoma et Gomorra.

Tertius locus. *De coactione.*

Tria sunt observanda. Primum dulcissima est consolatio, quod Deus etiam cogi nos iubet, significat enim vere se expetere salutem nostram, et vere velle salvare, ut cum pater serio afficitur cura regendi Filii, non tantum frigidis admonitionibus, sed etiam severitate quadam imperii erga eum utitur, cogit eum facere officium.

Secundo, Significat Christus ministerium vere esse efficax, quia coactio proprie hoc loco significat eam, quae fit per ministerium Evangelii, quod proponit mandatum Dei et aeternas poenas, et est efficax adiuvante Deo. Quare et haec sententia ornat autoritatem ministerii, et significat Deum esse efficacem per ministerium.

Tertio, Quanquam Christus hic nihil loquitur de coactione corporali, seu de officio magistratuum, sed tantum de ministerio Evangelii, quod cogit proposito mandato Dei, propositis aeternis poenis, item, adiuvante Deo: tamen et magistratus suam habet coactionem, scilicet, quod ad disciplinam externam attinet, sicut alias saepe diximus, Magistratum esse custodem legis, ut tollat externam idololatriam, puniat externa delicta.

Dominica III. post Trinitatis.

Evangelium Lucae 15.

Erant autem appropinquantes ei omnes publicani et peccatores, ut audirent illum. Et

murmurabant Pharisaei et Scribae, dicentes, Quia hic peccatores recipit, et manducat cum illis. Ait autem ad illos parabolam istam, dicens: Quis est ex vobis homo, qui habet centum oves, et si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta novem in deserto, et vadit ad illam, quae perierat, donec inveniat eam? Et cum invenerit, imponit in humeros suos gaudens, Et veniens domum, convocat amicos et vicinos, dicens illis: Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quae perierat. Dico vobis, quod ita gaudium erit in coelo, super uno peccatore poenitentiam agente, magis quam super nonaginta novem iustis, qui non indigent poenitentia. Aut quae mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et verrit domum, et quaerit diligenter, donec eam inveniat? Et cum invenerit, convocat amicas et vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inveni drachmam, quam perdideram. Ita dico vobis, gaudium erit coram angelis Dei, super uno peccatore poenitentiam agente.

Sex sunt praecipui loci.

I. De misericordia et promissione gratiae.
II. De poenitentia.
III. De filio prodigo.
IIII. Quod calamitates vocent ad poenitentiam.
V. De remissione peccatorum, et novis donis.
VI. De hypocritarum superbia.

De primo.

Cum primi homines peccasssent, Deus statim eis poenitentiam praedicavit, et simul promissionem tradidit, qua misericordiam suam et reconciliationem patefecit, et illos recepit, et utraque concio postea magis illustrata est, ut vox illa clare testatur: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Sed humana ratio, etsi fatetur Deum misericordem esse, tamen resistit in hac imaginatione, favet iustis, nec recipit enormiter lapsos, nec recipit nisi prius aliqua intercesserint merita et compensatio aliqua, sic imaginatur ratio ignara Evangelii de gratuita reconciliatione, et has opiniones ex lege ratiocinatur. Sic et Pharisaei in hac historia stomachantur, Christum admittere obnoxios manifestis flagitiis, Magnifaciebant disciplinam suam, et cogitabant ex eo tantum numero sumi Ecclesiam, qui disciplinam retinet. Sic omnes imaginantur.

Quanquam autem disciplina res est omnium humanarum rerum pulcerrima, et a Deo mandata, tamen ingens misericordia Dei vocat omnes ad poenitentiam, et offert omnibus gratiam agentibus poenitentiam, etiamsi antea non fuerunt frenati disciplina. Ac utile est in ipsis historiis considerare magnitudinem misericordiae Dei.

Minus mirari solemus, quod Deus misit Evangelium suum populo Iudaico, in quo manserat aliqua vera de Deo doctrina, et honesta disciplina erat. Sed conferamus Romam Neronis tempore ad Nazareth.

Primum Romae prorsus ignotus erat verus Deus plurimi palam erant ἄθεοι, reliqui flagitiose colebant idola. Deinde tota civitas plena erat foedissimarum libidinum, quae putabantur esse voluptates concessae, non dignae poena, postea peculatus et usurae, etiam laudi ducebantur. Denique nulla Dei reverentia, nulla pudicicia, nullum studium veritatis et iusticiae erat. In tali civitate iubet Deus etiam sibi Ecclesiam colligi, et tales erant mores fere toto orbe terrarum.

In hoc exemplo cernitur magnitudo misericordiae Dei, quod ad tales, ubi disciplina adeo extincta est, etiam vox Dei sonat, vocans ad poenitentiam et salutem offerens. Et res initio Iudaeis indigna videbatur, spargi Evangelium inter illos execrabiles homines, qui in summa turpitudine sine disciplina ulla vixerant. Hinc sunt illa Pauli certamina, cum affirmat Evangelium ad gentes pertinere, et gratis offerri remissionem peccatorum propter Christum, omnibus qui agunt poenitentiam. Magna et salutaris consolatio est piis, cogitare de hac amplitudine misericordiae, quae maxime conspicitur, cum cogitamus Deum spargere Evangelium inter illa portenta hominum, ut tunc fuerunt Ethnici, et ut nunc sunt multi.

De hac tanta misericordia hic quoque concionatur, et proponit imagines, de ove perdita, de denario amisso, de filio prodigo. Haec tota concio referatur ad hanc vocem: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat, et teneamus summam Evangelii, quod omnibus agentibus poenitentiam certo detur remissio pec-

catorum gratis, propter Christum, quod postulet Deus, ut huic voci Evangelii credamus, et hac fide invocemus etc.

Quaerit Christus ovem perditam, singuli autem sumus oves perditae, sed magis conspicitur miseria illorum, qui sine disciplina vixerunt, ut mulieris meretricis, latronis, et innumerabilium, qui ex gentibus conversi sunt. Estque in textu suavis significatio inserta passionis Christi. Ovem inventam Christus ponit in humeros suos, id est, ipse onus nostrum transfert in seipsum, fit victima pro nobis. Deinde gestans nos, perfert ad gregem suum, gestat nos, pascit, fovet et gubernat nos.

De secundo.

Sed ita recipit Christus, et colligit Ecclesiam, etiam ex iis, qui sine disciplina vixerunt, si agant poenitentiam. Non recipit perseverantes in delictis contra conscientiam, sicut clare dicitur: Fornicatores, adulteri, non possidebunt regnum Dei. Et 1. Iohan. 3.: Qui peccatum facit, ex diabolo est. Sciamus igitur necessariam esse poenitentiam, et discamus quas res complectatur. Cum autem poenitentia seu conversio ad Deum tres partes contineat: Contritionem, fidem, et novam obedientiam, de singulis assidue cogitandum est.

Contritio est vere expavescere agnita ira Dei adversus peccatum, et vere dolere, quod Deum contemtu nostro et contumacia offenderimus. Hic primum cogitetur, quando sit homo sine poenitentia, videlicet, cum vivit sine aliquo sensu timoris Dei, sicut inquit Paulus Ephes. 4. de securis: Qui postquam dedoluerunt, tradiderunt se impudiciciae. Haec profunda securitas saepe gravissime accusatur, ut Ierem. 6.: Erubescere nescierunt. Item: Populus iste habet frontem aeneam. Quare adversus hanc securitatem colligamus testimonia irae Dei, vocem legis, exempla poenarum, passionem Christi, nostras calamitates praesentes et impendentes. Ac sciamus ideo tantis calamitatibus totum genus humanum onerari, ut agnoscere iram Dei adversus peccatum discamus, ut dicitur Psalm. 38.: Propter iniquitatem corripis hominem. Item, Mich. 7.: Iram Dei portabo, quoniam peccavi ei.

Nec vero hominum natura satis intelligere potest, quantum malum sit peccatum, et quanta sit ira Dei. Videbatur leve quiddam esse gustare pomum: at contemtus Dei et contumacia adversus Deum est infinitum et horrendum malum. Id ostendit Deus magnitudine poenarum quae secutae sunt. Et ipsi primi parentes magnitudinem sui lapsus, magis intelligere coeperunt, cum viderunt necem Abel, et scelus Cain, et deinde multas caedes, et multa peccata. Sic in nobis crescat agnitio irae Dei, crescat dolor, conspectu poenarum.

Nec omittatur de poenis cogitatio, quia quidam satis ociosis animis disputant, non incoandam esse poenitentiam a timore poenae, aut praedicatione legis. Imo legem inculcari necesse est, quia est aeternum et immutabile iudicium Dei, quo Deus testatur se irasci peccato. Nam etiam cum remittit, non approbat peccatum, sed miseram creaturam suam recipit propter Filium, ut Abac. 3. dicitur: Domine, opus tuum in medio annorum vivifica, poenas vero, et imponit, et scribi voluit, ut ira ipsius conspiciatur. Haec de contritione assidue cogitanda sunt, et extirpanda ex animis securitas, quia sine aliquo pavore ac dolore impossibile est poenitentiam existere. Ideo dicitur apud Esaiam: Ubi habitabit Dominus? in spiritu contrito, et tremente sermones meos.

Sed non satis est de contritione docere, quae in calamitate saepe ita opprimit homines, ut moerore extinguantur, et fugientes Deum ruant in aeternum exitium. Ideo addenda est doctrina de fide, videlicet quod sit aeternum et immutabile mandatum Dei, ut credamus nobis propter Filium remitti peccata, Deum constituisse victimam pro peccatis nostris Filium suum, testificatum esse se vere affici cura nostri, nos vere recipi, quia aeterno foedere copulavit sibi humanam naturam, cum Filius se dimisit, et assumsit naturam humanam. Haec tanta opera Dei contumelia afficit, quia non credit se recipi a Deo propter Filium.

Sed humana ratio multa opponit. Deus etiamsi est misericors, tamen et iustus est, miseretur eorum, qui suis meritis compensant lapsus. Item, miseretur non tam atrociter lapsis, mea peccata nimis multa et magna sunt. Hae sunt legales et rationales imaginationes, quibus opponendum est Evangelium, quod clamat certo, gratis non recipi propter Filium Dei, clamat item, exuberare gratiam supra peccatum. Maior est Christus quam peccata nostra, modo ut eum fide agnoscas, credas esse mediatorem, et hoc mediatore accedas rursus ad Deum, rursus invoces.

Etsi verissimum est alia peccata aliis maiora esse, tamen etiam eorum magnitudinem quae levia putantur, non perspicimus, semper in uno peccato multa insunt, et unus lapsus parit multos, sicut apparet in lapsu Adae, Davidis, Salomonis, denique quotidiana experientia huius rei testis est. Quare magnitudini et multitudini peccatorum opponamus hoc dictum, gratia exuberat supra peccatum. Veniamus etiam ad ministerium Evangelii in Ecclesia, confiteamur coram Ecclesia nos reos esse, ostendamus signa nostrae conversionis, et petamus absolutionem, ut voce Evangelii confirmetur fides, statuens de remissione peccatorum.

Postquam autem statuimus de remissione peccatorum, incoëtur nova obedientia, adsit propositum recte faciendi, incoëtur invocatio, nullum admittatur delictum contra conscientiam. Cogitemus nullum esse maius malum homini, quam vivere sine invocatione Dei, hoc est, non habere Deum propicium, et protectorem, sed hostem abiicientem in poenas omnis generis. Simus igitur vigilantes et firmi, ne contra conscientiam ruamus, ne iterum Deus a nobis alienetur.

Haec de doctrina poenitentiae breviter dicta sunt, quae semper cogitanda sunt, quia arcana sapientia est, de maximis rebus, de iusticia, de ira Dei, de humana infirmitate et contumacia, de poenis peccatorum, de misericordia, de Filio Dei, de miseriis humani generis, subiecti ingentibus aerumnis, infirmitati et scandalis, etiam post conversionem. Haec sapientia maius quiddam est quam universa mundi sapientia.

De tertio.

Ut supra imagines de ove perdita et amissa drachma recitavit: ita hic addit illustriorem de filio prodigo. Etsi autem recte confertur imago ad Iudaeos et gentes, tamen universaliter filii prodigi appellatione intelligantur homines sine disciplina, in manifesta turpitudine viventes. Et econtra filius frugalior, est homo, qui honesta disciplina regitur. Verum est autem et praecipi disciplinam a Deo, et severe puniri disciplinae contemtum, ut supplicia publica, bella, morbi, inopiae infamiae, et plurimae calamitates humanae testantur, et bonum, inter naturae bona, nullum maius est, quam honesta disciplina, tamen Deus sua immensa misericordia, vocat ad se non solum eos, qui disciplina frenati sunt, sed etiam caeteros contaminatos horrendis flagitiis, ut non solum in Nazareth sonabat vox Evangelii, sed etiam Romae Neronis tempore et in aliis locis, ubi omnia plena erant horrendae turpitudinis.

Haec historica exempla diligenter consideremus, ut magnitudinem misericordiae Dei magis conspiciamus, ex talibus colligentis Ecclesiam. Et haec exempla monstrant, quo respexerit Christus concionans hic de filio prodigo. Intuebatur enim maximam partem generis humani viventem sine disciplina. Cumque hanc imaginem consideramus, addamus doctrinam Evangelii de gratuita remissione propter Christum, ut supra dictum est.

Ac vide ipsam imaginem: filius bis peccat, petit haereditatem ante tempus, cum viventis non sit haereditas, deinde eximit se patriae potestati, discedit, nec vult regi paternis monitis. Sic effrenes omnes invadunt haereditatem ante tempus, ingenii bona, et alias res, quas Deus dedit ut ipsi serviant, transferimus ad nos, et turpiter abutimur, mens non est domicilium Dei, corpus polluitur et fit organum diaboli, divitiae conferuntur in turpes voluptates.

Denique in summa cogita obscoenos homines, aut latrones ante conversionem, et expende quantum malum sit deficere a Deo, et donis Dei abuti in contumeliam Dei. Observa autem hic et grammaticam annotationem, ἐπιβάλλον μέρος. Appellatio est geometrica, et usitate significat partem proportionalem, apud Ptolemaeum, Aristotelem et Demosthenem.

Sed regulariter ac ut plurimum sequuntur poenae corporales in hac vita contemtum disciplinae, propter tres causas, propter iusticiam Dei, ad coërcendos homines, et ut vocemur ad poenitentiam. Hae tres causae saepe repetuntur in scripturis.

De prima dicitur in Decalogo: Ego Deus visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam et quartam generationem. De secunda in Psalmo: In chamo et freno maxillas eorum constringe. De tertia Esaiae 28.: Sola vexatio dat intellectum. Et Ieremiae 31.: Castigasti me Domine, et eruditus sum. Ita hic Prodigus postquam iam premitur calamitate, incipit causas et remedia cogitare, et ut textus ait, ad se rediens, dixit, id est, admonitus calamitate cogitavit de causis, et de remediis. Sed pauci sic ad se redeunt, Pharao, Saul, Nero, et alii multi oppressi calamitate, tamen fremunt adversus Deum, ruunt in blasphe-

mias, desperationes, et aeternum exitium. Sed qui redeunt ad patrem, hos quanta clementia excipiat, in hac imagine clarissime significatum est.

Basilius inquit de hoc ipso loco: Tantum velis, et Deus praeoccurrit. Ita hic pater procul accedentem conspicit, trepide et languide accedimus, et adferimus non merita, sed pollutam conscientiam, et magnas sordes. Quanquam autem tales sumus, tamen pater occurrit, modo accedamus, procul videt, id est, scit nostras miserias, curat nos, edit verbum, et vocat nos, afficitur misericordia, serio vult nos servare, ut Oseae 11. inquit: Conversum est in me cor meum, exarsit commiseratio, non faciam furorem irae meae.

Deinde occurrit, id est, nobis languentibus, ipse nos attrahit verbo et Spiritu sancto. Ut Apocal. 3. dicitur: Age poenitentiam, Ecce sto ad ostium, et pulso, si quis audierit vocem meam, ingrediar ad eum. Irruit in collum, complectitur nos, sustentat in dolore et poenis Davidem et similes. Extingueremur enim luctu et dolore, nisi a Deo adiuvaremur et servaremur. Denique dat osculum, id est, annunciat remissionem peccatorum, et nova luce et consolatione mitigat terrores et poenas. Econtra filius se patri subiicit, fatetur culpam, et agnoscit duplicem offensionem, scilicet, se Deo et patri contumacem fuisse. In hac agnitione et reconciliatione fit renovatio seu regeneratio.

Novus igitur hic ornatus describitur, vestis, annulus, calcei. Nam in conversione redditur Spiritus sanctus, ut Rom. 8. dicitur: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei. Annulus significat Evangelium et fidem, qua receptus agnoscit sibi restitui honorem filiifamilias, sibi reddi pristinam nobilitatem. Nam Evangelium testimonium est reconciliationis, et fides est apprehensio et applicatio, ut si annulo significetur applicatio honoris alicuius. Denique annulus est signum foederis alicuius. Iam autem hic reconciliatus, iterum foedus facit cum Deo, quod fit agnitione Evangelii et fide. Vestis significat bonam conscientiam universaliter. Calcei significant opera vocationis, in quibus lucere confessio maxime debet. Quantum decus est, quod Ethnicus aliquis prius ignarus Dei, postea conversus foedus facit cum hoc Deo, qui dato Evangelio, tanquam annulo, testatur hunc sibi adiunctum esse. Postquam igitur hunc annulum, id est, Evangelium accepit, nulla ei societas est cum Epicureis, nulla cum iis qui idola colunt, sed verum Deum invocat.

Ita primum discernitur annulo, id est, Evangelio et fide ab Ethnicis, videlicet ornatus iis virtutibus, in quibus consistit invocatio. Deinde veste discernitur, induit enim bonam conscientiam reconciliatus, quia dato Spiritu sancto incoantur caeterae virtutes, dilectio, castitas, veritas, etsi vivit inter Ethnicos, iniustos, periuros, obscoenos, tamen illos non imitatur, sed suae vestis, id est, suae conscientiae munditiem tuetur. Postremo et calceis discernitur, refert suam vocationem ad gloriam Dei, si est magistratus, defendit Evangelii ministerium, si est literatus, servire Ecclesiae in discendo et docendo Evangelio studet. Denique singulae vocationes aliqua in parte Ecclesiae servire possunt.

Et hunc triplicem ornatum diligenter meminerimus, ut enim prius illustris descriptio proposita est operum Dei erga nos, cum describitur pater occurrens. Ita hic summa totius novae vitae aptissime comprehensa est. Annulus significat Evangelium et fidem. Vestis bonam conscientiam. Calcei opera vocationis, in quibus lucere debet confessio. Convivium significat perpetuam laetitiam, et celebrationem seu commemorationem beneficiorum Dei in hac vita et aeterna.

Fit autem mentio mactati vituli, ut significetur mactatio Christi, cuius morte redemti sumus, et cuius vita nobis reddit iusticiam, Spiritum sanctum et vitam aeternam, et hoc redemtore vescimur, sicut Iohan. 6. dicitur, id est, iam fiducia ipsius accedimus ad Deum, et consolationem concipimus, vere nos vivificat, dat Spiritum sanctum, vere incoat vitam aeternam, qua glorificabimur.

Hactenus in hac longa descriptione reditus filii prodigi, dulcissima imago proposita est, quae nos ad poenitentiam hortatur, et testatur nos recipi, et causas et effectus erudite complectitur. Quare saepe et diligenter cogitanda est, ut nos ad poenitentiam et pietatem excitemus. Postea additur hypocritae obiurgatio. Hic iam ostendit disciplinam externam, quamvis supra laudata est, tamen non satisfacere legi Dei. Pulcra res et necessaria est morum moderatio, et diligentia vitandi scandala, et communi tranquillitati serviendi, sed in hypocritis magna sunt interiora vitia, scilicet persuasio propriae iusticiae, cum tamen

adsint dubitationes de Deo, multi viciosi affectus, arrogantia, admiratio sui, despectio aliorum imbecillium. invidia, cum crescere alios vident, ut Saul invidebat David, et hic frugalis filius aegre fert recipi prodigum, et sibi aequari. Nam hypocritae, quia arbitrantur se solos virtute antecellere, soli volunt regnare. At, vera dilectio gaudet revocari in viam eos qui aberraverant, tam optat salutem fratribus, quam sibi, laetatur exemplis clementiae et misericordiae, laetatur emendatione aliorum, et ut eorum sordes tegat, adiungit eos sibi etc.

Quod vero opponit ratio humana, Inaequalibus non dentur aequalia. Caiphas, et latro in cruce non sunt aequales: ergo non dentur eis aequalia. Respondeo ad minorem: Etsi Caiphas antecelluit disciplina, ac videtur melior altero, tamen Deus est scrutator cordium, ac videt, quantum sit pravarum opinionum, dubitationum, et viciosorum affectuum in Caipha. Non est igitur coram Deo melior latrone. Imo, quia sibi arrogat iusticiam, et tumet persuasione sanctitatis, quasi legi satisfaciat, haec ipsa superbia et fiducia sui ingens peccatum est, de quo dicitur Luc. 16.: Abominatio est coram Deo, quicquid altum est coram hominibus. Sed meminisse debebat alterum dictum: Dicite, servi inutiles sumus. Item: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Habet suam laudem et praemia disciplina, et necessaria est, sed tamen sciamus eam non satisfacere legi Dei, et manere in hominibus vitia, quae non sunt extenuanda, sed utrique agnoscant peccata, utrique misericordiam quaerant, ut fiat exaequatio coram Deo, Rom. 11.: Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur.

De quinto.
De remissione peccatorum, et novis donis.

In hac ipsa narratione imago dulcissima reconciliationis, et novorum donorum proponitur. Reconciliatio significatur, cum describitur, pater occurrens, amplectens filium, osculans, domum deducens, et nova dona, cum annulo, toga, calceis novis ornatur. Hanc imaginem supra enarravi.

Fingunt autem quidam electos habentes peccata contra conscientiam, tamen manere iustos, et retinere Spiritum sanctum. Hic error severissime refutandus est: ut enim Adam, quanquam erat electus, tamen post delectum amisit ingentem ornatum, quem habuit, videlicet imaginem Dei, in qua fulgebat Spiritus sanctus, et offendit Deum, ac fuisse iram non simulatam, poenae magnitudo ostendit. Ita sciamus vere Deum irasci lapsibus electorum, nec nos in tali loco de arcana electione disputemus, sed iudicemus de voluntate Dei iuxta expressum verbum Dei, quod et horribilium poenarum exemplis confirmatur.

Rom. 8.: Si secundum carnem vixeritis, moriemini. Item: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Galat. 5.: Currebatis bene, quis vos impedivit, ut non crederetis veritati? Item: Qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt. 1. Iohan. 3.: Qui facit iusticiam, iustus est, Qui facit peccatum, ex diabolo est. Apocal. 2.: Habeo contra te, quod dilectionem tuam, quam prius habebas, amisisti, momento igitur unde excideris, et age poenitentiam, et fac priora opera. 1. Timo. 1.: Finis mandati est dilectio, ex corde puro, conscientia bona, et fide non ficta. Ubicunque est fides, qua placemus Deo, ibi necesse est simul esse iusticiam bonae conscientiae.

Ac prorsus impossibile est haec duo simul esse, fiduciam quod Deo placeas, et contra conscientiam velle mandatum Dei violare, sicut clare dicitur a Paulo: Omne quod non est ex fide, peccatum est, id est, omnis actio damnata est, quam sciens et volens contra Deum facis, Haec non est ex fide, quia impossibile est contradictorias statuere, quod placeat Deo, et non placeat.

Quare sciamus iuxta hoc verbum Dei revelatum iudicandum esse, non placere Deo labentes contra conscientiam, idque poenae electorum testantur, Adam, David, Ezechias, et alii multi sancti, propter certos lapsus horribiliter puniti sunt. Qui hos lapsus extenuant, confirmant securitatem et negligentiam, et e regione obruunt doctrinam de contritione et veris doloribus in poenitentia: ideo hic error execrandus est. Tenerrima res est invocatio, et levissimo vulnere sauciata conscientia repellitur, ac fugit Deum. Ideo ut fides retineri possit, necesse est retinere iusticiam bonae conscientiae, ut 1. Iohan. 3. dicitur: Si cor nostrum non reprehendit nos, fiduciam habemus erga Deum etc.

Refutata hac amentia, etiam Novatianorum error taxandus est, tenenda est firmissima consolatio, quod lapsi agentes poenitentiam, et fide misericordiam propter Christum promissam apprehendentes, vere recipiantur a Deo, vere consequantur remissionem peccatorum, fiant heredes

vitae aeternae, ut Adam post lapsum, audita promissione, et David audita hac voce, Dominus abstulit peccatum tuum, vere recipiebantur in gratiam, vere iterum donabantur Spiritu sancto, iterum sentiebant in contritione, in invocatione, in consolatione, ardentes motus.

Sic de reconciliatione docet Christus Matth. 18.: Remittite septuagies septies. Et Ezech. 32.: Impietas impii non nocebit ei, quacunque die conversus fuerit ab impietate sua. Et Esaiae 1.: Si peccata vestra fuerint ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Et David sic precatur: Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Ne proiicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Redde mihi laetitiam salutaris tui, et spiritu spontaneo confirma me.

Hic donatio Spiritus sancti, et effectus diserte describuntur. Primum petit mundum cor, videlicet, deleto peccato. Primus enim affectus est Spiritus sancti, movere cor, ut de reconciliatione ac remissione peccati statuat, fac ut in me luceat fides, ut statuam deletum esse peccatum meum, ne te fugiam, sed rursus ad te tanquam patrem accedam, rursus te invocem.

Deinde spiritus rectus est firmus, scilicet non dubitans more academico, sed vere statuens Deum irasci peccato, ac rursus recipi credentem, rursus vere exaudiri, vere curae esse Deo. Spiritum sanctum vocat sanctificationem, hoc est, gubernationem in genere, qua mens Spiritu sancto regitur, accenditur ad agnitionem et invocationem Dei, et adiuvatur in omnibus negociis et periculis, et frenatur, ne ruat contra voluntatem Dei. Sicut Paulus generaliter dicit de gubernatione Spiritus sancti: Qui spiritu Dei ducuntur, hi sunt filii Dei.

Postremo loco de consolatione dicit: Redde mihi laetitiam salutaris tui, id est, qua tu salvas, ut Paulus inquit: Iustificati fide pacem habemus. Et spiritu spontaneo sustenta me, id est, adde mihi robur in corde, ne deficiam a te, fractus impatientia, mora aut desperatione, sed sit obedientia spontanea sequens te, te intuens, a te expectans consolationem, sicut in exilio David toleravit tristissimas poenas, nec fremuit adversus Deum, sed constanter perseveravit in invocatione et expectatione liberationis.

His dictis consolemur nos, et sciamus conversis reddi dona, sicut generaliter dicitur 1. Corinth. 6.: Et haec quidem fuistis, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis, nomine Domini Iesu et Spiritu sancto. Hic clare testatur, cum remissione peccatorum dari Spiritum sanctum. Haec dona petamus, et retinere studeamus.

De sexto.

Filius prodigus significat violatorem disciplinae, et ille dat poenas violatae disciplinae, sicut latro in cruce. Certum est enim disciplinae violationem a Deo puniri, sed tamen tanta est magnitudo misericordiae Dei, ut hos quanquam tetris flagitiis pollutos, tamen vocet ad poenitentiam, et conversos recipiat. Etsi autem magnum decus habent, qui retinent disciplinam, tamen hos quoque docet Deus non sine peccato esse. Habent enim interiora vitia multa, dubitationes de Deo, et multos errantes motus: ideo vult Deus hos quoque agnoscere suam infirmitatem, et ad mediatorem confugere.

Sed multi admiratione disciplinae immodica, cum audiunt ei detrahi laudem iusticiae coram Deo irasci Evangelio incipiunt. In his cumulantur peccata crescit arrogantia, et fiducia sui, quam Deus maxime detestatur, iuxta illud: Abominatio est coram Deo, quicquid sublime est in mundo, et accedit odium Evangelii.

His vitiis coecitas in eis confirmatur, ut Rom. 11. dicitur: Oculi eorum excaecentur ne videant. Ita nunc multi, cum Evangelium quasdam viciosas leges taxat, incenduntur odiis, nolunt enim conturbari praesentem Politiae formam, et praetexunt suae iracundiae studium tuendae disciplinae boni ordinis, queruntur labefactata autoritate legum, frenos laxari audaciae et petulantiae hominum, multos sibi propter exemplum sumere licentiam.

Nec prorsus inanis haec est querela, nam in dissensionibus publicis semper haec mala accidunt. Sed tamen omnes homines scire oportet, propter haec scandala non abiiciendum esse Evangelium, sed retinenda est vox Evangelii, vel si fractus illabatur orbis. Serit scandala multa diabolus, ut alienet imbecilles ab Evangelio, et confirmat odia hypocritica. Sed adversus has insidias munitos nos esse oportet tot concionibus et exemplis, quae de his scandalis Ecclesiam admonent, et retinere Evangelium praecipiunt. Nam primum mandatum anteferendum est omnibus rebus, paci publi-

cae, vitae nostrae, tranquillitati: Non habebis Deos alienos.

Dominica IIII. post Trinitatis.

Evangelium Lucae 6.

Estote ergo misericordes, sicut et pater vester misericors est. Nolite iudicare, et non iudicabimini. Nolite condemnare, et non condemnabimini. Dimittite, et dimittetur vobis. Date, et dabitur vobis. Mensuram bonam, confertam, et coagitatam et superfluentem dabunt in sinum vestrum. Eadem quippe mensura, quà mensi fueritis, remetientur vobis.

Dicebat autem illis similitudinem: Nunquid potest coecus coecum ducere? Nonne ambo in foveam cadunt? Non est discipulus supra magistrum suum: perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in proprio oculo non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine, eiiciam festucam de oculo tuo, et ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita, eiice primum trabem de oculo tuo, et tunc dispicies, ut eiicias festucam de oculo fratris tui.

Quatuor sunt praecipui loci.

I. Doctrina de bonis operibus.

II. Praecepta de quatuor officiis dilectionis, misericordia, non iudicando, remittendo, dando.

III. Promissiones et comminationes.

IIII. Vituperatio perverse iudicantium, non servantium regulam Proverb. 10. Iustus in principio est accusator sui, postea explorat proximum.

De primo.

Nota est vox Pauli: Fratres, debitores sumus, ne secundum carnem vivamus. Si secundum carnem vixeritis, moriemini: si spiritu carnem mortificabitis, vivetis. Item 1. Iohan. 3.: Nemo nos decipiat, qui facit peccatum, ex diabolo est. Haec dicta sint infixa animis, ut sciamus oportere in salvandis existere incoatam obedientiam, nec sine ea posse homines salvari, sed oportet fidem in Christum praecedere, et praelucere, et sciendum est, ita placere Deo incoatam obedientiam, cum reconciliati fide agnoscunt se non satisfacere legi. Et tamen incoant hanc obedientiam, et credunt eam placere propter pontificem Christum, postquam persona propter mediatorem Christum recepta est. Haec alias saepe dicta sunt, et semper in concionibus de bonis operibus haec summa repetenda est.

De secundo.

Praesens concio tradit doctrinam de bonis operibus, et quidem de certis officiis dilectionis, pertinentibus ad quintum praeceptum. Ac longa esset concio, si quis integre de his virtutibus dicturus esset. Sunt autem alia dicta hoc loco, aliis clariora. Praeceptum de dando utcunque intelligi potest, sed illa de non iudicando, et de perversitate iudiciorum, sunt obscuriora, et continent doctrinam necessariam, ad retinendam Ecclesiae pacem et concordiam. Dicam breviter de singulis.

Misericordia in genere est affici sensu alienae calamitatis, praesertim iniustae, et opitulari iniuste oppressis, pro vocatione. Item probabili ratione mitigare iustam calamitatem, et habet duos gradus. Misericordia est, quod opitulatur Constantinus Ecclesiae oppressae a tyrannis.

Alius gradus est ἐπιείκεια in poenis male meritorum, ut David post victoriam parcit civibus, qui fuerant seditiosi, et tamen iam redibant ad officium. De hac ἐπιεικείᾳ concionatur, cum inquit: Estote misericordes, sicut pater vester misericors est. Admonet nos quid meriti simus, insania est autem meritum easdem poenas insultare calamitoso. Porro omnes homines meriti sumus poenas, ideo non insultemus alii aliis, sed potius communi dolore leniamus. Item simus grati Deo, qui erga nos fuit misericors, ac liberavit nos, et vult nos suo exemplo erga alios misericordes esse. De hac ἐπιεικείᾳ in Iacobo dicitur: Misericordia sit supra iudicium, id est, rigorem, sed haec habet suas metas, ut alibi dicitur.

Nolite iudicare. Homo imperitus doctrinae Christianae offenditur hac voce, quia videtur politias tollere, sed Christus tantum de privatis iudiciis loquitur. Primum igitur sciendum est tria esse iudicia, quae non pertinent ad hunc locum. Ministerium Evangelii, quod iudicat et arguit peccata, sicut Paulus inquit: Admone, increpa, cum omni imperio. Item iudicia magistratum.

Item vituperatio, quae fit sanandi causa, aut aliorum admonendorum causa in flagitio manifesto, ut cum dico: Abstineas a consuetudine huius hominis, quia scio ebriosum esse, et recte dicit lex in ff.: Eum qui nocentem infamat non esse puniendum, quia expedit crimina nota fieri ut emendentur. Haec iudicia non sunt prohibita.

Quae igitur hic prohibet Christus? Respondeo, privata et calumniosa, scilicet, cum aut bonum factum, aut ambiguum, interpretamur in deteriorem partem, aut leve erratum malevolentia exaggeramus, non studemus sanare. Non intelligit vulgus imperitum, quam facile oriantur ingentes discordiae, et perturbationes regnorum ex talibus initiis, cum homines malevoli, suspicaces, cupidi vindictae, inter se certant odiis et calumniis, ut nunc usitatum est iudicare, hic sacerdos ducit uxorem, ergo est homo levis, non constanter retinens sui ordinis morem. Item, vidi alium familiarius loquentem cum meo inimico, ergo aliquid machinatur adversus me. Haec in vita latissime patent, et praesertim in gubernatione cient magnos tumultus. Ideo Christus de re maxima concionatur hoc loco, cum caeteris, tum vero maxime gubernatoribus, ut discant hos impetus frenare.

Remittite. Vicinum est hoc praeceptum proximo, non solum vitare calumniosa iudicia debemus, sed etiam illis male suspicantibus ignoscere, dissimulare eorum iniurias, non pugnare cum malevolis amarulente, sed potius eos sanare, si sunt sanabiles, aut parcere eis Reipub. causa. Sicut autem supra dixi de non iudicando, non prohiberi ministeria divinitus instituta, sed privata et calumniosa iudicia, ita hic de remissione sciatur, non praecipi de ministeriis, ne taxent, neve puniant delicta, quae verbo Dei et legibus puniuntur, sed praecipitur privata remissio, quae habet tres gradus.

Primus est, cum levibus iniuriis lacessiti, fingimus nos habere iustas causas, et aemulatione, vel ambitione, vel cupiditate vindictae incendimur, ut premamus adversarium. Hic praecipit Christus de remissione: nam ex talibus initiis magni tumultus, magna dissidia saepe in gubernatione oriuntur.

Secundus gradus est, cum veris causis lacessiti sumus, non tamen atrocibus, in his etiam ἐπιείκεια adhibenda est, ne omnes iniurias persequamur, ut cum David parcit civibus, semper enim potior est habenda ratio tuendae publicae tranquillitatis, quam privati doloris, et huc pertinent haec dicta: Remittite, et remittetur vobis. Universa delicta operit caritas, etc.

Tertius gradus est, quando sunt atroces iniuriae, ubi defensione magistratus opus est, aut alioqui pacis publicae causa coërcendi sunt iniusti impetus, recte confugitur ad officium magistratus, sed tamen accedat in animo remissio coram Deo, quae non impedit poenas.

Date. Hoc praeceptum facilius intelligi potest, complectitur autem duos gradus, dare debita, quae civili vel naturali obligatione debentur, et dare eleemosynas, quae divina obligatione debentur. Nam in utroque genere peccant homines. Magnae fraudes sunt contractuum, cum tamen Deus velit nos exercere obedientiam, in servanda aequalitate in contractibus. Deinde et de eleemosynis divina obligatio est, ut calamitosis, egentibus, et praecipue sociis eiusdem confessionis et fidei opitulemur. Hoc officium habet gradus et metas, ut Paulus inquit, Non ut aliis sit ignavum ocium, vobis afflictio. Item, Fontes tui deriventur foras, tu autem dominus illorum maneto.

De tertio.

Comminationes et promissiones additas intueamur, ut timorem et fidem excitemus. Estque summa comminationum et promissionum in hoc dicto: Qua mensura mensi fueritis, eadem reddetur et vobis, et quidem textus ait, fore ut cumulate reddatur, ut Constantius, etsi fuit ethnicus, tamen quia erat misericors, nec saeviit in Christianos, non est excussus ex imperio. Diocletianus etsi fuit sapiens princeps, tamen tandem sibi ipsi mortem conscivit, metu Constantini.

Et universaliter meminerimus poenam talionis ordinationem divinam esse, quam Deus regulariter servet, etiamsi humana iudicia eam negligunt, aut homines eam non considerant. Ideo et vetustissimae leges religiose sanxerunt poenam talionis, ut ex Moise apparet, ut in versu Radamanthi: Si patitur quae fecit, poena est iusta putanda. Nam primi patres hanc Dei ordinationem diligenter proposuerunt populo, ut commonefacerent homines de timore Dei, et hinc multa dicta sumta sunt: Qui gladium acceperit, gladio

peribit. Item: Vae qui praedaris, quia et tu spoliaberis.

Primum ergo comminationes nos hortentur ad timorem Dei, et sciamus de poenis praesentibus et futuris dici. Secundo promissiones etiam loquuntur de futuris praemiis, sicut clare dicit Paulus 1. Timoth. 6.: Pietas habet promissiones praesentis vitae et futurae. Et Christus inquit: Recipiet centuplum in hac vita, et post hanc vitam, vitam aeternam.

Iam hic discamus exercere fidem. Corporales promissiones traditae sunt, ut fides exerceatur simul in quaerenda reconciliatione coram Deo, et in expectatione auxilii corporalis. Quare semper addamus promissionibus corporalibus initio promissionem praecipuam Evangelii, de remissione peccatorum. David expectat victoriam a Deo, sed prius sentit sibi Deum propicium esse. Ita vult vos Deus fidem exercere dupliciter. Primum crede tibi Deum propicium esse propter Filium, deinde obtempera et expecta ab eo auxilium, da pauperi, et expecta vicissim Deum tibi daturum esse victum, pacem, et alia bona. 2. Corinth. 9. Davidi multi in regno insidiantur. Iam si more tyrannorum omnes suspectos tollere vellet, non esset finis grassandi. Quid igitur agit. Primum credit se habere Deum propicium. Deinde diligenter facit officium suum. Tertio expectat a Deo defensionem magno et tranquillo animo, nec movetur suspicionibus, ut saevitiam exerceat. Hoc exemplum singuli ad suam vocationem accommodare possunt, quia nulla quamvis humilis vocatio est sine periculis. Et diligenter haec exercitia fidei consideremus: plurimum enim in vita peccant summi ac infimi hac diffidentia, quod non expectantes a Deo auxilium, quaerunt inconcessa praesidia, alii aliter.

De quarto.

Parabola de trabe in oculo, et festuca, est illustris pictura et reprehensio humanorum iudiciorum de Ecclesia. Naturaliter mundus calumniose iudicat de Ecclesia, alias sine ulla causa, alias calumniose exaggerans causas, ut nunc, si sacerdos ducat uxorem, quam abhorrent hypocritae cum nullam prorsus causam habeant, imo rem iustam vituperent. Deinde si quando peccant homines pii infirmitate aliqua, ut sunt etiam multi lapsus piorum, et multa scandala, quanta exultatio et ἐπιχαιρεκακία, qui sarcasmi apud impios? Sicut dicitur in Salomone: Fons conturbatus est iustus lapsus coram impio. Interim ipsi impii habent longe maiora peccata, idololatriam, blasphemias, homicidia, libidinum maculas, rapinas. Nam his vitiis omnibus manifeste pollutus est status pontificius, et contaminant se defensores societate horum scelerum.

Traditur ergo praeceptum Proverb. 10. de ordine iudicii, quod singulos ad poenitentiam hortatur. Iustus in principio accusator est sui, postea explorat proximum. Caeterum et communis est omnium hominum morbus φιλαυτία, nostris moribus favemus, nobis ignoscimus, nostra vitia aut non videmus, aut levia ducimus, aliena diligentius contuemur, et censuram de eis acerbiorem agimus.

Haec iniusta inaequalitas multis sententiis vituperata est, quae semper in conspectu nobis esse debent, ut tanquam his frenis mentes et linguas regamus, ne de aliis temere iudicent, sed ut nostra vitia agnoscamus et emendemus. Sunt autem hae sententiae: Nosce teipsum. Tecum habita, et noris quam sit tibi curta supellex. Thales interrogatus, quid sit difficile? Respondit, seipsum nosse. Rursus interrogatus, quid facile? respondit, reprehendere alios. Idem et in Apologo de duabus manticis significatum est, vitia aliorum gerimus in priore mantica, nostra gerimus in altera, quae in tergo pendet.

Hae sententiae omnes referantur ad dictum Salomonis: Iustus initio accusator est sui. Postea explorat alium. Item, ad hanc Parabolam de festuca, ut sciamus etiam divinitus prohiberi hanc curiositatem, petulantiam et perversitatem iudiciorum.

Ideo autem tam multa de hoc vitio dicuntur, quia non solum inaequalitas per sese est iniusta, sed etiam causa est saepe publicarum discordiarum, maxime cum vitia gubernatorum traducuntur. Nam est hic morbus communis est hominum, aegre ferre imperia, et haec semper aliqua habent incommoda et vitia, ac boni gubernatores saepe etiam peccant, ut dicitur: ὁ πολλὰ πράττων, πολλὰ καὶ ἁμαρτάνει.

Hic cogitandum est, cur imperia fiant difficiliora, ac praecipua causa est, quia populi mores ruunt in deterius. Crescunt in populo luxus, licentia, petulantia, ideo sinit Deus imperia exasperari. Crevit servitus crescentibus peccatis

mundi, ut indicat statua visa regi in somno apud Danielem. Et Salomon inquit: Propter peccata populi crebrae sunt mutationes regum. Feramus igitur imperiorum asperitatem, et agnoscamus poenam esse nostrorum peccatorum, nec maledicamus ipsis gubernatoribus, sed cogitemus haec dicta: Non iudicate. Ipsi viderint qui sunt in officio iudicandi, ab ipsis Deus rationes reposcet, non arrogemus nobis alienum officium. Item, sciamus nostra aequitate leniri multas publicas difficultates. Ideo scriptum est: Remittite, et remittetur vobis. Item: Christus lavans discipulis pedes, significat non exulcerandos esse aliorum naevos, sed tegendos, aut suaviter abluendos. Et Petrus inquit: Universa delicta operit dilectio, significans aliena delicta tegenda esse inter homines, et arte sananda.

Denique multa praecipiuntur, praesertim a Christo et Apostolis de hac virtute, quae vocatur *ἐπιείκεια*, quae est nutrix publicae concordiae, et in Ecclesia maxime necessaria. Sed tamen haec omnia intelligantur de tolerandis moribus sanabilibus hominum, non de approbandis erroribus, de quibus teneatur regula: Si quis aliud Evangelium docuerit, anathema sit. Item: Qui confitetur me coram hominibus, confitebor eum coram patre meo, etc.

Dominica V. post Trinitatis.

Evangelium Lucae 5.

Factum est autem cum turba irrueret ad eum, ut audiret verbum Dei, et ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et vidit duas naves stantes secus stagnum: piscatores autem descenderant ex illis, ac lavabant retia. Ascendens autem in unam navim, quae erat Simonis, rogavit eum ut a terra reduceret pusillum. Et sedens docebat de navi turbas.

Ut cessavit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, et laxate retia vestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi: Praeceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete. Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam: rumpebatur autem rete eorum, et innuerunt sociis, qui erant in alia navi, ut venirent et adiuvarent se. Et venerunt, et impleverunt ambas naves, ita ut mergerentur.

Videns autem Simon Petrus, procidit ad genua Iesu, dicens: Exi a me Domine, quia vir peccator sum. Pavor enim circumdederat eum, et omnes qui cum illo erant, super captura piscium quam coeperant. Similiter autem et Iacobum et Iohannem filios Zebedaei, qui erant socii Simonis. Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, posthac homines eris capiens. Et subductis ad terram navibus, relictis omnibus secuti sunt eum.

Duo sunt praecipui loci.

I. Exemplum exercitii fidei in rebus corporalibus.

II. Exemplum exercitii fidei in terroribus spiritualibus.

Prior locus de bonis corporalibus docet, de dicto Christi: Primum quaerite regnum Dei et iusticiam eius, et caetera adiicientur vobis. Praecipit enim, ut prima nobis cura sit de verbo Dei, eiusque ministerio conservando, ita futurum, ut Deus defendat nos, suppeditet nobis ea, quae ad victum et ad hanc vitam necessaria sunt, etiamsi id non fiat sine nostro labore, et sine aliquibus difficultatibus.

Haec consolatio necessaria est in Ecclesia, quam videmus egere, et affligi in mundo. Ministri tantum non fame pereunt, propterea deseritur ministerium, et quisque pro se de victu parando cogitat. Hic erigendus est animus hac promissione, quod quaerentibus regnum Dei caetera omnia adiiciantur. Id si quis velit extendere, ire potest etiam per alia genera vocationum: quaelibet enim vocatio sua habet pericula, quae premunt et fatigant homines. Ibi primum quaerendum est regnum Dei, id est, curandum est, ut ex verbo discamus de bona voluntate Dei erga nos, ut fide ad eum confugiamus in omni vita, in omnibus periculis. Deinde, ut in sua quisque vocatione, quae quidem habet mandatum Dei, serviat Deo, faciat suum officium ad Dei gloriam, et utilitatem Ecclesiae et Reipub. Reliqua Deo committat, illa enim ultro se Deus adiecturum esse promittit. Quales sunt multae sententiae scripturae, ut: Iacta cogitatum tuum in Dominum, et ipse te enutriet. Item: Revela Domino viam tuam, et ipse faciet etc.

Hae sententiae utrunque docent, et quod sine fide ac invocatione nostri labores sint infelices, et etiamsi in nostra vocatione multa accidunt adversa, tamen animos excitandos esse fiducia Christi, et sciendum ipsum nobis adfuturum esse, et daturum, ne labor noster sit irritus, et sine fructu.

Alter locus est de doctrina spirituali, id est, de remissione peccatorum. Nam illud prius corporale beneficium, nunc Petro fit sacramentum. Intelligit divinitus sibi contigisse hoc beneficium, et hunc dominum esse missum a Deo, habentem potentiam divinam, iustum, bonum etc. Haec agnitio parit in eo novos motus, primum traducit eum ad agnitionem sui, videt se esse peccatorem indignum tanto beneficio: non enim fit deterior aut securior ut alioqui successus reddunt homines insolentiores, sed existit in eius animo primum contrito, id est, terror ex conspectu suae indignitatis, et sensu iudicii Dei seu irae adversus peccatum, a quo non posset liberari, nisi revocaretur voce Christi, qui iubet eum confidere, id est, statuere quod recipiatur a Deo, et habeat remissionem peccatorum, et addit tanquam signum, quo testetur se vere illum recipere vocatum ad societatem ministerii Evangelii.

Ita Petrus territus magnitudine beneficii, et iudicans se indignum esse praesentia Domini, et tam immenso et repentino bono, quod videbat sibi non ex labore suo, sed Domini beneficio contigisse, exemplo est, quo quisque modo sit affectus, etiam cum experitur Deum non iratum, sed misericordem esse. Nam mens humana sive iram Dei metuit, sive misericordiam videt, tamen quantum in ipsa est, utrunque refugit. Haeret enim in omnium animis haec cogitatio, quod poenam meriti simus, misericordia vero indigni simus, Hic necesse est nos sicut Petrum, revocari voce Christi: Ne metuas, quasi dicat, Ideo quia tu es peccator, et terreris tua indignitate, volo te in mea misericordia et bonitate spem habere, et acquiescere. Confide igitur, et non tantum in hac re meum beneficium senties, sed faciam te piscatorem hominum, hoc est, Apostolum et doctorem in regno meo, longe alium, quam hactenus fuere doctores in populo Dei.

Allegoria utriusque loci plurimum habet suavitatis de Ecclesia. Haec cum quaerat regnum Dei, etiamsi eget in mundo, tamen sustentatur in mediis afflictionibus, duratque perpetuo, cum interim impii cum sua potentia, suis opibus pereant. Alter locus ad hanc allegoriam transferri potest, quod ministerium Evangelii sit piscatio non ociosa, sed magni laboris et multae molestiae. Quam vero frugiferum sit ministerium, et quam diu duraturus labor ministerii, non cernitur. Sicut enim pisces in reti sub aqua latent, ita Ecclesia in hac vita latet obruta afflictionibus, et infirmitate omnis generis. Ad extremum vero postquam rete ex aqua extractum fuerit, apparebit fructus uberior omnium opinione, ut ingens sit omnium futura admiratio. Proponitur item consolatio adversus scandalum, quod multi deficiunt ab Evangelio, et relabuntur ad errores. Nam etsi aliqui, ut pisces rupto reti, excidunt, tamen in reliquis efficax est ministerium, multi servantur et manent in societate membrorum Ecclesiae et confessione purae doctrinae Evangelii.

Dominica VI. post Trinitatis.

Evangelium Matthaei 5.

Nisi abundaverit iusticia vestra plus quam Scribarum et Pharisaeorum non intrabitis in regnum coelorum.

*Audistis quia dictum est antiquis: **Non occides**, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis: Quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo, racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennae ignis.*

Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque munus tuum ante altare, et vade prius, reconciliare fratri tuo, et tunc veniens offeras munus tuum.

Esto consentiens adversario tuo cito, dum es in via cum eo, ne forte tradat te adversarius iudici, et iudex tradat te ministro, et in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exibis inde, donec reddas novissimum quadrantem.

Octo sunt praecipui loci.

I. Necessitas iusticiae operum.

II. Discrimen iusticiae carnis et spiritualis.

III. Quinque rebus abundat iusticia spiritualis supra rationalem. 1. Ponitentia. 2. Fide. 3. Novitate spiritus. 4. Successibus in vocatione. 5. Victoriis adversus diabolum.
IIII. Quod lex requirat perfectam obedientiam.
V. Quomodo placeat haec obedientia incoata et imperfecta.
VI. De vindicta.
VII. Quod ceremoniae non prosint, si contra conscientiam violes praecepta moralia.
VIII. De odio et de reconciliatione.

De primo.

Testimonium manifestum est, quod oporteat adesse iusticiam operum, quia supra dicit: Non veni solvere legem, et hic requirit iusticiam maiorem Scribarum, ergo requiritur hic iusticia bonae conscientiae, et amplius. Huc pertinent, et haec dicta: Nolite errare, adulteri, fornicatores, homicidae, non possidebunt regnum Dei.

De secundo.

Extare in Ecclesia necesse est discrimen disciplinae rationalis, quae vocatur iusticia carnis, et iusticiae spiritualis. Disciplina est ratione coërcere membra, ne admittant externa facta contra legem Dei, etiamsi cor est sine vero timore Dei, sine poenitentia, sine fide, plenum dubitationum. Hanc disciplinam tradebant Pharisaei, et putabant esse legis impletionem et iusticiam coram Deo. Nec reprehendit Christus disciplinam, sed errores, quos addebant Pharisaei, et immunditiem interiorem.

De tertio.

Diligenter observandum est, quibus rebus abundet iusticia spiritualis. Primum poenitentia: necesse est enim in corde veros pavores existere ex agnitione irae Dei adversus peccatum, et agnoscat cor non tantum externa delicta esse peccata, sed etiam dubitationes de Deo, securitatem, diffidentiam, quaerere humana praesidia ex diffidentia et neglectione Dei. Item multiplices errantes motus, et perpetuam naturae humanae contumaciam contra legem Dei.

Secundo abundat iusticia spiritualis, fide, id est, fiducia misericordiae promissae propter Christum, qua fide accipitur reconciliatio, et fit vera invocatio. Nam ubi haec fides non praelucet, nulla est invocatio.

Tertio abundat novitate spiritus, id est, incoata obedientia interiore, timore Dei, fide, dilectione, invocatione, patientia, castitate, amore veritatis, misericordia erga alios, iuxta illud: Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.

Quarto, successibus abundat in vocatione, David fide munitus res salutares et utiles gerit. Saul quia sine fide est, non audet dimicare, quaerit consilia magica, et multa negocia propter diffidentiam corrumpit, sicut de impiis dicitur: Contritio et infelicitas in viis eorum. Econtra de fideli dicitur: Quicquid faciet prosperabitur, videlicet in vocatione.

Postremo abundat iusticia fidei, quia multipliciter vincit insidias diaboli, cum hypocritae horribiliter succumbant et evertantur. Succubuit diabolo Saul, victus odio et cupiditate vindictae, ut interficeret sacerdotes. Succubuit Iudas, succumbunt multi dementati pravis opinionibus, ut Anabaptistae. De talibus certaminibus inquit Petrus: Circumit diabolus tanquam leo rugiens, quaerens quem devoret. Diligenter igitur considerentur hi gradus, quibus abundat iusticia spiritualis supra disciplinam rationalem.

De quarto.

Hic clarum testimonium extat, quod lex Dei requirat, non tantum externam disciplinam, sed perfectam obedientiam interiorem et exteriorem. Sicut Paulus docet 2. Corinth. 3. Sed multi non intelligentes hanc praedicationem poenitentiae, fingunt hic tantum stoicas quasdam hyperbolas tradi. Cur inquiunt, praecipit Christus, quae nemo praestare potest, an, ut stoici monstrat imaginem virtutis ociosam?

Sed sciendum est, haec Christi dicta non esse hyperbolas, nec stoico more dici, sed esse veras et proprias sententias iudicii Dei adversus peccatum haerens in natura hominis. Et principalis causa est, cur hae conciones proponantur, ut ira Dei adversus nostram immunditiem agnoscatur, et quod disciplina externa non sit impletio legis, non tollat peccatum, non sit iusticia coram Deo, sed quod sit opus mediatore Messia.

De quinto.

Oportet autem incoari obedientiam in corde, et existere motus assentientes legi Dei, timorem,

fidem, dilectionem Dei, patientiam, ideo dictum est: Nisi abundaverit etc., ut David non ardet cupiditate vindictae, ut Saul, et tamen ne David quidem satisfacit legi Dei, agnoscit se habere alios viciosos affectus, agnoscit etiam naturae depravationem: nam interdum oriuntur flammae odii adversus Saulem, quas tamen spiritu iterum extinguit.

Quaestio est igitur, quomodo placeat haec imperfecta obedientia? Respondeo: Tria requiruntur ad hoc, ut placeat imperfecta obedientia. Primum statuendum est, personam fide reconciliationem accipere debere, propter mediatorem. Secundo agnoscendum est nos habere peccata, et non satisfacere legi Dei, ut David inquit: Non intres in iudicium cum servo tuo. Item: Tibi tantum sum peccatum, ut iustificeris in sermonibus tuis. Tertio statuendum est, quod tamen Deus requirat incoatam obedientiam, et ad hanc incoandam det Spiritum sanctum, et in his qui sunt reconciliati fide recipiat etiam hos cultus, propter mediatorem, et condonet id quod deest, ut Petrus inquit: Offerte hostias placentes Deo propter Iesum Christum.

De sexto.

Cum autem dicitur, manere peccatum in sanctis, et tamen requiri incoatam obedientiam, quaeritur, quae peccata sint in sanctis reliqua, quae vero excutiant gratiam, et perturbent Spiritum sanctum? Respondeo, manent in sanctis peccatum originis, et pravi affectus, sed ita ut repugnent sancti his malis. Sed si assentiantur contra conscientiam, et indulgeant, ac non repugnent, amittitur gratia, conturbatur, et eiicitur Spiritus sanctus, ut in Saule peccata mortalia sunt, non solum externae iniuriae contra Davidem, sed etiam odium ipsum internum, cui indulget et assentitur.

Addidit igitur Christus hic concionem de odio, cui indulgetur contra conscientiam, id iubet deponi, et iubet redire in gratiam. Cum enim inquit: Si recordatus fueris, quod frater tuus aliquid adversum te habeat, facit mentionem affectus contra conscientiam haerentis, hunc vult deponi, etiamsi morbus naturalis non potest deponi.

De septimo.

Multae sunt sententiae de vindicta, quae prudenter discernendae sunt. Aliae enim loquuntur de officio magistratus, quod non est prohibitum, imo exercetur mandato Dei. Aliae loquuntur de privata vindicta, quae prohibita est. Est autem acerrimus motus, praesertim in excellentibus naturis cupiditas vindictae, ut dicitur. At vindicta bonum est, et vita dulcius ipsa, et saepe perturbat Respub. et Ecclesias. Ac arbitror ideo fieri mentionem oblationis in hac ipsa materia, quia ex cupiditate vindictae maxima existunt certamina in Ecclesia. Praemonet igitur Christus ut offeramus, id est, ut faciamus officia ecclesiastica sine odiis, sine cupiditate vindictae. Simul etiam docet hic locus, ceremonias non prodesse istis, qui habent mentes contaminatas peccatis contra conscientiam, videlicet violatione moralium, sicut alibi dicitur: Circumcisio prodest, si legem observes.

De octavo.

Monet etiam textus, a quo reconciliatio incoanda sit. Quia textus inquit: Si recordatus fueris, quod frater tuus habeat aliquid adversum te etc. Quia laesus habet causam adversus laedentem, incoët ergo reconciliationem is qui laesit. Sed etiamsi is durior est, quam ut flecti sese ad sanitatem velit, tamen laesus non debet alere odium, ut, etiamsi Saul non petebat veniam, tamen David non oderat eum, non indulsit privatae cupiditati vindictae, sed servavit regulam: Remittite, et remittetur vobis. Hanc saepe non observant irritati levibus iniuriis, compensant eas vindicta multo atrociore, quam fuerat iniuria, qua ipsi affecti sunt, imo etiam privatis contentionibus miscent publica negocia.

Hoc malum diligenter considerandum et cavendum est, ne ruamus contra voluntatem Dei, et nostra impatientia et cupiditate vindictae noceamus Ecclesiae vel Reipub. Sed potius obliviscamur iniurias, et sanemus, sicut Christus commonefacit nos lavans pedes Apostolis, et addens praeceptum: Diligite invicem, et sicut ego feci, ita vos faciatis. Nam lotio pedum propriissime significat illam sanationem offensionum et erratorum, vel iniuriarum.

Dominica VII. post Trinitatis.

Evangelium Marci 8.

In diebus illis, cum turba admodum multa esset, nec haberent quod manducarent, vo-

catis ad se Iesus discipulis suis, ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo manent apud me, et non habent quod manducent, et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via. Quidam enim ex eis de longe venerunt.

Et responderunt ei discipuli sui: Unde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine? Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Illi autem dixerunt: Septem. Et praecepit turbae discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit, deditque discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt turbae. Et habebant pisciculos paucos, et benedixit, ac iussit apponi et hos, manducaverunt autem et saturati sunt, et sustulerunt quod supererat de fragmentis, septem sportas. Erant autem, qui manducaverant, quasi quatuor millia, et dimisit eos.

Sex sunt praecipui loci.

I. Differentia promissionum de rebus aeternis, et de rebus praesentibus.
II. Quod semper promissioni corporali addenda sit doctrina de cruce.
III. Cur sint traditae promissiones de rebus praesentibus.
IIII. Quo ordine sint petendae.
V. Quomodo fides exercenda sit, in petitione corporalium bonorum.
VI. Applicatio huius historiae.

De primo.

Certum est, Evangelium principaliter tradere promissionem de rebus aeternis, videlicet, quod Filius Dei sit victima pro genere humano, et quod agenti poenitentiam, et credenti propter ipsum certo det Deus remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, et vitam aeternam: econtra contemnentes Evangelium certo abiiciat in aeternas poenas.

Hanc revelationem voluntatis divinae depromtam ex sinu aeterni patris de rebus aeternis, sciamus praecipuam Evangelii vocem esse, sicut Christus inquit Iohan. 6.: Haec est voluntas patris, ut omnis qui credit in Filium, habeat vitam aeternam. Hanc doctrinam de rebus aeternis primum amplectamur, postea sciamus etiam promissiones additas esse Evangelio, de rebus praesentibus, ut Matth. 6.: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. 1. Tim. 4.: Pietas ad omnia utilis est, promissiones habens praesentis vitae et futurae. Marci 10.: Qui reliquerit domum propter me et propter Evangelium, recipiet centuplum in tempore hoc, cum tribulatione, et in futuro vitam aeternam. Huc addantur multae promissiones ex Psalmis. Psal. 36.: In diebus famis saturabuntur. Item: Non vidi iustum derelictum, nec semen eius quaerens panem. 32.: Ut alat eos in fame. 33.: Non est inopia timentibus eum. 54.: Iacta super Dominum curam tuam, et ipse te enutriet. 111.: Beatus vir qui timet Dominum, opes et divitiae in domo eius. Tales sententias multas prodest in conspectu habere, ut nos erudiant et consolentur, ut postea dicam. Primum ergo meminerimus esse haec duo genera promissionum.

De secundo.

Sed dicat aliquis: His largis promissionibus non videntur eventus respondere, magna imperia, magnae opes plerunque sunt apud impios. Apostoli vagantur ut errones, mendici, et plerunque pii doctores esuriunt, sunt in odio, trucidantur, et vulgare dictum est: Probitas laudatur et alget. Item: Exeat aula, qui vult esse pius. Imo manifestum est, Ecclesiam subiectam esse cruci et sine praesidiis humanis esse. Ac vere nobis accidit, quod de se ac de universo grege suo dixit Christus: Filius hominis non habet ubi reclinet caput.

Ad haec omnia respondeo: Etsi totum genus humanum obnoxium est morti et multis ingentibus calamitatibus, tamen certo consilio Dei magis premitur Ecclesia, videlicet, ut agnoscamus iram Dei adversus peccata, et sciamus servari Ecclesiam divinitus. Et tamen vult Deus in hac vita esse aliquam suam Ecclesiam, non vult totum genus humanum perire, sed aliquem esse florem, aliquem coetum, a quo agnoscatur, invocetur et celebretur, ut Amos 3.: Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, sic eruentur filii Israël.

Mandavit igitur credi articulum: Credo Ecclesiam catholicam, id est, credo aliquem esse populum Dei, amplectentem verbum traditum per Prophetas et Apostolos, cui catholica Ecclesia testimonium perhibet, et credo talem aliquem

coetum semper mansurum esse, sicut dixit: Ero vobiscum usque ad consummationem seculi etc.

Semper igitur haec duo coniungi necesse est, doctrinam de cruce, et de consolatione. Verum est Ecclesiam subiectam esse cruci, ut Christus inquit: Qui vult me sequi, tollat crucem suam. Et Ieremiae 12.: Dedi dilectam animam meam in manus inimicorum eius. Et tamen cum velit Deus manere Ecclesiam, quae tamen sine praesidiis humanis est, ipse proponit consolationes amplissimas et dulcissimas, de defensione, de victu, de pace, de successibus in nostris functionibus, ecclesiasticis, politicis, oeconomicis.

Et intelligamus promissiones, ut sonant, nec affingamus corruptelas et ineptas interpretationes, ut multi inepti in precatione usitata, panem nostrum quotidianum, vetant intelligi panem corporalem, imo de corporali pane, de defensione huius vitae, et de gubernatione loquitur, et quidem suppeditat haec bona Deus, et largitur iuxta suas promissiones.

Cur igitur non respondent eventus? Imo respondent, Ac primum de toto corpore Ecclesiae intelligantur promissiones, Ut in mari rubro, sic inter mundi tyrannides, et furores diaboli, assidue Deus Ecclesiam servat in hac vita. Perspicuum est igitur de toto corpore Ecclesiae ratas esse promissiones. Semper enim servatur Ecclesia, et nos in precationibus nostris, primum pro toto corpore petamus, et certo statuamus eam precationem non esse irritam.

De tertio.

Cur promissiones corporales traditae sint. Prima causa haec est: Mens humana sine luce fidei cogitat, aut casu ditescere homines, ut Pythium ex venis metallicis, aut industria, seu iusta seu iniusta, nec firmiter statuit aliquo Dei opere nobis offerri, defendi et augeri facultates. Videt enim multos crescere peculatu, et variis fraudibus, ut Crassum.

Etsi autem sinit Deus grassari fures et praedones publice et privatim aliquandiu, tamen tandem excutit eos ex fortunis, ut testetur se non negligere facultatum administrationes, aut acquisitiones, ideo dictum est: Vae qui praedaris, quia vicissim spoliaberis. Et ab experientia dictum illud ortum est: Male partum, male disperit. Et Pythium illum divitem fame periisse dicunt, et quam miserabilis fuerit exitus Crassi, legatur in eius historia,

Rursus etiam tradidit Deus promissiones iustis, ut vere statuant haec bona non obiici casu, nec parari tantum humana industria. Quanquam enim Deus vult laborare omnes, ut quemque iubet vocatio, et vult labore honesto res parari et retineri, non vult profusionibus dissipari, sicut dicitur in Salomone, Substantiam tuam ne des crudeli: tamen interim vult nos scire, hanc diligentiam solam non adferre facultates. Sicut agricolae labor solus non gignit fruges, sed quia Deus foecundat terram, proveniunt, et sicuti exercitus labor non solum parit victoriam, sed necesse est accedere auxilium divinum, sicuti dicitur: Fallax equus ad salutem est. Ita quia Deus fideliter servienti in vocatione favet, facultates sua bonitate provehit.

In hanc sententiam dicit Salomon: Benedictio Domini divites facit. Et David 1. Reg. 17. Sciat universa Ecclesia haec, quod non in gladio salvat Dominus, ipsius est enim bellum. Ideo et interdum exempla proponit, ubi sine causis secundis auget res, ut pavit viduam Sareptanam, pavit populum in deserto, dedit Isaac centuplum, cum in aliis agris non proveniret tantum. Et sunt quotidiana exempla in familiis piis, quae experiuntur sibi divinitus offerri accessiones, aut certe defendi suas res, etiamsi aliqua detrimenta, iacturae et aerumnae interveniunt. Nam ut dictum est: Ecclesia simul subiecta est cruci.

Haec infigenda sunt animo, ut discamus articulum de Creatione, credamus facultates Dei beneficia esse, ut vere possimus a Deo petere panem quotidianum. Nam qui non credunt Dei munera haec esse, ociose haec verba recitant, et Deum contumelia adficiunt. Iam cogitemus quam pauci pie recitant haec verba: Panem quotidianum da nobis hodie. Nam alius fingit, Deo haec non esse curae, alius cogitat se indignum ease, sibi certe non dari haec munera a Deo, denique magnae sunt tenebrae in animis, quas per verbum Dei tolli oportet.

Altera causa est, cur hae promissiones traditae sint. Cum Deus velit in hac vita semper aliquam esse suam Ecclesiam, opus est corpori victu, hospitio, defensione, politiis, pace aliqua, ut educari soboles, et coli studia possint. Ideo et addidit has promissiones, et haec beneficia praestat Deus, sed mirabiliter. Semper gras-

satur diabolus adversus Ecclesiam, et sunt assidui tumultus in mundo, quibus humani generis peccata assidua horribiliter puniuntur, inter hos tumultus servat Deus Ecclesiam suam, ut stantem in mari rubro servabat. Et manet corpus, etiamsi aliqua membra trucidantur, ut manet Davidis exercitus, etiamsi aliqui milites praeliantes interficiuntur, quia ut toties dictum est, adhuc subiecta est cruci Ecclesia.

Magnam igitur consolationem proponunt nobis hae promissiones. Angimur in tantis tumultibus imperiorum, de sede Ecclesiae, de studiis: etsi autem alia tempora aliis sunt tranquilliora et feliciora, tamen sciamus, sedem Ecclesiae et studiorum Deo curae futurum esse, ubicunque erit, ut in Esaia dicitur: In utero meo portamini. Senescentem Ecclesiam portabo. Item: Etiamsi mater obliviscerentur filii sui, ego non obliviscar tui, pugillo manus meae complectar te. Has consolationes saepe nobis proponamus, ut bona cum spe propagemus doctrinam, et fide petamus haec bona a Deo.

Tertia igitur causa est, cur hae promissiones traditae sint, ut sint exercitia fidei et invocationis: vult Deus se agnosci per invocationem. Ideo multa proposuit, quae nos de invocatione admoneant. Tradidit promissiones gratiae, et beneficiorum corporalium, et vitae aeternae, vult nos ad se confugere, etiam cum a tota rerum natura deserti et proiecti videmur. Sicut David inquit: Pater et mater dereliquit me, Dominus autem suscepit me.

De quarto.

Quo ordine sint petendae.

Ordo in dicto Christi clare propositus est: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Prima sit cura, ut Deo obediamus, celebremus eum vera discendo et docendo. Imo etiam primum petamus, ut accendat in nobis veram lucem Spiritu sancto suo propter Christum, sicut praecipitur: Petite, et accipietis. Si homines possunt bona dare hominibus, quanto magis pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus?

Sic et David precatur: Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me.

Sic et Salomon laudatur, quod primum petivit sapientiam, et additur: Ideo etiam divitias dabo.

Et Proverb. 30. ostenditur ordo: Duo rogavi te, vanitatem et mendacium longe depelle a me. Mendacitatem et divitias ne dederis mihi. Et causas recitat, cur mediocritatem optat. Quia opulenti facilius indulgent pravis cupiditatibus, et inter voluptates obliviscuntur Dei, et paulatim langius ruunt. Sicut Ezech. 16. dicitur: Haec fuit iniquitas Sodomae, superbia, saturitas panis, abundantia, ocium, et manum egenti non porrigebant. Ideo elevati sunt, et fecerunt abominationes. Et noti sunt versiculi:

Luxuriant animi rebus plerunque secundis,
Nec facile est aequa commoda mente pati.

Item:

Pectora dum gaudent, nec sunt abstricta dolore
Ipsa patent, blanda tunc subit arte Venus.

Ideo Salomon non petit opulentiam, sed tamen petit necessaria victui, ut textus loquitur, ne furta aut periuria committam. Nam ut opulentia alit voluptates, sic econtra, egestas multos impellit ad malas artes.

Haec pericula prospiciant honestae mentes in utraque parte, ut petant a Deo necessaria, sed ordine, ut dictum est. Sciant item, cum hac petitione facultatum postulari laborem honestum, iuxta vocationem, sicut saepe praecipitur, 1. Thes. 4.: Adhortamur vos, ut in hac re excellatis, et ambitiose hoc agatis, videlicet retinere tranquillitatem, et facere proprium officium, et laborare manibus vestris. Haec brevis sententia plena est politicae sapientiae, et diligenter consideranda. Nam omnibus civitatibus maxime periculosa sunt ingenia inquieta et πολυπραγμονικά. Ut multi sunt, qui quia habent ingenia inquieta, multa regere conantur, et condunt multas novas ordinationes, deinde nec manent intra metas sui officii, et attingunt aliena. Sic Alcibiades et Demosthenes everterunt Athenas. Tantum enim ideo moverunt non necessarios tumultus, quia habebant naturas inquietas. Ideo praecipit Paulus, ut simus quieti, non turbulenti, id est, nihil nisi necessaria moveamus, nihil extra vocationem tentemus. Seneca recitat ex Catone dictum: Emas non quod opus est, sed quod necesse est. Idem in negociis servetur. Non solum quid prosit aut opus sit spectemus, sed quid necesse sit moveri. Et apud Thucydiden dicitur, oportere esse amantem tranquillitatis, et tunc cum necesse est aliquid gerere acrem, non turbulentum in movendo, et in agendo segnem.

Haec de labore simul cogitanda sunt, quoties petimus corporalia, quia ignavia peccatum est. Et quale monstrum est homo, qui tantum inutile pondus est terrae, nihil confert operarum ad Dei noticiam propagandam, aut caeteras bonas res in vita tuendas et ornandas. Imo ad Titum nominatim praecipitur, ut discamus utilia vitae. Interim vero sciamus, Deum ita benedicere labori, cum addimus invocationem, sicut Lucae 5. dicitur: In verbo tuo laxabo rete. Et Psal. 33.: Iste pauper clamavit ad Dominum, et Dominus exaudivit eum. Item: Petite, et accipietis.

De quinto.

Quomodo sit exercenda fides in petitione corporalium. Hic praecipuus locus est in hac doctrina de promissionibus. Primum autem sciendum est, semper petitioni corporalium oportet praelucere fidem, qua credimus nos propter Christum recipi et exaudiri. Imo ut haec fides in nobis accendatur et crescat, ideo tam variae externae occasiones, actiones, pericula, adflictiones propositae sunt. Sciamus ergo primam et summam promissionem de mediatore, et de reconciliatione, semper simul complectendam esse. Ideo cum citantur dicta de fide, etiamsi externa obiecta variant, tamen omnia simul complectuntur hanc fidem de reconciliatione. Abraham, Iacob, David ideo petunt et expectant a Deo defensionem, quia credunt se receptos esse, et exaudiri a Deo propter promissum Dominum.

Quotidie igitur cum ad mensam recitas haec verba, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quia mox obstrepit infirmitas nostra, Deus te indignum non exaudit, te non vult defensum aut alitum. Hic intuenda est promissio de Christo, et complectenda fides, quod propter mediatorem recipiamur et exaudiamur. Ideo mox sequitur: Et remitte nobis debita nostra.

Semper igitur in conspectu sit haec sententia: Per Christum habemus accessum ad patrem, ideo necesse est semper praelucere hanc fidem de remissione peccatorum propter Christum. Postea fides illa tria cogitet, quae supra recensui, Deum vella a se peti bona corporis. Primum, Ut credamus ea dari divinitus, non putemus obiici casu. Secundo, Quia vult servari Ecclesiam in hac vita, dat victum, defensionem, hospitia mirabiliter etc. Tertio, Vult agnosci ac coli Deus hac invocatione, ideo multas res proposuit, quas peti vult, vult et confirmari fidem, petitione corporalium. Nam qui non audet petere corporalia, et iam dubitat de praesentia Dei, cum deserimur ab omnibus creaturis? Esaiae 57.: Habitans cum contrito et humili spiritu, ut vivificet spiritum humilium, et cor contritorum. Confirmatur etiam fides, cum experientia ostendit non fuisse irritam precationem, ut in Psalmo dicitur: Iste pauper clamavit ad Dominum, et Dominus exaudivit eum. Postremo vult etiam Deus gratiarum actione coli propter liberationes, ut dulcissime dicitur 2. Cor. 1., ubi Paulus iubet multos pro se petere, ut multi agant gratias etc.

Hic ordo et hae causae omnes cogitandae sunt, cum petimus corporalia. Et satis magna pericula sunt, publica et privata, quae admonent nos ut haec cogitemus. Cum Ecclesia staret in mari rubro, certe cogitandum fuit primum Moisi, an Deo placeret, et cur placeret, scilicet propter promissum Dominum. Deinde vidit reipsa salutem corporum a Deo dari, cogitavit Deum in hac vita velle servare Ecclesiam, cogitavit item Deum velle in nobis crescere agnitionem in invocatione, inter talia pericula et miracula.

Semper autem Ecclesia versatur in periculis ingentibus, pene ut stans in mari rubro: iam Turcica arma in eam grassantur, et aliae multae difficultates domesticae singulos exercent. Nulli certa sedes est, vita multorum piorum periclitatur: admoniti ergo publicis et nostris periculis, petamus auxilium et defensionem, illo ordine, ut dictum est, et causas illas cogitemus, ut fides exerceatur. Deinde vero etiam consecuti beneficia, gratias agamus, et maiori studio in omni officio declaremus gratitudinem.

Sed hic obiicit humana imbecillitas, Quid attinet petere, cum sciamus oportere nos adfligi? sicut scriptum est, Corpus autem subiectum est morti propter peccatum. Item, manifestum est saepissime non liberari ex praesentibus calamitatibus sanctos, ut Ionathan, Maccabaeum, et alios. Et Christus dicit: Veruntamen non mea voluntas, sed tua. Cum igitur debeamus offerre obedientiam, quid prodest petitio, et quidem cum dubitatione?

Respondeo. Tenenda est regula firmissime, quod Deus mandaverit et postulet invocationem, et quod nunquam sit inanis aut irrita invocatio piorum, etiamsi liberatio differtur, aut non ita respondent eventus, ut nos imaginamur, et non

est nostrum praescribere Deo modum opitulandi, sed nos ad obedientiam obligati sumus, sicut Christus inquit: Tua voluntas fiat etc. Sed maxima pars hominum, quia non videt subito eventus precationis, somniat invocationem inane murmur esse. Huic impiae imaginationi acerrime repugnandum est, et pellendae sunt hae tenebrae collectis promissionibus: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Item: Petite, et accipietis etc.

Deinde sciamus semper duo obiecta includenda esse in petitionem corporalium, universam Ecclesiam, et privatam necessitatem. Petitio pii semper impetrat universae Ecclesiae, et ita fides statuat ratam esse hanc petitionem, et non dubitet recipi petitionem a Deo pro universa Ecclesia. Ita David orans pro exercitu, primum petit non pro se privatim, sed pro coetu, quia scimus Deum dare bona corporalia, ut in hac vita Ecclesia servetur.

Privatim vero pro nobis petere debemus, cum hac conditione, ut nos ad obedientiam offeramus, sicut se offert Christus. Ita David et petit, et paratus est ad obedientiam. Quia scit in talibus periculis Deum velle aliquos obedire, et tamen quia servatur exercitus, multa membra servari necesse est, et caeteris mitigatur malum.

Sic Ieremiae precatio proderat primum populo, etsi non sciebat quos et quomodo servaturus esset Deus, deinde et ipsi proderat, et tamen ipse ad obedientiam paratus erat, et sciebat Deum servare suos ministros, donec curriculum absolvant, et dare aliis aliud curriculum. Elias circiter viginti annos docuit. Elisaeus circiter septuaginta. Esaias circiter octaginta. Ieremias quadraginta annis usque ad excidium Ierosolymae, et postea aliquandiu in Aegypto reliquiis suorum praefuit, donec ab Aprye tyranno interfectus est. Daniel docuit amplius septuaginta annis. Iohannes Baptista biennio. Christus triennio. Paulus triginta quinque annis. Iohannes Apostolus sexaginta octo annis, Iacobus frater Iohannis triennio post ascensionem Christi. Iacobus minor annis triginta, interfectus aliquanto ante obsidionem Ierosolymae. Timotheus sub Nerone interfectus dicitur. Titi senectus recitatur, tempus praedicationis non certo scitur, sed dicunt mortuum esse anno aetatis suae nonagesimo quarto. Polycarpus interfectus est anno aetatis suae octuagesimo sexto, qui adolescens fuerat auditor Iohannis Evangelistae. Auditor Polycarpi Irenaeus sub Maximiano interfectus est Syrmii, vixit igitur annos interim circiter octoginta. Haec dissimilitudo observanda est, ut sciamus Deum alia certamina, et alia spacia aliis praescripsisse, et tamen consideremus aliquibus prorogatam esse vitam, ut pii testes et propagatores doctrinae superstites essent.

David petens defensionem dulcissima figura utitur: Absconde me in tabernaculo tuo, id est, in Ecclesia tua. Hic simul complectitur petitionem pro aliis, et causam, Defende me cum Ecclesia tua, et propter Ecclesiam. Nam ideo tantum corporalia bona promissa sunt, ut serviant Ecclesiae, ideo defensio petitur, ut servire Ecclesiae et nostris liberis possimus. Et quia Deus pro toto corpore vult peti, sciamus semper hanc petitionem ratam esse, et toti corpori aliquid boni impetrare. Etsi autem singuli ad obedientiam parati esse debemus, tamen et singulis saepe impetratur liberatio, et cum coetus aliquis servatur, multos servari necesse est.

Excitemus ergo nos ad petenda bona corporalia collectis causis, quia Deus praecipit ea peti pro nobis et pro aliis, vult intelligi publicas et privatas calamitates poenas esse peccatorum mundi: ideo vult nos veniam petere, et affici cura nostrae et communis salutis, vult crescere his exercitiis, fidem, timorem, et dilectionem.

De sexto.

Applicatio historiae Marci 8.

Quod Christus pascit auditores suos, ostenditur exemplum promissionis: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Hac fide sequamur Christum, simus fideles in studio et propagatione Evangelii, et expectemus a Filio Dei auxilium, victum, et defensionem. Quod vero iubet Apostolos proponere, et colligere reliquias, monent gubernatores Ecclesiae, ut curent eleemosynas dari, et sciant non minui, sed augeri facultates eleemosynis. Tecte et doctrinam significat, hanc proponant doctores, et colligant reliquias, curent propagari veras enarrationes, ne doctrinae lux extinguatur ad posteros, et hoc studio ipsi doctores fiunt eruditiores.

Sportae vero significant literas et scholas, in quibus doctrinam custodiri necesse est.

Dominica VIII. post Trinitatis.

Evangelium Matthaei 7.

Attendite autem a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona fructus bonos facit. mala autem arbor malos fructus facit, Non potest arbor mala bonos fructus facere, neque arbor bona malos fructus facere. Omnis arbor, quae non facit fructum bonum, exciditur et in ignem mittitur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in coelis est. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, Nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo daemonia eiecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos. Discedite a me qui operamini iniquitatem.

Continet hic textus admodum gravem doctrinam, et necessariam Ecclesiae.

Sunt autem *duo* praecipui loci.

I. Quod iudicium de doctrina sit universale, et ad omnes pios pertineat.

II. Quomodo agnoscendi sint falsi doctores et fructibus.

De primo.

Mandatum Christi, cum iubet cavere pseudoprophetas, neminem excludit, Ergo iudicium de doctrina ad universam Ecclesiam, et singula eius membra pertinet. Hinc facile est respondere ad usitatum argumentum adversariorum.

Discedens ab ordinariis in Ecclesia potestatibus, peccat.

Lutherani, quos illi sic vocant, discedunt ab ordinaria potestate ecclesiastica, Ergo etc. Respondeo primum ad maiorem: Discedens ab ordinaria potestate ecclesiastica, scilicet sine mandato Dei. Deinde ad maiorem: Lutherani discedunt, sed faciunt hoc mandato Christi coacti, quo iubentur sibi cavere a pseudoprophetis. Sed hic diligenter videndum est, ne praetextu huius mandati concedatur *δημοκρατία* in Ecclesia, quo statu nihil nocentius excogitari potest. Tenendum igitur illud est, Christi mandatum esse universale, et nisi hoc statuatur, illico sequi tyrannidem necesse est. Sed addenda est circumstantia, ut illud iudicium non deerret a vera et propria sententia Scripturae. Ita ut sine sophistica intelligatur, ex qua omnes haereses oriuntur.

Quare et recte iudicetur, necesse est teneri regulam, hoc est, certam et veram sententiam scripturae de singulis articulis doctrinae, quae clare et perspicue ex scriptis Prophetarum et Apostolorum ostendi potest, esse propria et perpetua sententia, collatis integris et non mutilatis scriptis. Quaerantur etiam testimonia Ecclesiae post Apostolos, praesertim in iis scriptoribus, quos constat esse puriores, ut constet de perpetuo consensu catholicae Ecclesiae Christi, nec aliquod novum dogma sine testimoniis in Ecclesiam invehatur. Huc accedat et pia communicatio, conferant inter se pii de doctrina, et audiantur etiam aliorum peritiorum sententiae, et hi benigne et candide suam sententiam exponant, et vicissim etiam alios comiter audiant. Talis sit consensus piorum, qui pio studio quaerentes veritatem, et cum timore Dei, secundum scripturam, pronuncient.

Hoc concilium audiatur, non audiantur illi, qui tantum, ut in deliberationibus politicis, vel de sententia aliquorum qui praesunt, seu autoritate ordinariae potestatis, vel ex suffragiis multitudinis aut maioris partis, decerni volunt. Imo hoc loco traditur expressum mandatum, ne assentiamur ulli dogmati, non congruenti cum doctrina clare et certo in scriptura tradita a Prophetis, Christo et Apostolis: Cavete a Pseudoprophetis, et ad Gal. 1.: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Sicut in populo Israël, necesse fuit Ieremiam, Simeonem, Zachariam, et alios pios dissentire a pontificibus, Pharisaeis et Saducaeis, qui praetextu et autoritate ordinariae potestatis errores defendebant.

Deinde si quando occurrunt loca seu sententiae quae videntur esse pugnantes, adhibenda est prudentia ex eadem regula, teneatur certa et perpetua sententia scripturae. Deinde facienda est collatio textuum, et retinenda sunt ea, quae cum universa scriptura conveniunt, ut cum scriptum sit: Mihi vindictam, et ego retribuam. Item:

Non vindicabis. Ex aliis locis manifestis scripturae excipienda est vindicta publica, quae est ipsa vindicta divina. Sic scriptum est: Quos Deus coniunxit, homo non separet. Et tamen Christus in alio loco excipit casum fornicationis.

Postremo, cum iubet Christus cavere a pseudoprophetis, hoc ipso etiam adhiberi vult diligentem inquisitionem, et prohibet temeritatem in iudicando. Debet igitur fieri communicatio de doctrina cum aliis piis, et inquisitio veritatis, qua inventa, ille credere debet, qui audit magis consentanea scripturae ab alio offerri, iuxta illud Pauli: Si fuerit revelatum sedenti, taceat prior. Illa vero concertatio, qua suam quisque sententiam ex invidia, aut ambitione defendit pertinaciter, non fit propter inquisitionem veritatis. Ergo non est propria piorum.

De secundo.

Christus iubet falsos Prophetas ex ipsorum fructibus agnosci: sunt autem fructus duplices, malum dogma, et mali mores. Semper enim habent haeretici manifestim aliquod impium dogma, quod impossibile est cadere in Ecclesiam. Etsi enim singuli errare et labi possunt, qui sunt in Ecclesia, tamen ab universo coetu Ecclesiae impossibile est manifeste impium dogma defendi. Tali igitur manifesto aliquo impio dogmate deprehenso, hinc faciendum est iudicium de caeteris, ut apud Papistas manifeste impii errores inveniuntur, de invocatione Sanctorum, de Missa applicanda pro vivis et mortuis, et quidem ex opere operato, et alii quam plurimi. Apud Anabaptistas manifeste impia et fanatica sunt, quod tollunt omnia civilia et politica officia.

Talia cum impossibile sit in vera Ecclesia defendi, facile hinc colligi potest Anabaptistas esse pseudoprophetas, et non pertinere ad Ecclesiam, et hoc ipso manifeste se produnt, et palam convinci possunt. Sic cum negant infantes baptizandos esse, necesse est eos ponere hanc hypothesin, quod infantes non habeant peccatum, cum tamen necesse sit fateri, quod Christus etiam pro infantibus sit passus. Ita uno impio dogmate deprehenso, necesse est postea plures errores sequi. Sicut enim in Musica una aliqua chorda dissonante, tota harmonia turbatur, ita in doctrina unus aliquis error discrepans a fundamento, perturbat omnia. Nam ut semper verum vero consonant, ita falsum plurima errata secum trahit, ut qui semel a recta via deflexit, eum necesse est, quo longius progreditur, eo magis ac magis deerrare.

Haec breviter dicta sunt de fructibus, qui sunt in ipsa doctrina pseudoprophetarum, videlicet, cum defenditur aliquod manifeste impium dogma. Postea sunt et alii fructus in vita et moribus, cum adduntur erroribus manifesta peccata, ut cum Anabaptistae invadunt in aliorum res et bona, praetextu doctrinae, sicut Monasterienses et alii dicebant se habere mandatum, ut delerent omnes impios magistratus. Item, quod contra ius et fidem coniugiorum, abiiciunt, reducunt uxores quas volunt. Sic Papa praetextu doctrinae ad se rapuit imperia.

Talia peccata quae fiunt praetextu doctrinae etiam sunt peculiares notae mali spiritus.

Dominica IX. post Trinitatis.

Evangelium Lucae 16.

Dicebat autem et ad discipulos suos: Homo quidam erat dives, qui habebat dispensatorem, et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius. Et vocavit illum et ait illi: Quid hoc audio de te? Redde rationem dispensationis tuae, ultra enim non poteris dispensare. Ait autem dispensator intra se, Quid faciam, quia dominus meus aufert a me dispensationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, ut cum amotus fuero a dispensatione, recipiant me in domos suas.

Et convocatis singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes Domino meo? At ille dixit, Centum batos olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, et sedens cito scribe quinquaginta. Deinde alteri dixit: Tu vero quantum debes? Ille autem ait, Centum coros tritici. Et ait illi: Accipe cautionem tuam, et scribe octoginta. Et laudavit dominus dispensatorem iniusticiae, quod prudenter fecisset, quia filii huius seculi prudentiores filiis lucis, in generatione sua sunt. Et ego dico vobis: Facite vobis amicos de Mammona iniusticiae, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula.

Quinque sunt praecipui loci.

I. Reprehensio negligentiae rerum aeternarum, et impiae securitatis, cum sit mirifica solicitudo et diligentia quaerendi corporalia.

II. Mandatum de bono usu divitiarum.

III. Iubetne de iniuste partis dare eleemosynas? aut si de iuste partis dandae sunt, cur hae vocantur iniustae: Mammon iniustus.

IIII. De praemiis boni usus divitiarum, quae significat, cum inquit: Recipient vos in aeterna tabernacula.

V. Collatio donorum, et usus. Bonus usus meretur maiora dona, sicut alias dicitur: Habenti dabitur, abusus meretur poenas, iuxta illud: A non habente etiam id quod habet auferetur.

De primo.

Quotidiana omnium experientia testatur, quam vehementer angantur animi cura victus, quanta incurrant homines certamina de suis commoditatibus, cum sit simplex via proposita, labor et invocatio Dei. Sed multi eos labores, quibus essent idonei, negligunt, et quadam superbia appetunt functiones superiores, pauciores vero expectant a Deo auxilium, ideo multi egent, et cum egestatem ferre non possint, solicitudine ac dolore tabescunt, aut confugiunt ad malas artes, assentationes aulicas, fraudes, furta, iniustas negociationes. Item, tantus dolor est leviter labefactata opinione, ut multi mortem sibi consciscant, ut Aiax. Etsi autem tanta est rerum corporalium cura, tamen interim mens in hac corruptione naturae non angitur de gloria Dei, de iudicio Dei, de nostris peccatis, de vita aeterna. Non videt quid sit peccatum et ira Dei, sed dormit quendam horribilem veternum.

Hanc securitatem et negligentiam hic figurate significat Christus, proponens imaginem Oeconomi: estque in ipsa appellatione Oeconomi proposita significatio magnae rei, quasi dicat Christus, Vos homines estis oeconomi Dei, vobis administratio rerum aeternarum commendata est, hanc totam prorsus negligitis. Porro, haec ipsa securitas descripta est in prima concione in Genesi: Peccatum tuum quiescet, donec revelabitur, id est, Mundus securus contemnet peccatum, non sentiet irasci Deum, donec illa ira reveletur in poenis huius vitae et aeternae, ut Nero severissime ridet Deum, donec rapitur ad poenas.

Quod igitur laudatur diligentia Oeconomi, sciamus non laudari diligentiam in furto, sed proponi collationem, in qua non necesse est omnia similia esse, et admoneri nos alterius cuiusdam oeconomiae rerum aeternarum, et turpissimae negligentiae, quam committimus in ea oeconomia.

De secundo.

Praeceptum clare mandat, ut recte utamur facultatibus, cum iubet facere amicos Christum et sanctos de divitiis. De hoc legitimo usu alias saepe dicitur, quod videlicet utendum sit divitiis ad propriam necessitatem. Deinde ad iuvandos Evangelii ministros. Tertio ad Rempubl. Quarto ad pauperes vere egentes, et praesertim ad membra Christi. Et nota est regula: Fontes tui deriventur foras, et tu Dominus maneto, et nota sunt exempla Abdiae, qui pavit Prophetas in spelunca, et viduae Sareptanae etc. Et lex ipsa monstravit hunc ordinem, iussit dari primitias et decimas sacerdotibus, ad conservationem ministerii. Item conferri siclum ad tabernaculum. Item, dabantur quintae regibus, erant relinquenda spicilegia pro pauperibus.

De tertio.

Esaias inquit detestari Deum victimas ex iniuste partis oblatas. Esaiae 6.: Ego Dominus diligens iudicium, et odio habens rapinam in holocaustum. Nequaquam igitur hoc vult Christus, dandas esse eleemosynas ex iniuste partis. Sed loquitur Christus de divitiis sanctorum. Has quoque vocat Mammonam iniustum, non quod sint iniuste partae, non quod contra conscientiam occupatae sint, sed propter abusus multiplices, qui in hac infirmitate humani generis sequi solet ut in aulis, quantum est abusuum in facultatibus, quam multae inanes profusiones?

Denique haec corrupta natura in nullo praecepto Dei servat ordinem, ut magna est ἀταξία in amore parentum erga liberos, et rursus maior ἀταξία in amore liberorum erga parentes. Magna ἀταξία est consuetudine coniugali, ita multo maior ἀταξία est in usu divitiarum.

Sed haec infirmitas condonatur piis, qui iuste partis bona conscientia mediocriter fruuntur et mediocriter inde alios iuvant, nec accersun sibi insignes abusus contra conscientiam. Intelligamus igitur vocari iniustum Mammona, etiam sanctorum facultates, quia etiam sancti retinent

aliquos abusus, propter infirmitatem huius corruptae naturae, quam sequitur multiplex ἀταξία contra omnia praecepta.

De quarto.

Promissio addita est praecepto de veris eleemosynis, ut alibi: Date, et dabitur vobis. Ita hic: Facite vobis amicos de Mammona iniusto, ut recipiant vos in aeterna tabernacula. Hic concurrunt duae quaestiones. Num sancti recipiunt? et num propter opera nostra recipimur? Explicatio facilima est piis. Duae συνεκδοχαὶ sunt. Sancti recipiunt, id est, Christus et Ecclesia. Christus tanquam redemtor et donator salutis. Ecclesia tanquam testis, celebrans datum beneficium per hunc liberatorem, et agens gratias Deo remuneranti. Ut Christus recipit Constantinum, qui defendit Ecclesiam, recipiunt et sancti, videlicet testificantes de hac defensione, agentes Deo gratias, et quod defenderit Ecclesiam per istum, et quod vicissim hunc aeterna gloria ornet. Econtra, Christus damnat Diocletianum saevientem, damnat eum et Ecclesia suo testimonio, praedicans iustum iudicium Christi.

Ita coniungentur vox Christi et vox Ecclesiae, quia gloria sanctorum conspicietur ab universa Ecclesia, et cum facta sanctorum in hac vita sunt spreta aut damnata, intueamur totum illud iudicium Christi, Angelorum, et Ecclesiae, et sciamus in illo iudicio revelandas esse nostras voluntates, et futurum, ut recte facta aeterna voce Dei, Christi, Angelorum, et Ecclesiae probentur et celebrentur.

Venio ad secundam συνεκδοχὴν, an recipiamur propter nostra opera. Brevis est responsio, in omnibus concionibus de bonis operibus, necesse est complecti fidem praelucentem et credentem, quod haec obedientia placeat propter mediatorem, iuxta illud: Per quem habemus accessum ad Deum. Deinde aeterna tabernacula intelligantur tabernacula Ecclesiae, in hac vita et post hanc vitam, et fatendum est haec officia sanctorum mereri ingentia praemia, in hac vita, et post hanc vitam.

Sareptana mulier excipiens Eliam, recipiebatur ab eo in aeterna tabernacula, id est, primum in Ecclesiam adducta est voce et ministerio Prophetae, a quo didicit doctrinam de vero cultu Dei. Deinde mulieri credenti et pascenti Prophetam, Deus propter hanc pietatem, et propter Prophetam multipliciter benedicit, dat incrementum fidei, victum in tanta difficultate annonae, filii mortui resuscitationem. Denique mulier socia est bonorum, quae Deus passim Ecclesiae impertit. Sic Onesiphorus recipiens Paulum recipitur in aeterna tabernacula, id est, consequitur agnitionem Evangelii, et quia iuvat Paulum, et alios pios, vicissim a Deo defenditur.

Ita semper qui sincero affectu iuvant Ecclesias, recipiuntur in aeterna tabernacula, id est, consequuntur agnitionem Evangelii, et vicissim iuvantur, reguntur et defenduntur a Deo. Nec dubium est propter Ecclesias servari aliquas civitates seu politias, quia oportet aliquod esse quasi diversorium Ecclesiae, sicut inquit Esaias: Reges erunt nutritores tui, et reginae nutrices: ibique hospites pii fruuntur societate bonorum praesentium et aeternorum, sicut navigantes cum Paulo servantur, et navis tantisper servatur, donec functa est suo officio, et verum est, pia officia mereri praemia in hac vita, et post hanc vitam, sicut Christus inquit: Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.

De quinto.

Utilis regula in fine addita est. Fidelis in parvo, erit in magno fidelis. Hoc dictum utroque modo intelligatur de debito et de praemiis. Debitum est, ut in qualibet vocatione, sive parva, sive magna agnoscamus officium esse divinum, et in timore et fide administremus. David in vocatione militis agnoscit officium esse divinum, et propter Deum recte administrat: ergo multo magis postea regiam vocationem intelligit officium esse divinum.

Sed mundus diverso modo iudicat, leviora negligentius agit, sicut vulgo milites abutuntur militia ad barbaricam licentiam, cum requirat Deus, ut agnoscamus ab ipso regi et iudicari summas et imas vocationes. Ergo in hoc dicto praecipitur, ut voluntatem Dei consideremus.

Secundo, de praemiis etiam intelligatur dictum: Habenti dabitur, et a non habente etiam quod habet auferetur. Qui bene utitur donis Dei, meretur incrementa, ut Augustinus dixit: Dilectio meretur incrementum dilectionis, videlicet si exerceatur.

Dominica X. post Trinitatis.

Evangelium Lucae 19.

Et ut appropinquavit, videns civitatem, flevit super illam, dicens: Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia venient dies super te, et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumcingent te, et coangustabunt te undique, et solo aequabunt te, et filios tuos in te: et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.

Et ingressus in templum, coepit eiicere vendentes in illo et ementes, dicens illis: Scriptum est, Domus mea domus orationis est, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, et scribae, et primores plebis, quaerebant illum perdere, et non inveniebant quid facerent. Omnis enim populus suspensus erat audiens illum.

Quatuor sunt loci.

Praecipuus locus est comminatio poenarum, quae omnibus hostibus et contemtoribus Evangelii impendent. Hic conferantur ab initio mundi horribilia exempla, quibus Deus iram suam adversus peccatum declaravit. Et vicissim consideretur altissima securitas humanarum mentium, quae tam horribilibus exemplis nihil movetur, poena Adae, diluvio, conflagratione Sodomae, Pharaonis exitio, dissipatione regni Israël, crebris excidiis Ierosolymae, eversione omnium monarchiarum, et omnium magnarum urbium.

Horum exemplorum cogitatione excitemus animos, et recordemur, quam foede trucidati sint homines, necati infantes et senes, mulieres contumeliae affectae et occisae. Quoties etiam fame perierit multitudo, quoties in obsidionibus decimatae sint legiones in cibum, cum exercitus humanis carnibus vesceretur. Tanta autem coecitas est, ut haec putentur casu accidere, sicut hic inquit Christus: Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Et Ieremias increpat eos, qui negant Dei consilio accidere poenas, Threno. 3.: Quis est qui dicit haec fieri, Domino non iubente? Et Sophoniae 1.: Visitabo defixos in fecibus suis, qui dicunt, Nec bene nec male faciet Dominus. Hanc coecitatem agnoscamus, et corrigamus, et cogitemus nobis etiam impendere poenas, et quidem iudicium a domo Dei incipit.

De secundo.

Dolor et lacrimae Christi sunt testimonium veri et non simulati amoris erga nos. Sed humana coecitas cum iram propositis tam terribilibus exemplis negligat, multo minus agnoscit amorem Dei. Sed eluctemur ex tantis tenebris, et utrumque agnoscamus, et inter aerumnas diligi nos statuamus, quia punit nón ut perdat, sed ut revocet ad poenitentiam, vel exerceat, sicut inquit: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, etc.

De tertio.

Christus eiicit ementes et vendentes ex templo. Praecipuum peccatum est idolatria, sed haec ubicunque regnat, ibi necesse est sequi horrenda scelera, et tyrannides, cum talis status vere sit regnum diaboli. Sicut exempla omnium gentium testantur, ubi aucta et cumulata idololatria secuta sunt immanissima scelera, foedissimae libidines, ut in Aegypto, Syria, Graecia, et inde extiterunt bella et mutationes exitiales.

Sed quaeritur, cum Christus eiecerit ementes et vendentes, an liceat aliis concionatoribus vi pellere idolatricos sacrificulos? Respondeo: Christus eiicit motu singulari, sicut Petrus Ananiam occidit, non est stipatus cohorte, non nititur praesidiis humanis. Quicquid autem fit tali motu divino seu heroico, Dei opus est. Significatum est autem, et postremis temporibus regnaturos esse in Ecclesia tales mercatores opum et dignitatum ecclesiasticarum, qui eiiciuntur e regno suo divinitus, et propter quos mundus dabit poenas impiorum cultuum.

De quarto.

Domus mea domus orationis est. In hoc dicto breviter et significanter totum regimen ecclesiasticum, et verus cultus describitur. Nam cum nominat orationem, correlative addenda est doctrina Evangelii. Nam sine promissionibus et fide nulla existit oratio. Et constituatur antithesis: Vos putatis hanc domum conditam esse sacrificiorum causa, ad augendas opes vestras, et utrunque depravatis, regimen et cultum, vobis quaeritis opes et regnum, et sacrificia putatis esse cultum. Ego contra clamito, regimen esse recte

docere, et unicum cultum et proprium, in fide et bona conscientia invocare Deum.

Iam ut haec publice dè domo Dei et ministerio dicuntur, ita unusquisque ad se ipsum transferat, singuli sciamus nos esse domum Dei. Sic autem erimus, cum in nobis sonabit vera doctrina, et invocatio in fide et bona conscientia. Et hortetur nos hoc dictum ad invocandum et orandum, quia testatur hunc esse proprium cultum populi Dei et domus Dei, quem Deus maxime flagitet.

Dominica XI. post Trinitatis.

Evangelium Lucae 18.

Dixit autem et ad quosdam, qui in se ipsos confidebant quod essent iusti, et aspernabantur caeteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus Pharisaeus, et alter Publicanus. Pharisaeus stans haec apud se orabat: Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut caeteri homines, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus: ieiuno his in Sabbato, decimas do omnium quae possideo. Et Publicanus a longe stans, nolebat neque oculos ad coelum levare, sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propicius esto mihi peccatori. Dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam prae illo. Quia omnis qui seipsum exaltat, humiliabitur: qui autem seipsum humiliat, exaltabitur.

Duo sunt exempla.

In altero damnat Christus fiduciam propriae iusticiae.

In altero proponit imaginem verae iusticiae.

Prior imago proponit hominem securum, sine poenitentia, sine timore Dei, sine fide, et sine invocatione. Interea tamen is habet opera legis, et haec putat esse iusticiam, propter haec arbitratur sibi Deum debitorem esse. Ideo non invocat, hoc est, non petit a Deo veniam, aut alia bona.

Secundo. Sed cur agit gratias, cum gratiarum actio sit verus cultus? Respondeo: Haec gratiarum actio est simulata, qualis est impiorum divitum, qui, cum affluunt opes, etiam imitantur verba gratiarum actionis, et tamen reipsa non sentiunt opes esse donum Dei, sed aut sua industria partas, aut casu obiectas. Sic ille sentit se sua diligentia legem facere, et se oblectat hoc ornamento, quo antecellit caeteris, et confidit coram Deo. Si vere ageret gratias, confideret sola misericordia, et non diceret, Non sum sicut caeteri, sed agnosceret se quoque quantum in ipso est, potuisse impelli ad latrocinium et caetera flagitia, praedicaret beneficium Dei, quod custoditus esset. Hinc satis intelligi potest, haec verba Pharisaei non esse veram gratiarum actionem.

Tertio. Sicut saepe alias dictum est, Deus flagitat disciplinam, sed tamen haec non est iusticia coram Deo. Ideo damnatur fiducia.

Quarto. Hic considera, quam tetri cultus sint hypocritarum, accedunt ad Deum sine timore, sine poenitentia, et opponunt iudicio Dei propriam iusticiam. Quid est autem absurdius, quam sine timore ad tantam maiestatem accedere? Item, Coram tanta maiestate gloriari de iusticia, cum scriptura clamitet: Innocens coram te non est innocens. Deinde cum Deus sic velit coli, petendis bonis, petenda remissione peccatorum, et gubernatione, hypocritae non veniunt ut petant remissionem aut gubernationem. Quid hoc aliud est, quam Deum contumelia afficere? Et qui ignorant doctrinam de iusticia fidei, accedunt cum dubitatione. Tales cultus sunt vere ethnici cultus. Haec imago cultus hypocritarum diligenter consideretur.

Quinto. In altera imagine proponitur homo agens poenitentiam, perterrefactus agnitione peccatorum suorum, et irae Dei. Nam quod non audet attollere oculos in coelum, est significatio agnoscentis iram Dei, et adhuc fugientis Deum, et luctantis cum diffidentia, deinde tamen vincit in eo fides, qua redit ad Deum, confugiens ad misericordiam, invocans et petens veniam. Ergo hic vere fit iustus, et acceptus Deo, quia fide erigitur in pavoribus et poenitentia. Hoc est exemplum verae iustificationis. Nec desunt bona opera, scilicet ipsa poenitentia, et invocatio. Summa autem horum exemplorum haec est, quod iustificemur fide per misericordiam, non propter legem.

Sexto. Additur terribile epiphonema, de superbia in genere. Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Sic alibi Petrus inquit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et Christus: Quidquid est sublime coram hominibus,

abominatio est coram Deo. Hae sunt terribiles voces taxantes impiam securitatem hominum, quae maxime in his est, qui habent eminentia dona.

Septimo. Quid est humilitas? Est vere timere Deum, et agnoscere, quod dona sint ab ipso concessa, ut serviant aliis, non ut opprimamus eos. Item, quod non sint felicia sine Deo, et tales sine verbo Dei, et sine vocatione nihil movent vel audent. Econtra superbia est sine timore Dei seipsum admirari, se oblectare donis, ac his confidere, et hac fiducia movere multa sine verbo, et sine vocatione, ut Saul contra verbum Dei conatur regnum tradere posteris suis. Antonius sine vocatione conatur occupare imperium. Pompeius sine vocatione movet bellum, confidens sua potentia, sicut inquit, se Italiam repleturum esse exercitibus supplosione pedis.

Hic autem discamus vocem Christi: Omnis qui se exaltat, humiliabitur, sicut omnium temporum historiae ostendunt, tumentes fiducia sui, et moventes aliquid sine vocatione, et sine verbo Dei, horribiliter cecidisse. Hic opus est piis hac sapientia de qua concionatur Petrus, cum inquit: Humiliamini sub potenti manu Dei. David impulsus est, sed rursus erectus, quia norat ferre humiliationem. Saul non est restitutus, quia non norat ferre humiliationem, sed per impatentiam ruit in desperationem, et odium Dei. Meminerimus igitur in afflictionibus hoc dictum, Humiliamini sub potenti manu *Dei*, quasi dicat, manus Dei potens est et in puniendo, et in restituendo, ut in Davide apparet.

Dominica XII. post Trinitatis.

Evangelium Marci 7.

Et iterum exiens de finibus Tyri et Sydonis, venit ad mare Galilaeae inter medios fines Decapoleos. Et adducunt ei surdum impeditae linguae, et deprecabantur eum, ut imponeret illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in aures eius, et expuens tetigit linguam eius, et suspiciens in coelum, ingemuit, et ait illi: Ephatha, quod est, adaperire, et statim apertae sunt aures eius, et solutum est vinculum linguae eius, et loquebatur recte. Et praecepit illis, ne cui dicerent. Quanto autem magis ille eis praecipiebat, tanto magis praedicabant, et supra modum stupebant, dicentes: Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui.

I. Una quaedam perpetua doctrina in his miraculis omnibus observanda est, quod testimonia sunt, quae ostendunt Evangelium non esse commentitium, sed divinitus traditum. 2. Monent item quod venerit Christus, et sunt testimonia promissionum, videlicet, quod vere velit Christus tollere peccatum et mortem. Quia enim tollit morbos, et excitat mortuos, etiam causam calamitatum tollet, scilicet, peccatum et regnum diaboli. 3. Haec miracula ostendunt, hunc liberatorem habere divinam potentiam, quia restituit naturam extinctam, quod est tantum divinae potentiae. Ad hanc generalem regulam omnia miracula referantur.

II. In his miraculis causae morborum et omnium calamitatum considerentur, quae sunt peccatum et tyrannis diaboli, qui impellit infirmas mentes ad multa flagitia et saepe corpora excruciat morbis, sicut caedes et similia molitur, cum sit homicida. Haec breviter describuntur in Genesi, ubi dicitur: Serpens mordebit calcaneum. Nemo est qui non experiatur insignem aliquem morsum, ut ostendunt calamitates et lapsus sanctorum, ut Moisi, Aaronis, Davidis, et aliorum. Impios vero omnino devorat serpens, ut ostendunt horribilia exempla historiae mundi.

III. Contra haec miracula testantur, datum esse liberatorem, qui et naturam sanabit, et belligeratur cum serpente, servat et defendit petentes auxilium contra serpentem, sicut Genesis inquit: Ipsum semen conteret caput serpentis. Is qui caput conterit est victor, at hostis qui mordet calcaneum, id est, qui iacet, nec potest se erigere et attollere, vincetur sicut serpens non potest se attollere, ita sciamus diabolum esse victum a Christo. Et quanquam iaculatur venena, tamen erigere se non potest, et tandem a Christo conculcabitur.

IIII. Affectus Christi praecipue in hoc Evangelio consideretur, ubi dicitur ingemuisse. Credamus veros et magnos motus animi esse, qui misericordia generis humani afficitur, sicut in Epistola ad Ebraeos dicitur: Habemus pontificem qui scit compati etc. Sed homines sunt ferrei, sicut hic surdus, non statuunt vere affici Deum cura

nostrae salutis. Sunt igitur etiam muti, non invocant, nec curant praestare reliquos cultus.

V. Est ergo hic surdus et mutus, totius humani generis typus, et eius sanatio est imago praecipuorum operum Christi. Mundus est surdus, non audit verbum Dei, nec assentitur. Ideo nec novit, nec curat Deum. Deinde est mutus, non invocat neque colit. Venit igitur Christus ut tollat haec mala, dat Evangelium, et ostendit veram Dei noticiam, quam deinde sequuntur, invocatio, confessio, et reliqui cultus.

VI. Nec solum dat verbum Christus, ut caeteri Prophetae, sed ipse admovet manus, ut testetur se efficacem esse, et non ociosum. Talis enim liberator est, ut ipse vere nobiscum agat, det dona petentibus, depellat diabolum, sicut inquit Ioannes: Christus venit ut destruat opera diaboli. Sicut haec ipsa miracula in genere testimonia sunt promissionum, quod ita vere velit nobiscum agere, iuxta suas promissiones, sicut cum illis agit, quos liberat in his miraculis.

Sed tanta est surditas humanae mentis, ut etiam sancti vix obscure haec audiant, infirmiter assentiantur. Petamus igitur a Christo, ut et nobis aperiat aures et os, ut credamus eum vere affici cura nostrae salutis, vere ingemiscere misericordia nostrae infirmitatis, et ut hac fiducia ipsum invocemus, et eius beneficium celebremus nostra confessione.

Dominica XIII. post Trinitatis.

Evangelium Lucae 10.

Et conversus ad discipulos seorsim, dixit: Beati oculi qui vident, quae vos videtis. Dico enim vobis, quod multi Prophetae et Reges voluerunt videre, quae vos videtis, et non viderunt, et audire quae auditis, et non audierunt.

Et ecce quidam Legisperitus surrexit, tentans illum, et dicens: Magister, quid faciendo, vitam aeternam haereditabo? At ille dixit ad eum: In Lege quid scriptum est, quomodo legis? Respondens autem dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex tota mente tua, et proximum tuum sicut teipsum. Dixit autem ille: Recte respondisti, hoc fac, et vives. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus?

Respondens autem Iesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Ierusalem in Iericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis additis abierunt semimortuo relicto. Casu autem Sacerdos quidam descendit eadem via, et viso illo, praeterivit. Similiter et Levita cum venisset secus locum, et videret eum, pertransivit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum, et videns eum, misericordia motus est. Et accedens, obligavit vulnera eius, infundens oleum et vinum. Et imponens illum in iumentum suum, duxit eum in hospitium, et curam eius egit. Et altera die egrediens, protulit duos denarios, et dedit hospiti, et ait illi: Curam illius habe, et quodcunque supererogaveris, ego cum rediero, reddam tibi. Quis ergo horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Ait ergo illi Iesus: Vade, et tu fac similiter.

Quatuor sunt praecipui loci.

I. Locus est doctrina de fide.
II. Doctrina legis.
III. Definitio proximi.
IIII. Allegoria exempli.

De primo.

Complectenda est proxima concio: Omnia mihi data sunt a patre meo, et nemo novit quis sit Filius, nisi pater, et quis sit pater, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Huic concioni addit epiphonema: Beati oculi etc. Haec tota concio primum proponit doctrinam propriam Evangelii de fide. Christus clare dicit, Patrem a nemine agnosci, nisi revelante Filio: ergo nisi revelante Filio, impossibile est legem facere. Et sic respondetur ad obiectionem, quae postea sequitur, cum fit mentio legis: Hoc fac, et vives.

His verbis addenda est altera concio. Non satis est audire legem, sed Filius audiendus est, revelans patrem, hoc est, voluntatem patris de Filio, non tantum de lege, sed cognoscenda est voluntas patris, cur Filium miserit, quid ei tradiderit, scilicet potentiam liberandi genus huma-

num a peccato et a morte, dandae vitae aeternae. Haec concio de fide praeponitur disputationi de lege, ut fide apprehendamus beneficia Filii Dei. Postea cum agnovimus patrem per Filium, sequatur obedientia legis, quae placebit propter Filium, quanquam sit imperfecta.

De secundo.

Pharisaeo non discendi, sed tentandi causa interroganti, ostendit Christus inanem ipsius arrogantiam, ut agnoscat peccatum. Et fortassis hic hypocrita fuit unus ex illis ipsis, qui praeterierunt saucium, de quibus hic in exemplo dicitur. Iusserat autem Christus interrogantem consulere scripturam, deducit eum ad verbum, sed Pharisaeus nihil scit nisi legem, promissiones negligit, et allegat legem non intellectam. Christus addit, ut eius ignorantiam taxet: Hoc fac, et vives, significat enim eum nec facere legem, nec victurum esse, sed oppressum esse peccato et morte. Est enim sententia: Si feceris, vives, sed nec tu facis, nec alii, ergo vita aliunde petenda est. Verum est dictum, Faciens legem vivet. Si enim non esset peccatum, mors non esset.

Ita coarguit Pharisaeum, quod nesciat quid sit lex, quid peccatum, quid mors, quae est quoddam terribile malum ortum a peccato, et non tollitur lege, quia lex non fit in natura humana oppressa peccato. Haec tota disputatio prorsus similis est disputationibus horum temporum. Litigamus cum adversariis qui sunt fascinati philosophicis opinionib. de lege, nesciunt quid sit peccatum, quid sit mors.

De tertio.

Proximus nobis est miser indigens beneficio nostro, et praesertim is, qui coniunctus est societate nominis Dei, qui est membrum populi Dei: ita hic dicit saucium iudicatum esse proximum a Samaritano. Econtra caro ducit proximos florentes et potentes, fugit miseros. Sicut venustissime dicit Menander: Fortuna varie pingit amicos. Sed hoc exemplum docet nos debere complecti miseros tanquam proximos. Caeterum haec debent esse mutua, gratitudo et beneficentia. Haec est summa exempli, in quo false reprehenduntur illi, qui iactabant iusticiam legis, ut Sacerdotes et Levitae, et tamen veris operibus vincebantur a Samaritano.

De quarto.

Christus recte respondit Pharisaeo, pingens magnitudinem peccati, et significans peccatum non tolli ministerio legis, sed alio quodam modo. Saucius significat totum genus humanum, quod est spoliatum donis spiritualibus, quae habuit initio, et vulneratum, multipliciter depravatum et distortum ignoratione Dei, contemtu Dei. Sunt et naturae vires corruptae, et accessit mors. Et haec ipsa vulnera longe maiora sunt, quam iudicare ratio potest. Sicut enim magnitudinem irae Dei non intelligimus adversus peccatum, ita nec peccatum, nec mortem satis intelligimus.

Sacerdos et Levita praetereunt hunc saucium, saucius non iuvatur ministerio legis, peccatum et mors non tolluntur per legem, sed venit Samaritanus Christus, reiectus a populo legis. Hic obligat vulnera, infundit vinum, id est, praedicationem poenitentiae, et oleum, id est, Evangelium et Spiritum sanctum, quo incoatur vita aeterna, et imponit eum suo iumento, id est, seu corpori seu ministerio, et commendat Ecclesiae, et dat ministro duos denarios, id est, praedicationem legis et Evangelii, et addit, si quid supererogaveris solvam, quasi dicat, accedunt labores, pericula, inopia consilii, in his omnibus adero, et iuvabo te.

In hac imagine ostendit quomodo sanemur, scilicet a Christo per ministerium Evangelii. Hic nugantur de operibus supererogationis, quasi allegoria significet privata opera non mandata a Deo, cum significet opera quae requirit curatio, quae sunt divinitus mandata.

Talium operum, hoc est, laborum, periculorum et certaminum mentio fit, in quibus significat se adfuturum esse, suppeditaturum sumtus, quia assidue opus est in gubernatione divino auxilio. Incidunt enim infinita, ubi nostra consilia, nostrae vires, magnitudine periculorum superantur, ubi precandum est, ut dicitur 2. Paral. 20.: Cum ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.

In tenebris nostrae, et densa caligine mentis,
Cum nihil est toto pectore consilii:
Turbati erigimus Deus ad te lumina cordis,
Nostra tuamque fides solius orat opem.
Tu rege consiliis actus, pater optime, nostros,
Nostrum opus ut laudi serviat omne tuae.

Dominica XIIII. post Trinitatis.

Evangelium Lucae 17.

Et factum est dum iret Ierosolymam, et ipse transibat per mediam Samariam et Galilaeam. Et cum ingrederetur in quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi, qui steterunt a longe, et ipsi levaverunt vocem, dicentes: Iesu praeceptor, miserere nostri. Et cum vidisset, dixit eis: Ite, ostendite vos ipsos sacerdotibus.

Et factum est, dum irent, mundati sunt. Unus autem ex illis, ut vidit quod sanatus esset, regressus est, cum magna voce glorificans Deum. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens ei. Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus, dixit: Nonne decem mundati sunt? Illi novem autem ubi? Non sunt inventi, qui redirent, et darent gloriam Deo, nisi hic alieniga? Et ait illi: Surge, vade, fides tua te salvum fecit.

Quatuor sunt praecipui loci.

I. Corporalis liberatio testimonium est, quod Christus tollat peccatum et mortem.
II. De ingratitudine.
III. De perseverantia fidei.
IIII. Allegoria de dicto, Vade, ostende te sacerdotibus.

De primo.

In genere tenenda est regula de omnibus miraculis, quod sint testimonia, quae ostendunt vera esse, quae hic doctor de se affirmat, seu Evangelii vocem esse veram, et hunc doctorem esse Messiam, sicut Ioan. 5. dicitur: Opera quae dedit mihi pater, testimonium perhibent de me. Sed non sunt testimonia tantum doctrinae, verum etiam exempla promissionum, quae nos hortantur, ut simili modo petamus, et expectemus auxilium et liberationem in omnibus malis, seu corporalibus, seu aliis.

Ac sciamus eodem modo affectum esse Messiam erga nos, sicut erga illos erat, ut Esaiae 42. dicitur: Non accipiet personam. Et promissio est universalis: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis.

Ut autem corporales afflictiones admonent nos de causa, id est, de peccato et corruptione naturae, et de ira Dei. Ita cum Christus tollit morbos, sciamus eum missum esse, ut aboleat et peccatum et mortem. Haec sunt officia Messiae, quae pauci et tunc in populo intelligebant. Quare haec miracula non introspiciebant, sed arbitrabantur esse beneficia praesentis vitae, nec quicquam significare de causis, scilicet de abolendo peccato, et de placanda ira Dei: sed pii in his miraculis agnoscebant hunc Messiam esse liberatorem a peccato et a morte.

Voluit Deus ostendere magnitudinem peccati et irae suae, per poenas. Ideo diligenter consideremus humanas calamitates, nec putemus esse leve onus impositum humanae naturae, mortem, morbos, inopiam, bella, caedes, impulsus diaboli, ut cum Medea interficit liberos, tristes et tragicos casus, ut cum in obsidione mater coxit filium. Denique nemo hominum est, qui non experiatur aliquos horrendos morsus diaboli, sicut Genesis 1. dictum est: Serpens mordebit calcaneum.

Ad has tantas miserias accedit et haec difficultas, quod Deus videtur interim se abdere, nec cernere miseros. Item in ipso regno Christi plurimum est calamitatum, sicut iram Turci florent gloria imperii, habent successus et victorias, multi pii trucidantur, aut opprimuntur servitute crudelissima, tanquam neglecti a Deo.

Etsi autem tanta est magnitudo calamitatum, tamen animi hominum ferrei et securi non considerant causam, scilicet peccatum et iram Dei, sed Ecclesia considerare debet, et agnoscere Messiam, et scire, quod mirabili modo servet et liberet Ecclesiam, et membra, et hac fide petendum et expectandum est auxilium. Haec doctrina de magnitudine calamitatum, et de mirabili liberatione pingitur in omnibus historiis Ecclesiae, ut in diluvio, in eductione ex Aegypto et reliquis.

De secundo.

Usitatum est post liberationes rursus labi homines, et oblivisci Dei, sicut populus in deserto obliviscebatur Dei. Et Saul toties liberatus, et rursus punitus, tamen cumulat peccata. In his relapsis apparet coecitas et infirmitas humani generis. Sed aliqui paucissimi et despecti agnoscunt beneficia Dei, et agunt gratias, sicut hic Samaritanus, cuius exemplum imitemur.

De tertio.

Discamus non sine vigilantia et certamine retineri fidem. Oppugnatur enim opinionibus rationis, naturali caligine, et dubitatione de Deo, infirmitate carnis, et insidiis diaboli, sicut defecerunt multi magni viri in tentationibus, ut Saul et alii. Econtra, David sustentat se fide, etiam cum pellitur in exilium, et omnibus fluctibus maximarum aerumnarum obruitur. Sed pauci sunt tales, ut haec historia etiam ostendit. Novem habuerunt initia fidei, et auferunt beneficium corporale, sicut Saul initio pius, habuit gloriosas victorias, sed postea fidem amittunt, obliviscuntur Dei, negligunt Christum, obrepit opinio quod sit fortuitum beneficium, et accedit negligentia in aliis rebus, facilius obtemperant animi ebrii et incauti pravis cupiditatibus.

Sed Samaritanus retinet fidem, non sinit eam sibi excuti per diabolum, aut carnalem negligentiam, ideo praedicat eius fidem, et confirmat Christus, inquiens: Fides tua salvum te fecit, id est, corpus curavit, et salvavit animam, alii amissa fide non habent salutem. Tu perge credere, et retine fidem, ita eris salvus. Itaque Samaritani perseverantiam imitemur, et simul cogitemus, non retineri fidem sine tentationibus et certaminibus. Iam quisque cogitet apud sese, an sit similis Samaritano, an non post beneficia accepta, factus sit negligentior. Sed hanc negligentiam emendemus.

De quarto.

Hoc dictum solet ad confessionem detorqueri, sed vera et dextra allegoria est. Ut alibi, ita hic quoque remittit Christus suos ad ministerium, sicut illos mundatos volebat audire vocem ministerii divinitus instituti, ita vult nos audire vocem Evangelii, sonantem in ministerio divinitus instituto. Tunc sacerdotes debebant esse testes Christi, quia lex et Prophetae de Christo testabantur. Ita semper fidem regi et confirmari vult, non solis externis eventibus aut signis, sed ipsa Evangelii voce et ministerio. Intelligatur ergo ostensio, tum de absolutione, tum in universum de voce Evangelii regente fidem. Haec tanta res, videlicet de gubernatione fidei et ministerio, significatur hic a Christo. Quare locus non est detorquendus ad superstitiosam enumerationem, quae offundit nebulas doctrinae fidei.

Dominica XV. post Trinitatis.

Evangelium Matthaei 6.

Nemo potest duobus dominis servire. Aut enim unum odio habebit, et alterum diliget, aut uni adhaerebit, et alterum contemnet. Non potestis Deo servire et Mammonae. Ideo dico vobis, ne soliciti sitis animae vestrae, quid manducetis, et quid bibatis, neque corpori vestro, quid induamini. Nonne anima plus est quam esca, et corpus plus quam vestimentum? Respicite volatilia coeli, quia non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, et pater vester coelestis pascit illa. Nonne vos multo pluris estis illis?

Quis autem vestrum solicitus, potest adiicere ad staturam suam cubitum unum? Et de vestimentis quid soliciti estis? Considerate lilia agri, quomodo crescunt. Non laborant neque nent. Dico autem vobis, quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus est, sicut unum ex istis. Si autem foenum agri, quod hodie est, et cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit, non multo magis vos, modicae fidei?

Nolite ergo soliciti esse dicentes, Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Haec enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester coelestis, quia his omnibus indigetis. Quaerite autem primum regnum Dei, et iusticiam eius, et haec omnia adiicientur vobis. Nolite ergo soliciti esse in crastinum. Crastinus enim dies solicitus erit sibi ipsi. Sufficit diei adflictio sua.

Septem sunt praecipui loci.

I. Reprehensio diffidentiae humanae.
II. Doctrina de providentia.
III. Praeceptum quo ordine bona petenda, et quaerenda sint.
IIII. Duplex solicitudo, alia ex diffidentia, alia ex obeundae vocationis diligentia.
V. Sufficit diei afflictio sua. Cur quamlibet diem vocat afflictionem.
VI. Praeceptum sapientissimum, ut in praesentia recte faciamus, nec propter

futuras incertas spes aut metus, a regula discedamus, ut multi trepidantes nunc huc, nunc illuc feruntur, et interdum in ea trepidatione iniustis consiliis utuntur, propter vanissimas spes. Contra hanc trepidationem dixit Psal. 45.: Vacate et videte etc.

VII. Quod Deus velit quaeri bona corporis, et in his petendis exerceri fidem.

De primo.

Primus locus est reprehensio humanae diffidentiae, ideo inquit: Ne sitis soliciti. Cum autem impossibile sit homines sanos, in tantis periculis publicis et privatis sine solicitudine esse, satis apparet hanc consolationem prorsus extra et supra humanum captum positam esse. An Daniel sedens inter leones potest sine metu esse? Talis est autem reipsa omnium vita.

Diligenter autem considerandum est, similes sententias dissimilima ratione dici. Epicurei etiam prohibent solicitudinem, vetant angi animis, ut apud Horatium:

Quid sit futurum cras, fuge quaerere.

Item:

Dum loquimur, fugit invida aetas,
Carpe diem, quam minimum credula postero.

Sed hi, quia negant providentiam Dei, et fingunt omnia casu ferri, desperatione quadam iubent ex praesentibus rebus excerpere voluptates, et de futuris non angi, ne molestias cumulent, praesertim cum nullo consilio futura regantur.

Sed Evangelium longa alia ratione idem praeceptum tradit, Ne sitis soliciti, scilicet hanc ipsam ob causam, quia est providentia Dei, fide expectate bonos exitus, hac fide vincente angores, et fortiter servite vocationi. Nec potest Epicurea ratio mederi animis, quia eo magis quaerit homo sapiens humana praesidia, si existimat non esse providentiam Dei, et satisfacere humana consilia, ideo se muniunt timidi amicis, opibus, factionibus et variis modis. Non vult Achas esse sine praesidiis, quaerit iniusta foedera et coniunctiones regum impiorum, non vult Demades in eos casus incidere, in quos inciderat Demosthenes, ideo regibus adulatur, et tamen a Cassandro interficitur.

Et in universum in toto genere humano sunt timiditates, trepidationes, angores, et desperationes, quia natura humana non agnoscit providentiam Dei, et est sine fide. Hanc ignorationem Dei hoc loco taxari et accusari sciamus, et corrigere incipiamus, opponamus naturali dubitationi doctrinam de providentia Dei, hic traditam.

De secundo.

Fides haec duo complectitur, et sustentari naturam a Deo, et praecipue Ecclesiam Deo curae esse, nos ipsos exaudiri, ali, defendi, muniri a Deo, etiamsi multa longe aliter eveniunt, quam nos prospicimus. Utile est autem in conspectu habere testimonia de utraque parte, de naturae sustentatione, et Ecclesiae defensione.

De utraque re hic dicit: Alit volucres etc. nonne vos meliores istis estis? Psalm. 103. de naturae sustentatione: Dante te escam colligent, et de Ecclesia Psalm. 33.: Non est inopia timentibus eum. Et Psalm. 36.: In diebus famis saturabuntur. Item Psalm. 90.: Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te omnibus viis tuis. Huc adduntur et exempla, mirabiliter aluntur et defenduntur Israëlitae in deserto. Denique tota Ecclesiae defensio, semper ab initio ad finem fuit et erit plena miraculorum, etsi interim vult Deus sanctos etiam afflictionibus exerceri, sed accedunt mirabiles liberationes.

Hanc doctrinam, quia est extra rationem, pauci amplectuntur, sed maxima pars hominum ignara providentiae et fidei, manet in perpetuo metu et odio Dei. Sed ubi fidei lumen in mente fulget, quod Deus curet, exaudiat, muniat, defendat, gubernet te, ibi est magnitudo animi, tranquillitas, et constantia consilii. Sicut ad Abraham dixit Deus: Ego sum protector tuus, quae vox ad totam Ecclesiam pertinet. Sed quia pleraque eveniunt longe aliter, quam nos prospicimus, ideo multi diffidunt et deficiunt. Sed Christus hic opponit ex ipsa natura exempla, quae ostendunt usitate multa fieri in natura sine humano consilio. Deus dat vitam nobis sine humano consilio, potest igitur et vestitum dare, et domum. Deus creat lac in maternis uberibus infanti sine humano consilio, igitur potest et postea victum curare. Haec et similia multa exempla vult nos considerare, ut admoneamur de providentia. In Ecclesia autem infixa debet esse animis omnium haec vox: Scitote quod mirificat Deus sanctos suos, id est, mirabilibus modis servat.

De tertio.

Ordo sit quaerendorum bonorum corporis.

Primus gradus est Deo obtemperare, et eius doctrinam et mandatum anteferre vitae nostrae, et omnibus commodis corporis, sicut faciebant tres illi, qui statuam regis Babylonici nolebant adorare. Hoc ordine servato, vult Deus postea peti et expectari bona corporis, et quidem ea promittit, sicut hic clare dicit: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Non enim vult Deus Ecclesiam prorsus deleri in terra, ideo sicut Paulo naviganti servavit navim, ita passim servat piis domicilia, politias, haereditates, suppeditat victum, defensionem, facultates, ut conservari studia, et propagari doctrina Evangelii possint. Haec intelligere pios convenit, ut in precationibus cogitent, quare corporis bona petenda sint, scilicet, ne intereat Ecclesia, sicut orat Psalmus: Ne tradas bestiis animas confitentium tibi.

De quarto.

Duplex est solicitudo, alia diffidentiae, alia est diligentiae in facienda vocatione.

Prior illa quae ex diffidentia oritur, est cruciatus animi dubitantis de exitu, et destituti praesidiis et auxiliis. Sic angitur animus Saulis de belli exitu, quia non sperat auxilium a Deo, consulit magos. Ita magna pars hominum angitur, quia non expectat auxilium a Deo, eamque ob causam quaerit inconcessa praesidia et auxilia. Haec solicitudo hic prohibetur.

Alia solicitudo est cura faciendae vocationis, ut Iosue, etsi undique circundatus est hostibus, tamen retinet animi constantiam, sperat bonos exitus, quia scit se vocatum a Deo, iuvari et defendi a Deo, eoque invocat. Ideo Iosue 5. ostendit se quispiam ex coelo, qui se ducem exercitus esse dicit. Interim tamen Iosue iustam diligentiam adhibet, distribuit copias, collocat in insidiis, dimicat fortiter cum hoste, sicut colono faciendum est, agri arandi et conserendi, et tamen a Deo expectandus proventus. Sit autem labor vocationis proprius, hunc requirit Deus, quia vult nos suae vocationi parere, et haec virtus placet Deo, videlicet sedulitas seu diligentia in vocatione. Habet autem utrinque opposita vitia, ignaviam, et πολυπραγμοσύνην, quae est multa conari, tentare extra vocationem, communire se factionibus, quaerere praesidia, seu concessa, seu inconcessa. Amittit Sardanapalus regnum per ignaviam. Achas vero infelix est propter ipsam πολυπραγμοσύνην, utrunque enim vitium Deus detestatur, sed regula tenenda est, Psal. 36.: Subditus esto Deo, et ora eum. Et hic Christus de labore concionatur, inquiens: Sufficit diei afflictio sua, quasi dicat, ne cumules tibi ipsi molestias, crucians animum diffidentia, sed contentus esto diurno labore, quem quotidie vocatio affert, haec in tanta naturae humanae miseria, in tantis impedimentis, quae diabolus et organa diaboli obiiciunt, per sese satis habebit difficultatum et aerumnarum. Moises diligenter regit populum, sed quantum illi quotidie novorum certaminum, tumultuum, seditionum excitant, nunc principes, nunc vulgus? Haec de labore hoc loco considerentur.

De quinto.

Sufficit diei afflictio sua, id est, labor suus. Dixi enim de labore praecipi. Sed diligenter considerandum est, humanos labores, et hoc totum vitae curriculum hic vocari afflictionem. Si natura humana non esset oppressa peccato, quid esset iucundius generatione, educatione, cultura terrae, gubernatione, studiis doctrinae? Nunc vero post peccatum omnia haec officia a Deo ordinata impediuntur, tum naturae imbecillitate et malicia, tum a diabolo, tum ab organis diaboli. Saepe matres et foetus pereunt in partu, educatio postea difficilima est. Sic gubernatio politica et ecclesiastica, quanta habet impedimenta? Diabolus undique machinatur dissipationes, et multi sunt impii homines, qui sunt ignavi in vocatione, sunt ambitiosi, lividi, corrumpunt doctrinam, insidiantur bonis, excitant dissensiones. Ideo omnes historiae plenae sunt querelarum de miseriis gubernationis, et exempla quotidiana sunt in conspectu.

Propter haec impedimenta Christus brevi quidem voce humanos labores vocavit afflictiones, sed universam vitae historiam complexus est. Simul autem admonet nos, ne ipsi quoquo modo cumulemus haec impedimenta, sicut usitatum est inquieta ingenia subinde novas turbas excitare, et sibi et aliis negocium facere, et simul impedire res meliores, ut Clodius Romae gubernationem turbabat.

De sexto.

Revocat nos Christus ad curam praesentium rerum, cum ait: Crastina dies curabit res suas. Sic et Pindarus laudans Hieronem, inter caeteras virtutes hanc ei tribuit, sapienter curare praesentia. Ad hanc virtutem pertinet, quod et Samuel inquit 1. Reg. 11.: Fac quaecunque invenerit manus tua, quia Deus tecum est, id est, quae in praesentia postulabit vocatio tua et necessitas, usitatum est enim in vita, quod propter incertas spes, aut metus, homines praesentia corrumpunt, et admiscent iniusta consilia. Sylla iubebat adolescentem Caesarem interfici, quia olim videretur futurus acer inimicus. Herodes iubebat pueros interfici, metuens regno. Aliquis metuens crescentem potentiam alterius, vult obiicere impedimenta, et quoquo modo eius vires carpere. Quoties amicicias ambiunt homines, etiam viciose, quibus illae ipsae amiciciae afferunt exitium, ut Arato erat exitio amicicia Philippi Macedonis. Meminerimus ergo, in praesentia necessaria agenda esse, et ea tantum agenda esse, quae bona conscientia fieri possunt caetera Deo commendanda.

De septimo.

Saepe alias dictum est, Deum non solum promittere beneficia corporalia, sed etiam praecipere, ut ea petamus, sicut testatur oratio Dominica: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Sunt autem causae tres. Prima, ut agnoscamus dari a Deo etiam corporalia beneficia, dante te escam colligent etc. Et corrigamus Epicureas opiniones, quae somniant haec bona vel casu obiici, vel ut ferunt tempestates. Secunda, ut fidem et invocationem exerceamus in his petendis, quod videlicet Deo curae sit etiam haec vita corporalis, quod eam custodiat, servet, alat, quia vult in hac vita durare aliquam in Ecclesiam. Tertia, ut haec ipsa invocatio admoneat nos de promissione spirituali, quia non potest fieri invocatio sine agnitione misericordiae et mediatoris, per quem habemus accessum ad Deum. Ideo in oratione Dominica mox additur: Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus, etc.

Dominica XVI. post Trinitatis.

Evangelium Lucae 7.

Et factum est deinceps, ibat in civitatem, quae vocatur Naim, et ibant cum eo discipuli eius multi, et turba copiosa. Cum autem appropinquaret portae civitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris suae, et haec vidua erat, et turba civitatis multa cum illa. Et cum vidisset eam Dominus, misericordia motus est erga eam, et dixit illi: Noli flere. Et accessit ac tetigit loculum. Hi autem, qui portabant, steterunt. Et ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit mortuus, et coepit loqui, et dedit illum matri suae. Accepit autem omnes timor, et glorificant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam. Et exiit hic sermo in universam Iudaeam de eo, et in omnem finitimam regionem.

Huius Evangelii locus unus est principalis, miraculum Christi, quod magna pars hominum existimat tantum ad viduam illam pertinere, cuius filius resuscitatus est. Sed nos statuamus etiam ad nos, et quidem singulos, pertinere. Est enim testimonium, quod Christus velit agnosci, tanquam vivificator, consolator, et pontifex, qui vere et ultro afficiatur nostris aerumnis atque miseriis, item tanquam victor peccati, et mortis, et totius regni diaboli.

Est enim haec propria et peculiaris doctrina Evangelii, quod Deus vere respiciat miseros et afflictos, qui sunt oppressi aerumnis, et perterrefacti conspectu et sensu propriae indignitatis, et voce legis, quae clamitat Deum irasci propter peccatum, et in talib. poenis nihil nisi iram Dei ostendit. Nec ulla est doctrina, quae ostendat veram consolationem in his aerumnis, nisi sola vox Evangelii prolata per Filium Dei, haec testatur Deum vere respicere aerumnosos, nec propterea eos abiicere, quod sint indigni, et meriti poenas legis, sed velle eorum misereri, qui confugiunt ad Filium mediatorem, et credunt sibi propter ipsum ignosci iuxta promissiones, et hac fide invocantes velle exaudire, sicut dicitur: Beati qui lugent, quia hi consolationem accipient.

Et ut testimonium fiat evidentius, ideo praecipue Ecclesiam oportet esse subiectam cruci et aerumnis omnis generis, quia vult eam et poenitentiam in his exercere, et agnoscere ac odisse peccatum, item vult exerceri invocationem, et crescere fidem misericordiae et praesentiae Dei, postremo vult eam ita similem fieri imaginis Filii Dei, et ipsas afflictiones esse testimonia futurae

liberationis et glorificationis in vita aeterna, ut alias saepe dicitur.

Huius doctrinae insigne testimonium expressum est in hac historia, ac Evangelista utriusque personae, viduae et Christi affectum multis circumstantiis amplificat. Quantus fuerit dolor muliérculae, praesertim viduae, mortuo filio, et quidem unico, ne quidem illi, qui sunt experti, animo complecti possunt: sed quo maior est vis doloris in vidua, eo maiore vicissim Christus dolore commotus ultro venit, ut opituletur ei, atque ita, ut magnitudo gaudii, quod ex filio resuscitato percepit, longe superet dolorem, quem ex morte coeperat. Insignis autem est emphasis in verbo ἐσπλαγχνίσθη, quo testatur Evangelista, Christum non levi motu animi affectum fuisse, sed incredibili quodam dolore cordis motum esse, sicut ad Lazari monumentum eum fecisse scribit Iohannes. Deinde etiam ingenti ardore animi motus resuscitat mortuum.

Sed hic obiiciat aliquis: Deus est ἀπαθής, ergo in Deo non sunt misericordia, laeticia, et similes affectus. Respondeo: Nego antecedens. Deus enim non est Stoicus, sed afficitur nostris malis, et summa ei voluptas est iuvare nos et exaudire. Et quia στοργαὶ in praestantibus naturis sunt expressissimae, necesse est etiam in Deo στοργὰς tanto ardentiores esse, quanto est omnibus aliis naturis a se conditis praestantior. Cum igitur Deus vehementissime afficiatur nostris malis, libenter ad eum confugere, eumque invocare debemus, iuxta illud Epistolae ad Ebraeos cap. 4.: Accedamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut consequamur misericordiam et gratiam ad auxilium oportunum. Sed haec facilius dici, quam ad usum cum opus est, transferri possunt, id vero est longe omnium difficilimum. Tanta est enim infirmitas humanae naturae etiam in piis, ut supra sensum suae indignitatis sese erigere vix possit in afflictionibus, in aliis coecitas tanta quanta est in Epicuro, ut existiment omnia casu fieri, neque Deum esse ullum, qui nos respiciat.

Estne peccatum dubitare de misericordia? Est. Contra. Quicquid iubet lex, rectum est, sed lex iubet, ut sentiamus Deum irasci peccato, non ignoscere: ergo ita sentire rectum est. Respondeo: Concedo totum argumentum, sed ita sentire non satis est. Addendum enim est Evangelium de Christo, et quidem ita, ut sentiamus gratiam exuberare supra peccatum, ut docet Paulus Rom. 5. Quamobrem non tantum illud sentiendum est, quod Deus irascatur peccato, ita, ut nemo illam iram ferre, aut placare potuerit, nisi Filius, sed etiam in illis ipsis terroribus animus extollendus est supra peccatum, ita, ut statuat gratiam longe maiorem esse, qua Deus remittit nobis peccata credentibus in Christum.

Alia quaestio. Licetne lugere mortuos? Licet. Contra. Christus inquit ad viduam: Noli flere. Ergo prohibet luctum. Respondeo ad antecedens: Christus his verbis consolatur lugentem, quod est per se pium officium, et prohibet luctum mulieri, non quia mortuus est filius, sed quia victurus est. Imo exemplo Christi licet nobis etiam lacrymis prosequi nostros mortuos, sicut ipse deflevit mortem Lazari, et hic una cum vidua luget. Nam si quis non afficitur malis aliorum, maximo suorum, hic indignus est nomine hominis. Sed tamen hoc debemus a caeteris, qui lugent, differre, ut nostrum dolorem moderemur, sicut praecipit Paulus ad Thess.: Nolite lugere, sicut caeteri, qui spem non habent. Non prohibet luctum, in morte eorum qui nobis cari sunt: etsi enim speramus eis bene fore post hanc vitam, tamen illa acerbitas, quae est in ista separatione animi a corpore, non potest nos non commovere, sed quia spem, quam dixi, habemus, ideo dolor moderatior esse in nobis, quam in aliis debet. Atque haec demum est vera fortitudo, non qua non afficiuntur homines rebus tristibus, sed qua cohibent sese, ne quid in hac corrupta natura dolore commoti turpiter faciant, sicut Virgilius de Aenea scribit:

Mens immota manet, lacrymae volvuntur inanes,

id est, iudicium manet in proposito, ut obtemperet mandato Dei, sicut fingit Virgilius, etiamsi cum magno animi dolore avellitur.

Postremo in hoc miraculo intuenda est imago reviviscentis mortui, quam si vere cerneremus, nihil esset ubique calamitatum, quod non hilari ac lubenti animo pateremur. Facile enim eas obrueret magnitudo gaudii, quod perciperemus ex illa glorificatione, quae post hanc vitam futura est, cum de facie ad faciem intuebimur imaginem Dei, ad quam conditi sumus.

Agnitionem Christi sequitur confessio et praedicatio, denique novi motus in animus hominum. Huc pertinet quod ait Evangelista: Timor cepit omnes, et glorificabant Deum.

Dominica XVII. post Trinitatis.

Evangelium Lucae 14.

Et factum est cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisaeorum Sabbato, ad manducandum panem, et ipsi observabant eum. Et ecce, homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad Legisperitos et Pharisaeos, dicens: Si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt, et apprehensum sanavit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit: Cuius vestrum asinus aut bos in puteum cadet, et non continuo extrahet illum die Sabbati? Et non poterant ad haec respondere illi.

Dicebat autem et ad invitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum invitatus fueris ab aliquo ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit invitatus ab illo, et veniens is, qui te et illum vocavit, dicat tibi: Da huic locum, et tunc incipias cum rubore novissimum locum habere. Sed cum vocatus fueris, vade, recumbe in novissimo loco, ut cum venerit qui te invitavit dicat tibi: Amice, ascende superius. Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Quia omnia qui seipsum exaltat, humiliabitur, et qui seipsum humiliat, exaltabitur.

Tres sunt praecipui loci.

I. De Sabbato, quae sit propria et principalis sententia praecepti.

II. Quae sint propria Sabbati opera.

III. De humilitate, de vocatione, et de ambitione.

De primo.

Ut primum praeceptum loquitur de agnitione Dei, et motibus cordis erga Deum. Secundum de confessione oris, et praedicatione doctrinae. Ita tertium loquitur de publicis ceremoniis divinitus institutis, hoc est, de toto publico ministerio. Nam dies certa constituta est ad hunc finem, ut sint publici congressus, in quibus doceantur coetus praedicatione Evangelii et ceremoniis. Utrumque enim intelligendum est, quia ceremoniae sine doctrina transformantur in superstitionem. Quare cum nominatur Sabbatum, intelligantur omnes ceremoniae divinitus institutae, et sciamus praecipi conservationem publici ministerii, doctrinae et ceremoniarum, quas Deus instituit. Ad illud publicum ministerium opus est aliquo tempore certo, est igitur Sabbati observatio non ocium eius diei, sed ut textus inquit, sanctificatio, id est, collocatio in opera sancta, videlicet in ministerium divinum.

Violant igitur hoc tertium praeceptum, primum hi qui praesunt, si non doceant, aut negligant doctrinam, aut non recte doceant. Deinde qui negligunt aut depravant ceremonias divinitus institutas, ut qui Missas legunt, ut offerant pro aliis, aut quaestus causa, aut qui alias superstitiones exercent. Peccat item populus, qui vel nunquam audit, vel raro audit pias conciones, aut nunquam, aut raro interest publicis ceremoniis. Etsi enim in novo Testamento dies certa non est praecepta, ut in lege divina, tamen qui ex contemtu abest, aut suo exemplo confirmat aliorum negligentiam, is graviter peccat. Sicut memorabile exemplum extat Ieremiae 17. ubi Propheta obiurgat eos, qui in Sabbato per portas convehebant merces, id est, negociabantur neglecto ministerio, et additur comminatio, succendam ignem in portis etc. Et rursus additur promissio, si sanctificabitis Sabbatum, intrabunt per portam reges et principes, id est, habebitis regnum florens etc. Quia Deus vult singulos adiuvare conservationem ministerii. Peccat item populus, qui sua praesentia confirmat impios cultus. Peccant et illi, qui impediunt ministerium publicum, qui stipendia debita ministris aut eripiunt, aut conferre nolunt. Peccant item, qui neglecta cura meditandae doctrinae Evangelii, conferunt Sabbata in occupationes prophanas, aut ludos, aut alia, quae abducunt animos a pia meditatione. Iam cogitet quisque quam late pateat violatio Sabbati, nec putemus leve peccatum esse, contemtum publici ministerii.

De secundo.

Historia de curato hydropico ostendit quid sit observatio Sabbati. Non enim praecipit lex simpliciter de ocio Sabbati, sed prohibet opera impedientia ministerium publicum. Caeterum praecipit sanctificationem, id est, certa opera divini ministerii. Quare haec actio Christi, fuit vere observatio Sabbati et sanctificatio. Nam Christus hic concionatur, et addit opus, quod est te-

stimonium doctrinae. Haec enim sunt propria opera convenientia Sabbato, concio Evangelii, meditatio Evangelii, exempla pia, proprie adiuvantia ministerium. Alias etiam concionatur Christus de aliis operibus quibusdam, quae conveniunt Sabbato, ut necessaria officia dilectionis. Maccabaei in Sabbato pugnabant, et quidem praelia illa dupliciter Sabbato conveniebant, et quia erant confessio doctrinae, et conservatio Sabbati et legis, et erant opera necessaria dilectionis.

De tertio.

Humilitas est timor Dei, hoc est, agnita nostra imbecillitate, vere metuere iram Dei, ne indignos aut parum idoneos abiiciat, sed tamen in vocatione Deo parere, et iudicare dona nobis dari ad communem utilitatem, nec eventus sine Deo felices esse, nec caeteros despiciendos esse, cum possint fieri utiliora organa Dei. Ad hanc virtutem accedere debet fides, quae in vocatione petat, et expectet auxilium a Deo, sicut saepe docent Prophetae, Psalm. 26.: Expecta Dominum, viriliter age, et confortetur cor tuum, et expecta Dominum. Talis erat bellator magnanimus David, et tamen erat humilis, agnoscebat infirmitatem suam, nec despiciebat caeteros, ut Goliath despiciebat minores, sed David vocationi parebat, et expectabat a Deo auxilium.

Econtra, superbia est fiducia propriae industriae, neglecto Deo, aut neglecta meta vocationis, ut Goliath, Sennaherib, confidunt viribus suis contemto Deo, Nabugdonosor, Alexander placent sibi, et existimant sua virtute parta esse tanta imperia, nec agnoscunt nec timent Deum. Ideo et in alia delicta securi ruunt, ut Alexander polluit se multiplici turpitudine. Alii appetunt superiores vocationes: nam superbia multipliciter se declarat, ut Absalon, Cassius, Antonius. Alii peccant non agnoscentes dona superiora in aliis, ut Agamemnon qui superior est loco, non agnoscit Achillem virtute superiorem esse.

De his omnibus traditur hic regula: Omnis qui se exaltat, humiliabitur. Idque ostendunt tragici casus praestantissimorum virorum, ut Saulis, Goliath, Sennaherib, Pompeii, Agesilai, Alexandri, Antonii. Imo in Ecclesia praecipua fit humiliatio, quia iudicium a domo Dei incipit, ut ostendunt insignia exempla sanctorum, Samsonis, Davidis, Nabugdonosor, et aliorum qui ex alto fastigio delapsi sunt, ut agnoscerent suam infirmitatem, et conspiceretur potentia Dei et misericordia Dei, ut in Davide deiecto et restituto. His exemplis utrunque discamus, videlicet timorem Dei, agnita nostra infirmitate, et fidem in obedientia vocationis. Discamus item nos continere intra metas vocationis.

Dominica XVIII. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 22.

Pharisaei autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducaeis, convenerunt in unum. Et interrogavit unus ex eis legis doctor, tentans eum, et dixit: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait autem illi Iesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua. Hoc est primum et magnum mandatum. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet et Prophetae.

Congregatis autem Pharisaeis, interrogavit eos Iesus dicens: Quid vobis videtur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei: David. Ait illis: Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens, Dixit Dominus Domino meo, sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum? Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere verbum, neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

Quatuor sunt praecipui loci.

I. De doctrina legis, quae sit lex praecipua.
II. De dignitate secundae tabulae.
III. Non satis est in Ecclesia proponi legem, sed oportet extare Evangelium de Christo.
IIII. De Psalmo: Dixit Dominus Domino meo.

De primo.

Sicut Monachi pluris fecerunt Missam, aut sua vota, quam universum Decalogum, ita Pharisaei amplificabant sacrificia et traditiones. Hunc errorem reprehendit Christus cum antefert prae-

ceptum de dilectione Dei, quod requirit interiorem et perfectam obedientiam humani cordis erga Deum, videlicet veram agnitionem Dei iuxta verbum divinitus revelatum, timorem, fiduciam, dilectionem. Constat autem cor humanum procul abesse ab hoc praecepto, quia plenum est caligine et dubitatione de Deo, non timet iram Dei, non confidit Deo, et constat deesse flagrantem dilectionem Dei. Reprehendit igitur Christus Pharisaeos, qui legis iusticiam iactabant, cum ne umbram quidem haberent.

Iam hic quaeritur: Si non fit lex, quare data est? Respondeo: Data est, ut monstret peccatum, et condemnet nos, sicut inquit Paulus: Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati lex, id est, propter peccatum sentimus iram Dei. Sed nulla esset obligatio, nisi lex esset. Ideo lex clamitat in conscientiis, monstrat iram Dei, et affert aeternos terrores. Ac stulta imaginatio est, cogitare legem Dei esse velut tabulam in pariete pendentem, quae auferri aut abiici possit. Imo donec manent peccatum et mors, manet lex accusans, maledicens, iram Dei ostendens, nec vincitur nisi agnitione et fiducia Filii Dei. Caeterum de incoatione legis alias dicitur, cum fide iustificati sumus, accedit quaedam incoata obedientia, ut saepe dictum est.

De secundo.

Paradoxum est, quod inquit Christus, secundam tabulam similem esse primae, et haud dubie graviter offendit Pharisaeos, ut si quis diceret Monacho, opus pii lictoris anteferendum esse ipsius votis. Haec igitur collatio diligenter observanda est. Vult enim Christus praecipue eos docere, officia secundae tabulae esse inter praecipuos cultus, sicut dilectio Dei est praecipuus cultus, quasi dicat, officia secundae tabulae antecellere ceremoniis, sicut alibi inquit: Magis volo misericordiam, quam sacrificium. Haec doctrina est utilis, et ornat officia civilis vitae, ut sciamus ea Deo placere, et esse cultus Dei. Ideo maiore cura facienda sunt.

De tertio.

Cum de lege tam sublimia disputasset Christus, incipit coarguere impietatem Pharisaeorum, interrogans de Messia, quasi dicat, vos coeci doctores in Israël, de lege quaeritis, et eam non intelligitis, quia de Messia habetis falsas opiniones, putatis futurum esse regem, qui vobis opes et imperia mundi daturus sit. Quaerit igitur de persona et officio Messiae, cuius filius erit, et quid aget, cum David vocet eum Dominum? Si tantum esset rex politicus, profecto non esset dominus Davidis, quia haeres nequaquam est dominus superiorum. Item, si tantum esset daturus imperia mundi, nihil prodesset Davidi, ut Camillo nihil prodest Augustus. Cur igitur David vocavit Messiam Dominum? Haec fuit gravissima disputatio, et inexplicabilis Pharisaeis somniantibus imperium mundi, et non intelligentibus prophetias de Messia.

Sed facilis est explicatio recte intelligentibus prophetias. Primum constat prophetias loqui de liberatione a peccato et a morte, et de nova et aeterna vita, ut in hoc Psalmo dicitur: Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech. Vocat igitur Dominum, quia scit se accipere ab eo haec beneficia, liberationem a peccato et a morte, et vitam aeternam. Item vocat Dominum, quia scit eum divina potentia regnaturum esse, sicut inquit: Sede a dextris meis. Item, scit illum promissum liberatorem esse Filium Dei, sicut antea inquit: Hodie genui te. Scit eum iam regnare, et belligerari cum diabolo, sicut Esaias vocat eum Emanuel, et Psal. 71. dicitur: Et adorabunt coram ipso semper, ubi totus Psalmus loquitur de venturo Messia, quia tamen est aeternus. Erit nomen eius aeternum, ante solem existit nomen eius, et benedicentur in ipso omnes gentes.

Dominica XIX. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 9.

Et ascendens in naviculam transfretavit, et venit in civitatem suam. Et ecce, offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Iesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid vos cogitatis mala in cordibus vestris? Quid enim est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, an dicere, surge et ambula? Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade

in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam. Videntes autem turbae admiratae sunt, et glorificaverunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Tres sunt praecipui loci.

I. Differentia veteris et novi Testamenti.

II. De absolutione privata.

III. Calamitates humanae sunt poenae peccatorum, sed fiunt iustis exercitia, et mitigantur.

De primo.

Lex Moisi nec remittit peccata, nec mandat dici, Remittuntur tibi peccata. Quanquam enim habebat sacrificia, quae vocabantur placationes, tamen ceremoniae illae tantum merebantur talem remissionem, ne is pro quo sacrificabatur, excluderetur ex illo populo: et Epistola ad Ebraeos ait: Impossibile erat sanguine taurorum tolli peccata. Praeterea lex etiamsi quid dicit de remissione, tamen non dat gratuitam rémissionem, sed simul requirit integram obedientiam. Porro nisi remissio sit gratuita, erit irrita, nemo enim legi satisfacit. Ideo Paulus dimicat de particula Gratis, et hanc constituit differentiam inter Evangelium et legem, Evangelium gratis propter Filium Dei remittit peccata credentibus, et institutum est ministerium, in qua expresse annunciatur remissio, aut multis, aut singulis.

Sed quaerat aliquis: Quomodo igitur sancti in veteri Testamento consequebantur remissionem? Respondeo: Praeter ministerium legis erant revelatae promissiones de Christo. Has debebant sacerdotes etiam proponere populo, ut scirent remissionem offerri propter illam venturam victimam, et crederet quisque se hac fide consequi remissionem, sicut David ait: Beatus qui confidit in eo. Et Esaias: Quia ponet animam suam hostiam pro peccato etc., et Zach.: In sanguine testamenti tui emittes vinctos de lacu. Sed quia hic intellectus promissionum saepe obliterabatur, ideo Deus per Prophetas eum subinde restituebat. Cum his dimicabant sacerdotes, qui interea suas ceremonias superstitione, et avaricia cumulabant, et contendebant eas mereri remissionem. Has opiniones saepe reprehendunt Prophetae, ut: Holocaustis non delectaberis. Habebant ergo Patres remissionem involutam in promissionibus de Christo.

De secundo.

In Evangelio institutum est ministerium expressa voce annunciandae remissionis peccatorum omnibus credentibus in Christum. Et haec annunciatio non solum in genere multis proponi potest, ut doctrina, sed etiam applicari singulis, sicut dicit Christus: Si petet, remitte ei. Ut igitur recte dicit minister ad singulos, ut quisque credat in Christum, iuxta illud: Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite. Ita recte dicit minister cuilibet: Annuncio tibi ipsi vere donatam esse remissionem credenti in Christum. Haec applicatio privata reddit promissionem illustriorem, et ostendit beneficium Evangelii ad te pertinere.

De tertio.

Calamitates sunt pars legis, id est, carcer humanae naturae, in quem propter peccatum inclusi sumus, sicut Psal. inquit: Propter iniquitatem corripis filios hominum, et Paulus: Corpus mortificatur propter peccatum, scilicet, haerens in carne. Ideo Christus primum hic remittit peccata, postea tollit morbum, ut admoneat nos hanc naturam obnoxiam esse morti, et calamitatibus, quia est immersa peccato, et testetur se esse liberatorem, qui velit utrunque tollere, causam et effectum, peccatum et mortem, et reddere perpetuam iusticiam et vitam.

Cur ergo sancti consecuti remissionem peccatorum, tamen affliguntur? Respondeo, sicut Paulus inquit: Corpus mortificatur propter peccatum, scilicet, haerens in carne. Quia enim peccatum nunc imputatione sublatum est, et reipsa manet infirmitas carnis, vult eam Deus mortificari, ut in illis exercitiis exerceatur et luceat fides. Item, ut Deus ostendat suam gloriam in nostra infirmitate adversus diabolum, quem vincit per infirmos, iuxta illud: Scitote quod mirificat Deus sanctum suum, id est, mirabiliter liberat, ostendens gloriam suam in nostra infirmitate, cum desertos, abiectos, praeter omnia humana consilia, praeter omnium opinionem servat.

Dominica XX. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 22.

Et respondens Iesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens: Simile est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, et misit servos suos, ut vocarent invitatos ad

nuptias, et nolebant venire. Iterum misit alios servos, dicens: Dicite invitatis, ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia mactata sunt, et omnia parata, venite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, et abierunt, alius quidem in proprium agrum, alius vero ad negociationem suam, reliqui vero tenuerunt servos eius, et contumeliis affectos, occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit.

Tunc ait servis suis: Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus viarum, et quoscunque inveneritis, vocate ad nuptias. Et egressi servi in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos, et impletae sunt nuptiae discumbentibus. Intravit autem rex, ut spectaret discumbentes, et vidit illic hominem non vestitum veste nuptiali. Et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: Ligate ei pedes et manus, et mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit ploratus et stridor dentium. Multi enim sunt vocati, pauci autem electi.

Tota parabola est imago Ecclesiae omnium temporum. Et quanquam hic praecipue loquitur de reiectione et poena Iudaicae gentis, tamen ad omnium temporum similes eventus haec concio accommodanda est. Vocavit Deus initio Ecclesiam, sed plerique vocationem contemserunt, multi etiam interfecerunt vocantes, ideo sunt secutae poenae, ut diluvium, eversio Sodomorum, Aegypti, Cananaeorum, postea regni Israël, deinde Iudaeorum, postea Romanorum, et aliorum regnorum. Aliqui tamen vocati convenerunt, et semper aliqua fuit Ecclesia. Discamús ergo hic, quid et qualis sit Ecclesia, quae species, quae poenae hostium Ecclesiae, et malorum in Ecclesia.

De secundo.

Quid est Ecclesia? Est congregatio omnium qui credunt Evangelio, et sanctificantur Spiritu sancto, cui congregationi tamen multi mali admixti sunt, consentientes de doctrina, et usu Sacramentorum, qui et ipsi sunt socii seu membra externae societatis, et administrationis Ecclesiae.

Qualis autem sit species huius coetus, significatur hic, cum ait, maximam partem hominum aspernari ipsam vocationem. Alii, inquit, anteferunt suos agros, alii sua negocia, alii occidunt vocantes, id est, extra Ecclesiam sunt omnes, qui non amplectuntur doctrinam veram, ut Ethnici, Iudaei, Mahometistae, Epicurei, et qui nunc sunt hostes verae doctrinae, etiamsi vocantur Christiani. Nec locus aut titulus, sed doctrinae verae professio discernit Ecclesiam ab iis, qui sunt extra Ecclesiam. Nunc quoque multi qui vocantur Christiani, tamen propter agros suos fugiunt doctrinae professionem, et fiunt aut palam Epicurei, aut defendunt usitatos errores propter ventrem, ut multi Episcopi, Canonici, et alii.

Alii propter sua negocia fugiunt doctrinae professionem. Hic praecipue taxantur principes et aulici, qui etiamsi non exercent saevitiam, tamen negligunt Evangelium et Ecclesias, et putant harum rerum curam se indignam esse, habere se occupationes magnas, necessarias hominum vitae, videlicet constitutionem et defensionem imperiorum. Hanc occupationem ducunt esse gloriosam. Ecclesias nihil curant. Sic in alia parabola dicitur, semen inter spinas cadere, ubi praecipue spinae aulicae intelligantur. Tertium genus est tyrannorum, qui delere Evangelium conantur.

Erit igitur exiguus coetus Ecclesia, quia superiora tria genera sunt extra Ecclesiam. Ideo dicitur Sopho. 3.: Et reliquum faciam in medio tui populum pauperem et egenum, et sperabunt in nomine Domini. Haec consideranda sunt, ne cogitemus populum Dei esse maiorem multitudinem, et imperia, quae magis florent gloria et potentia, et ne abiecto verbo Dei, ad illam multitudinem deficiamus, sicut humana ratio movetur multitudine et fortuna, cogitat tam multos, tam florentes, non negligi a Deo. Adversus haec scandala confirmemus nos descriptionibus Ecclesiae, traditis a Christo et Prophetis, ut in parabola de semine, et Paulus inquit 1. Cor. 1.: Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles etc.

Diligenter autem observa in descriptione apud Sophoniam, quod addit: Et sperabunt in nomine Domini. Ecclesia alligata est ad doctrinam veram, non ad certa imperia regum et pontificum, et invocatio discrimen facit. Etsi Iudaei et Turci dicunt se invocare unum Deum, conditorem rerum: tamen negant Deum conditorem

rerum esse patrem Iesu Christi, negant opus esse mediatore, cum tamen Deus revelaverit se per Filium, et non velit invocari, nisi fiducia Filii, sicut saepe dicitur: Per hunc habemus accessum ad patrem. Item: Nemo novit patrem, nisi Filius, et cui Filius revelaverit. Non igitur invocant Deum Turci. Item fatentur se invocare sine verbo, sine promissionib., sine mediatore, cum perpetua dubitatione. Sed vera membra Ecclesiae invocant patrem Domini nostri Iesu Christi mediatoris, conditorem omnium rerum, et quidem fiducia huius propiciatoris, revelati in Evangelio, et exhibiti, petunt et expectant salutem. Haec invocatio discernit Ecclesiam a caeteris gentibus. Ideo diligenter observetur dictum: Et sperabunt in nomine Domini.

Postremo hic cogitemus etiam hunc cultum, scilicet invocationem, praecipue praestandum esse. Ideo enim et flagitat et addit promissiones, quia vult exaudire etc. Si cogitamus nos esse membra Ecclesiae, simus ex coetu invocantium.

De tertio.

Testatur hic Christus poenas impendere omnibus gentib. atque hominibus, qui sunt extra Ecclesiam Dei, sicut ostendunt exempla ab initio mundi, quae proposuit Deus, ut nos de ultimo iudicio et de aeternis poenis admoneat, de quibus concionatur Christus, cum inquit: Ite maledicti in ignem aeternum etc.

De quarto.
De veste nuptiali.

Supra dictum est de poenis omnium, qui sunt extra Ecclesiam. Nunc sequitur tristis concio. Etiam in Ecclesia Dei sunt hypocritae, qui damnati abiicientur in poenas aeternas, sicut hostes Evangelii, ut Saul perinde damnatus est, ut Goliath.

Quae est igitur vestis nuptialis? Alius aliud nominat, sed necesse est id esse, de quo Paulus inquit: Cupientes superindui, si tamen vestiti, et non nudi reperiemur. Et confessione omnium haec vestis est lux spiritualis, qua renascimur, de qua dicit secundae Corinthios tertio: Nos transformamur omnes retecta facie gloriam *Dei* speculantes, a gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu. Quid est autem illa lux spiritualis, quae discrimen facit inter hypocritas et renatos? Est haud dubie agnitione irae *Dei* adversus peccata expavescere, et rursus fide erigi, et confidere quod *Deus* recipiat nos, et hac fiducia eum invocare, ei subiici, petere et expectare ab eo gubernationem et defensionem, non diffidentem *Deo*, quaerere humana praesidia, non neglecto Deo, indulgere propriis cupiditatibus. Haec omnia complectimur, cum nominamus poenitentiam et fidem, seu regenerationem.

Est igitur vestis nuptialis illa ipsa regeneratio, quae complectitur motus poenitentiae et fidei, quae accipit remissionem peccatorum, et in omni vita petit et expectat a Deo auxilium, et incoat novam obedientiam.

Sunt autem in externa societate Ecclesiae multi sine hac veste nuptiali. Primum qui perseverant in peccatis contra conscientiam. Deinde et hypocritae, ut Achas, qui etsi videtur vir honestus et rectae professionis, tamen est, sine illa luce, id est, sine poenitentia, et sine fide, cumulat cultus, putat se iustum esse, gerit res multas, sed fiducia suae sapientiae, ac diffidens Deo, nec petit, nec expectat ab eo auxilium, undecunque quaerit praesidia humana, dehortantibus etiam Prophetis. Econtra in Davide, Ezechia sunt pavores et consolationes. Hi expavescunt agnitione suae infirmitatis, et rursus fide statuunt se a Deo receptos esse, et hac fiducia invocant, obediunt, petunt a Deo, et expectant auxilium. Haec exempla in historiis propheticis ideo descripta sunt, ut discamus hypocrisin a veste nuptiali, id est, a regeneratione, seu poenitentia et fide discerni.

Hac veste ornatus est Augustinus, cum paulo ante mortem de poenitentia et fide concionaretur, ac deploraret vitae actae securitatem, et rursus seipsum erigeret invocatione et fide Filii Dei. Econtra Achas erat sine vero timore, et sine vera fide, non agnoscebat se peccare, cum cultus fingeret suo arbitrio, cum indulgeret suo odio adversus Prophetas, non crederet se recipi, exaudiri propter promissionem divinam, imo dubitabat an exaudiretur, ideoque diffidens quaerebat alia praesidia.

Sic sunt sine veste nuptiali etiam adiuncti verae professioni, et sine publica turpitudine viventes, si tamen sunt securi, sine poenitentia, et quadam negligentia ac dubitatione, non petunt, nec expectant a Deo quicquam, sed confidunt suis consiliis et humanis praesidiis. Item, in adversis non agnoscunt se iuste puniri, existimant poe-

nas vel casu accidere, vel iniusto iudicio Dei, sicut Saul fremit adversus Deum in calamitate. Multo magis carent veste nuptiali, qui palam defendunt errores et viciosos cultus, sed de hoc coetu prius dictum est, qui cum sit extra Ecclesiam, sine ulla dubitatione damnatus est.

Caeterum etiam in sanctis manet imbecillitas, habet alius alio vestem nitidiorem, ut multa sunt etiam sanctorum errata, et peccata ignorantiae, quae tamen condonantur tenentibus fundamentum, id est, veram invocationem et fiduciam donatae misericordiae propter Filium Dei, sicut Paulus inquit: Nulla nunc condemnatio his qui in Christo Iesu ambulant.

Dominica XXI. post Trinitatis.

Evangelium Iohan. 4.

Et erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum. Hic cum audisset, quod Iesus adveniret a Iudaea in Galilaeam, abiit ad eum, et rogabat eum, ut descenderet, et sanaret filium eius, incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum: Nisi signa et prodigia videritis, non creditis. Dixit ad eum regulus: Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dixit ei Iesus: Vade, filius tuus vivit. Credidit homo sermoni, quem dixit ei Iesus, et ibat. Iam autem eo descendente, servi occurrerunt ei, et nunciaverunt, dicentes, quod filius eius viveret. Interrogabat ergo horam ab eis, in qua melius habuerat. Et dixerunt ei: Heri hora septima reliquit eum febris. Cognovit ergo pater, quod illa hora erat, in qua dixit ei Iesus: Filius tuus vivit. Et credidit ipse, et domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus cum venisset e Iudaea in Galilaeam.

Tres sunt praecipui loci.

I. Reprehensio humanae infirmitatis, quae pluris facit signa, quam verbum Dei, circumspectat, quaerit miracula, omisso verbo Dei.

II. Exemplum fidei, quod pingit et ostendit naturam fidei.

III. Fructus fidei, confessio et praedicatio.

De primo.

Quando primum editur verbum Dei, adduntur certa testimonia. Ut cum daretur lex, sunt addita ingentia signa, ut certo constet, doctrinam esse divinam, sicut et Patres et Prophetae testimonia habebant de promissionibus.

Postea cum constat verbum a Deo traditum esse, debemus ipsum verbum anteferre miraculis, adeo ut nec miraculis contra certum verbum credendum sit. Ita in Israël norant promissiones de Messia, et his debebant credere, plus quam miraculis. Sed humana mens negligenter audit verbum Dei, et magis movetur signis.

Has tenebras reprehendit Christus, quae tantae sunt, ut cum omnia plena sint miraculis, tamen praeter haec flagitemus alia inusitata. Hic ordo rerum, quod Deus quotannis foecundat agros, et pascit nos, quod dedit Filium suum pro nobis, qui revixit ex morte, et regnat, ut nos defendat in continuis periculis adversus diabolum, an non haec sunt ingentia miracula? Quanto autem plus moventur animi novo aliquo exemplo, ut curatione morbi alicuius, quam caeteris multo maioribus et aeternis beneficiis. Verum singuli cogitamus, Si Deus mihi adeo familiaris esset, ut fuit Abrahae, aut Mosi, si similibus testimoniis me quoque confirmaret, tunc vero ei credere auderem.

Hunc ipsum errorem proprie hic reprehendit Christus, et alibi, cum inquit: Generatio adultera signum quaerit. Habemus enim certum verbum Dei, in hoc vult nos intueri, iuxta illud: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Rom. 15.: Ut per consolationem scripturarum spem habeamus. Haec doctrina admodum utilis est, ut discamus vera exercitia fidei, nec quaeramus de voluntate Dei extra verbum. Item, vere sciamus Deum velle nobis haec praestare, quae in verbo promittit, perinde, ut praestitit Abrahae, Mosi, et aliis. Quid circumspectas prodigia? quaeris inusitata exempla? Quanquam haec quoque occurrunt multa fere singulis, tamen defigito oculos in verbum, et expectes ea, quae in verbo promissa sunt. In his exercitiis discitur, quid sit fides. Et quidem haec fides impetrat miracula, sicut hic, etsi reprehenditur humana infirmitas, tamen Christus postea addit miraculum, ut ostendat se mederi nostrae infirmitati.

De secundo.

Hic discamus fidem debere niti verbo Dei, nec abiiciendam esse propter nostram indignitatem, sicut et exemplum Syrophoenissae ostendit. De hac re et nunc controversia est cum monachis, et semper pharisaicae imaginationes in hoc articulo aberrant a Deo. Nam monachi et omnes fascinati legis opinionibus sic cogitant: Deus est verax et servans promissionum, sed tribuit eas dignis, Crederem me respici et exaudiri, si dignus essem.

Hunc errorem taxat Evangelium, ac iubet omnes agentes poenitentiam credere voci Dei, etiamsi agnoscunt se indignos et immundos esse. Haec fides in quotidiana invocatione exercenda et discenda est.

Et diligenter observandum est discrimen inter veram fidem, nitentem gratuita misericordia, et inter imaginationes pharisaicas, quibus fingunt homines se credituros esse, et invocaturos, si essent digni, et hoc errore omittunt veros cultus, et opera primi praecepti, non credunt, non invocant Deum, non expectant bona a Deo. Sed ut praestemus opera primi praecepti, tenenda est doctrina de hac fide, petente et expectante bona a Deo, ac nitente promissa misericordia propter mediatorem Christum, etiamsi nos non sumus digni.

Huc pertinent innumerabiles sententiae: Petite, et accipietis. Invoca me in die tribulationis. Prope est Dominus omnibus invocantibus eum. Et Psal. 36.: Subditus esto Deo, et ora eum. Ergo sicut discedit regulus, expectans beneficium promissum, nec deterretur sua indignitate, ita nos credamus voci Dei, et hac fide petamus et expectemus beneficia.

De tertio.

Postquam agnovimus Deum, sequi debet nova obedientia, et praecipue praestandus est hic cultus, ut alios nostro testimonio invitemus ad agnitionem Dei. Sicut hic regius suam familiam invitat ad fidem. Hic cultus praecipuus est, iuxta illud: Quid retribuam domino pro omnibus quae retribuit mihi? Tibi sacrificabo hostiam laudis. Item Petrus: Estis vocati ad hanc lucem, ut enarretis gloriam Dei. Ergo qui agnoverunt veram doctrinam, meminerint se debere eam confiteri, et aliis impertire.

Dominica XXII. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 18.

Ideo assimulatum est regnum coelorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis. Et cum coepisset rationem ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talentorum. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus eius venundari et uxorem eius et filios, et omnia quae habebat, et reddi. Procidens autem servue ille, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Misertus autem dominus servi illius, dimisit eum, et debitum remisit ei.

Egressus autem servus ille, invenit unum de conservis suis, qui debebat ei centum denarios. Et tenens eum suffocabat eum, dicens: Redde quod debes. Et procidens conservus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, et omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abiit, et misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conservi eius, quae fiebant, contristati sunt valde, et venerunt et narraverunt domino suo omnia quae facta fuerant. Tunc vocavit illum dominus suus, et ait illi: Serve nequam, omne debitum remisi tibi, quoniam rogasti me, nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego misertus sum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum. Sic et pater meus coelestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.

Quatuor sunt loci praecipui.

I. Differunt haec duo, ministerium publicum remittendi peccata, et privata condonatio offensionum.

II. Ministerium est duplex, annunciatio Evangelii de remissione manifestorum et ignotorum delictorum. Et iurisdictio ecclesiastica instituta de manifestis delictis, ut sit in Ecclesia correctio aliqua peccantium.

III. Discrimen ecclesiasticae gubernationis et politicae.

IIII. Quomodo cum condonatione privata coniuncta esse possit defensio, et quando defensione utendum sit.

De primo.

Ministerium publicum remittendi peccata, est ipsum mandatum Christi traditum per Evangelium, ut in Ecclesia expresse annuncietur remissio peccatorum, singulis aut multis credentibus, iuxta illud: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Hanc vocem non praedicabant levitici sacerdotes, sed in genere concionari debebant, propter venturum Messiam credendum esse remissionem peccatorum, ut Petrus inquit in Act. cap. 2.: Baptizetur unusquisque in nomine Iesu Christi, ad remissionem peccatorum. Et 2. Corinth. 5.: Posuit in vobis sermonem reconciliationis. Et hic Matth. 18.: Quoties remittam? Septuagies septies. Nam prior illa pars textus, non de privata condonatione tantum, sed de ministerio loquitur, cum clare prius dicat: Quicquid ligabitis supra terram, erit ligatum in coelo, et quicquid solveritis super terram, erit solutum in coelo. Estque haec sententia fideliter retinenda, quod illa pars de ministerio loquatur, per quod Deus remittit peccata. Nec tantum putemus esse civile praeceptum de privata condonatione, nihil pertinens ad remissionem divinam, ut multi hunc textum depravant.

Sed privata condonatio est, non odisse eum, qui te offendit, nec vindictam expetere. Sicut Iacob fratrem Esau diligebat, quanquam magnis iniuriis affectus erat. Huius virtutis simulacrum aliquod etiam Ethnici norunt, quia necessaria est in vita haec mansuetudo, non omnes iniurias persequi, sed multas publicae tranquillitati condonare. Sicut Romae publice cogebantur redire in gratiam inimici, qui eosdem magistratus eodem tempore gesturi erant. Et Attica civitas humanissimum decretum fecit de ἀμνηστίᾳ, id est, oblivione iniuriarum. Et Scipio dissimulabat iniurias Tribunorum.

Sed Ecclesia multo plures causas habet parcendi. Prima est, quia scit Deum praecipere de hac condonatione, et quidem adeo severe, ut dictum sit: Si non remiseritis, non remittet vobis pater coelestis.

Secunda, quia vindicta est honos Deo competens, iuxta illud: Mihi vindictam, et ego retribuam. Vult igitur Deus nos omittere privatam vindictam.

Tertia, quia nos agnoscere debemus, nos quoque habere peccata digna poenis, et cum nobis parci velimus, sic simus affecti erga alios, iuxta illud: Quod tibi vis fieri, alteri feceris. Sic David pepercit maledico Simei, addens valde memorabile dictum: Reddet mihi Dominus bonum pro his maledictis. Significat enim hanc patientiam Deo gratam esse, et Deo curae esse, ut rursus ornemur, etiam cum iniuste deformati sumus.

Quarta causa est, quia vult nos Deus parcere communi tranquillitati Ecclesiae, quae turbatur cum aluntur certamina.

Quinta, interturbatur precatio crescentibus odiis in vindicta.

Sexta, impediuntur alia negocia magis necessaria. Has causas diligenter consideremus, et nos ad hanc virtutem, videlicet ad mansuetudinem assuefaciamus, nec indulgeamus odiis, et cupiditatibus vindictae.

De secundo.

Duplex est ministerium. Quoddam est annunciatio Evangelii, qua nota et ignota peccata remittuntur. De hoc ministerio proprie dictum est: Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. Item: Ite, praedicate poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo. Denique haec est propria vox Evangelii, per quam Deus credentibus ignoscit, administrata seu multis, seu singulis, ut in privata absolutione. Alia res est iurisdictio, quae pronunciat de manifestis delictis. Voluit enim Christus in Ecclesia sua correctionem esse publicam peccantium. Quia vero Ecclesia non est politia similis mundanis, hoc est, ministri Evangelii non gerunt gladium: Christus instituit talem correctionem, quae non tam quaerit poenam, quam sanare studet, iubet primum admoneri lapsum, ut ultro redeat in viam. Si redit, iubet eum recipi, sicut dictum est: Septuagesies septies, quia Christus scit multo plures lapsus, quam nos existimamus. Sin autem non redit, iubet eum eiici ex Ecclesia, i. e. feriri comminatione divinae irae.

Hic est nervus disciplinae, quem Christus in Ecclesia constituit, et vult servari, sicut et Apostoli, et deinde pii Episcopi excommunicatione hoc modo executi sunt. Corinthii excommunicant incestum, et Paulus inquit, traditum esse

Satanae, ut corpus eius excruciet. Aliqua enim corporis vexatio incestum illum invasit, ut Stilliconis scriba, quem excommunicavit Ambrosius, furore correptus est: quia vera excommunicatio non est inane fulmen, sed iudicio Dei sequuntur corporales poenae et calamitates, ut in Genesi scriptum est: Maledicam maledicentibus tibi.

De tertio.

Ingens discrimen est inter gubernationem ecclesiasticam et politicam, quod semper in conspectu nobis esse debet, nam confusio magnas tenebras affert. Quid sit gubernatio politica, facile intelligit ac iudicat humana ratio, quia Deus indidit humanae menti leges, iuxta quas constituendae sunt politiae. Est igitur politica gubernatio mandatum divinum per certos magistratus custodiendae externae disciplinae, et retinendae pacis, et puniendi contumaces poenis corporalibus, seu gladio.

Magnum et mirandum Dei opus est, quod non solum nostris mentibus indidit leges, quibus regenda sunt imperia, sed quod etiam et ipse singulari modo constituit, et transfert, sicut in Daniele dicitur, et praecipue eam partem curat, quae praebet hospitium Ecclesiis: nam ad hunc finem constituit principaliter imperia, ut sint hospitia Ecclesiae. Sicut autem coniugio multi abutuntur, sic multi reges et principes abutuntur imperiis, faciunt iniustas caedes, rapiunt facultates subditorum, sine modo indulgent libidinibus.

Cum ita grassantur in imperiis gubernatores, Deus eos excutit, et regna transfert. Nam hae semper fuerunt causae mutationum. Cyrus punivit Astyagen, qui filium vescendum Hapargo praebuerat. Persarum saevitiam punivit Alexander, deinde petulantiam Graecorum Romani punierunt. Romanae nobilitatis tyrannides Iulius punivit. Postea crebrae mutationes factae sunt. Et imperia ad extremum plus confusionis habitura sunt.

Ac iusta imperia sunt beneficia Dei. Tyrannides vero admixtae permittuntur ad tempus, ut sint poenae scelerum mundi, sicut pestilentiae, aut incendia fortuita. Ideo dicit Salomon: Propter peccata populi, multi sunt principes, id est, crebrae mutationes imperiorum fiunt, nec fiunt mutationes sine magnis cladibus, ut ostendunt quotidiana exempla. Et ecclesiast. 10. dicitur: Regnum a gente in gentem transfertur, propter iniurias. Contra Salomon dicit: Iusticia stabilitur thronus.

Haec cogitanda sunt de imperiis, ut sciamus homines non casu consociatos esse, sed hunc politicum ordinem esse *Dei* opus, et discernendam esse rem a personis, lacerari ordinem furoribus hominum, et a Deo puniri dilacerationes, et aliqua hospitia Ecclesiis servari, alias magis, alias minus tranquilla. Illa igitur imperia, quae sunt hospitia Ecclesiae, fideliter Deo commendemus: nam in his quoque oriuntur multae saevae tempestates. Ideo Paulus pro his precari iubet 1. Timoth. 2. Et finem ostendit, ut habeatis tranquillitatem cum pietate. Iubet expeti pacem, non ut pace ad luxum abutamur, sed ut serviat educationi, tuendae disciplinae, piis studiis. Sic Psalmus docet orare, Fiat pax in virtute tua: et ponitur inter praemia pietatis florens Respub. ut in Psalmo dicitur: Ut videas bona Ierusalem omnibus diebus vitae tuae. Et Esai. 33.: Videbunt regem in decore suo, id est, pii videbunt florentem statum Reipublicae.

Quid est autem ecclesiastica gubernatio? Est mandatum Dei, quod praecipit docere Evangelium, vocare ministros Evangelii, administrare sacramenta, punire contumaces excommunicatione, sine vi corporali. Haec gubernatio prudenter discernenda est a politica, et fines considerandi sunt. Haec regit non tantum externos mores, sed docet corde invocare Deum, et aeterna bona impertit piis, etiam cum vitam et imperia amittunt, sicut David, quanquam excussus erat regno, tamen sciebat se a Deo petere debere remissionem peccatorum, et expectare auxilium in praesentibus aerumnis.

Ita nunc sentiamus, cum opprimuntur pii a Turcis, non propterea deficiant a Deo, quod politias amiserunt. Sciamus aliud esse regnum coeleste, ministerium verbi, puniri nos agnoscamus, ereptis commodis corporum, et nos verbo Dei in his aerumnis sustentemus. Hic discamus Evangelium esse ministerium spiritus, id est, non externam politiam, sed consolationem mentis, quae aeterna bona impertit, ut David, Manasses, non amiserunt ministerium spiritus, etiam cum regno expulsi erant. Haec admonitio necessaria est propter eos, qui tantum florentes politias imaginantur populum Dei esse, sicut Turci, et de doctrina iudicant ex fortuna politiarum, quod non est faciendum.

De quarto.

Dixi aliud esse ministerium remissionis peccatorum, aliud privatam condonationem. Ministerium concionatur de divina voluntate. Privata condonatio de tua voluntate erga alterum testificatur, videlicet te remittere alteri, et non expetere vindictam, ac rursus te vera benevolentia complecti eum propter Deum, ut David condonabat Sauli, Iacob fratri Esau. Hoc officium Deus requirit in Ecclesia propter causas, quas supra recensui, et habet praemia, sicut alia bona opera, iuxta illud: Remittite, et remittetur vobis, scilicet mitigatione poenarum.

Sed hic quaeritur de Magistratu, et de privata defensione. Magistratus mandato divino cogitur punire scelera. Primum, propter iusticiam, quia iusticia Dei vult tolli sceleratos. Secundo, ad tuendos innocentes. Tertio, exempli causa. Et vult Deus magistratum in hoc suo munere non esse ignavum et negligentem, vult disciplinam et pacem severe defendi, ut lex inquit: Non parces ei, sed tolles malum de terra. Ideoque cum magistratus polluit se societate scelerum, hoc est, cum est negligens in puniendo, totae gentes delentur.

Non igitur misceantur sententiae de remissione privata, muneri magistratus, sicut miscuit Iulianus, et derisit Evangelium, quasi haec dicta de remissione tollant defensionem pacis, et nervos civilis societatis. Et Anabaptistae diu talia deliria sparserunt. Sed tenenda est regula: In Evangelio vere comprobari magistratum, et leges politicas, cum ratione congruentes, ut constat ex 13. capite ad Romanos.

Quod autem quaeritur de defensione, pii diligenter monendi sunt, magnum discrimen esse defensionis et privatae vindictae. Ut si quis iniustam litem tibi moveat de agro, iustum est uti legitima defensione, hoc est, auxilio magistratus, quo res tuas retineas, sed non accedat odium, et cupiditas nocendi adversario. Sic de conviciis, iustum est respondere defensionis causa, ut Christus respondet: Non habeo daemonium. Sed non accedat odium, et rabies atrociora faciendi contra adversarium. Hoc discrimen defensionis et vindictae privatae prudenter considerandum est. Nam mundus flagitiose commiscet. Postquam lis mota est, non sumus contenti legitima defensione, sed accendimur odiis et cupiditate nocendi, et tentamus atrocia, non ut nos tueamur, sed ut noceamus adversario, imo ut eum deleamus. Et ex paucorum certamine interdum magni motus, magnae dissipationes et bella civilia oriuntur. Ut ex Pompeii et Caesaris aemulatione exarsit bellum civile.

Sed pii discernant haec duo, defensionem, et vindictam privatam, et intra metas in Evangelio propositas se contineant. Defendere, est famam, vitam, res retinere certo ordine, sine cupiditate nocendi alteri. Vindicta, est cupiditas nocendi in animo irritato. Si quis tibi vitam aut res iniuste eripere conatur, implorare auxilium magistratus, iustum est, sicut Paulus provocat ad Caesarem. Sed non addas cupiditatem nocendi. Si convicia dicuntur, considera quando necessaria sit refutatio, quando non sit necessaria. Tunc est necessaria refutatio, cum Evangelium contumelia afficitur, aut cum inurunt notas scandali, quae deformant Ecclesiam, aut cum nocent paci, vel amicorum concordiae. Sicut Athanasius refutavit obiecta crimina magiae, et machinationem contra imperatorem. In talibus defensio necessaria est, iuxta illud: Bona conscientia nobis opus est nostra causa, bona fama propter proximum. Et talis defensio congruit cum hoc dicto: Benedicite maledicentibus. Nam refutans est sine cupiditate nocendi, et benedicit, id est, vel docet adversarios, vel etiam pro aliquibus orat, et tamen interim cogitur convicium aliorum causa, tanquam excitatum incendium restinguere.

Sed alia multa sunt convicia, ut inscitiae, ignobilitatis, stoliditatis, et similia, quae nec laedunt Evangelium, nec scandali notas inurunt, nec nocent paci. Haec non necesse est refutari. Sed plerunque ex arrogantia aut superbia oritur refutatio, iuxta illud: Qui velit ingenio cedere, nullus erit. Et contentio paulatim crescens, auget dissidia, quae cum latius vagantur, saepe totas respub. evertunt.

Hoc periculum pii intelligant, et reprimant iracundiam, et aliquas iniurias prorsus dissimulent, ac condonent publicae tranquillitati, neque de omnibus parvis et magnis rebus pugnandum esse existiment. Nam in parvis defensione nihil opus est. Sed sciant hanc moderationem Deo placere, et necessariam esse communi tranquillitati, imo necessariam in precationibus, videlicet, frenare cupiditatem vindictae, et quasdam iniurias prorsus dissimulare. Sicut Ecclesiast. 28. multae

sententiae docent. Abstinens a lite peccata minuet. Ideo autem toties in veteri et novo testamento haec praecepta repetita sunt, quia in omni gubernatione maximos motus excitat cupiditas vindictae, ut in versu etiam dictum est:

Nam caetera regna
Luxuries vitiis, odiisque superbia vertit.

Dominica XXIII. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 22.

Tunc abeuntes Pharisaei, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum, Dic ergo nobis, quid tibi videtur, Licet censum dare Caesari, an non? Cognita autem Iesus nequicia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritae? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis Iesus: Cuius est imago haec, et superscriptio? Dicunt ei: Caesaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari, Et quae sunt Dei, Deo. Et audientes mirati sunt, et relicto eo, abierunt.

Loci sunt *quatuor* praecipui.

I. De discrimine promissionum corporalium et aeternarum.
II. De tempore adventus Christi.
III. De vero cultu Dei, et de regula, quod oporteat Deo magis obedire, quam hominibus.
IIII. De officiis corporalibus, quae vel iure petit potestas, vel vi extorquet.

De primo.

Prodest saepe commonefieri homines de discrimine promissionum, quia omnibus temporib. etiam magni homines lapsi sunt mala interpretatione promissionum corporalium. Cum Ieremias praediceret templi et urbis excidium, arguebant eum sacerdotes manifesti erroris, quia scriptum est: Non auferetur sceptrum de Iuda. Cum huic populo regnum et huius cultus conservationem Deus promisisset, disputabant praedicationem Ieremiae manifeste pugnare cum promissionibus clarissimis, nec paucos movebant hi clamores. Dicitur et de filiis Ephraim 1. Paral. 7. longe ante Moisen invasisse eos terram promissam, et interfectos esse, ii haud dubie moti sunt promissione, et disputaverunt se debere fretos voce divina arma capere, et sua occupare, Deum non velle ut ociosi negligerent promissa. Quem non moveret tam speciosa ratio? Sic nos disputamus: Nunquam delebitur Ecclesia, ergo necesse est vinci Turcas, necesse est in his locis manere statum Ecclesiae. Ita et in hoc casu Iudaei argumentabantur: Semini Abrahae est promissa libertas, ergo etiam tueri debemus, et excutere Romanos.

Ad hoc argumentum explicandum, tenendum est discrimen mandatorum et promissionum, item promissionum corporalium et aeternarum. De mandatis nihil dubium est, facienda esse quae Deus praeceperit. De promissionibus etiam universaliter sciendum est, credendum esse promissioni, sed non praesumendum modum, aut tempus, nisi voce Dei exprimatur, ut credere debemus nos resurrecturos esse, sed tempus et modum ignoramus.

Postea necessarium discrimen est promissionum. Alia est reconciliationis et rerum aeternarum, quae est propria Evangelii, et datur gratis propter Filium Dei. Estque mandatum, ut huic promissioni credamus, et iam accipiamus reconciliationem fide, et omni tempore ad eam redeamus, iuxta illud: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed convertatur et vivat.

Aliae sunt promissiones corporalium beneficiorum, quae vel nominatim expressa sunt, vel non nominatim expressa. Estque tenenda regula de omnibus promissionibus corporalibus, non rapiendas esse nostris consiliis, sine vocatione divina. Addenda etiam conditio, Ecclesiam subiectam esse cruci. Sic etsi Abrahae promissa erat terra, tamen nunquam eam occupavit. Ideo ad Ebraeos dicitur: Mortui sunt non accepta promissione, expectantes aeternam promissionem. Item patres in Aegypto sciebant sibi promissam esse terram, nec tamen occupabant, sed expectabant vocationem. Davidi promissum est regnum, neque tamen rapuit vivo Saul. Christus inquit: Habebunt centuplum in hac vita, quod intellige non rapiendum humano consilio, sicut Anabaptistae fingebant se debere aliorum opes occupare. Sed intellige, sicut Deus suo consilio dabit, et Christus ipse addit interpretationem, cum tribu-

latione. Servabitur Ecclesia, sed mirabiliter, etiamsi interea varie exercebitur.

Singularis est haec sapientia Ecclesiae, non rapere promissiones humano consilio. Item, discernere corporalia ab aeternis, etiam cum corporales eripiuntur, tamen sciendum est non amitti aeternas, ut cum David excussus erat ex regno, sciebat se debere obedientiam in poena, sed tamen non esse abiiciendam promissionem de remissione peccatorum et vita aeterna, hanc manere immotam propter promissum Dominum. Sicut dictum est: Iuravit Dominus, et non poenitebit eum. Saul amisso regno etiam abiecit promissionem de remissione peccatorum, ut multi in calamitatibus, penitus abiiciunt promissionem rerum aeternarum, amissis corporalibus.

Sciendum est igitur omnibus promissionibus corporalibus inclusas esse conditiones duas, videlicet conditionem crucis, item conditionem poenae inobedientiae, sicut promissiones legales pendent ex conditione obedientiae. Promissa est populo libertas, sed ita, ut etiam exerceatur cruce, item ut puniantur etiam impii. Sic Ieremias respondebat suis adversariis: Promissum est populo regnum, ergo servabitur. Concedit utrunque. Regnum promissum est, sed cum conditione, ut etiam puniantur impii, item, ne crux tollatur. Et servabitur regnum, sed aliter quam iuxta humanas imaginationes, quia Ecclesia non regitur humanis consiliis, sicut scriptum est: Sine me nihil potestis facere. Et apud Ierem. cap. 10.: Scio Domine, non est hominis via eius, nec viri est, ut ambulet et dirigat gressus suos, id est, homo non habet omnes eventus in sua potestate, et ut peccata non intelligit omnia, ita nec poenas prospicit, et quia consilium Dei de afflictionibus Ecclesia non prospicit: ideo non potest omnes casus prospicere et regere. Multa accidunt aliter, Iacob, Davidi et aliis, quam ipsi cogitaverant.

Est et aliud argumentum in hac causa agitatum, templum defendendum esse. Census erat templi. Nam Romani didrachmum quotannis pendendum templo viritim ad se transtulerant. Ergo Iudaei non debebant permittere, ut reditus templo adimeretur. Respondendum est ad maiorem, Templum defendendum est, scilicet quod ad doctrinam et veros cultus attinet, non quod ad pecuniam aut lapides attinet. Sicut Ieremias voluit defendi et retineri doctrinam et veros cultus, non voluit defendi lapides aut pecuniam. Ita iam ereptio pecuniae toleranda erat inter mala servitutis, sicut reliqua onera servitutis.

Simul autem debebat populus agnoscere beneficium Dei in hac ipsa servitute, et tempus adventus Messiae. Magnum beneficium Dei erat quod Romani non everterant templum, non polluebant statuis, non deduxerant eo colonias abducto populo. Haec saepe apud alias gentes fiebant, et paulo post acciderunt in Iudaea, post resurrectionem Christi. Praedictum autem erat a Daniele mansuram civitatem, usque ad adventum Messiae. Has praedictiones ad servitutem conferre debebant, quia etiam praedictum fuerat, in quarta monarchia venturum esse Messiam, cum populus amisisset regnum. Sed multitudo fascinata erat stultis persuasionibus, et errore de regia potentia Messiae. Ideo nec vaticinia intelligebant, nec agnoscebant Christum. Ita impietas fascinata propriis deliriis discedit a verbo Dei.

De secundo.

De tempore adventus Christi.

Haec ipsa servitus, in qua tunc erant Iudaei, sub quarta monarchia, testimonium erat adventus Christi. Quia Iacob praedixit regnum Iuda mansurum esse usque ad adventum Christi, iuxta illud: Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, donec veniat Messias. Iam autem pars Iudaeae redacta erat in formam provinciae. Galilaea habebat regem Herodem Idumaeum. Et praedixerat Daniel annos, qui iam decurrebant ad finem. Haec collecta piis erant certa testimonia adventus Messiae. Ideo hunc concionatorem, qui resuscitabat mortuos, et repurgabat doctrinam, et cui Iohannes dederat testimonium, agnoscebant esse Messiam. Sed impii fascinati opinione de regno mundano nolebant eum agnoscere. Caeterum nobis utile est cogitare testimonia, quod venerit Messias. Prophetae clare praedicunt venturum esse durante politia Iudaica. Nunc funditus deleta iacet, diutius quam stetit, necesse est igitur venisse Filium Dei.

De tertio.

Date Deo, quae Dei sunt.

Haec est praecipua responsio in hac disputatione, et explicat obiecta argumenta. Pharisaei disputabant templo dandam esse hanc pecuniam, non Caesari. Respondet Christus: Date Deo,

quae sunt Dei, id est, veram doctrinam et veros cultus, haec non sunt cedenda ulli creaturae, ut tres viri in Babylone sinebant sibi eripi res et corpora, sed veram doctrinam et verum cultum non sinebant sibi eripi. Vos econtra de pecunia disputatis, veram doctrinam et veros cultus ipsi abiicitis, Evangelio adversamini, cumulatis traditiones, et aucupia quaestus, fingitis falsa dogmata, sectamini Sadducaeos et Pharisaeos.

Quare diligenter hoc loco discrimen consideretur rerum, quas cedere aliis possumus, et quas non licet cedere. De doctrina et de vero cultu non est cedendum, sed vitam et fortunas rapientibus adversariis relinquamus, praesertim si nemo nos defendat, sicut in multis dictis Evangelii docemur, Matth. 10.: Qui me confessus fuerit etc.

De quarto.

Date Caesari, quae sunt Caesaris.

Duplicia sunt tributa. Quaedam iuste imposita, quia Deus, qui est autor politici ordinis, vult esse gubernatores, et vult conferri pecuniam ad communem defensionem, etiam magistratibus et militibus dari stipendia, ideo mediocria et tolerabilia tributa iuste petuntur. Et Iohannes ea approbat, inquiens: Estote contenti stipendiis vestris.

Sed idem praecipit militibus, ut sint contenti, non supra mediocria tributa rapiant ex populi facultatibus, quantum ipsis libet. Et ut Deus est autor politici ordinis, ita ipse sua voce, Non furtum facies, discernit singulorum facultates, teneant suum gubernatores, teneant et cives proprias facultates, ne conturbet hoc discrimen rapacitas gubernatorum. Punivit Deus Achab eripientem civi Naboth fundum, ita puniet caeteros, qui iniustas expilationes indicunt.

Dixi quaedam esse tributa iuste imposita, quae iustissimum est etiam pendere, quia singuli pro communi defensione, non solum fortunas, sed etiam corpora nostra conferre debemus, sicut Iohannes inquit: Sicut ipse animam suam pro nobis posuit, sic unusquisque pro fratre suo animam ponere debet. Dixi etiam quaedam immodica tributa iniuste indici. Quid igitur facient subditi de iniustis expilationibus?

Respondeo. Omnes difficultates gubernationis sunt poenae nostrorum peccatorum, sicut Salomon dixit: Propter peccata populi mutantur principatus. Quanquam igitur actio iniusta est, et expilatores punientur, tamen passio est iusta, id est, nos sentiamus nos iusto iudicio Dei puniri, sicut Daniel inquit: Tibi Domine iusticia, iuste punimur, et agnitam poenam feramus, solvamus tributa, etiam iniuste imposita, sicut reliqua servitus, quae multiplex est, toleranda est, et agamus poenitentiam, ut Deus mitiget publicas calamitates.

Sic Christus volebat Iudaeos cogitare omnia tempora suae politiae. Tempore Davidis et Salomonis magna gloria huius populi fuit, postea servitus crevit. Semper autem calamitates illae fuerunt poenae peccatorum, et Deus rursus liberavit reliquias populi, agentes poenitentiam, et mirabiliter servavit in tanta servitute cultum et templum. Ita tunc quoque volebat eos servitute admoneri, ut cogitarent de poenitentia, et ferrent interim calamitatem, ac a Deo liberationem expectarent, quasi diceret: Date Caesari, feratis onus et servitutem corporalem, quia vestris consiliis et viribus non potestis excutere, sed si reliquiae agent poenitentiam, liberabuntur divinitus.

Ut autem Ecclesia ultimo tempore populi Iudaici in quadam acerba et tristi servitute fuit, Ptolemaeus Lathurus trucidata magna multitudine Iudaeorum, iusserat dissecari corpora mulierum et puerorum, et dissecta membra coqui, et his vesci Iudaeos coëgerat. Tantis calamitatibus illa extrema aetas fuit obnoxia. Ita sciamus nunc extremo mundi tempore Ecclesiam in servitute fore, vel sub Turcis, vel sub aliis regibus et principibus, et habituram exiguam defensionem. Ideo discamus ferre difficultates politiarum, et agamus poenitentiam, ut Deus eas mitiget. Interim tamen suum quisque officium diligenter et prudenter faciat, ut retineamus Ecclesias, quas Deus mirabiliter servabit, etiamsi in tantis regnorum mutationis quassabuntur. Oremus etiam Deum, ut ipse regnorum mutationes mitiget.

Dominica XXIIII. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 9.

Haec cum illis loqueretur, ecce Primas quidam venit, et adoravit eum, dicens: Filia mea modo defuncta est, sed veni, et impone manum tuam super illam, ac vivet. Et surgens Iesus, secutus est eum, ac discipuli

illius. Et ecce mulier quae sanguinis profluvio laboraverat duodecim annos, accedens a tergo, tetigit fimbriam vestimenti illius. Dixerat enim intra sese, Si tantum tetigero vestimentum illius, ero salva. At Iesus conversus, ut vidit illam, dixit: Confide filia, fides tua te salvam fecit. Et salva facta fuit mulier a tempore illo. Et cum venisset Iesus in aedes Primatis, vidissetque tibicines et turbam tumultuantem, dicit illis: Secedite, non enim mortua est adolescentula, sed dormit. Et deridebant illum. Cum autem esset eiecta turba, introgressus, tenuit manum illius, et surrexit adolescentula. Et emanavit rumor hic in totam terram illam.

Quatuor sunt loci.

I. De Synagogis.
II. Doctrina communis de miraculis.
III. Doctrina de fide, et invocatione.
IIII. Allegoria tibicinum, et aliae.

De primo.

Singulari consilio Deus in populo Israël, tantum unum esse tabernaculum seu templum voluit, ad quod fierent legitima sacrificia oblationes et mactationes, et ad quod semper praesto erat summus sacerdos, cum aliquo collegio. Haec ordinatio proderat ad retinendam concordiam doctrinae, opinionum et cultuum. Quia diversa templa, diversi pontifices citius peperissent diversos cultus et diversas opiniones, sicut postea accidit, quando Ieroboam et alii humana audacia condiderunt novum templum, hinc discordia doctrinae, et magni errores orti sunt. Facilius enim retinetur concordia, cum in uno loco perpetua doctrinae professio per manus traditur, et propagatur doctrina certa autoritate et certis testimoniis, et semper est gravis senatus inspector, qui considerat, quid publice doceatur, et in illo populo promissio divina facta erat, semper apud hos cultus, et in hac sede futuram aliquam Dei Ecclesiam, et veritatem. Quare etiamsi saepe pontifices et magna pars collegii erat impia, tamen Deus servavit aliquas reliquias, ut Ieremiam, Simeonem, Zachariam, et similes. Erat igitur unus locus, ad quem certo tempore omnes conveniebant ex omnibus oppidis, et ibi doctrinam conferebant. Sicut et Christus adolescens mansit Hierosolymis, de doctrina disputans cum collegio, etsi tunc quidem Pharisaei et Sadducaei extinxerant lucem verae doctrinae.

Quanquam autem una sedes erat, tanquam inspectrix et gubernatrix doctrinae, tamen in omnibus oppidis reliquis Synagogae erant, id est, conventus instituti, non ad oblationes aut mactationes hostiarum, sed tantum ad exercitia doctrinae et publicas precationes. Voluit enim Deus ubique sonare vocem Prophetarum. Sed tamen ut maneret consensus, erat una summa schola inspectrix ad templum.

Haec ideo recito, ut agnoscamus Deum velle etiam studia doctrinae, et gravi autoritate, per coetus aliquos, propagari doctrinam, et esse inspectores, ad retinendam doctrinae concordiam. Haec consideremus, ut excitemur ad amandas, juvandas et tuendas scholas, in quibus Evangelium lucet, sicut populo Israël mandatum erat, ut suum templum tuerentur. Quia semper vult Deus aliqua esse Ecclesiae studia, sicut servat suum librum Ecclesiae, scriptum per Prophetas et Apostolos.

Ideoque mandaverat imponi tabulas Moisi in arcam, ut significaret in Ecclesia mansuram esse doctrinam a se traditam. Fuit igitur Archisynagogus in oppido Capernaum, lector et interpres quispiam Prophetarum, qui ornatur hic insigni miraculo. Quia enim pauci doctores credebant Christo, ideo huius fidem Christus singulari beneficio remunerat.

De secundo.

Uno et eodem modo plerunque de miraculis dicimus, tria haec de miraculis tenenda esse. Primum universaliter facta Prophetarum, Christi et Apostolorum miranda, esse testimonia de doctrina, quibus Deus testatur, se adesse his docentibus, et hanc doctrinam sua voluntate proponi. Ut miracula omnia, quae facta sunt, cum populus educeretur ex Aegypto, testimonia erant doctrinae, videlicet, hanc vocem legis vere esse vocem Dei. Sic resuscitationes mortuorum factae a Christo, testantur eum a Deo missum esse, et genus doctrinae haud dubie divinum esse. Nosque haec miracula confirment, ut amplectamur Evangelium, et discernamus a philosophorum doctrina, et ab humanis opinionibus. Quanquam enim et aliae gentes quaedam miracula habent, tamen haec sunt propria Ecclesiae, quae nulla creatura imitari potest, scilicet, reddere vitam mortuis, sistere

solem, foecundas facere anus. Haec opponamus inanibus factis, quae narrant Ethnici, ut de dissecta cote. Sit igitur semper haec de miraculis divinis prima cogitatio, testimonia de doctrina nobis proponi, in quibus toties se Deus patefecit.

Secunda doctrina. Christi facta peculiariter ostendunt, quale sit regnum Messiae. Iudaei expectabant gloriosas victorias, partitiones provinciarum, magnas opes et dulcem tranquillitatem, sed Christus ostendit sua beneficia alterius generis esse: annunciat remissionem peccatorum, pollicetur et incoat vitam aeternam, et instaurationem humanae naturae, et ut ostendat utrunque, se et re opitulari, et esse instauratorem vitae, sanat omnes petentes. Quoties igitur eius facta cogitamus, de perpetuo regno Christi cogitemus, quae beneficia dare velit animae et corporis. Sciamus tale esse nunc quoque eius regnum, semper eum adesse, remittere peccata petentibus, exaudire invocantes, sanare, iuvare in multis magnis periculis corporum.

Tertio. Miracula sunt exempla promissionum, et applicationes ad singulos. Promissio est: Petite, et accipietis. Exempla sunt, hic Archisynagogus, Centurio, Syrophoenissa, et reliqui omnes, qui in suis aerumnis liberationem petiverunt. Prophani lectores sic cogitant, ut de liberalitate aulica. Video quidem Christum aliquibus opitulari, sed non est similis voluntas erga omnes, ut in aula liberalitatem experiuntur aliqui propiores principibus, multi alii, quamvis melius meriti, tamen negliguntur.

Haec collatio ex animis extirpanda est, et opponenda doctrina promissionum, in quibus praecipue haec duo considerentur, quod promissio gratiae non pendet ex nostris meritis, sed iubet intueri meritum Christi, et quod promissiones sint universales: Venite ad me omnes, qui laboratis etc. 1. Tim. 2.: Deus vult omnes homines salvos fieri. Et Act. 10.: Non est acceptio personarum apud Deum.

Has sententias coniungamus omnibus exemplis, et nos ipsos ad hunc numerum petentium aggregemus, sciamus ideo hos adiutos esse, ut caeteri invitentur. Adiuta est Syrophoenissa ethnica mulier, item mulier peccatrix Luc. 7. et mulier Samaritana Iohan. 4. Denique ipse dicit, sanis non esse opus medico.

Deponamus igitur humanam opinionem de nostra dignitate et de particularitate, et ad hunc pontificem accedamus omnes fiducia misericordiae, et meritorum ipsius. Si angeris, ut Archisynagogus aut Syrophoenissa, accede ad Christum, nec disputa de tuis meritis, sed scito, hanc miseram naturam horribiliter oppressam esse peccato, et nequaquam nos posse nostra dignitate niti. Agnosce Deum se patefecisse immensa sua bonitate, et velle invocari ab omnibus. Nulla mens humana hoc mirandum Dei consilium satis considerare, et satis magni aestimare potest, quod Deus se patefecit, quod misit Filium, quod vult nos exaudire et servare. Fateamur nos infantum esse similes, et non assequi magnitudinem misericordiae Dei, et adferre peccatum ac dubitationes, nec accensa esse corda agnitione et dilectione Dei, ut debebant, et accedamus tamen ad hunc pontificem Christum, cum illa imbecilli turba, petamus beneficia, et confirmemur exemplis huius turbae. Exaudiit Syrophoenissam, ergo te quoque vult exaudire, ideo enim, ut caeteros invitet, illam adiuvit. Sic Psal. 33. exempla ad usum transfert: Accedite ad eum, et illuminamini. Iste pauper clamavit ad Dominum, et Dominus exaudivit eum etc. Haec doctrina de applicatione tertio loco semper in miraculis consideretur.

Tertius locus.

De fide et invocatione.

Haec applicatio, de qua diximus, requirit cognitionem Evangelii de invocatione, et de fide. Semper obstrepit nobis haec cogitatio: Quid facio magni, ut Deus me respiciat: sum immundus et reus, quid expectem a Deo, nisi poenas, quid curat Deus meos clamores, etiamsi velis eum invocare, an magnifaciet istas recitationes, quibus aliquid petis? Hae dubitationes semper cruciant animos. Hic oportet nos bene munitos esse hac doctrina de invocatione, quae est Evangelii praecipua. Primum autem sciendum est, quod Deus hunc cultum omnium maxime requirat. Ideo se patefecit, ut agnoscatur. Non potest autem agnosci sine invocatione. Ideo toties praecipitur de invocatione, ut Christus inquit: Semper orate, et non defatigemini. Item: Petite, et accipietis. Si homines possunt dare dona hominibus, quanto magis pater coelestis. Philip. 4.: Non sitis soliciti, sed in omni precatione et petitione, cum gratiarum actione postulationes vestrae notae fiant Deo. Psalm. 68.: Ego orationem meam ad te

Domine, tempus beneplaciti Deus, id est, sit aliquando illud tempus, quod velis me liberare.

Primum igitur colligat mens praecepta, quae iubent invocare, deinde et promissiones addat: Petite, et accipietis. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Sed hic in promissionibus mox obstrepit nobis indignitas nostra, sumus meriti poenas, ut David, Manasses, Samson, denique multi meliores non sunt exauditi, ut Saul, et alii innumerabiles. Quid de me fieret? qui sum massa immunda, contaminata multipliciter, magis quam David, qui inquit: Tibi tantum peccatum sum, id est, res rea et abiecta, quid impetrare possum? Difficile est hoc certamen, sed quia hac ipsa voce legis assidue accusamur, discamus hanc ipsam ob causam promissiones Evangelii traditas esse, de remissione peccatorum propter Filium. Quanquam sumus indigni, tamen Deus vult nos propter Filium recipere. Hic cogitanda est particula Gratis: Iustificamur gratis, per gratiam eius fide. Afferimus ad Deum non merita, sed miseram et contaminatam naturam, sicut David dicit: Tibi tantum sum peccatum. Et Daniel clamat: Non in iusticia nostra, sed misericordia tua prosternimus preces nostras. Et: Exaudi nos propter Dominum. Et Ionas: Qui non confugiunt ad misericordiam, sectantur vana, id est, fiducia propriae dignitatis est inanis, sed confugiendum est ad misericordiam. Hac doctrina promissionum confirmentur animi, et sciant mandatum Dei esse, ut hanc fidem in precatione afferamus, ac petamus fiducia Filii, sicut dictum est: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, id est, me nominantes mediatorem, perferentem preces vestras, dabit vobis.

Haec doctrina de invocatione et fide nusquam ulli genti extra Ecclesiam nota est, ac in sola Ecclesia Dei patefacta est, et tantum ab iis intelligitur, qui audiunt et norunt Evangelium. Vultque Deus nobis Evangelii doctrinam, et suam misericordiam et praesentiam, fieri conspectiorem his exercitiis invocationis. Ideo in omnibus periculis et quotidianis negociis decurramus ad hanc vere sacram ancoram. In libro Sapientiae invocatio vocatur scutum nostrum. Et Paulus inquit: Quicquid facitis in nomine Domini, id est, invocatione Dei, facite. Sed magna pars hominum secura ruit, quo coeci furores trahunt, multa incipit ac movet, sine ulla cogitatione de iudicio Dei, sine timore Dei, sine invocatione. Ideo aerumnae cumulantur.

Porro cum obstrepunt exempla, Cur non exauditur Hieremias deprecans auxilium, et similia multa? Hic fides prudenter discernat promissionem gratiae, et mitigationis poenarum temporalium. Mandatum Dei est, ut nominatim credas tibi remitti peccata, recipi te a Deo ad societatem vitae aeternae, propter Christum, Iohan. 6.: Haec ect voluntas patris, ut omnis qui credit in Filium, habeat vitam aeternam. Quandocunque igitur invocas, vere statuendum est, quod Deus te recipiat, propter Filium, et tuas preces audiat. Sic in omni invocatione praelucet Evangelium, de poenitentia, et de remissione peccatorum, et occurrit huic voci legis, Deus peccatores non exaudit, scilicet perseverantes in peccatis, non agentes poenitentiam, non confugientes ad Filium.

Sed de beneficiis corporalibus sciamus, Ecclesiam subiectam esse cruci, et Deum postulare obedientiam. Retineatur igitur fides, quod recipiamur in gratiam, etiam cum manet calamitas. Et tamen postulat Deus, non solum obedientiam in afflictionibus, sed etiam invocationem, et vult mitigare aut tollere aerumnas, sicut dulcissime inquit Psal. 77.: Non accendit totam iram suam etc. Vult enim servari et in hac vita suum aliquod agmen. Vult esse aliquos incolumes, ut communis vitae labores sustineant, vult conservari studia doctrinae Evangelii, politias, oeconomias, propter propagationem Evangelii. Denique vult et in mitigatione poenarum et calamitatum celebrari.

Ideo semper in invocatione petere et expectare debes auxilium, et mitigationem calamitatis, etiamsi non statim tollitur, ut clamat Ieremias: Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, non in furore tuo, ne ad nihilum redigas me. Et in Psalm.: Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Item: Non moriar, sed vivam, et annunciabo opera Domini. Ideo liberat Dominus, ut postea testes simus, quod exaudiat Deus, et vere sic velit coli, et discamus ac doceamus alios de invocatione, ut Psal. 33.: Iste pauper clamavit ad Dominum, et Dominus exaudivit eum. Imo hanc ipsam ob causam omnia exempla miraculorum, inde usque ab initio proposita sunt, ut discamus invocationem non esse irritam. Sed maxima pars hominum, quamvis propter consue-

tudinem invocat, tamen manet in hac imaginatione, invocationem esse irritam.

Huic diffidentiae acerrime repugnandum est, et opponendae sunt promissiones, et excitandum cor, ut acquiescat cogitatione promissionum et credat profuturam invocationem, ne accusemus Deum mendacii. Ita Paulus inquit Rom. 8.: Spiritus sanctus testimonium dat spiritui nostro, in quo clamamus: Abba pater. Sciebat Ieremias venturum esse excidium, sed orabat tamen, ac statuebat orationem prodesse ad mitigationem. Ita David exulans castigari se videbat, neque tamen abiiciebat precationem. Sciebat enim se impetrare auxilium et mitigationem, et experiebatur interim consolationes, et novum robur in corde, et talem moderationem eventuum, ne penitus opprimeretur. Haec doctrina de invocatione et fide diligenter consideranda est, ut accendatur fides in quotidianis precibus, et discernatur invocatio vestra ab ethnica, Iudaica et Turcica.

De quarto.

Non sunt omnia in allegorias transformanda, sed interdum facta ac exempla, adeo illustres imaginationes continent, ut non dubium sit, aliud quiddam significatum esse. Ut oblatio Isaac sine dubio significabat oblationem Christi. Diluvium sine ulla dubitatione significat ultimum iudicium. Sic passim multae sunt imagines maximarum rerum in tota sacra historia, sed prudentia adhibenda est, ne interpretationes et collationes inconcinnae et absurdae gignantur. Hic satis concinna significatio Synagogae est mulier laborans fluxu, quae suas facultates in curatione frustra impenderat. Talis tunc fuit Ecclesia in populo Iudaico, quae erat in magnis miseriis, lacerabatur bellis, et versabatur in erroribus, et infeliciter a principibus et doctoribus curabatur. Nam doctores, Pharisaei et Sadducaei, non norant Evangelium de Messia et de vera invocatione: principes vero prorsus erant Epicurei, doctrinam et disciplinam non curabant, tantum expilabant populum, et stultis tumultibus perturbabant gubernationem. Talis cum esset populi status, venit Christus, et opitulatur huic mulieri, id est, suae Ecclesiae, quam in hoc populo collegit. Sic et Archisynagogi filia imago est Ecclesiae extinctae in populo. Haec rursus excitatur per Christum, sed ridetur Christus a tibicinibus, qui ad funus conducti erant.

Haec est illustris pictura sapientum, qui tantum norunt doctrinam legis et disciplinae externae. Sicuti enim tibicines canunt funebria carmina, ita doctores legis, sine agnitione Christi, tanquam in funere deplorant miserias humanas, proponunt disciplinam et poenas, et tamen sentiunt saepe vinci hanc suam doctrinam infirmitate hominum, et ut maxime obtineri perfectissima doctrina posset: tamen lex non adfert consolationem de remissione peccatorum, de reconciliatione gratuita, de vita aeterna, de vera invocatione. Sed relinquit homines in dubitatione et in morte, et disciplina illa est veluti apparatus funeris.

Norant ethnici gubernatores et philosophi sapientiam legis, quorum doctrina, quia non continet firmam consolationem de reconciliatione Dei, tantum est tristis querela de miseriis humanis. Denique quid aliud est philosophia, nisi consideratio humanae infirmitatis, et qualecunque frenum nimis stolidos impetus coërcens, et fatetur ipsa, totum hoc frenum infirmum esse, et saepe lacerari naturae pravitate. Est igitur querela funebris, sicuti Plato dicit, Philosophiam esse meditationem mortis, id est, agnitionem nostrarum miseriarum, et moderationem cupiditatum, ne augeantur miseriae.

Sed hypocritae ignari Evangelii, nimium tribuunt huic freno, cumulant leges superstitiosa opinione, cumque audiunt Evangelium, quod detrahit his observationibus laudem iusticiae, et proponit aliam iusticiam, putant laxari sua vincula, et Evangelium execrantur, quod videatur languefacere studium bene operandi, diminuere Dei, et seditiose labefactare legum autoritatem. Hae opiniones in animis sapientum, qui ignorant Evangelium, sunt causae acerbissimi odii. Nam homo sapiens contendere debet, ut accendat studium bene operandi, et cultus Dei tueatur, et modestiam hominum et tranquillitatem retineat. Hos fines debet sapiens gubernator summos ducere, sed ita tamen, ut veros cultus Dei intelligat et tueatur. Veri autem cultus non intelliguntur sine Evangelio, ideo impii gubernatores fascinati opinionib. legis et ignari Evangelii, aberrant, et inflammantur odio Evangelii. Id hoc loco per tibicines significatum est. Nos vero discamus discernere genera doctrinarum, legem et Evangelium, et tribuamus suum cuique generi locum. Lex regat disciplinam, et severe regat. Sed simul sciamus alia iusticia opus esse, videlicet,

quam Evangelium proponit, de fiducia Filii Dei. Vitemus etiam falsa iudicia hypocritarum, nec propter eorum odia, confessionem Evangelii abiiciamus.

Dominica XXV. post Trinitatis.

Evangelium Matth. 24.

Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Tunc qui in Iudaea sunt, fugiant ad montes, et qui in tecto, non descendant ut tollant aliqaid de domo sua, et qui in agro, non revertantur ut tollant vestes suas. Vae autem praegnantibus et lactentibus in illis diebus. Orate autem, ut non fiat fuga vestra hieme, vel Sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva, ulla caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.

Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic Christus aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae, et dabunt signa magna et prodigia, ita, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce praedixi vobis. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire, ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgor exit ab oriente, et apparet usque ad occidentem, ita erit et adventus filii hominis. Ubicunque autem fuerit corpus, illic congregabuntur aquilae.

Loci sunt *quinque.*

I. Praedictio de excidio Hierosolymae, et quare tota illa politia funditus deleta sit.

II. Altera praedictio de temporibus ultimis mundi.

III. Quid vocet abominationem desolantem.

IIII. An Ecclesia possit errare, et ubi, et quid sit.

V. Consolatio et doctrina, quomodo in his periculis praemuniendi sint animi, cum Christus dicat: Non turbemini. Item: Orate, ne fiat fuga vestra etc.

De primo.

Apostoli arbitrabantur Christum aliquanto post occupaturum regnum Iudaeae, et pulsis Romanis, et repurgato templo, dominaturum. Quare intuentes aedificium, gratulantur patriae tantum ornamentum, in quo sperabant paulo post Christum ipsum fore pontificem, et se una regnaturos esse, remotis Epicureis Pontificibus, praesertim cum Haggaeus clare scripsisset, in isto templo futuram maiorem gloriam, quam in priore, quia ibi concionaturus esset Christus, Hag. 2.: Veniet desideratus cunctis gentibus, et implebit templum gloria, et in isto loco dabo pacem. Has promissiones etiam Apostoli transferebant ad externam dominationem et pacem, et somniabant quandam auream aetatem.

Has dulcissimas ineptias Christus tristissima praedictione refutat. Imo, inquit, scitote iam instare horribile excidium huius urbis, templi, politiae, regni. Haec omnia brevi funditus interitura sunt. Hic discamus usitatas aerumnas Ecclesiae, cum expectas tranquillitatem, praesidia, gloriam in mundo, non respondent eventus, sed vult Deus Ecclesiam subiectam esse cruci, et fide expectare conservationem, sicut nunc optamus principum praesidia, et speramus principes habituros pacem, futuros concordes, denique cogitamus dulce ocium, ut Apostoli cogitabant, et quo suaviores spes nobis fingimus, eo quotidie oriuntur saeviores tempestates et motus: quare ad ferendas has aerumnas parati simus, et discamus, quomodo animi sint praemuniendi et confirmandi.

Sed quare deleri oportuit politiam Mosaicam?

Tres sunt causae. Prima. Quia Deus voluit extare evidens exemplum irae suae adversus omnes, qui Christum contumelia afficiunt. Sic punivit suum populum natum ex Abraham et caeteris patribus, quos maxime dilexit. Ergo non parcet Turcis, Epicureis, et quibuscunque contumeliosis adversus Christum, etiamsi differuntur poenae. Sed dilatio testimonium est secuturi iudicii post hanc vitam.

Secunda causa. Praedicationes Michaeae, Haggaei et Danielis, testantur oportuisse Christum venire stante politia Mosaica. Imo et hoc ipso secundo templo stante. Haec deleta sunt, et iacent iam diutius, quam steterunt, ergo necesse est apparuisse iam Messiam. Hoc argumentum et

ad confirmandos nos ipsos plurimum prodest, et manifeste refutat, et convincit Iudaeos.

Tertia causa. Deus voluit ostendere cultus leviticos non esse iusticiam Evangelii. Porro si hodie staret politia Iudaica, et recepisset Messiam, tamen vellet habere praerogativam propter ceremonias suas. Ergo ut ostenderet Deus illas res non esse iusticiam, sed in Evangelio afferri aeternam iusticiam, voluit leviticos cultus penitus deleri. Hae causae omnes dignissimae sunt accurata consideratione.

De secundo.

Postquam excidium Hierosolymae praedixit, addit praedictionem de sequenti aetate, ac praecipue de ultima senecta mundi, quia haec erit similis senectae populi Iudaici. Praedicit autem maximas calamitates, corporales et ecclesiasticas, bella, famem, mutationes regnorum, dissidia, dogmatum confusiones, εἰδολωμανίας in Ecclesia.

Cur autem haec praedicuntur?

Ad confirmandos pios, ne cum vident tantas omnium rerum confusiones, existiment nihil esse providentiam, aut putent desertam esse veram Ecclesiam, et inutilem esse invocationem. Nam cum mundi confusionem, vitia et ruinas spectamus, mens concutitur talibus dubitationibus. Praemonet igitur Christus suos, ne deficiant, ne existiment propterea deseri ab eo hunc coetum, qui adhuc retinet Evangelium. Hunc confirmat, et testatur semper mansuram esse Ecclesiam. Ac prodest sibi quenque inculcare sententias similes, ut: Ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Et Esai. 59. dicitur: Veniet ex Sion redemtor, et his, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, hoc foedus meum cum eis, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, deinceps et in sempiternum.

Ubi autem mansura sit Ecclesia, simul indicat cum nominat verbum. Spiritus qui in te est, et verbum in ore tuo. Ibi est Ecclesia, ubi sonat Evangelium, sicut Christus inquit: Si manseritis in me, et verba mea manserint in vobis, quicquid volueritis, petetis, et fiet vobis. Item: Oves meae vocem meam audiunt.

Hac confirmatione tunc maxime opus est, cum dicitur: Ecce hic est Christus, ecce illic. Et removendae sunt imaginationes, quae alligant Ecclesiam ad pontificum et regum dominationem. Nam Ecclesia ad Evangelium alligata est, et in Evangelio gestari eam tanquam foetum in alvo cogitemus, nec gestari eam in imperiis externis, aut dominatione Episcoporum existimemus. Est enim coetus dissimilis aliis politiis.

Magna autem consolatio est, quod testatur Christus mansuram esse Ecclesiam, quicquid sit futurum de regnis mundi, sicut manebat Ecclesia tempore Apostolorum, etiamsi reges et principes patronos non habebat. Interim tamen Deus aliqua hospitia exulanti Ecclesiae curavit.

De tertio.

Usitata phrasis est Ebraeis, idola vocare abominationes. Et recitat Christus locum ex Daniele, ut afferat testimonium suae praedictioni de excidio Hierosolymorum, quasi dicat: Multum vos vestra opinio fallit, si arbitramini me et vos in hoc templo regnaturos esse. An non meministis Danielem, qui praedicit excidium, et addit signum, scilicet fore, ut stet in loco sancto, id est, in templo, idolum denuncians perpetuam vastitatem, id cum videbitis, fugite, significat enim excidium.

Quod autem erat hoc idolum? Etsi omnes cultus hostium Christi sunt idola, tamen hic de re insigni loquitur, quia vult commonefieri Apostolos de excidio. Fuit ergo praecipuum idolum manifestae blasphemiae adversus Christum, deinde accesserunt statuae, ut vexilla Tiberii, statuae Caligulae, qui se mandarat adorari, et multae caedes in templo factae, quibus tunc assidue prophanabatur templum. Haec, inquit, cum fient, scitote instare finem.

Ut autem tunc in templo Iudaico fuit idolum, ita praedicitur futurum, ut post Apostolos ultimo mundi tempore in Ecclesiis colatur idolum. Quod est illud? Non potest haec res sine ingenti dolore cogitari. Delevit Ecclesias Mahometus, et proposuit colendum idolum, videlicet manifestas blasphemias adversus Christum. Hae sunt praecipuus nervus regni ipsius et cultus, imo huius ipsius articuli professione iudicant se esse populum Dei, quod negant Filium Dei, quod negant redemtorem, quod abolent Evangelium, propter hoc opus praedicant se diligi a Deo, et ornari victoriis et imperiis. Sed pii sciant, hoc ipsum opus Mahometicae sectae praecipue damnatum esse voce Dei, sicut clare inquit Daniel de Ma-

hometo alibi: Dicet blasphemias contra Dominum.

Sed non de solo Mahometo hic dicitur. Ait enim: Stabit in loco sancto, id est, in eo coetu, in quo adhuc manet nomen Christi et Ecclesiae, et in quo sunt aliqui recte invocantes Deum. Ibi quoque erunt idola vastantia verum cultum. Dixi autem cultus omnes sine agnitione Christi idololatriam esse, quare hi, qui non norunt doctrinam Evangelii, de fide in Christum, et de invocatione in hac fide facienda, omnes sunt ignari veri cultus, et qui veram doctrinam persequuntur, sunt idololatrae.

Sed semper homines amisso Evangelio sibiipsi nova et manifesta idola excogitant, ergo accedunt etiam externa idola, ut statuae, ad quas concurritur, ipsa invocatio mortuorum, prophanatio coenae Domini, in qua fit falsa oblatio et falsa adoratio. Item, fiducia humanarum traditionum, ut Monachatus.

Haec quatuor nihil differunt ab ethnicis idololatriis, nec ulla humana vox dicere potest, quam tetra sint haec idola, et quantam iram Dei provocent, sed poenae utcunque significant. Nequaquam essent tanti successus Turcorum, nisi magna esset idolomania in Ecclesia, et quia haec non satis dici possunt, vero timore Dei cogitemus apud nos vocem Spiritus sancti: Fugite idololatriam, et discamus veros cultus, et fugiamus defensionem idolorum, ne cum impiis pereamus.

De quarto.
An Ecclesia possit errare?

Proprie ad tempora post Apostolos pertinet descriptio quae hic additur. Dicent vobis: Ecce hic est Christus, ecce illic est, id est, magna erunt dissidia dogmatum, Ecclesia lacerabitur, et quaelibet pars gloriabitur se habere Christum. Quid tali tempore faciendum erit? quis poterit iudicare, quae pars sit populus Dei? nam errare aliquas partes necesse est.

Hic mundus sequitur politicum argumentum. Ut ibi iudicamus esse rempub, ubi sunt principes et magistratus ordinarii, caeteros iudicamus esse seditiosos: ita cum sunt dissidia Ecclesiae, accurrunt plurimi ad hos, qui titulum habent ordinariae potestatis, et his attribuunt praerogativam, quod non possint errare, quia dicunt, Ecclesiae factam esse promissionem. Ecclesia autem non est truncatum corpus, sine capite, sine ministerio. Ergo haec capita non errant. Haec ratio plausibilis est, et plurimos in toto orbe ita tenet fascinatos, ut contradici non sinant.

Sed nos sciamus Ecclesiam dissimilem esse caeteris politiis, nec tamen loquendum esse de invisibili Ecclesia. Deus ideo condidit genus humanum, ideo redemit, ut ipse invocetur et celebretur, et Christus innotescat: necesse est igitur conspici Ecclesiam, necesse est confessionem et invocationem notam fieri.

Quanquam autem Ecclesia est visibilis coetus, tamen dispersa est, nec est politia similis regno, alligata loco, successioni, et certis legibus humanis. Sed alligata est purae doctrinae Evangelii. Haec consociat Ecclesiam ubicunque est, iuxta illud: Oves meae vocem meam audiunt. Sopho. 3.: Reliqui mihi populum pauperem et egenum, et sperabunt in nomine Domini.

Talis semper est aliqua vera Ecclesia, ut sub Achab, Eliae tempore, erant Elias, Elisaeus, et alii multi, sicut dicit textus: Reliqui mihi septem millia etc. Sic sub Hanna et Caipha erant, Simeon, Zacharias, Elisabeth, Maria, Ioseph, et alii multi, etiamsi reges et pontifices erant palam idololatrae et Epicurei.

Est autem ille coetus verae Ecclesia Dei, qui amplectitur verbum Dei, per Prophetas, Christum et Apostolos traditum, et non defendit pertinaciter idola, et errores pugnantes cum verbo Dei. Suntque in hoc coetu partim renati, vero timore Dei, et vera fide Deum invocantes, partim mali, et sine vero timore Dei, sed tamen in professione doctrinae consentientes, qui si admittant publica delicta, eiiciendi sunt, et puniendi. Hic coetus de cultu *Dei* consulit, et sequitur purum Evangelium, non opiniones traditas autoritate humana. Sicut Simeon, Zacharias, Maria sequebantur doctrinam Prophetarum relictis deliriis Sadducaeorum et Pharisaeorum.

De eo coetu, amplectente purum Evangelium, recte dicitur, Ecclesiam non errare in articulis fidei, seu in necessariis ad salutem, sed interim fieri potest, ut ingens multitudo omnium ordinum, Episcoporum, Sacerdotum, Monachorum, Regum, Principum et populi sit contaminata idolis, et multis erroribus perniciosis, qui pugnant cum articulis fidei, sicut Pharisaei et Sadducaei defendebant errores pugnantes cum articulis fidei, quia haec multitudo errans anteponit

Evangelio opiniones, traditas humana autoritate, et quia potentia et numero antecellit, pertinaciter defendit errores.

Sciamus autem nos a Christo propter gravissimam causam praemonitos esse, ne errores approbemus, et severe mandatum est: Fugite idololatriam. Cum igitur disputamus, an Ecclesia possit errare, primum quaeramus, ubi et quae sit Ecclesia, nec alligemus eam ad imperia, multitudinem, Episcopos. Fieri enim potest, ut plurimi eorum non sint membra Ecclesiae, sicut nunc magna pars eorum palam est Epicurea, nec curat, quid in alterutram partem doceatur, tantum in hoc sunt attenti, ne quid mutetur, ne labefiat eorum potentia. Sed quaeramus Ecclesiam ibi, ubicunque sonat pura vox Evangelii.

Porro et in hoc coetu pio et amplectente Evangelium, tamen alias plus, alias minus est lucis, et aliquid contagii manet, ut multi discipuli Apostolorum imaginabantur ceremonias Mosaicas retinendas esse. Et Paulus inquit, Hunc coetum partim aurum, partim stipulas supra fundamentum extruere. Sed tamen fundamentum retinet articulos fidei de Christo, et veram invocationem, et non defendit errores pertinaciter, sed audit Evangelium, cupit doceri et proficit.

Haec admonitio de Ecclesia utilis est, et hortetur nos, ut iudicio et voluntate coniungamus nos cum Ecclesia, et cum ea Deum recte invocemus, et retineamus Evangelii puritatem, nec anteferamus opiniones humana autoritate confictas, sed meminerimus illud: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

De quinto.

Consolatio et doctrina traditur, quomodo praemuniendi sint animi in his periculis. Consolationes hae quatuor sunt praecipue.

I. Quod sit mansura Ecclesia vera, etiam in hoc mundo, ante resurrectionem mortuorum, iuxta illud Esaiae 56.: Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae sunt in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui etc.

II. Quod ubicunque erunt amplectentes purum Evangelium, hi sunt membra Ecclesiae, iuxta illud: Si manseritis in me, et verba mea manserint in vobis, quicquid volueritis, petite, et fiet vobis.

III. Quod in his periculis Filius Dei aderit propugnator, sicut Daniel inquit: Stat Michaël dux pro populo Dei.

IIII. Quod Christus rursus se ostensurus sit mundo, et glorificaturus Ecclesiam, ac impios abiecturus in aeternos cruciatus. Ideo hic dicitur: Sic erit adventus Filii hominis. Nec diu duraturum esse hunc mundum post Apostolos ipsi testati sunt, cum vocant novissimam horam. Et notum est dictum Eliae: Sex millia mundus, et postea erit destructio, Duo millia inane, Duo millia lex, Duo millia Messias, et si quid deerit, deerit propter peccata nostra.

Doctrina vero est, quod monet, ut Evangelium retineamus, nec assentiamur impostoribus. Item, iubet precari, ac significat Deum calamitates mitigaturum esse precantibus. Orate, ut possitis evadere ex futuris malis, et stare coram filio hominis.

ENARRATIONES EVANGELIORUM,

QUAE LEGUNTUR DE FESTIS CHRISTI, ET HISTORIIS SANCTORUM.

De Trinitate.

Evangelium Matth. 3.

Tunc accedit Iesus a Galilaea ad Iordanem ad Iohannem, ut baptizaretur ab illo. At Iohannes prohibebat illum, dicens: Mihi opus est, ut abs te baptizer, et tu venis ad me? Respondit autem Iesus, et dixit ad illum: Omitte nunc, sic enim decet nos, ut compleamus omnem iusticiam. Tunc omittit illum. Et baptizatus Iesus, ascendit protinus de aqua: et ecce aperti sunt illi coeli, et vidit Spiritum Dei descendentem tanquam columbam, et venientem super ipsum. Et ecce vox de coelis, dicens: Hic est Filius meus dilectus, quo delector.

Haec lectio proponatur, ut doceantur homines, quae sit voluntas Dei, et quomodo sit invocandus. Nam haec est propria Ecclesiae doctrina. Et hae semper fuerunt quaestiones omnium maxi-

mae, sicut Philippus inquit: Domine, ostende nobis patrem.

Duae sunt autem viae quaerendi definitionem, seu quid sit Deus. Altera rationis, sine verbo Dei, ut Plato intuens certas leges motuum coelestium, et ordinem tradit, Deus est mens aeterna, causa boni in natura, ac potest addere: quae vult nos sibi obedire, iuxta discrimen honestorum et turpium, impressum mentibus humanis. Nec exiguum miraculum est, quod haec noticia utcunque lucet in mentibus humanis, quae tamen multo illustrior esset, si natura hominum non esset corrupta. Sed quia iam in hac naturae corruptione obscurata est, Deus immensa bonitate iterum se patefecit sua voce, et misso Filio.

Est ergo altera via quaerendi, quid sit Deus. Plato intuetur naturae ordinem, nos intueamur testimonia. Propone tibi baptismum Christi, in quo audis vocem aeterni patris: Hic est Filius meus dilectus. Filium stantem in Iordane vident oculi, et descendit Spiritus sanctus specie columbae. Considerentur et aliae similes revelationes et conciones, in quibus Christus discernit personas. Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Item: Dabit vobis alium paracletum, spiritum veritatis.

Ad haec testimonia referamus mentem, oculos et aures, et statuamus Deum sic velle agnosci, ut se patefecit, velle non sola ratione investigari, sed per sua testimonia, sicut inquit Christus: Nemo novit patrem, nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Discernamus nos ab ethnicis, Iudaeis, Mahometistis, haereticis, omnes illi quaerunt Deum sine ipsius verbo ac testimonio. At Deus iussit nos audire Filium, Hunc audite, et addit testimonia resurrectionis mortuorum, et alia, ut sciamus vere ipsum velle sic agnosci et invocari, sicut se in hoc verbo patefecit. Constituamus ergo definitionem.

Primum cogitemus Deum esse quandam essentiam intelligentem, aeternam, immensae potentiae. Haec docet 1. cap. Genesis de omnipotentia: In principio creavit Deus coelum et terram. Quod sit essentia intelligens, testatur Genesis, cum inquit: Dixit Deus. Nam dicere est naturae cogitantis et sapientis. Adde amplius: Deus est essentia intelligens, aeterna, omnipotens, sapiens, iusta, verax, bona seu benefica. Nam quod sit iusta, verax et bona, etiam Genesis indicat, inquiens: Faciamus hominem ad imaginem nostram. Mens autem hominis intelligit discrimen iustorum et iniustorum, et iusticiam, veritatem et bonitatem approbat. Ergo et divina mens talis est.

Haec, quae hactenus dixi, agnoscit etiam Plato: addendae sunt igitur plures descriptiones, et hae sumendae sunt ex testimoniis divinis. Haec essentia aeterna, intelligens, est pater gignens Filium, qui refert patrem, qui cum de substantia patris natus sit, est eiusdem essentiae. Postea vero assumsit humanam naturam, et propiciator constitutus est, propter quem recipimur, exaudimur et salvamur. Et ab utroque procedit Spiritus sanctus ab aeterno, per quem incoat in nobis vitam aeternam, condens novam lucem, timorem Dei, fidem, et alios bonos motus.

Haec est integra descriptio, ignota Platoni, sumta ex testimoniis, in quibus Deus se patefecit. Et quoties precamur, haec omnia primum cogitanda sunt, quid invoces, quem Deum, ubi se patefecerit, quae sit eius voluntas, an velit exaudire. Utilissimum est mente intueri baptismum Christi, item, nostrum baptismum.

Us summum opus est invocatio, ita pauci sunt qui recte invocant. Ethnicae, Iudaicae, Turcicae invocationes propter multas causas damnatae sunt, quia nec directae sunt ad verum Deum, nec fiunt in agnitione verbi Dei, nec fiducia Christi. Item, prorsus fiunt in dubitatione. Praeterea multi titulo Christiani currunt ad statuas, aut recitant preces, ne quidem cogitantes de Deo, quem Deum invocent, et an exaudiat. Quidam eremita dixit, difficilimum omnium operum esse precationem, et verum est, quia non est tantum recitatio versuum, sed requirit cogitationem de vero Deo, et fidem.

Primum cogites de obiecto, scilicet, de vero Deo, ad ipsum dirigatur invocatio. Deinde cogitentur praeceptum, et promissio Dei de invocatione. Tertio adsit et fiducia Christi, propter quem credamus nos recipi et exaudiri. Quarto petatur res certa, et agantur gratiae. Sit igitur talis aliqua forma precationis, comprehendens tres personas, ut discernatur nostra invocatio ab ethnica, Iudaica et Turcica.

Omnipotens, aeterne, et vive Deus, aeterne pater domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti immensa bonitate, et clamasti de Filio tuo, Hunc audite: conditor omnium rerum, et con-

servator, cum Filio tuo coaeterno, Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto tuo, sapiens, bone, misericors, iudex et fortis, miserere mei propter Iesum Christum Filium tuum, quem voluisti pro nobis esse victimam, mediatorem et deprecatorem, sanctifica, rege, doce, iuva me Spiritu sancto tuo, serva et rege Ecclesiam tuam, et politias, quae praebent hospitia Ecclesiis.

Hac forma complecteris tres personas, primo simul in creatione, quia creatio est commune opus, et invocas unam illam essentiam conditricem rerum, sicut se patefecit. Deinde admones Deum suarum promissionum de Filio incarnato, et petis fiducia Filii, eique tribuis proprium munus, quod constitutus sit mediator, et fuerit victima. Tertio tribuis Spiritui sancto suum munus, quod per eum regamur, sicut scriptum est: Effundam de Meo spiritu super omnem carnem.

Sic in invocatione exerceatur doctrina de personis, et cogitentur discrimina penes officia, sicut revelatae sunt personae. Teneamus autem et communem doctrinam, quod sit una essentia divina trium personarum. Estque persona substantia intelligens, individua, incommunicabilis. Prima est pater, qui est substantia aeterna, intelligens, bona et omnipotens, quae intuens et cogitans sese, gignit ab aeterno imaginem sui de sua essentia. Haec proprietas, scilicet, gignere, discernit patrem a Filio.

Secunda persona est Filius, qui est imago patris, ab aeterno genita de essentia patris, et dicitur λόγος, quod sit ita natus, ut ex mente nascitur cogitatio seu sermo. Nam et cogitatio qualiscunque imago est cogitatae rei. Nec sunt in creaturis exempla, quae propius depingant hanc mirandam generationem, quam haec duo: mens cogitationem gignens, et lux spargens radium. Ideo Epistola ad Ebraeos vocat fulgorem paternae lucis. Sed tamen non omnino conveniunt hae similitudines. Nostra cogitatio non est persona, nec est substantialis imago. At Filius est substantialis imago aeterni patris, et sicut in Symbolo dicitur: Deus de Deo, lumen de lumine. Et quod sit alia persona a patre, inde manifestum est, quia haec imago patris assumsit postea humanam naturam, quam non assumsit pater. Cum igitur se Deus ita patefecerit, quod pater et haec imago sint distinctae personae, credamus Deo haec revelanti, et patrem, cum hac sua imagine coaeterna, et simul condente res, invocemus.

Haec Iohannes clare expressit in exordio suo, ubi dicit: *Λόγον*, qui est Filius, fuisse ab initio, et per eum omnia condita esse. Cum pater quasi deliberat cum Filio, fulget in Filio idea operis fabricandi, sicut in creatione hominis haec deliberatio describitur: Faciamus hominem ad imaginem nostram. Haec arcana lux nondum conspicitur, sed aspicienda erit in vita aeterna. Nunc nos de Filio cogitantes, intueamur eum exhibitum nobis, assumta humana natura, praedicantem, passum, resuscitatum, stantem in Iordane, ascendentem in coelum, et de ipsius proprio munere cogitemus, quod mirando Dei consilio factus sit pro nobis deprecator, et victima placans iram Dei. Et sit Emmanuel, inter vos versatus, regnans inter nos, ideo exhibitus nobis, ut nos miseros regat et servet. Ideoque ante assumtam humanam naturam, se cernendum praebuit patribus, ut Danieli, et aliis, etc.

Alligetur ergo cogitatio nostra de Filio ad Christum, qui se patefecit, et nobiscum versatus est, crucifixus, resuscitatus est, et ascendit in coelum, et ostendit se Stephano, et aliis. Ac sciamus ideo nobiscum versatum esse, ut testaretur se semper curare et exaudire invocantes. Et quia Philippo interroganti de patre, respondit: Qui videt me, videt patrem: cum de patre cogitamus, primum hunc Filium patefactum mente intueamur, et hunc patrem invocemus, qui de eo edidit hanc vocem, Hunc audite. Et semper simul cogitemus de ipsa patefactione, non frustra Deum se ostendisse, et familiariter cum hominibus collocutum esse, sed certo testatum esse hac ipsa re, quod vere nos curet. Nec ulla est illustrior confirmatio adversus epicureos et academicos furores, quam haec ipsa cogitatio de patefactione et miraculis, quae omnia fuerunt principaliter testimonia patefactionis. Quoties autem sic de Filio cogitamus, simul veniat in mentem, quod mediator sit, et intercessor pro nobis, quod propter ipsum exaudiamur.

Tertia persona est Spiritus sanctus, qui est agitator, procedens a Patre et Filio, eiusdem substantiae, per quem in mentibus sanctorum novi motus placentes Deo excitantur, et per quem Ecclesia vivit vita aeterna. Ac proprie tribuitur Spiritui sancto vocabulum Procedere, quod ut aliquo modo declaretur, sicut supra de imagine quaesivimus qualecunque exemplum, in intellectu hominis: ita iam intueamur voluntatem hominis,

seu cor. Generatio propria est intellectionis, quia pingit imagines intellectio. Spiratio vero voluntatis est aut cordis. Ut autem voluntas in homine, aut cor, non pingit imagines, sicut pars cognoscens, sed habet impetus aut motus, aut flatus, quibus attrahit aut pellit obiectum, amat quasi attrahens, odit quasi pellens: sic a voluntate aeterna Patris et Filii, impetus seu status efficacissimus est, qui est de ipsa Patris et Filii essentia. Hic flatus non dicitur genitus, sed procedens. Et hic ipse flatus statim initio describitur a Mose: Et spiritus Dei ferebatur super aquas, id est, fovebat aquas, impertiebat eis vigorem, ubi significatum est, Deum per Spiritum sanctum impertire vitam et agitationem creaturae suae. Sed aliud est loqui de generali agitatione seu vita, aliud de renovatione hominis, in qua fiunt motus obedientes Deo, agnitio Dei, et iusticia, de hac proprie dicamus.

Supra dictum est, creationem esse opus commune trium personarum. Sic et renovatio seu sanctificatio est opus commune trium personarum. Sed modus discernitur, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus recipiunt hominem, propter Filium mediatorem, et Pater et Filius mittunt Spiritum sanctum, per quem fiunt novi motus incoantes vitam aeternam in hominibus. Haec magna res expresse descripta est in donatione Spiritus sancti, cum Christus insufflaret Spiritum sanctum in Apostolos, dicens: Accipite Spiritum sanctum. Hic flatus revera erat persona Spiritus sancti, per quam et in Apostolis novi motus excitabantur. Ita cum ad Mariam diceretur: Spiritus sanctus veniet super te, et potentia altissimi obumbrabit tibi, persona Spiritus sancti vere erat praesens, et per eum in corde virginis fiebat umbraculum, id est, non incutiebatur sensus horrendae irae Dei, sed accendebatur agnitio misericordiae, et laetitia in illa agnitione misericordiae.

Haec declaratio diligenter consideretur, et in invocatione discatur, in qua petamus accendi in nobis novam lucem, et regi nos Spiritu sancto. Nam opera Spiritus sancti aliter intelligi non possunt, nisi in nobis accendantur. Sunt autem haec opera Spiritus sancti, in mentibus piorum, per verbum Dei accendere lucem, id est, agnitionem irae Dei adversus peccatum, et rursus agnitionem misericordiae promissae propter Filium, excitare fiduciam, quae in veris pavoribus erigit mentes, et consolatur conspectu misericordiae promissae propter mediatorem. Cum hac fiducia exuscitat invocationem, et flectit mentes, ut se Deo subiiciant. De his operibus concionatur Christus, cum inquit: Spiritus glorificabit me, id est, accendet agnitionem mei in mentibus, quae assentiuntur Evangelio. Item: S. S. arguet mundum de peccato, de iusticia, et de iudicio.

Dixi, quomodo tres personae discernendae et agnoscendae sint. Discernantur hoc modo: Pater gignit ab aeterno Filium, intuens sese et cogitans. Filius genitus est a patre, et est imago patris. Spiritus sanctus procedit a patre et Filio, et est flatus seu agitator, per quem fit sanctificatio.

Discernantur autem et agnoscantur per externa testimonia, hoc modo: Pater clamat de Filio, Hunc audite. Filius assumsit humanam naturam, et factus est mediator. Spiritus sanctus est missus et ostensus in flatu, in specie columbae, in linguis igneis, et per eum nova lux et agnitio Dei, et nova iusticia accenditur. Haec nobis clariora essent, si invocatione cogitarentur, et si revera crederemus Deum nobis velle quoque hanc lucem impertire, et hac fiducia peteremus, ideo clamat Christus: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus se. Vult agnosci Deus, vult in nobis habitare, modo admittamus eum, sicut inquit: Ego sto ad ostium et pulso. Item: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Item: Si quis sitit, veniat ad me, et bibat, Qui credit in me, flumina de ventre eius fluent aquae vivae. Et vocat omnes: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Haec ideo dicta sunt, ut in invocatione consideremus opera personarum, et consideratis operibus, discamus eas recte discernere, et invocare, et Deo gratias agere, quod se generi humano patefecerit.

Quaeramus autem et appellationes personarum, eisque distincte et prudenter utamur. Pater, dicitur pater domini Iesu Christi, Filius, dicitur verbum et imago patris, ut in Epistola ad Ebraeos scriptum est: Fulgor gloriae, id est, lucis, et imago substantiae patris. Haec vocabula utcunque supra declaravi. Dicitur Verbum, quia nascitur cogitando, dicitur Imago, quia verbum est imago cogitatae rei. Multi etiam ideo nominant verbum, quia sit persona loquens cum patribus, sicut apparet Filium loqui cum Daniele. Deinde

in Evangelio Iohan. cap. 14. tribuitur Spiritui sancto appellatio paracleti, id est, advocati.

Miretur autem aliquis, cur hic titulus Spiritui sancto attributus sit. Sed apparet principaliter hanc appellationem significare praesentiam et officia Spiritus sancti, in ministerio et confessione, Ecclesia accusat mundum, et vicissim a mundo accusatur, neutrum autem sustinere posset, nisi haberet advocatum spiritum Dei, docentem mentes, ut recte iudicent, et confirmantem ut ausint vere profiteri, refutare errores, et perferre odia et supplicia.

Quod enim doceat Spiritus sanctus, testatur dictum Iohan. 16.: Cum venerit ille spiritus veritatem. Item Iohan. 14.: Docebit vos omnia, et rediget vobis in memoriam omnia quae dixi vobis. Et 1. Iohan. 2.: Unctio docet vos de omnibus, et est veritas, et non est mendacium.

I. Discamus igitur inter beneficia Spiritus sancti in renovatione primum esse docere. Et quidem dupliciter docet, publice per ministerium, et intus accendit lumen in cordibus, ut dextre et recte accipiant vocem Evangelii, nec fingant alienas opiniones, sicut multi propter iudicia rationis corrumpunt dicta Evangelii. Ut nunc multi corrumpunt doctrinam de gratia et iustificatione, fascinati humanis opinionibus, quia imaginantur iusticiam tantum esse qualemcunque disciplinam, et deprehendunt in animis dubitationem, quam putant non esse malam. Item multa dicta ad imperium transtulerunt pontifices, quae loquuntur de spirituali gubernatione, ut dicta de clavibus. Denique saepe deerrant homines a vera luce. Ideo petamus hoc beneficium, ut Spiritus sanctus accendat in nobis lucem doctrinae, et ubi promittitur Spiritus sanctus, sciamus hoc tantum beneficium promitti.

II. Praeterea cum docet, confirmat assensionem, quam diabolus varie labefactare conatur. Multi enim cum initio recte sensissent, postea vel scandalis, vel speculationibus contrariis impulsi, dubitare coeperunt, et tandem prorsus ἄθεοι facti sunt. De his enim loquitur Christus in parabola sementis, cum inquit: Diabolus rapit verbum ex corde eorum. Adversus hanc tantam tentationem simus in statione et in excubiis, et ut Paulus inquit: Depellamus tela ignita, et habeamus in promtu firma testimonia, per quae Spiritus sanctus confirmat cor.

III. Postquam autem docuit Spiritus sanctus, et confirmavit assensionem, incitat voluntatem et cor ad obediendum legi Dei, id est, exuscitat timorem Dei, fiduciam, dilectionem et invocationem. Haec opera describuntur in his dictis Pauli, Rom. 8.: Accepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus Abba pater. Hic spiritus testimonium dat spiritui nostro, quod simus filii Dei, id est, Spiritus sanctus exuscitat in nobis tales motus, quibus motibus mens invocat Deum, et vere statuit Deum nobis propicium esse, nos servaturum esse, et exoritur in mente quaedam lux, laetitia et fortitudo, quae superat humana mala, et subiicit nos voluntati Dei.

Ideo Christus inquit: Non relinquam vos orphanos, quasi dicat, in mundo eritis ut orphani, sine defensoribus, sine imperiis, sine certa sede, sed dabo vobis spiritum advocatum, docentem et confirmantem vos, dirigentem consilia et gubernationem, et regentem eventus mirabiliter, qui prospici humana prudentia non possunt. Erant orphani Apostoli, nec videre poterant, quomodo vagabundi colligere aliquam Ecclesiam, et consociare possent, aut quomodo tam dissipati coetus coalescere in unam doctrinam possent. Ita nunc sumus orphani, Turci et alii minantur se lucem Evangelii extincturos esse.

Sed tamen adest spiritus paracletus, qui lucem et robur in piis accendit, ne Evangelium abiiciant, et Deo curae erit, ut regat eventus, dum doctrina Evangelii retinetur, dabit aliquas politias et aliqua hospitia.

Congruit autem cum superioribus dictis et dulcissima sententia apud Zachariam de effectibus, qui per Spiritum sanctum excitantur: Effundam super domum David spiritum gratiae et precum, id est, dabo spiritum, per quem agnoscent misericordiam, et statuent se esse in gratia, confugient ad Deum, et invocabunt. Nam sine Spiritu sancto corda manent in dubitatione, fugiunt Deum, et opprimuntur desperatione et pavoribus. Econtra cum deposita mala conscientia, lucet in cordibus agnitio misericordiae per Evangelium, concipitur Spiritus sanctus, qui pacem et laetitiam cordis efficit, et adiuvat, ut statuamus nos recipi et exaudiri, et impellit ut invocemus Deum, ac petamus et expectemus bona, et in his motibus accenditur et crescit renovatio, de qua concionatur Evangelium.

Idem prorsus vult dictum 2. Corinth. 3.: Nos retecta facie gloriam Dei intuentes, ad eandem imaginem transformamur, a gloria in gloriam, tanquam a Domini spiritu, id est, nos retecta nostra facie, nos agnoscimus esse reos, et intuemur gloriam, id est, splendorem Dei in Christo monstratam, videlicet immensam amplitudinem misericordiae. Transformamur autem ad eandem imaginem, id est, incoatur in nobis similitudo Christi, accensa nova luce, quae est firma Dei noticia, et accensis novis motib. timore, fiducia Dei, invocatione, odio peccati, a gloria in gloriam, id est, crescente subinde hac luce et claritate. Et haec fiunt inquit, per Domini spiritum, datum et effusum in nos.

Has gravissimas sententias ideo nobis proponamus, ut sciamus promissum esse hoc tantum donum, et serio petamus, sicut Christus iubet, inquiens: Quanto magis pater vester dabit Spiritum sanctum petentibus. Deinde etiam caveamus, ne resistamus Spiritui sancto, indulgentes pravis cupiditatibus, contra conscientiam, neve eum expellamus, et sicut Paulus loquitur, ne eum contristemus. Ac varie unus lapsus contristat Spiritum sanctum, ut Davidis lapsus contristabat Spiritum sanctum, primum in corde Davidis, unde eiiciebatur, postea in omnibus quibus magnitudo scandali dolorem attulit, maxime vero in mulieribus, quae per vim stupratae sunt, quae in summo luctu fuerunt, et fortassis aliquae dolore ac desperatione extinctae sunt. Sic maxime contristant Spiritum sanctum, qui falsa dogmata defendunt, quia conturbant multos pios, quos in dubitationem adducunt, excitant dissidia, quae pariunt innumerabilia scandala. Simus igitur vigilantes, et discamus Deo veros cultus tribuere, et veram invocationem, et petere ac retinere dona Dei. In his exercitiis fiet nobis doctrina de tribus personis illustrior.

Concio de ministerio Apostolorum.

Evangelium Matthaei 16.

Venit Iesus in partes Caesareae Philippi, et interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alii Ioannem Baptistam, alii autem Eliam, alii vero Ieremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit: Tu es Christus Filius Dei vivi. Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus qui in coelis est. Et ego dico tibi: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et dabo tibi claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum in coelis.

Quatuor sunt loci.

I. De agnitione Dei, et Filii eius.
II. Discrimen inter agnitionem ethnicam et veram, et quod semper considerandum sit, quod Deus se patefecit, et cur se patefecerit.
III. Discrimen Christi et Prophetarum.
IIII. Institutio ministerii Evangelii et efficacia et conservatio.

De primo.

Utilissimum est semper considerare, homines non ortos esse casu, sed a Deo conditos, et ad hunc finem conditos, ut sint imagines eius, celebrantes ipsum. Ac humana mens tanquam speculum esse debebat, in quo luceret illustris Dei noticia. Ideoque se patefecit Deus homini dupliciter. Insita naturali noticia, et promulgato certo verbo, quod certis testimoniis confirmavit. Magnum beneficium est creatio, sed multo maius, quod Deus etiam se verbo suo patefecit, et vult agnosci et invocari, ut det vitam aeternam. Et haec patefactio testimonium est, homines non casu nasci, non casu vivere. Non enim frustra patefecit se Deus, sed ut invocetur, et salvet. Haec initia semper cogitanda sunt.

De secundo.

Ethnici cum disserunt de Deo, vagantur animis, et deerrant a vero Deo, quia non quaerunt illum Deum, qui se in verbo suo patefecit. Et quanquam naturali iudicio legem utcunque agnoscunt, tamen non norunt remissionem peccatorum promissam propter Filium. Ideo fugiunt Deum, et irascuntur ei, quod hanc imbecillem naturam tantum ad exitium condiderit. Tales

ignari Evangelii, et fugientes Deum, non possunt eum invocare. Quia invocatio requirit fidem petentem, et expectantem bona a Deo.

Discernatur igitur ethnica agnitio Dei a vera. Nam vera agnitio hunc Deum invocat, qui nos condidit, et se immensa bonitate patefecit, misit Filium de quo clamavit: Hunc audite, et propter quem donavit remissionem peccatorum, et restituit vitam aeternam. Semper igitur in invocatione mens intueatur hunc Deum conditorem, qui se patefecit promulgato verbo suo et misso Filio, qui pro nobis factus est victima, et non frustra se patefecit, nec frustra misit Filium.

Quare semper in precatione cogites: Te invoco, omnipotens, aeterne et vive Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor et conservator omnium rerum, cum Filio tuo Iesu Christo, et Spiritu sancto, sapiens, bone, misericors, iudex et fortis, qui patefecisti te dato Evangelio, et donato Filio pro nobis, miserere mei propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quem voluisti pro nobis esse victimam, mediatorem et deprecatorem, et sanctifica, rege, iuva, doce me Spiritu sancto tuo. Haec forma precationis diligenter cogitanda est, ut discernamus veram invocationem ab ethnica, Iudaica, Turcica, et cum mens considerat testimonia, quibus se Deus patefecit, multae dubitationes epicureae et academicae excluduntur.

De tertio.

Cum ita consideramus Deum se patefacientem, ordine illustres revelationes factae patribus, Prophetis, Christo, Apostolis cogitentur. Sed hic discrimen attendatur inter Prophetas et Christum. Prophetae sunt doctores, per quos sonat vox Dei, sed non sunt victimae, quae merentur remissionem peccatorum, nec sunt datores Spiritus sancti et vitae aeternae, sed tantum sunt ministri vocis divinae, seu concionatores. Sicut Iohannes significanter dixit: Ego sum vox clamans in deserto. Sed aliud maius officium est Christi. Hic intercessit pro nobis apud patrem, et mirabili consilio divinitatis missus est, ut fieret victima, et esset dator Spiritus sancti et vitae aeternae, constitutus mediator, propter quem Deus recipit nos afferentes fiduciam huius mediatoris.

Hoc mirandum consilium nondum satis intelligimus, sed tantum scimus testimonium esse ingentis irae adversus peccatum, et rursus immensi amoris erga genus humanum. Necesse est enim esse veram et ingentem iram, quam nulla res placare potuit, nisi Filius. Et rursus necesse est, magnam vim amoris divini esse, quod non voluit hanc creaturam perire, sed dato Filio restitui.

Sed multi de Christo aliter sentiunt. Fingunt fuisse legislatorem, qui tantum praecepta de moribus tradiderit, sicut caeteri philosophi, aut fingunt similem esse Prophetis, ut Iudaei adhuc expectant Messiam tanquam legislatorem, aut gubernatorem politicum, non victimam aut datorem vitae aeternae. Ideo hic in quaestione dicitur, alios aliter de Christo iudicare.

Sed vera Ecclesia discernit Christum et Prophetas. Ideo haec professio hic exponitur. Vos quem me esse dicitis? Respondit Petrus: Tu es Christus Filius Dei viventis. Duas res asseverat, hunc natum ex Maria esse Messiam, id est, promissum salvatorem, et hunc salvatorem esse Filium Dei, non ut caeteri dicuntur filii adoptione, sed natura filium, sicut ex Psalmo didicerat Petrus: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Porro non solum in docendo, sed quotidie in invocatione teneatur hoc discrimen Christi et Prophetarum. Sciamus Prophetas tantum fuisse doctores, non placatores Dei, et datores vitae aeternae. Sed fides intueatur et invocet hunc Messiam, ita, ut statuat eum fuisse victimam pro nostris peccatis, et nunc esse mediatorem seu propiciatorem, et datorem Spiritus sancti et vitae aeternae, et esse natura Filium Dei, id est, eadem potentia cum patre regnantem, liberantem, defendentem, vivificantem. Haec omnia complectitur Petrus in sua confessione, quae a nobis clarius intelligentur, cum in invocatione cogitabimus beneficia Christi et hunc mediatorem patri proponemus, et ad Deum vere confugiemus.

De quarto.

Edita professione instituitur ministerium, sed Christus praefatur de fine seu utilitate huius professionis, et unde sit haec lux. Finis seu utilitas est, ut hac cognitione, confessione et invocatione Christi, consequamur aeternam salutem. Ideo hic dicitur: Beatus es Simon, sicut et alias dicitur: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum esse Deum, et quem misisti Iesum esse Christum. Sic et Esaias dixit: Agnitione sui iustificabit servus meus multos. Non lex, non alia res humana ulla abolet peccatum et mortem, sed

agnitio et invocatio huius Filii affert iusticiam et vitam aeternam.

Postea dicitur, unde sit haec lux: Caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus coelestis. Evangelium non est sapientia ab hominibus inventa. Nec mens humana assentitur Evangelio, nisi Deo adiuvante. Adiuvat autem Deus non eos, qui superbe repugnant verbo Dei, sed qui credunt verbo Dei, et petunt se iuvari, sicut Christus inquit: Quanto magis pater vester coelestis dabit Spiritum S. petentibus?

Postquam praefatus est Christus, quae sit utilitas huius doctrinae, et unde sit, postea addit sententiam de ministerio, seu propagatione, et de Ecclesia: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam.*

Tu quatenus sonas hanc vocem, et profiteris hunc natum ex Maria esse Messiam, et Filium Dei, eatenus es Petrus, id est, rupes, quae non evertetur, eris minister huius vocis et propagator. Hoc tibi mandatum do, ut hanc confessionem praedices. Et super hanc petram, id est, super hoc ministerium praedicandae huius vocis, aedificabo Ecclesiam meam. Hic locus docet quid sit Ecclesia, et ubi sit quaerenda. Deinde quod sit perpetuo mansura.

Quid est igitur Ecclesia? Est congregatio sonantium hanc vocem de Christo, praedicato per Apostolos, sicut eum confessi sunt Apostoli, in qua congregatione necesse est aliquos esse nova luce donatos a patre coelesti, et habituros gloriam aeternam. Sed cur non potius dicitur, super me aedificabo Ecclesiam? An alligatur Ecclesia ad Petri aut Apostolorum personam?

Respondeo. Magno consilio dictum est, super hanc petram. Alligatur enim Ecclesia ad ministerium Apostolorum, id est, vult nos Christus huic ipsi voci, cum praedicabunt eam postea Apostoli, credere, sicut suae voci, et sicut voci de coelo sonanti. Ideo ad Ephesios scriptum est, Ecclesiam extructam esse super fundamentum Prophetarum et Apostolorum, videlicet, quod attinet ad propagationem et ministerium, et testimonium doctrinae. Sed est extructa super Christum, quod attinet ad meritum, doctrinae fontem, et efficaciam, id est, propter Christum Ecclesia est electa, et vocata a principio mundi, et propter eum servatur et salvatur, et per Christum ex sinu patris revelatum est Evangelium, et Filius est efficax, dat Spiritum sanctum per Evangelium.

Ideo 1. Corinth. 3. dicitur: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id quod positum est, Iesus Christus. Item: Filius, qui est in sinu patris, ipse revelavit nobis. Item: Ego sum via, vita et veritas. Item: Non relinquam vos orphanos, sed veniam ad vos. Item, Act. 2.: Ad dextram igitur Dei exaltatus, promissionem Spiritus sancti accipiens a patre effudit. Magna autem consolatio est, quod scimus testimonium datum esse Apostolis toties a Christo, quod eorum voce et ministerio colligenda sit Ecclesia, quod hoc ipso verbo, quod Apostoli praedicant, Deus servaturus sit Ecclesiam, sicut Iohan. 7. dicitur: Oro non pro ipsis tantum, sed pro omnibus credituris per verbum eorum. Et 20.: Sicut misit me pater, sic mitto vos.

Postquam dictum est ubi sit Ecclesia, videlicet ubicunque haec confessio Apostolorum sonat, et quid sit, sequentes sententiae loquuntur de perpetua conservatione.

Portae inferi non praevalebunt adversus eam.

Ecclesia est subiecta cruci omnibus temporibus: sed tamen alias minus vexatur, alias quassatur durius: ut tempore Davidis et Salomonis fuit tranquillior, quam tempore Ieremiae et Maccabaeorum. Dictum est autem de postremis temporibus, Ecclesiam futuram angustissimam, et passuram tristissimas tyrannides et dispersiones: sicut iam grassari in eam videmus Turcicam barbariem, reges et pontifices, et inter se doctorum esse atrocia dissidia. Nulli principes firmi sunt, nulla sedes Ecclesiae duratura videtur, denique vere est, ut vocat Daniel, Dispersio. Hoc tali tempore diligenter muniendi sunt animi, ne deficiant a Deo, propter hanc tristem speciem: nec cogitent extinctam esse Ecclesiam Dei penitus, sed sciant Ecclesiam esse talem dissipatum coetum, agnoscentium Christum, et tamen mansuram esse. Sic praedixit Christus Lucae 21.: Erit pressura gentium in angustia. Et Paulus inquit: Erunt tempora saeva. Etsi autem haec mala sunt in conspectu, tamen multi leviter afficiuntur tam horrendis spectaculis. Quare ea intueamur, ut quaeramus veras consolationes, et excitemus nos ad invocationem. Gemitus nostri petant defensionem et conservationem Ecclesiae, studiorum, politiarum, quia Ecclesiis opus est hospitio. Et

ne desperatione frangamur, testimonia teneamus, quae de perpetuitate Ecclesiae concionantur, ut hic: Et portae inferi non praevalebunt adversus eam.

Item: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Item, Psal. 10.: Tu es sacerdos in aeternum.

Esaiae 59.: Hoc foedus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps et in sempiternum. Item, Iere. 31.: Sanctum templum Domini non evelletur, et non destruetur ultra in perpetuum.

His dictis confirmemus nos, ut statuamus non abiectum esse totum genus humanum, sed adhuc manere Ecclesiam, nos exaudiri, et perpetuo mansuram esse. Sed simul petendam esse a Deo conservationem, et laborandum, ut verbum Dei retineamus. Nam apud eos non manet Ecclesia, qui verbum Dei abiiciunt, sed Deus alibi sibi populum colligit, ut abiectis Iudaeis propagata est doctrina inter gentes, ut in Osea dicitur: Quia repulisti scientiam, repellam te.

Cogitemus item in tantis periculis nos non solos sustinere haec certamina, sed Filium Dei nobis adesse, sicut Daniel inquit de hoc ipso postremo tempore. Illo tempore stabit pro filiis populi sui dux magnus Michaël, id est, Christus.

Postremum dictum de efficacia loquitur: Dabo tibi claves regni coelorum. Ut gladius significat imperia, ita claves significant domesticam gubernationem. Vult enim Christus Ecclesiae regnum magis oeconomiae, quam imperiis simile esse. Ideo utitur appellatione clavium. Significant autem non partem administrationis, sed totum munus, id est, potestatem seu mandatum docendi Evangelium, administrandi sacramenta, vocandi ministros, annunciandae remissionis peccatorum et excludendi contumaces ex regno Dei, sine vi corporali. His tantis actionibus adest Deus, et salvat obedientes Evangelio, et damnat contumaces, sicut Rom. 1. dicitur: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Etsi impiis ridiculum videtur, cum audiunt voce Evangelii homines certo fieri haeredes vitae aeternae, tamen nos hoc tantum beneficium grati agnoscamus et amplectamur. Sciamus Deum non frustra se patefecisse, nec frustra Filium misisse, nec frustra dedisse Evangelium additis illustribus testimoniis, et credamus voci Dei, quo toties promisit vitam aeternam amplectentibus Evangelium, et testatus est se illis affuturum esse, sicut Christus inquit: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.

Exposui locos Evangelii, continentes doctrinam maxime utilem piis mentibus, de agnitione Christi et de Ecclesia, qui cum ad fidei lumen in mentibus pertineant, tamen quadam prava imitatione detortae sunt ad regnum pontificium. Ecclesia fundata est super ministerium, id est, verbum Apostolorum, non super successores Petri, relinquentes verbum Apostolorum. Nec claves significant imperia mundana, aut potestatem ferendi leges, sed simpliciter munus docendi Evangelii, et administrationem sacramentorum, ut prius dixi, sine vi corporali.

De S. Stephano.

Historia Actorum 6. et 7.

Stephanus plenus gratia et fortitudine, prodigia et signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quae dicitur Libertinorum et Cyrenensium et Alexandrinorum, et eorum, qui erant a Cilicia et Asia, disputantes cum Stephano, et non poterant resistere sapientiae et spiritui quo loquebatur.

Tunc submiserunt viros qui dicerent: Quia audivimus eum loquentem verba blasphema in Mosen et Deum. Commoveruntque populum, et seniores, et scribas, et invadentes arripuerunt eum, et adduxerunt in concilium, et statuerunt falsos testes, qui dicerent: Homo iste non cessat loqui verba blasphema adversus locum sanctum hunc, et legem. Audivimus enim eum dicentem, quod Iesus Nazarenus hic destruet locum istum, et mutabit mores, quos tradidit nobis Moses. At cum intuerentur eum omnes, qui sedebant in concilio, videbant faciem eius tanquam faciem angeli.

Dixit autem princeps sacerdotum, An haec ita se haberent? At ipse ait: Viri, fratres et patres, audite, Deus gloriae apparuit patri nostro Abrahae cum esset in Mesopotamia, priusquam moraretur in Charran,

et dixit ad illum: Exi de terra tua, et de cognatione tua, et veni in terram quam monstravero tibi. Tunc exiit de terra Chaldaeorum, et habitavit in Charran. Et inde postquam pater eius mortuus est, transtulit illum in terram istam, in qua vos nunc habitatis, et non dedit illi haereditatem in ea, neque passum pedis, sed promisit se daturum eam possidendam ipsi et semini eius post ipsum, cum nondum haberet filium.

Locutus est autem Deus sic: Erit semen tuum inquilinum in terra aliena, et servituti illud subiicient, et male tractabunt annis quadringentis, et gentem cui servierint, iudicabo ego, dixit Deus, et post haec exibunt, et servient mihi in loco isto. Et dedit illi testamentum circumcisionis, et hic genuit Isaac, et circumcidit eum die octava, et Isaac Iacob, et Iacob duodecim patriarchas.

Et patriarchae aemulantes Ioseph, vendiderunt in Aegyptum, et erat Deus cum eo, et eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius, et dedit ei gratiam et sapientiam coram Pharaone rege Aegypti, et constituit eum ducem super Aegyptum et totam domum suam.

Venit autem fames in universam terram Aegypti et Chanaan, et tribulatio magna, nec inveniebant cibos patres nostri.

Et descendit Iacob in Aegyptum, et defunctus est ipse et patres nostri, et translati sunt in Sichem, et positi sunt in sepulcro, quod emit Abraham precio argenti a filiis Emor, filii Sichem.

Cum autem appropinquaret tempus promissionis, quam iuraverat Deus Abrahae, crevit populus et multiplicatus est in Aegypto, donec surrexit alius rex qui non norat Ioseph. Hic fraudes machinatus contra genus nostrum, male tractavit patres nostros, ut exponerent infantes suos, ne vivificarentur. Eodem tempore natus est Moses, et erat gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris. Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis, et nutrivit eum sibi in filium. Et eruditis est Moses omni sapientia Aegyptiorum, erat autem potens operibus et verbis.

Hic est Moses qui dixit filiis Israël: Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris, tanquam me, ipsum audietis.

Tabernaculum testimonii fuit patribus nostris in deserto, sicut disposuit loquens ad Mosen, ut faceret illud secundum formam quam viderat, quod et susceperunt patres nostri, et importarunt cum Iosue in possessione gentium, quas expulit Deus a facie patrum nostrorum, usque ad dies David, Qui invenit gratiam coram Deo, et petiit ut inveniret tabernaculum Deo Iacob. Salomon autem aedificavit illi domum.

Sed altissimus non habitat in manufactis templis, sicut Propheta dicit: Coelum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Qualem domum aedificabitis mihi, dicit Dominus, aut quis locus requietionis meae est? Nonne manus mea fecit haec omnia?

Duri cervice, et incircumcisi corde et auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis, sicut patres vestri, ita et vos. Quem Prophetarum non sunt persecuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui praenunciaverunt de adventu iusti, cuius vos nunc proditores et occisores facti estis, qui accepistis legem per dispositiones Angelorum, et non servastis.

Audientes autem haec, dissecabantur cordibus suis, et stridebant dentibus suis in eum. Cum autem esset plenus Spiritu sancto, intentis oculis in coelum, vidit gloriam Dei, et Iesum stantem a dextris Dei. Et ait: Ecce, video coelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum, et eiectum eum extra civitatem, lapidabant. Et testes deposuerunt vestimenta ad pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus, et lapidabant Stephanum invocantem et dicentem: Domine Iesu, suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamavit voce magna: Domine, ne statuas illis peccatum hoc. Et cum hoc dixisset, obdormivit.

Loci praecipui.

I. De confessione doctrinae.
II. Doctrina Stephani de regno Messiae.
III. Revelatio Christi regnantis palam facta Stephano.
IIII. De passione Stephani.
V. Exemplum precationis directae ad Christum.

Semper duo considerentur in historiis Sanctorum: genus doctrinae quod confitentur; deinde vita et mores. Doctrina et invocatio Dei discernit pios ab Ethnicis virtute praeditis: et sententiis ac testimonio confitentium doctrinam, eruditur et confirmatur Ecclesia: praecipue enim ob hanc causam ab initio missi sunt Prophetae et alii doctores, qui variis certaminibus et periculis inclaruerunt, ut hoc modo doctrina subinde instauraretur et propagaretur, et posteri novis testimoniis confirmarentur.

Sic et Apostoli et eorum discipuli missi sunt ad docendum, et ad subeunda certamina propter doctrinam, ut Ecclesia erudiretur, et haberet certa testimonia doctrinae. Ideo eorum historiae considerandae sunt, ut confessio eorum doceat nos, non ut invocentur ethnico more.

Quae fuit igitur doctrina Stephani?

Iudaei accusant eum, quod contra templum et contra legem blasphemias dixerit. Magna controversia fuit, et de re omnium maxima, videlicet de lege Dei, et cultu quem instituerat, haec Stephanus dicit Deo displicere, et interitura esse. Haec adversarii iudicabant esse crimina contra primam tabulam, blasphema seu haeretica, deinde etiam seditiosa: quia haec doctrina distractionem faciebat istius politiae. Semper existunt similes contentiones, quoties Deus emendat Ecclesiam, hypocritae clamitant cultum Dei labefactari, sapientes queruntur distrahi imperia.

Quid igitur discendum est ex hac Stephani historia?

Primum hoc in genere discatur, quod necesse sit mandatum de confessione illis querelis anteferre. Grave crimen est, quod dicunt adversarii aboleri a nobis cultum Dei, et legibus laxatis confirmari licentiam. Grave est et alterum crimen, quod dicimur distrahere Respub. mutato genere doctrinae. His accusationibus homo modestus non potest non moveri, sed tamen anteferendum est mandatum de confessione: Si quis negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre coelesti.

Secundo, doctrina ipsa cognoscatur. Stephanus docet ritus templi non esse cultus Dei, et negat Iudaeos iustos esse lege, negat peccatum tolli cultibus illis, praedicit et templi destructionem, et excidium totius politiae, ut ostendat regnum Christi esse aeternum regnum, et non mundanam politiam. In hac disputatione summa Evangelii comprehenditur: quia negat sacrificiis tolli peccata, ostendit propter Messiam donari remissionem peccatorum, quia negat ritus templi esse cultus Dei, monstrat alios, scilicet poenitentiam, fidem, invocationem, fiduciam Messiae, qua incoatur in nobis nova lux, nova obedientia et vita aeterna, sicut Christus inquit: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum esse Christum.

Has res, videlicet poenitentiam, fidem, invocationem, novam obedientiam spiritualem, dixit Stephanus veros esse cultus, et propter has res missum esse Filium Dei, non ut occuparet mundi imperium. Ideoque testatus est templum et ritus interituros esse, ut extet testimonium iudicii Dei, quod hi ritus non sint iusticia regni Messiae.

Hanc eandem sententiam in longa concione postea tractat Stephanus, cuius concionis hic est status: Quod datae sint promissiones de venturo Messia, et fuerit Ecclesia etiam cum nondum esset templum: nec cultum verum esse hos ritus templi, sed credere Dei promissionibus de Messia, et in hac fide eum invocare.

Eandem doctrinam complectitur disputatio, quae adfirmat regnum Christi non esse mundanum, quia statim quaerendum est, cur passus sit, scilicet, ut esset victima pro peccato. Item, quale sit regnum, quae sint eius beneficia, videlicet, remissio peccati, incoatio vitae aeternae per Spiritum sanctum, et donatio vitae aeternae. Haec beneficia incoantur in hac vita per fidem. Et ex hac hypothesi sequebantur illa: ut constaret regnum Messiae non esse mundanum, secuturum esse excidium urbis, templi, et totius politiae Iudaicae, sicut Daniel praedixerat.

Haec disputata sunt a Stephano, qui facile poterat convincere Iudaeos. Daniel clare praedixit urbis excidium, mox post adventum Messiae.

Hinc perspicue sequitur, regnum Messiae non esse mundanum: Item, ritus templi non esse veros cultus: non enim interirent, sed alios cultus describi in Ieremia: Ecce dabo legem meam in corda eorum. Item: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Item in Psalmo: Tu es sacerdos secundum ordinem Melchisedech, interibit igitur sacerdotium Levi.

Tertio.

Dictum est de doctrina Stephani: pertinet autem ad doctrinam testimonium Stephani, quod adfirmat se videre Christum stantem ad dextram *Dei*. Nam hoc exemplo monemur, quale sit regnum Christi, non ita discessit, ut negligat Ecclesiam, sed vere eam respicit, adest ei, propugnat eam, iuvat morientes, sicut ipse dicit: Sine me nihil potestis facere.

Item: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Item: Ubicunque sunt congregati duo aut tres in nomine meo, in medio eorum sum.

Nec frustra se hic ostendit Stephano, nec propter ipsum tantum, sed multo magis propter universam Ecclesiam, sic omnes pii in omnibus periculis, sic in morte respici se et curari statuant, perinde ac si oculis Christum cernerent, ut vidit Stephanus. Ideo hoc exemplum infigamus animis, ut quotidie nos de regno Christi admoneat, ut cogitemus non ociosum esse, sed vere opitulari eum, et dare aeterna bona.

Quarto.

De passione Stephani.

Iudaei expectabant Messiam daturum imperia et opes: at exemplum Stephani ostendit, in hac vita Ecclesiam subiectam esse cruci, sed accipere iusticiam, Spiritum sanctum, et donari post hanc vitam aeterna gloria. Ideo Stephanus interficitur, ut reliqui discerent, regnum Messiae non esse mundanum imperium et suave ocium. Absurdum autem videtur rationi humanae, iustos et populum Dei, tamen oportere subiectos esse aerumnis, et quidem multo durius premi, quam ullos alios homines: Impii tenent magna imperia, ut nunc Turci et alii tyranni. Interim Ecclesia est miserabilis coetus, et vere, ut Psalmus ait, Oves destinatae ad mactationem. Nec leviter offendit haec species iudicia humana. Sed Ecclesia scit causas, cur sit subiecta cruci. Estque haec pecularis et propria sapientia Ecclesiae, ignota rationi humanae. Nobis igitur haec causae notae esse debent, ut Deo obediamus in afflictionibus, et expectemus liberationem integram in vita aeterna.

Est autem haec praecipua causa, cum natura hominum sit immersa peccato, Deus subiecit totum genus humanum morti et multis aerumnis, ut agnoscamus iram Dei adversus peccatum, et vocemur ad poenitentiam. Ac praecipue Ecclesia subiicitur cruci, quia Deus vult ipsam agnoscere iram adversus peccatum, vult augeri poenitentiam, cum reliqua pars hominum nihil curet iram Dei, et furens contemnat peccatum et poenas.

Praeterea sanctorum afflictiones sunt testimonia doctrinae, tunc apparet eos serio sentire quod profitentur, cum nullis periculis deterrentur a confessione.

Sunt item testimonia futurae vitae, cum videmus Paulum interfici ab impurissimo tyranno, intelligimus certo restare aliud iudicium, in quo Nero poenas dabit, quia Paulum non negligi priora testimonia ostendunt, in quibus declaravit Deus sibi illum curae esse. Sunt et aliae causae, quas alias recitavi.

Exemplum vero Stephani de utraque re nos admoneat, et quod Ecclesia sit subiecta cruci, et quod tamen adsit suis in cruce Filius Dei, sicut hic praesens a Stephano cernitur. Est et hoc observandum, etsi aliqua membra, ut in acie interficiuntur, tamen non deletur tota Ecclesia funditus, manet semper aliquis coetus, ut propagetur doctrina: ideo fiunt etiam liberationes corporales, ut Petrus et Paulus educuntur ex carcere, Daniel servatur inter leones.

De quinto.

Diligenter observanda est precatio Stephani directa ad Christum: Domine Iesu, accipe spiritum meum. Haec est confessio, quod Filius Dei sit natura Deus, et omnipotens, quia eum invocat. Item quia ipsi commendat spiritum, testatur esse omnipotentem, qui spiritum corpori redditurus sit, sicut Ioan. 5. inquit: Sicut pater vivificat mortuos, ita et Filius quos vult, vivificat.

Recte igitur oramus utroque modo: Iuva nos Deus aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, et conservator, et exaudi propter Filium: et tu Domine Iesu Christe iuva nos. Et cum sic dicimus, Deum qui se per Christum patefecit, et in Christo habitat corporaliter,

invocamus, et simul fatemur, huic Filio regnum a patre esse traditum, sicut ipse inquit, Matth. ult.: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra, agnoscamus eum esse caput Ecclesiae, efficax in membris, ut Ephes. 1. dicitur.

Die Iohannis Evangelistae.

Evangelium Iohannis 21.

Dixit Iesus Petro: Amen amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te, et ambulabas quo volebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius cinget te, et ducet quo non vis. Hoc autem dicebat significans quali morte esset glorificaturus Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. Conversus autem Petrus, vidit discipulum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus eius, et dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc cum vidisset Petrus, dicit Iesu: Domine, hic autem quid? Dicit ei Iesus: Si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quod discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Iesus, quod non moritur, sed, si eum volo manere donec veniam, quid ad te? Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec. Et scimus, quod verum est testimonium eius.

Duo sunt praecipui loci

I. De disciplina et obedientia spirituali in afflictionibus.

II. De sua cuiusque vocatione.

De primo.

Cum inquit in textu: Cum esses iunior cingebas teipsum etc. Haec verba discernunt disciplinam a spirituali obedientia. Est autem disciplina diligentia humanae mentis, seu liberi arbitrii, qua voluntas praestat legis opera, et vitat prohibita. Hanc requirit Deus ab omnibus hominibus. Sicut clare docent dicta de poenis: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Fornicatores et adulteros iudicabit Deus. Item: Propter haec venit ira Dei super inobedientes.

Et saepe dicimus quatuor causas esse, propter quas disciplinam praestare necesse est. Prima est, quia mandata est a Deo. Secunda, ut vitentur poenae. Tertia, propter aliorum tranquillitatem. Quarta, quia est paedagogia in Christum, quia perseverantes in delictis contra conscientiam, repellunt Spiritum sanctum, nec potest existere fides in mente, quae ruit contra conscientiam. Ideo ut lucere fides incipiat, desinas agere contra conscientiam.

Porro haec gubernatio morum est quaedam diligentia liberi arbitrii. Ideo inquit: Cingebas te ipse, id est, regebas tuos mores tua quadam diligentia, et hanc diligentiam solam existimabas esse cultum, expectabas etiam praemia pro hoc cultu, scilicet, tranquillitatem in hac vita, et praemia post hanc vitam.

Quanquam autem in credente haec diligentia est cultus, et habet praemia, tamen hic monet Christus, alios esse maiores cultus, scilicet obedientiam in afflictionibus. Refutat enim opinionem Iudaicam de iusticia, et de regno Messiae. Pharisaei tantum de iusticia operum concionabantur, de praemiis, de pace, de tranquillitate. Sicut semper humana sapientia solam hanc disciplinam magnifacit, et dirigit eam ad istum finem, videlicet ad tranquillitatem. Ita et de regno Messiae cogitabant Apostoli, futuram honestam et tranquillam politiam.

Sed Christus taxat has opiniones, imo, inquit, regnum Messiae alios cultus et alias res afferet, confessio Evangelii irritabit diabolum et eius organa. Ideo tyranni in vos grassabuntur, et ducent quo non voletis. Scitote igitur Ecclesiam subiectam esse cruci, et vos non tantum priore disciplina, sed etiam hac obedientia in afflictionibus Deo servituros esse. Non somniate vobis ocium in regno Messiae, sed labores, certamina, supplicia expectate, et vos confirmate, ut in his praestetis obedientiam.

Doctrina paedagogica et civilis est, quod moderatio morum afferat tranquillitatem. Sed Ecclesia habet superiorem quandam sententiam, non intellectam mundo, quod videlicet totum genus humanum omnibus calamitatibus subiectum sit, propter iram Dei adversus peccatum. Sed quia Deus vult agnosci peccatum et iram in Ecclesia, et vult eam vocari ad poenitentiam, ideo magis Ecclesia subiecta est cruci, quam caeteri homines, sicut scriptum est: Iudicium a domo Dei incipit. Sed post mortem abolito peccato, glorificabitur Ecclesia.

Docet igitur Apostolos hoc loco Christus de rebus maximis, videlicet, Ecclesiam subiectam esse cruci. Alius ducet te, quo non vis, inquit, et monet, hos esse praecipuos cultus, obedire in his afflictionibus, et addere fidem, invocationem, spem auxilii et liberationis. Sicut scriptum est: Humiliamini sub potenti manu Dei, id est, quae et potenter affligit, et potenter liberat. Item: Propter te mactamur tota die. Item: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Item: Sacrificate sacrificium iusticiae, et sperate in Domino.

Philosophia longe aliter iudicat, quae cogitat bene moratis debere bene esse, nec videt, cur boni sint in calamitatibus: ideoque existimat a Deo desertos esse, vel disputat homines non esse curae Deo. Sed Ecclesia novit doctrinam de peccato, et de ira Dei, et de Filio Dei, et de futura glorificatione. Item, sola doctrina Ecclesiae testatur, Deum vere velle recipere et liberare afflictos. Ideo Psalmus inquit in propriis laudibus Dei: Qui sanat contritos corde, et alligat contritiones eorum.

De secundo.

Humanae mentes, cum dissimilia dona, dissimiles eventus, dissimiles afflictiones vident, varie turbantur. Saul videns antecellere Davidem, accenditur invidia. Nos, quia non possumus imitari egregias virtutes Pauli, impellimur ad desperationem. Monachus videns exercitia Antonii, imitatur exemplum, et excogitat novum cultum. Denique universaliter dissimilitudo rerum parit, aut invidiam, aut *κακοζηλίαν*, aut desperationem: imo propter dissimiles casus qui bonis accidunt, confirmantur opiniones epicureae.

Adversus haec prava iudicia omnia, traditur hic utilis regula, Una sit et similis fides erga Deum in sanctis. Sed diversas et dissimiles vocationes esse necesse est. Ideo inquit: Si illum volo manere, quid ad te? Id est, ne turberis dissimili exemplo alienae vocationis, Tu me sequere. Una sit et similis fides erga vocantem, sed suae quisque vocationi obtemperet, in hac serviat pro mediocritate sui doni. Sicut et Paulus inquit, Rom. 12.: Nemo aspiret ad ulteriora quam convenit, sed sentiat et agat modeste iuxta mensuram sui doni. Si Deus vult Davidem antecellere, boni consulat id Saul, et agat gratias Deo, quod et ipsum ornarit, et nunc det magis idoneos ministros, agnoscat successus a Deo esse, nec esse in potestate hominum. Concedat igitur Deo, ut distribuat eos suo consilio. Sicut Iohannes inquit: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum desuper, et agat gratias Deo, quod pro salute populi excitat plures ministros, et oret, ut haec beneficia cumulet. Quid est indignius quam irasci Deo pro beneficio? Optandum erat Sauli, ut multa praesidia regno relinqueret similia Davidi.

Sic quilibet nostrum videns alterum excellere, Deo gratias agat pro his donis, gratuletur Reipub. et oret Deum, ut haec beneficia cumulet. Ut in Numeris cap. 11. cum Iosue hortatus esset Mosen, ne concederet prophetare iis, qui non erant in numero gubernatorum, respondit Moises: Quid meo honori metuis? Utinam omnis populus prophetet, quia dabit Dominus spiritum suum super eos. Et Paulus inquit: Ne extinguatis spiritus, sed probetis. Gratulemur igitur dona Dei nobis, Ecclesiae et Reipub. non certemus aemulatione, discamus item discernere fidem et vocationes, Fides similis sit omnium, credere quod propter Filium Dei placeamus. Hac fide Deum invocemus, sive magnis, sive parvis donis praediti sumus, sive sumus in rebus secundis, sive in adversis. Caeterum vocationum magna est differentia, alius aliud officium sustinet, alius aliter affligitur, alius alia dona habet, Davidem vocat Deus ad regnum, non vocat Ionathan. Ionathan quanquam pium et bene meritum sinit Deus interfici. Roboam quanquam ignavus et malus, non interficitur. Hac varietate vel dissimilitudine non impellamur vel ad aemulationem, vel ad desperationem, vel ad *κακοζηλίαν*, sed unusquisque in sua vocatione vel afflictione praestet obedientiam, sicut hic dicitur: Tu me sequere. Et de afflictionibus inquit Christus: Si quis me vult sequi, tollat crucem suam, et sequatur me. Suam, inquit, videlicet, non alienam.

Ita de officiis multa extant praecepta 1. Corinth. 7: Quisque in vocatione, in qua vocatus est, maneat. 1. Thessal. 4: Adhortamur vos fratres, ut in hac re excellere singulari diligentia conemini, studio tranquillitatis, et agendi res proprias, ac Paulus insigni vocabulo usus est. Ambitiose hoc agatis, tanquam eximium decus appetite studium agendi res proprias, alios ambitio et cupiditas gloriae impellit, ut multa et aliena suscipiant, et currant extra metas, vos expetite hanc gloriam, quam haec virtus parit, videlicet, sedulitas obeundi proprii muneris. Est enim haec virtus media inter ignaviam et *πολυπραγμοσύνην*.

Item, Petrus vetat esse ἀλλοτριοεπισκόπους ingerentes se alienae administrationi. Ac in gubernatione videmus quantum mali sit, cum conturbantur officia, cum doctores Ecclesiarum volunt regere negocia politica, et ut Aristophanes de Cleone dixit, alterum pedem habent in curia, alterum in castris, Aut econtra, potentes volunt dominari Ecclesiis, et religiones ad sua iudicia inflectunt. Saepe haec confusio nocuit Ecclesiae. Hic utrique moneantur dicto Petri, ne sint ἀλλοτριοεπίσκοποι. Item, Christus noluit politica iudicia exercere, cum diceret: Quis me constituit iudicem inter vos?

Et quanquam pios dicta apostolica movere debent, ut propter Deum praestent in vocatione obedientiam, tamen etiam poenae et incommoda quae sequuntur πολυπραγμοσύνην moneant sanos, ut eam fugiant. Quia Deus promisit auxilium iis qui in vocatione serviunt, sicut dictum est: Commenda Domino viam tuam, et ipse faciet. Econtra ut prohibet irruere in alienas vocationes, prohibet item fiduciam propriae industriae et sapientiae, ita destituit suscipientes aliena contra mandatum Dei. Nunquam est sapientia felix sine Deo. Ideo dicitur in Salomone: Penes me est consilium et successus. Et supra dictum est: Non potest homo sibi quicquam sumere, nisi sit ei datum desuper. Docuit autem et Ethnicos experientia, confusionem vocationum perniciosam et vitandam esse: Ideo de cura proprii muneris dictum est: Spartam nactus es, hanc orna. Item: Eques equitare didicit, cantor cantare. Item: Aliud est sceptrum, aliud plectrum.

Haec omnia complectitur doctrina de vocatione, de qua hic dicitur: Tu me sequere. Praecipue vero sciamus hanc concionem oppositam esse humanis iudiciis, quae propter dissimilia dona, et dissimiles afflictiones, vel de providentia Dei, vel de gratia dubitant. Sciamus non ideo nos reiectos esse, etiamsi donis sumus inferiores quam Apostoli et Prophetae, sed simili fide Deum invocemus, et eam exerceamus unusquisque in suo ministerio, et vocatione quantumvis humili.

De conversione D. Pauli Apostoli.

Historia Actorum 9.

Saulus autem adhuc spirans minas et caedem in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, et petiit ab eo epistolas Damascum versus ad synagogas, ut si quos invenisset huius viae, viros ac mulieres, vinctos duceret in Ierusalem.

Cum autem iter faceret, factum est, ut appropinquaret Damasco, et subito circumfulguravit eum lux de coelo, et collapsus in terram, audivit vocem dicentem sibi: Saul, Saul, quid me persequeris? Dixit autem: Quis es Domine? Dominus autem dixit: Ego sum Iesus, quem tu persequeris, durum est tibi contra stimulos calcitrare. Et tremens ac pavefactus dixit: Domine, quid me vis facere? Et Dominus ad eum: Surge, et ingredere civitatem, et dicetur tibi, quid te oporteat facere.

Viri autem qui comitabantur eum, steterunt attoniti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis suis, neminem videbat. Ducentes autem eum manu, introduxerunt Damascum. Et erat tribus diebus non videns, et non manducavit neque bibit.

Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias. Et dixit ad illum in visione Dominus: Anania. Ille autem ait: Ecce ego Domine. Dominus autem ad eum: Surge, vade in vicum, qui vocatur rectus, et quaere in domo Iudae Saulem nomine Tarsensem, ecce enim orat, et vidit in visione virum Ananiam nomine introire, et imponere sibi manum, ut visum recipiat.

Respondit autem Ananias: Domine, audivi a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem. Et hic habet potestatem a principibus sacerdotum vinciendi omnes, qui invocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus: Vade, quoniam electum vas est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus, et filiis Israël. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.

Abiit autem Ananias, et introivit in domum, et imponens ei manus, dixit: Saul frater, Dominus misit me, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas et implearis S. sancto. Et confestim deciderunt ab oculis eius, tanquam squamae, visumque recepit. Et surrexit ac baptizatus est. Et cum accepisset cibum, confortatus est.

Fuit autem Saulus cum discipulis, qui erant Damasci, per dies aliquot. Et continuo in synagogis praedicabat Christum, quod is est Filius Dei. Stupebant autem omnes qui audiebant, et dicebant: Nonne hic est, qui expugnavit in Ierusalem eos, qui nomen invocant illud? Et huc ad hoc venit, ut vinctos illos duceret ad principes sacerdotum. Saulus autem multo magis confortabatur, et confundebat Iudaeos, qui habitabant Damasci, affirmans quod hic est Christus.

Septem sunt loci praecipui.

I. Qualis dispersio sit Ecclesiae.

II. Quod Deus conservet, et subinde renovet ministerium.

III. Quod miserit Apostolos singulari modo, sine politica gloria, qualem habuerant Prophetae.

IIII. Quod virtutes singulorum diligenter considerandae sint. Primum, ut Deo gratias agamus, quod instaurat ministerium, ne totum humanum genus pereat. Deinde, ut ministerium ipsum rectius intelligamus. Item, ut aliquo modo diligentiam imitemur. Postremo, ut oremus Deum, ut nos faciat ministros utiles, nec sinat nos tantum esse inania onera terrae, aut pestes generis humani. Ingens enim donum Dei est, ita gubernare, ut res utiles geras, ut politias Themistoclis fuit utilis patriae: politia Periclis, etiamsi erat splendida, tamen non fuit patriae salutaris.

V. Proprium munus Pauli fuit, quod illustravit discrimen legis et Evangelii, refutavit opinionem infixam animis omnium hominum, qua imaginamur nos lege et nostris virtutibus mereri remissionem peccatorum, et iustos esse. Hic contra, monstrat Filium Dei, et contendit, propter hunc mediatorem gratis fide consequi remissionem credentes, et pronunciari iustos, et sic incoari in nobis vitam aeternam.

Et ut hanc gratuitam condonationem praedicaret orbi, singulari modo vocatus est, ut cum fuisset hostis, suo testimonio ostenderet, gratis recipi credentes, et non afferentes merita. Illustrat et alias partes doctrinae, discrimen spiritualis et politicae iusticiae, discrimen Ecclesiae et impiorum. Munit et pacem, docens politias esse res a Deo ordinatas.

VI. Docuit circiter annos 36: tot enim sunt anni a 34. Christi anno ad ultimum Neronis. Etsi autem et peregrinationes eius aerumnosae, et pericula eius in Actis describuntur, tamen nemo existimet verbis describi posse ullius gubernatoris miserias praecipuas. Excruciantur animi assiduis curis et angoribus, quos perferre nemo unquam potuisset, nisi Deus adderet vires, et regeret impetus et occasiones negociorum.

VII. Studiosi etiam eruditionem Pauli considerent. Nam verba et ratio disputandi manifeste ostendunt, fuisse studiosum et excultum doctrina, et homo politicus facile animadvertet in iis praeceptis, quae tradit de gubernatione, contineri res non vulgares, sed ea quae praecipue providenda sunt sapienti et sagaci gubernatori, et significari nervos boni status. Item, semina variarum inclinationum.

De primo.

Daniel totum tempus ab exilio Babylonico vocat dispersionem populi Dei, significans post id tempus, etsi usque ad Christum mansura erat politia Iudaica, tamen et ipsam misere quassandam esse, et postea non fore certam sedem Ecclesiae, aut unum aliquod regnum usque ad finem huius mundi, ut homines quaerunt animis et oculis certam sedem et certum regnum, in quo conservetur Ecclesia. Sed dispersionem vocat, ac significat magnas fore regnorum mutationes, sub quibus reliquiae quantulaecunque erunt, sicut Apostolorum et Martyrum tempore oculi testantur, Ecclesiam fuisse dissipatos coetus, et sine certo imperio. Postea haeretici et sequentia regna fecerunt novas dispersiones, ut videmus Ecclesiam sub Turcis et aliis regibus tristi servitute premi.

Discamus igitur nosse Ecclesiam, et somnia de imperiis deponamus. Sperabant et Apostoli auream aetatem, et politias pulcre constitutas, quae viderentur futura perpetua et certa domicilia

Evangelii. Hoc somnium commune est omnium hominum, sed aliter de Ecclesia vaticinatur scriptura, et experientia consentit cum scriptura. Confirmemus igitur animos, et sciamus nos nobiscum circumferre Ecclesiam, ubicunque terrarum sumus, si didicerimus et retinebimus Evangelium, sicut inquit Christus: Si verba mea manserint in vobis, quicquid petetis, fiet vobis etc. Et sciamus tales aliquas reliquias semper a Deo servari, denique parati simus ad exilia et alias aerumnas.

Illud autem hic deplorandum est, maximam generis humani partem tantum ad exitium nasci, ut in Psalmo tristissima voce dicitur: Nunquid vane constituisti omnes filios hominum? Hac consideratione nos ad timorem Dei et ad studium Evangelii excitemus.

De secundo.

Paulus citat ex Psalmo dictum illud: Ascendit, dedit dona hominibus. Et ex hoc testimonio docet divinitus mitti doctores et gubernatores Ecclesiae. Lux Evangelii facile et saepe in mundo obscuratur, ideo subinde missi sunt instauratores verae doctrinae, ut post interfectum Abel, excitatus est Seth, post Ioseph Moises, post longum intervallum Samuel, deinde Elias, Elisaeus, postea Ieremias, Daniel, Baptista, Christus, Apostoli, et deinceps in Ecclesia subinde aliquos Deus excitavit, qui doctrinam repurgarent, ut Athanasium, Augustinum, et aliquos similes. Haec consideremus, et Deo gratias agamus pro his muneribus, et discamus regi et servari Ecclesiam divinitus.

De tertio.

Homines politici, cum historias veteres considerant, mirantur quidem Prophetas, quia vident eos rexisse imperia, ut Samuelem, Eliam, Elisaeum, Esaiam, Ieremiam, Danielem, et alios. Sed Apostolos cogitant fuisse ignavos, errones, nec intelligunt principale munus. Sed nos sciamus principale officium Prophetarum fuisse, renovare et illustrare promissionem de Messia, docere de remissione peccatorum propter Messiam, et de vera invocatione Dei, sicut in Actis clare dicitur: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Haec vox est ipsum Evangelium de vita aeterna.

Quia vero Deus ante natum Christum voluit esse certam politiam, in qua nasceretur Christus, et extarent certa testimonia de verbo eius: ideo Prophetae non solo ministerio Evangelii, sed etiam politico fungebantur, vel erant duces ipsi, vel ducum gubernatores, ut Elisaeus, Esaias. Haec gloria magis incurrit in oculos, quam ministerium de rebus aeternis, cum tamen haec politica bona sint peritura. Sed illa gloriosa facta erant testimonia, quae ostendebant, isti populo vere adesse Deum, et vere ei traditum esse verbum Dei.

Sciamus ergo Apostolos singulari consilio missos esse sine politico munere, quia circa finem mundi veniunt post exhibitum Christum, annunciantes brevi futuram esse resurrectionem mortuorum, et colligunt undique Ecclesiam ex imperiis, non constituunt nova imperia, sive Romani, sive Parthi, sive Gotthi regnent, nihil ad Apostolos, sed ipsi ex omnibus colligunt Ecclesiam, sic nos iam veram doctrinam spargamus, quocunque ruant imperia, nec erit labor irritus.

Et fortassis ideo Deus excitavit lucem Evangelii, ut homines retineant certiorem doctrinam, si paulo post concussio regnorum magis disperget Ecclesias, sicut nunc fit in Pannoniis. Quanquam autem non sunt certa imperia post Apostolos, quae foveant Ecclesiam, tamen Deus aliqua domicilia curat, alibi magis, alibi minus tranquilla, sicut Christo dedit praesepe, et Paulo interdum aliquem praesidem.

De quarto.

Duae res in singulis Prophetis et Apostolis considerandae sunt, doctrina, et privatae virtutes. Cum enim doctrinam consideramus, et discernimus ab humana sapientia, melius intelligere res magnas discimus, quas Deus in Evangelio monstrat et exhibet. Deinde virtutum consideratio prodest. Quanquam enim gradus apostolicos non assequimur, tamen quoniam initia omnium communia esse debent, haec exempla nobis ad imitandum divinitus proposita sunt. Etiamsi languidior est tua fides aut obedientia, quam Davidis et Pauli, tamen initia fidei et obedientiae in omnibus nobis esse debent, et exempla Davidis et Pauli monent, ut agamus poenitentiam, credamus nos recipi in gratiam, sicut illi crediderunt: invocemus, simus obedientes, diligentes in vocatione, frenemus etiam corpus, sicut Paulus inquit: Castigo corpus meum. Denique multa uti-

lia exempla a multis sumere possumus, sed tamen videndum est, quae exempla conveniant nostrae vocationi. Item, quae ad regulam conveniant.

Sed in hoc loco non de sola imitatione dicendum est, maius quiddam accedat: agamus gratias Deo, quod misit doctores, quod per eos fuit efficax, quod addidit sua testimonia, quod tradidit nobis verbum, per quod impertit vitam aeternam, et oremus, ut servet Ecclesiam. Item, ut nos ipsos faciat organa utilia, nec abiiciat inter vasa irae.

Iohannes inquit: Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum desuper. Ideo non omnis sapientum industria est felix. Themistoclis consilia fuerunt felicia, Periclis et Demosthenis imitatio non fuit felix. Samuel, David, Iosaphat, Ezechias fuerunt felices: Achas, Achab infelices, perniciosi sibi, aliis et Reipub. Tales vocat Paulus, ad omne opus bonum reprobos, id est, infelices, qui non faciunt aliis salutaria. Graeci vocant ἀλάστορας, et describuntur in Psalmo: Induit maledictionem sicut vestimentum. Augustini politia fuit felix, Samosateni et Arii infelix.

Haec discrimina monent nos, quantum in vita sit periculi, quanta ira Dei adversus maledictos, quanta hominum imbecillitas. Ideo vere oremus, ut Deus faciat nos utilia et salutaria organa, sicut in Psalmo 1. sanctis promittit: Et folium eius non defluet, et omnia quae faciet, prosperabuntur.

De quinto.

Diligenter discernenda sunt genera doctrinarum, homines prophani cogitant nihil interesse inter Apostolos et Theognidem, id est, putant eos circumferre praecepta de moribus. Haec coecitas taxanda est in Ecclesia, et monstrandum discrimen legis et Evangelii. Legis noticia insita est sanis, sicut numerorum noticia: sed Evangelium, id est, promissio reconciliationis gratuitae propter Filium, revelata est voce Dei, et tradita patribus et propagata voce Prophetarum, Christi et Apostolorum.

De hac arcana sapientia inquit Iohannes: Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Unde scires te recipi a Deo, et gratis recipi propter Filium, et vere exaudiri, iuvari et donari vita aeterna, nisi Deus patefecisset hanc arcanam suam voluntatem, quam nulla creatura cernere aut deprehendere potuisset, eo non monstrante. Nec invocatio sine cognitione huius discriminis fieri potest, semper enim obstrepit iudicium legis rationi insitum, quae cogitat Deum non exaudire indignos. At Evangelium iubet accedere ad Deum, iubet credere quod propter Filium certo recipiamur et exaudiamur. Haec doctrina usu discenda est, et cum eam exercemus, iuvamur a Spiritu sancto. Nam ratio aegre assentitur, et hanc voluntatem Dei difficulter amplectitur.

Maxime autem hic locus a Paulo illustratus est, qui diligenter discernit legem ab Evangelio, et diserte facit mentionem exclusivae Gratis, et contendit fide, id est, fiducia misericordiae propter mediatorem accipi reconciliationem, non propter proprias virtutes, et prohibet dubitationem. De his maximis rebus longe aliae sunt imaginationes rationis, quas secuti Origenes et monachi, magnas tenebras offuderunt Evangelio, quae fugiendae sunt, et retinenda simplex et vera sententia Pauli, quae est perpetua vox verae Ecclesiae Dei. Considerandus enim est consensus propheticarum concionum et Pauli.

Alia brevis explicatio historiae de conversione Pauli.

Praecipuus locus est in hac historia, quod hoc exemplo Christus testatur se gratis donare remissionem peccatorum credentibus. Quia Paulus non affert merita, sed horribilia peccata. Item, exemplum hoc opponendum est magnitudini peccatorum, sicut plerunque diabolus aliquo praecipuo peccato oppugnat conscientias, et singulari vulnere labefacit fidem. Adversus has tentationes opponatur haec sententia. Gratia exuberat supra peccatum. Et adiungantur exempla Davidis, Pauli et Manasse. Sic proponit exemplum suae conversionis Paulus ipse ad Timotheum, inquiens: Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, quorum primus ego sum.

Deinde loci insunt multi.

I. Quantum scelus sit saevitia adversus sanctos, quia Christus inquit sese peti.

II. Exemplum poenitentiae. Hic enim primum describitur contritio, Paulus agnoscit peccatum, obtemperat, et versatur in ingenti luctu et terroribus, sed tamen fides luctatur cum his terroribus, quia describitur orans, accedit igitur

fides, quia Paulus baptizatur, et absolvitur per Ananiam. Sequuntur et fructus poenitentiae, confessio et afflictiones.

III. In hac poenitentia didicit, iusticiam legis non esse iusticiam coram Deo, agnovit suas tenebras, se prius non recte sensisse de lege, de Messia, de Prophetarum promissionibus etc.

Et huc pertinent verba ad Rom. 7.: Ego aliquando sine lege vixi, scilicet securus, tumens persuasione iusticiae, Postea me lex occidit, id est, perterrefacto monstravit tenebras meas, errores, multiplicia peccata, et immunditiem naturae, superbiam, contemtum Dei, diffidentiam, fiduciam nostrorum consiliorum etc. In his pavoribus agnovit quid lex velit, quid sit peccatum, quid mors, et intellexit Messiam nos ab illis veris et aeternis malis liberare. Hoc significant squamae decidentes ab oculis. Et tales pavores sunt vera contritio, de qua in doctrina de poenitentia dicendum est. Sicut in Psalmo saepe describitur contritio: A facie peccatorum non est pax ossibus meis etc.

Oremus igitur Deum, ut nos quoque vere ad se convertat, sicut Ieremias inquit: Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Nam in securis et ociosis non est poenitentia, iuxta illud: Ubi habitabit Dominus? nisi in spiritu contrito, et tremente sermones meos etc.

IIII. Cursus Pauli et aliorum Apostolorum testatur, Ecclesiam divinitus defendi et conservari. Tantisper praedicat Paulus, et impediri eius cursus non potest, donec voluit eum Dominus in isto stadio versari, videlicet annos fere 36. Ita Prophetae inter maxima pericula, tamen suos cursus perficiebant, ut Esaias annos fere 80, Elisaeus circiter 70, Ieremias 40, Iohannes Apostolus circiter centum annos.

Die purificationis Mariae.

Evangelium Lucae 2.

Postquam impleti sunt dies purgationis eorum, secundum legem Moisi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quod omne masculinum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur. Et ut darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Et ecce, homo erat in Ierusalem, cui nomen Simeon. Et homo iste iustus et pius, expectans consolationem Israël, et Spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat a Spiritu sancto, se non visurum mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit spiritu in templum.

Et cum inducerent puerum Iesum parentes, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, et ipse accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum, et dixit:

Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam plebis tuae Israël.

Et erant pater et mater eius mirantes super his, quae dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, et dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam et resurrectionem multorum in Israël, et in signum cui contradicetur. Quin et tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

Sex sunt praecipui loci.

I. Quid lex de immundis et de purificatione Levitici 14. significet.
II. Cur Maria, cum non teneretur ea lege, tamen ei obtemperaverit.
III. Quid lex de primogenitis significet.
IIII. Testimonia de nato Messia Simeonis et Annae.
V. Doctrina in dictis Simeonis de regno Christi.
VI. Doctrina de cruce.

De primo.

Tota haec lex Mosi est paedagogia seu disciplina, non quidem tollens peccatum, sed de multis magnis rebus admonens populum, scilicet de peccato, et de futura liberatione. Ita haec lex de immundis, quae tamen conceptum ex virili semine pepererant, significabat propagari cum hac regeneratione peccatum, et naturam humanam ream esse. Admonebat igitur ceremonia pios, ut cogitarent de peccato propagato, et de causis humanarum calamitatum, et de ira Dei: deinde ut ad hanc tristem meditationem conferrent promis-

siones de futura liberatione, de electione huius populi, et invocarent Deum fide, seu fiducia promissionum etc.

Ad hos usus haec symbola praecipue instituta erant, postea accedebant et aliae rationes huius moris. Lex servit utilitati corporis, et coërcet errantes libidines. Magnum miraculum est ipse partus, mirabili Dei ordinatione, coxae quae alioqui non moventur suo loco, tamen in partu aperiuntur, et accedit ingens dolor. Denique sequitur partum magna corporis debilitas, quae ipsa nos de primo lapsu admonet. Ut igitur parcatur corpori puerperae, Deus aliquos dies ordinavit, quibus vult illam servire suae valetudini, et vult Deus suo verbo regi opus generationis, nec temere vagari. Vult igitur interim a puerpera virum abstinere, et sancit capitalem poenam de hac re. Haec mortalia etiam hoc loco observanda sunt, quia moralia ad omnes homines pertinent, Deus nunc quoque vult puerperas curare suam valetudinem, ideo etsi certus numerus dierum, et sacrificia illa ad nos non pertinent, tamen genus ad nos pertinet.

Quod vero offerebant agnum, aut turtures, hic ritus non tollebat peccata, sed erat testimonium observati illius puerperii, et occasio docendi populi, cum veniebant ad templum, et hostiae offerebantur, quia talibus officiis sacerdotes alendi erant. Caeterum tecte significabatur ventura hostia.

De secundo.

Maria non tenebatur hac lege de immundis, quia lex diserte dicit de ea, quae peperit conceptum ex virili semine, Haec additio supervacanea fuisset, nisi tecte significaret quandam parituram esse sine virili semine. Non igitur vult Deus accusare matrem Filii sui. Cur igitur observavit Maria ritum? Respondeo. Quatuor sunt causae, cur Christus circumcisionem et caeteros ritus omnes servavit. Prima, quia subiecit se legi, ut subiret poenam, quam minatur lex pro peccatis generis humani. Secunda, ut constaret hunc Messiam esse ex semine Abrahae, oportebat eum in hoc populo versari, et servare ritus eosdem, praesertim cum oportuerit exhiberi eum isti populo. Tertia, quia oportuit Messiam esse socium Ecclesiae Dei, et non abesse a reliquo corpore Ecclesiae, ut clara testimonia in Ecclesia de eo ederentur. Quarta, ut testimonia de eo illustria spargerentur per ipsum ministerium, ut per Zachariam, Simeonem, Elisabeth, Annam, et alios.

Parentes ergo cum has causas scirent, legi obtemperant, et monent nos, ut conservationem ministerii adiuvemus, et declaremus nos esse membra verae Ecclesiae. Et quod Maria et Ioseph recte fecerit ipse Deus testatur, qui hic insigni miraculo movet Simeonem et Annam, ut vaticinentur. Dicitur enim diserte: Venit motu Spiritus in templum. Discamus autem Deum adesse huic studio conservandi communis ministerii, quia ipse est efficax per ministerium, sicut dicit: Qui vos audit, me audit.

De tertio.

Ter in Mose est repetita lex de primogenitis masculis. Exod. 13. Item 34. et Num. 8. et est adiuncta ἀντίθεσις, quia percussi primogenita Aegypti, posco vestra primogenita. Generaliter autem significatum est, hunc populum electum esse a Deo, ut in eo sit Ecclesia. Sicut autem subditus certo munere testatur, se suo Domino addictum esse: ita vult Deus se agnosci esse Dominum huius populi. Turcicus tyrannus ex singulis pagis et oppidis sumit decimum quenque puerum, et deligit suo arbitrio. Hoc magno munere populus fatetur hunc esse dominum: sed haec est misera servitus ad exitium instituta, quod exempli causa recito. Voluit Deus et sibi tradi primitias nascentium, ut agnosceret populus, sic vere proprium esse Dei populum. Econtra vero Aegyptiorum, et aliarum gentium primogenita reiecta esse.

Quid haec tota imago significat? Hoc videlicet omnes gentes reiectas esse, quae non colunt Deum iuxta hoc verbum traditum huic populo, hos vere esse populum Dei, qui eum colunt iuxta verbum, quo se patefecit in hoc populo. Et ut Turcica illa servitus exitiosa est, ita haec salutaris est.

Ac opponitur ritus opinionibus impiis, quae aut omnes religiones pariter fingunt fabulosas esse, aut omnes pariter probandas. Sed hic reiicit Deus primogenita Aegyptiorum, id est, reiicit caeteras gentes, caeteros cultus et religiones, et claro signo testatur, se vere esse Dominum huius populi, et curare hunc populum, qui amplectitur verbum ab ipso traditum.

Et hic ipse ritus referendus est ad promissionem additam circumcisioni, in qua clare dicitur: Ego ero Deus eorum, id est, hos qui me invocant propter semen promissum, recipiam, exaudiam, salvabo etc. Huius promissionis σύμβολα et repetitiones erant multae aliae ceremoniae, sicut haec ipsa servitus, seu traditio primogenitorum. Haec vere, ut in foro, testimonium erat mutuum, quo ostendebatur Deum esse dominum huius populi, et hunc populum esse proprium Dei, sicut traditio puerorum apud Turcas dominium significat.

Secundo, ut autem dominii ratio primum haec complectitur, Dominum recipere hunc populum, exaudire, salvare, ita e regione servitus significabat debita officia. Discenda et retinenda est doctrina Dei, et ei obediendum, instituendi liberi ad doctrinam, corpora et facultates serviant in bello, et alibi ad conservationem doctrinae. Hanc esse legis sententiam Deus ipse testatur, quia inquit: Debentur mihi omnia primogenita, delegi mihi pro illis tribum Levi. Requirit ergo praecipue officia conservandae doctrinae. Haec in summa lex de primogenitis significat, videlicet populum peculiarem, delectum ut salvetur, et vere celebret Deum.

Sed hic addendum est, in hoc populo esse quendam primogenitum omnibus antecellentem, propter quem principaliter Deo dicata sunt primogenita, videlicet Messiam, qui est primus haeres, propter quem caeteri recipiuntur. Hanc doctrinam de Messia optime intelligebat Maria in oblatione primogeniti, ideoque principaliter venit in templum, ut ipsa testaretur hunc esse primogenitum illum praecipuum, propter quem omnes significationes institutae fuerunt. Sicut etiam Spiritus sanctus ipse testatur, hunc esse illum primogenitum, sicut eum praedicant, Simeon, Anna, et alii.

Iam hic discamus, nos insertos oleae populi Dei, et factos cohaeredes Christi, et proprium populum Dei, modo ut invocemus eum iuxta hoc verbum, in quo se patefecit, debere item nos certa officia, discere doctrinam, obedire ei, corpora et res offerre ad doctrinae conservationem.

De quarto.

Ut saepe alias dictum est, testimonia observentur de nato Messia, ut fides nostra confirmetur, quia Deus vult Ecclesiam habere certa testimonia. Antea fuerunt testes Zacharias, Elisabeth, Angeli, Ioseph, Pastores, Magi: nunc Simeon et Anna accedunt, ut late spargatur articulus, quod natus sit Messias.

De quinto.

Doctrina traditur in dictis Simeonis de regno Christi, vocat Christum salutare suum, vocat lumen ad revelationem gentium, id est, lumen lucens gentibus, seu praebens lucem gentibus, ut videant Deum.

Intelligit autem salutare, non de imperio mundano, sed de vera salute, qua Deus abolito peccato, et abolita morte, restituit vera bona, et sic de gentibus loquitur: Gentes habituras lumen Evangelii, in quo Deum agnoscent, et vere invocabunt.

De sexto.

Additur et doctrina de cruce, ex qua perspicuum est senem intelligere, Christi regnum non fore politicum, quia dicit, Multos ei contradicturos esse, et alludit ad dicta Prophetarum de passione Christi. Postea addit matrem in magno dolore futuram esse, scilicet, quia videbit Filium crucifigi.

Caeterum mater ubique repraesentat Ecclesiam, cuius afflictiones hic pinguntur, cum ait: Animam tuam penetrabit gladius, dum revelantur cogitationes cordium, id est, dum se profert et ostendit impietas antea tecta specie sapientiae et iusticiae. Sicut acerrime oderunt Evangelium homines fascinati admiratione suae sapientiae et iusticiae, ut dictum est: Perdam sapientiam sapientum.

Eiusdem historiae brevis enarratio.

I. De obedientia praestanda ministerio.
II. Testimonia de nato Christo.
III. Canticum Simeonis.
IIII. De persecutione,

De primo.

Duae leges hic considerandae sunt, quae gravissimam doctrinam continent: Prior de immunditia puerperae, Posterior de primogenitis consecratis Deo. Prior lex diserte loquitur de nato ex virili semine, Levit. 12. et significat nasci ho-

mines cum immunditie, et iubet matrem offerre pro peccato, ut purgetur.

Haec lex admonebat hunc populum de immunditie humanae naturae, et de peccato originis. Et, quia diserte loquitur de nato ex virili semine, nihil pertinebat ad Christum, aut matrem: et tamen Maria obtemperat legi. Quare? ut exemplo suo conservet ministerium publicum, et ostendat se, et hunc natum, esse membra huius Ecclesiae. Hinc discamus conservationem ministerii sanctis curae esse, et adiuvandum esse omnium exemplis et obedientia.

Altera lex de primogenitis postulat omnia primogenita mascula Deo consecrari, et redimi. Haec lex multa significabat. Primum nasci homines praecipue, ut Deo serviant. Item deberi Deo praecipuam partem vitae, laborum et fructuum. Continebat et tectam promissionem, quia Deus postulabat primogenita, testabatur sibi curae fore hunc populum, et placere. Denique arcana significatio erat de Christo, venturum primogenitum, qui esset proprie consecratus Deo, scilicet Messias.

Quanquam igitur prior lex de immundis, nihil prorsus ad Mariam pertinebat, tamen hanc legem de primogenitis intelligebat testem esse de Christo, et significare hunc primogenitum. Ideo, etsi sine ceremonia erat consecratus Deo, tamen adfert eum ad Ecclesiam, ut significet iam vere impletam esse legem de primogenito consecrato. Et hanc ipsam ceremoniam vult testem esse exhibiti et consecrati Christi. Ideoque accedit testimonium Spiritus sancti, qui per Simeonem et Annam concionatur hunc infantem esse Messiam consecratum Deo. Magna igitur gloria sequitur, postquam ministerio praestitit Maria usitatum officium.

Quare discamus et nos venerari, et tueri ministerium Ecclesiae, et meminerimus iam exhibitum esse illum primogenitum, qui vere consecratus est Deo, et per quem caeteri consecrantur, etc.

De secundo.

Saepe dictum est omnia testimonia colligenda esse, quia Deus patefieri et inclarescere hanc nativitatem voluit, ut Ecclesia esset certa. Etsi enim Ecclesiae facta non sic incurrunt in omnium oculos, ut imperatorum, Alexandri, et similium praelia: tamen vult Deus esse certa testimonia de Christo, et de verbo suo in Ecclesia. Ita hic sunt testes, Maria, Ioseph, Zacharias, Elisabeth, Pastores, Magi, Simeon, Anna.

Nec levis fuit autoritas horum testium: nam haud dubie Simeon et Anna fuerunt reliquiae sanctorum, qui Maccabaeorum praeliis interfuerant: quia a Iuda Maccabaeo ad nativitatem Christi sunt anni 161. Et Simeon et Anna egressi centesimum annum viderant sanctos senes prioris seculi. Ita mansit penes aliquos paucos vera fides perpetua serie in hoc populo.

Porro haec testimonia fidem nostram confirment, et simul hic speciem Ecclesiae consideremus, quae erat coetus exiguus, spretus et oppressus tyrannide Herodis et pontificum, et tamen hic exiguus coetus fulgebat in hoc populo, nec erat prorsus ignotus.

De tertio.

Canticum est testimonium de Messia, et gratiarum actio. Item prophetia de vocatione gentium, et doctrina de beneficiis Christi. Conspecto Christo senex ait se discessurum in pace, quia agnoscit ingentem Dei misericordiam datam esse, cogitat futuram instaurationem Ecclesiae, scit per hunc Messiam abolendum esse peccatum et mortem, incoandam vitam aeternam, agnoscit sibi remissa esse peccata, agnoscit se habiturum vitam aeternam: ita multiplici consolatione exhilaratur. Haec et nos cogitemus agnito Christo.

Lumen ad revelationem gentium, id est, erit lumen illustrans, illuminans gentes, vel lucens gentibus, quo agnito cernent Deum, et ingentem misericordiam Dei volentis recipere, et salvare gentes: vel lumen, id est, consolator, patefaciendus gentibus, qui eos liberat a peccatis et aeterna morte.

De quarto.

Sequitur alia descriptio Ecclesiae, praemonet Simeon non mansuram politiam populi, et principes adversaturos esse Christo, hinc secutura erat magna distractio. Haec semper fiunt in Ecclesia, motis certaminibus de Evangelio, et cum sapientes abhorreant a discordiis, multi hac specie moti, sunt iniquiores Evangelio: sed tamen manet aliquis pius coetus, ideo dicitur: Erit in resurrectionem multis. Sed hi ipsi sustinent tristissimas persecutiones, ideo hic dicit de Ma-

ria: Gladius penetrabit animam tuam. Vaticinatur Christum passurum esse, et simul significat perpetuo in hac vita Ecclesiam habituram afflictiones, quia Maria est imago totius Ecclesiae.

Historia de Zachaeo,

cochaerens cum Evangelio Dominica Quinquag. Luc. 19.

Et ingressus transibat per Iericho, et ecce, vir nomine Zachaeus, et hic princeps erat publicanorum, et ipse erat dives, et quaerebat videre Iesum, quis esset, et non poterat prae turba, quia statura parvus erat. Et praecurrens ante, ascendit in sycomorum, ut videret eum, quia illac erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens Iesus vidit illum, et dixit ad eum: Zachaee, festinans descende, hodie enim in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, et excepit illum gaudens. Et qui videbant, omnes murmurabant dicentes, quod ad virum peccatorem ingressus divertisset.

Stans autem Zachaeus, dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, et si quo aliquem defraudavi, reddo quadruplum. Ait autem Iesus ad eum: Hodie salus huic domui facta est, eo quod et ipse est filius Abrahae. Venit enim filius hominis quaerere et salvum facere, quod perierat.

Exemplum est gratuitae vocationis, poenitentiae et absolutionis, et adiecta est concio de remissione peccatorum.

I. Locus de vocatione.

Matth. 9. dicitur: Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam. Haec est doctrina Evangelii propria, quod propter Christum donetur remissio peccatorum credenti, gratis, non propter nostra merita, et quod hac fide velit Deus invocari, sicut ait Paulus: Per hunc habemus accessum ad patrem. Hanc consolationem in Evangelio propositam discamus et amplectamur. Et cogitemus diligenter causas, quare necesse sit in Ecclesia retineri hanc doctrinam de gratuita remissione, seu de exclusiva, Gratis: sunt autem quatuor causae.

Prima, ut tribuatur debitus honos Filio Dei, videlicet, quod propter ipsum detur remissio peccatorum, non propter nostra ulla merita.

Secunda causa, ut conscientia habeat firmam consolationem, ac certo statuere possis, quod habeas remissionem peccatorum, et Deus iam sit tibi propicius, ac vere velit accipere tuas preces, et dare vitam aeternam credenti. De hac causa loquitur Paulus Rom. 4. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

Tertia causa est, ut possimus Deum vere invocare, quia cor dubitans fugit Deum, irascitur Deo, sicut Saul, Achas et similes, non igitur invocat. Scriptum est autem: Per hunc habemus accessum fide. Quare ut veri cultus Deo tribui possint, necesse est tenere doctrinam, quod placeamus et exaudiamur propter Filium Dei, gratis, non propter nostram dignitatem. Ideo dicitur: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis etc.

Quarta causa est, ut discrimen legis et promissionis evangelicae perspicue conspiciatur. Quia lex etiam dicit, Deum misericordem esse, sed ait iustis et dignis esse misericordem. Evangelium vero clamitat, omnes iniustos et indignos esse, et promittit omnibus remissionem peccatotorum gratis, propter Filium Dei, et praecipit hanc fide accipi, ut Iohan. 3. et Rom. 3. clare scriptum est.

Haec est summa doctrinae, quae et in hac historia traditur, cum ait Christus: Venit Filius hominis quaerere, et salvare quod perierat. Sciamus et nos quaeri, sicut admirabili bonitate rursus tenebras Ecclesiae discussit, et restituit lucem Evangelii, sciamus nobis offerri beneficia Christi, remissionem peccatorum, gratiam et vitam aeternam, et summum Dei cultum esse, agnoscere Filium Dei, petere et fide accipere haec beneficia, sicut pater aeternus inquit: Hunc audite, et 1. Iohan. 5.: Qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo, et hoc est testimonium, quod vitam aeternam dedit nobis Deus, et haec vita in Filio eius est, et qui habet Filium, habet vitam, qui non habet Filium, vitam non habet.

Haec conspiciuntur in hoc exemplo. Zachaeus erat homo iniustus, vectigalia supra leges exigens, et habens iniusta aucupia quaestus, ut

plerunque fit in praefecturis. Talem virum vocat Christus ad gratiam, ut testetur se vocare peccatores. Sed hic addendum est. Hic publicanus non habebat meritorum praerogativam, sed hoc aderat, Christum audiebat, erat in hoc populo, ubi sonabat Evangelium, quia non sit vocatio sine Evangelio. Idque significatur per hunc stantem in arbore sycomoro. Significatur enim primum vocatos esse eos, qui stabant in populo Israël, iuxta illud: Ex Sion egredietur lex. Haec doctrina vere est Evangelium Dei perpetuum, quae in isto populo Prophetis commendata est, de venturo Messia.

Nam sycomorus est typus populi Israël. Similis est enim arbor illa fico et moro, et est admodum foecunda et lactea, et gignit fructus copiosos, qui tamen non maturescunt, nisi scalpantur et ungantur oleo, ut scribit Theophrastus. Vides ipsissimam imaginem populi legis, qui est foecundus, potens, habet regnum. Deinde etiam est lacteus, habet etiam promissiones et cultum, et gignit copiosos fructus. Magni labores, egregia opera fuerunt Moisi, Iosuae, Gedeonis, Saulis, Davidis, et multorum aliorum. Sed hi fructus non maturescebant sine sectione et oleo, id est, sine crebris castigationibus et sine divina consolatione. Secabantur Israëlitae, quoties vexabantur ab hostibus Palaestinis, Assyriis, Chaldaeis. Sed Deus infundebat oleum, restituebat et sanabat eos, missis bonis ducibus, ut Samuele, Davide, Iosaphat, Elia, Daniele.

Stans igitur in sycomoro, significat stantem in populo legis, ubi sonat doctrina, ubi Prophetae tradiderant promissiones, ubi Christus ipse concionaturus erat. Ita et nos in sycomoro stamus, cum illud idem Evangelium audivimus, traditum per Prophetas et Apostolos, et maxime cum sumus in eo coetu, ubi sonat vere vox Evangelii. Nam sine Evangelio non fit vocatio ad salutem.

De secundo.

Exemplum poenitentiae proponitur. Zachaeus fatetur peccata, et promittit emendationem, et absolvitur hac voce Christi: Hodie salus facta est huic domui, quia ipse filius est Abrahae, et habiturus benedictionem, et promissionem vitae aeternae factam Abrahae. Et in ipsa absolutione adiicitur integra concio Evangelii: Veniet Filius hominis quaerere et salvare quod perierat.

Die annunciationis Mariae.

De concepto Christo. Evangelium Lucae 1.

In mense sexto missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilae, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus angelus ad eam, dixit: Ave gratiosa, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus.

Illa vero cum vidisset, turbata est in sermone eius, et cogitabat, qualis esset ista salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Deum, Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen eius Iesum, Hic erit magnus, et filius altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus, sedem David patris sui, et regnabit super domum Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis.

Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus altissimi obumbrabit te. Ideoque et quod nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua, et hic mensis est sextus illi, quae vocatur sterilis, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab illa angelus.

Quinque sunt loci praecipui.

I. De statu regni Iudaici eo tempore, et de forma Ecclesiae.
II. Mariae consternatio.
III. Angeli narratio de regno aeterno.
IIII. Testimonium, quod Christus sine virili semine conceptus sit.
V. De his verbis: Obumbrabit te Spiritus sanctus.

De primo.

Plurimum conducit formam Ecclesiae omnibus temporibus considerari, ne propter multitudinem, imperia, potentiam impiorum, a vera Ecclesia aberremns. Herodes iam annos 36 tenuerat nomen regium in hoc populo, sed quia

peregrinus erat, principes et pontifices ei parere recusabant, quia sciebant stirpi Iuda regnum promissum esse. Et cum male accommodarent promissiones, sperabant Deum adfuturum esse ipsis expellentibus Herodem. Hac spe assiduos tumultus movebant, et movebant infeliciter, nec vincebat tantum Herodes trucidatis multis millibus, sed etiam praecipuum collegium seu concilium, quod vocabant Sanhedrin, funditus delevit, quod fuit summum in isto populo, ad doctrinae et religionis conservationem institutum. Haec ita fiebant, quia praedictum erat, tunc venturum esse Christum, cum stirps Iuda esset oppressa servitute.

Et meminerimus hanc servitutem, et has miserias fuisse poenas. Nam prius fratres filii Hircani, deinde nepotes de regno certaverant parricidiis. Erant et in honore Zaducaei et Pharisaei, qui oppresserant veram doctrinam. Ideo hae poenae secutae sunt, sicut nunc mundus tristissima servitute sub Turcis et aliis premitur, propter idola, libidines, et alia flagitia.

Consideres autem tunc inter tantas dissipationes regni et doctrinae, tamen servatas esse reliquias verae Ecclesiae, Zachariam, Elisabeth, Ioseph, Mariam, Simeonem, Annam, et alios multos, qui adhuc puram doctrinam Prophetarum retinuerunt, et in his miseriis, dum peterent ex lectione Prophetarum consolationem, multa didicerunt et multa eos quotidiana precatio docuit.

Ut autem Maria credat angelo, additur miraculum de gravida anu, ideo fit mentio numeri mensium a conceptu Elisabeth: hoc tempus expectatum est, ut iam certo constaret anum illam esse gravidam. Allegat igitur angelus hoc testimonium: Credas, inquit, voci meae, quia Deus proponit tibi testimonium meae legationis, quod haec anus sit gravida facta.

De secundo.

Omnia opera Dei in hominibus ita fiunt, ut initio expavescant animi, iuxta illud: Ubi habitabit Dominus? in spiritu contrito et humiliato, et tremente sermones meos, quia Deus vult primum agnoscere nos nostram infirmitatem, vult nos perterrefieri, ut postea consoletur, sicut scriptum est: Deducit ad inferos, et postea reducit. Item: Humilibus dat gratiam. Praeterea natura hominis sine confirmatione divina ne potest quidem sustinere Deum, sive per se loquentem, sive per angelos, sive per homines, quandocunque cor feritur verbo Dei, expavescit, sicut clamat populus ad montem Sina: Non loquatur nobis Dominus, ne moriamur. Sed in his ipsis terroribus illi, qui credunt, rursus eriguntur voce Evangelii, sicut hic Maria audit hanc vocem: Ne timeas, invenisti enim gratiam apud Deum.

Exempla sunt passim obvia in scripturis, quae ostendunt hunc esse ordinem, quoties Deus loquitur, ut praecedant terrores, sequatur consolatio: hic ordo etiam in conversione cernitur. David, Paulus, arguuntur, et expavescunt, postea eriguntur. Et in concionibus huius festi Bernardus de hac re disserit, et memorabilem sententiam tradit de fide: Non solum hoc credas, remitti peccata, sed gratis remitti, et tibi remitti credas propter Christum. Hac fide Apostolus ait, Iustificari hominem.

De tertio.

Angelus adfirmat Mariam gravidam fore, et parituram filium promissum per patres et Prophetas, et longa narratione recitat ipsa verba promissionum. Cogita autem, quantam consolationem piae menti haec tanta res attulerit, praesertim intuenti miserrimam dissipationem Ecclesiae eius temporis, quae admodum erat attenuata. Recitat autem angelus verba promissionis, et clare inquit, hunc natum regnaturum esse sine fine. Tale non potest esse imperium in hac mortali natura. Nec dubium est, haec pluribus explicata esse, sicut statim post angelus ad Ioseph inquit: Liberabit populum a peccatis. Quid hoc est? non solum remittet in hac vita, sed vere abolebit, data nova vita in resurrectione.

Et huc referendae sunt sententiae Prophetarum, quae de abolendo peccato et de abolenda morte, de donanda nova et perpetua vita et iusticia loquuntur. Ut: O mors, ero mors tua. Item: Feriam novum pactum, dabo legem meam in corda eorum. Erit igitur tale regnum, in quo Christus vivens vita aeterna regnabit inter donatos vita aeterna.

De quarto.

Hic locus testimonium est articuli, quod Christus conceptus sit efficacia Spiritus sancti, sine virili semine, ut Matth. 1. clare dicitur: Quod in ea natum est, est a Spiritu sancto. Id testimo-

nium transferatur ad hunc locum Lucae. Confirmatur autem Maria exemplo, iam est gravida anus Elisabeth, id exemplum cum sit supra naturam, credas etiam meae voci, rem supra naturae ordinem promittenti. Pertinet huc testimonium Esaiae: Ecce virgo erit gravida, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emanuel. Quia enim commixtione seminum propagatur immunda natura, et infecta morbo originis, ideo Deus voluit nasci Christum sine ulla commixtione, et tamen ut esset semen Abrahae et Davidis, sumta est massa sanctificata per Spiritum sanctum ex virgine, ut ad Galat. dicitur, natum ex muliere.

Monet et hoc exemplum mirabiliter exhiberi promissiones divinas, ac longe aliter, quam expectat humana ratio. Haec pie meditanda sunt, et semper simul causae huius admirandi consilii complectendae sunt, cur Filius Dei fuerit mittendus, cur tam miras res fieri Deus voluerit. Haec omnia quia sunt extra conspectum humanae rationis, prophani homines derident, sed nos sciamus vere esse Deum, et patefactum esse in verbo, quod ab initio dedit patribus, quo testatur iram adversus peccatum non esse rem levem, et ita fuisse placandam Filio mediatore.

De quinto.

Figura sumta est ex historia, quae narrat, populum in deserto nube tectum fuisse, quae interdiu umbram praebuerit, nocte vero lucem. Et ut tunc fuit miranda consolatio, et testimonium praesentiae Dei. Ita semper pii sciant sic se regi nocte, id est, in tenebris, periculis et morte, ministrari lucem, consilium, consolationem et vitam. Rursus in aestu umbram, id est, in poena sustentationem, ne imbecillis natura terroribus divinis consumatur, sicut de iudicio et ira Dei Psalm. 89. inquit: Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo. In ira tua defecimus. Item, Deut. 4.: Deus tuus ignis consumens est. Denique nemo hominum sustinere iudicium vel opus Dei potest, nisi fiat obumbratio, id est, nisi misericordia Dei foveat et vivificet hominem. Ideo et hic fit mentio obumbrationis.

Et sicut hic de Maria dicitur, ita universaliter sciamus obumbratione foveri Ecclesiam, sicut et Esa. 4. dicitur: Et creabit Dominus super omnem locum montis Zion, et ubi invocatur, nubem per diem, et flammam lucentem in nocte, et adversus fulgorem tegmentum, et obumbraculum diei ab aestu.

Si haec promissio conferatur ad externam speciem Ecclesiae, nihil simile videbitur. Nulla enim habet humana praesidia, premitur ingentibus aerumnis, et crudelissime laceratur a tyrannis. Sciamus autem promissionem revera intelligi de obumbratione in iudicio Dei, qua scimus nos per misericordiam vere recipi, et fieri haeredes vitae aeternae, et foveri, ne ira aeterna consumamur. Postea sciamus de corporali defensione, servari coetum aliquem, etiamsi membra lacerantur et exercentur afflictionibus, sicut in Amos dicitur: Ecce oculi Domini super regnum peccans, ut conterat illud a facie terrae. Iacob autem non conteram, sed concutiam ut triticum in cribro, et non cadet granum super terram.

Evangelium in die Philippi et Iacobi,

Iohannis 14.

Et dixit Iesus discipulis suis: Non turbetur cor vestrum. Creditis in Deum, et in me credite. In domo patris mei multae mansiones sunt. Sin autem minus, dixissem vobis, Vado ad parandum vobis locum. Et cum abiero, parare vobis locum, iterum veniam, et accipiam vos ad meipsum, ut ubi sum ego, et vos sitis. Et quo ego vado, scitis, et viam scitis.

Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quo vadis, et quomodo possumus viam scire? Dicit ei Iesus: Ego sum via, et veritas, et vita. Nemo venit ad patrem, nisi per me. Si cognovissetis me, et patrem meum utique cognovissetis. Et modo cognoscitis eum, et eum vidistis.

Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis patrem, et sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tempore vobiscum sum, et non cognovisti me? Philippe, qui videt me, videt patrem, et quomodo tu dicis, Ostende nobis patrem? Non credis, quod ego in patre, et pater in me est? Verba quae ego loquor vobis, a me ipso non loquor: pater autem in me manens ipse facit opera. Credite mihi, quod ego in patre, et pater in me est: si autem non propter opera ipsa credite mihi.

Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et maiora his faciet, quia ego ad patrem meum vado, Et quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur pater in filio. Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.

Tres sunt praecipui loci.

I. Quomodo agnoscendus sit et adorandus Deus.
II. De Filio mediatore et Spiritu sancto.
III. De efficacia invocationis

De primo.

Praecipuum et omnium operum hominis maximum est agnitio et celebratio Dei, ad quam conditi sumus. Et indita fuit humanae menti lux aliqua de Deo, sed haec valde obscurata est, quare multae tristissimae dubitationes secutae sunt. Etsi enim mens humana in omnibus sanis statuit esse Deum, causam et opificem boni in natura, tamen dubitat universaliter, an velit nos indignos exaudire, iuvare, salvare. Ideo Deus inde usque ab initio per certum verbum et testimonium se patefecit, per quod agnosci se, et voluntatem suam erga nos voluit, et ibi recte se coli adfirmat, ubi sic agnoscitur et invocatur, iuxta suum verbum, fide.

Sed mens humana facile abiicit verbum, vel propter crucem, vel propter insidias diaboli. Postea vero errans in tenebris, aut prorsus fit Epicurea, sicut nunc usitatum est, aut fingit sibi ipsa deos et cultus, sicut Ethnici fecerunt, et Mahometus. Et hi cultus omnes conficti humano consilio sunt inanes. Quia manet dubitatio, ubi ignoratur Evangelium, an Deus exaudiat.

Ideo discamus hanc doctrinam, quae in hoc Evangelio traditur: quod oporteat vivum et aeternum Deum sic agnoscere et invocare, sicut se ipse patefecit suo verbo et suis testimoniis, videlicet patrem Domini nostri Iesu Christi, per quem placatus est, et promisit se propicium fore, et sanctificaturum Spiritu sancto. Haec invocatio dupliciter prodest: Discernit invocationem veram ab ethnica, Iudaica et Mahometica, et dirigitur vere ad Deum, non aberrat a Deo. Deinde et mediatoris mentione corrigit dubitationem, adfirmat nos exaudiri a Deo.

Sic alligat Christus interrogantem Philippum ad conspectum mediatoris, quasi dicat: Scio vagari humanam mentem, et varie quaerere Deum: sed tu omitte humanas cogitationes, et definias vere esse Deum, qui hunc Christum crucifigendum, et resuscitandum misit, et se per eum patefecit mundo, et per eum promisit salutem, et velle se invocari, et coli fiducia huius mediatoris, iuxta verbum ipsi traditum. Sic alligaverat initio patres ad promissionem: In semine tuo benedicentur omnes gentes.

Sed difficile est menti acquiescere in verbo Dei, et requirimus sensibilem noticiam. Ideo inquit Philippus: Domine ostende nobis patrem, et sufficit nobis, quasi dicat: Verbum non satisfacit mentibus nostris, conspectus satisfaceret, in quo cerneremus initia et exitus, causas et eventus, de quibus angimur. Sapienter et humano more cogitat. Imo et Moises incitatus mirabili desiderio, petit illustriorem cognitionem, Exod. 33. inquiens: Ostende mihi faciem tuam, cui cum respondet Deus, significat, quomodo velit agnosci in Ecclesia, usque ad resuscitationem mortuorum. Non poteris, inquit, videre faciem meam, sed stabis in foramine petrae, id est, insistens Christo, seu Evangelio in Ecclesia, et transibo, id est, toto tempore mundi colligam mihi quasi transiens in mundo aliquam Ecclesiam, et hanc protegam dextra mea, et videbis posteriora, id est, meam praesentiam ex eventibus et liberationibus cognoscetis, sed post hunc transitum alia gloria restat.

Porro ut illic Moses collocatur in saxum, ita Christus hic clare nos docet, ut sese intueamur, et statuamus hunc esse Deum aeternum, qui se in hoc filio Christo patefecit, et vult invocari fiducia huius mediatoris: Qui videt me, videt patrem meum, id est, si vis quaerere patrem, sic tantum agnosces, si defiges mentem in me Filium revelatum, et statues hunc solum esse aeternum patrem, conditorem rerum, qui me misit, et hanc esse voluntatem eius solam, quam ego annuncio, de remissione peccatorum, de vita aeterna. Qui aliter quaerunt Deum, sine me, et sine verbo meo, aberrant, sicut alias inquit: Qui non honorificat Filium, non honorificat patrem.

De secundo.

Haec ipsa concio exponit doctrinam de tribus personis divinitatis, de aeterno patre, Filio

mediatore, et Spiritu sancto. Discernit patrem et sese, et tamen facit aequalem potentiam. Ego sum in patre, et patre in me est. Ipse facit opera, id est, simul operamur, Pater et Filius, sicut Iohan. 5. dicitur: Pater meus usque modo operatur, et ego operor. Et Iohan. 1.: Omnia per ipsum facta sunt. Additur et hic de Spiritu sancto: Ego rogabo patrem, et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum perpetuo, spiritum veritatis.

Tres igitur personae hic nominantur, quae simul sunt efficaces aequali potentia, pater aeternus, qui genuit Filium, et Filius genitus, qui est imago patris, et Spiritus sanctus, qui est agitator et vivificator in cordibus piorum.

Sit igitur haec forma invocationis. Omnipotens aeterne Deus, pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum et conservator, cum Filio tuo et S.S., sapiens, bone, misericors, iudex et fortis, miserere mei, propter Iesum Christum Filium tuum, quem voluisti pro nobis esse victimam, mirando et inenarrabili consilio, sanctifica et rege cor meum Spiritu sancto tuo, iuxta promissionem: Et dabit vobis alium paracletum, spiritum veritatis. Haec invocatio discernit Ecclesiam a Turcis, Ethnicis et Iudaeis.

De tertio.

De efficacia invocationis dicit: Quicquid petieritis in nomine meo, ego faciam, et infra cap. 16.: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Necesse est autem observare, quod iubet petere suo nomine, videlicet, propter duo, ut dirigatur oratio ad verum Deum: deinde ut teneatur certitudo quod exaudiamur, et cur exaudiamur. Sciendum est enim, exaudiri Ecclesiam propter Filium mediatorem. Ergo fiducia Filii iubemur petere, non fiducia nostrae dignitatis, aut cum dubitatione, ut gentes, Iudaei, et omnes ignorantes Evangelium petunt cum dubitatione. Estque sententia: In nomine meo, id est, propter me mediatorem, vel fiducia mediatoris.

Quoties ergo incoabis tuam precationem, cogita hanc promissionem: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis. Alibi inquit: Ego faciam, ut ostendat seipsum exaudire, et simul operari cum patre. Discamus autem in Ecclesia veram invocationem peculiare et proprium opus esse solius Ecclesiae Dei: ideo sciendum est, quomodo facienda sit, ut recte ad Deum dirigatur, et sit efficax. Ad hoc necesse est afferre in invocatione fidem, quae vere statuat, nos recipi propter Christum, et invocationem non esse irritam, sed sine ulla dubitatione accipere gratiam, quia nominatim haec promissa est. In corporalibus vero, mitigationem aut liberationem, iuxta Dei consilium, quia debemus obedientiam in cruce, et Deus has liberationes in hac vita vult esse dissimiles.

Cur autem dicit: Maiora his faciet? Respondeo: Quotidie arcana opera magna, magnae liberationes fiunt in Ecclesia, quae non incurrunt in oculos nostros, sed cernentur cum Ecclesia glorificabitur. Nisi enim grassantem diabolum Filius Dei mirabiliter reprimeret, Ecclesiam funditus vastaret. Vincit igitur Filius Dei in his, qui vere Deum invocant. Rursus autem vincit diabolus in impiis, aut abiicientibus fidem.

De S. Iohanne Baptista.

Evangelium Matth. 3.

In diebus illis veniebat Iohannes Baptista, praedicans in deserto Iudaeae, et dicens: Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum. Hic est enim, de quo dictum est per Esaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto, Parate viam Domino, rectas facite semitas eius.

Ipse autem Iohannes habebat vestimentum de pilis camelorum, et zonam pelliceam circa lumbas suos. Esca autem eius erat locustae et mel sylvestre. Tunc exibat ad eum Ierosolyma et omnis Iudaea, et omnis regio circa Iordanem, et baptizabantur ab eo in Iordane confitentes peccata sua.

Videns autem multos Pharisaeorum et Sadducaeorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis ostendit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructus dignos poenitentia, Et ne velitis dicere intra vos ipsos: Patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahae. Iam autem et securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo

arbor, quae non facit fructum bonum, exciditur, et in ignem mittitur.

Ego quidem baptizo vos aqua in poenitentiam: qui autem post me venturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare, Ipse vos baptizabit Spiritu sancto et igne, cuius ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili.

Septem sunt loci praecipui.

I. Cur festus dies Baptistae celebretur.

II. De specie Ecclesiae, et quomodo Deus eam subinde renovet, ne humanum genus totum pereat.

III. De peculiari vocatione et officio Baptistae.

IIII. De tota eius doctrina: Docuit non solum legem, sed etiam Evangelium de Christo, concionatus est de poenitentia, de fide in Christum, et remissione peccatorum. Addit et concionem de bonis operibus, de vitae generibus, de discrimine moralium operum, et ceremoniarum: denique fuit repurgator doctrinae, et incoator baptismi, et recipit gentes.

V. Iohannes est testis doctrinae de Trinitate, item de duabus naturis in Christo: denique Iohannis historia complectitur omnes articulos fidei.

VI. Cur dicat: Ego baptizo vos aqua, sed qui post me veniet, baptizabit vos Spiritu sancto et igni.

VII. De victu eius, de tempore praedicationis, et de nece eius.

De primo.

Etsi Ecclesia Dei est exigua pars hominum oppressa in mundo et misera: imperia vero eminent et conspiciuntur, et existimantur esse praecipua et florententissima pars generis humani, et ita convertunt in se hominum oculos, ut existiment homines, aut summa imperia Deo placere, aut negligi totum genus humanum, tamen Deus vult etiam suam Ecclesiam in mundo audiri, vult lucere noticiam de Deo. Ideo praecepit, ut sint publica praedicatio et confessio doctrinae, et ut per tales congressus et panegyres tradatur doctrina publica voce posteris, nes sint secreta conventicula, in quibus latebrae praebeant occasionem corrumpendae doctrinae et aliis malis rebus. Denique cum natura humana praecipue condita sit ad celebrandum Deum, iustissimum est esse publicos coetus, in quibus doceantur homines de Deo, et una omnium voce invocetur Deus. Quare et Christus magno testimonio ornavit hos congressus: Ubicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ero in medio eorum.

Haec est prima causa, cur festi dies divinitus instituti sint. Porro illas ethnicas opiniones abiiciamus, ocium diei et pompas esse cultum Dei. Sed alios fines quaeramus, scilicet, ut publice doceantur homines, et fiat publica confessio doctrinae, et invocatio, abiiciamus et hunc errorem simpliciter ethnicum de invocatione mortuorum. Non celebratur festum Baptistae, ut ipse invocetur, sed ut publice discamus, quid sit Ecclesia, quomodo Deus subinde miserit instauratores, quomodo regatur Ecclesia, et ut Deo pro his beneficiis gratias agamus. Item, ut discamus quae fuerit sanctorum doctrina. Item, ut confirmemur ipsorum testimoniis et exemplis.

De secundo.

Etsi offenditur humana mens, cum audit Ecclesiam Dei semper valde exiguum coetum esse, si conferatur ad reliquam multitudinem, et multa contra disputantur, tamen sciamus vere rem sic se habere, et causam esse exiguitatis ipsam hominum maliciam, qui verbum a Deo certis testimoniis traditum, vel negligunt, vel petulanter abiiciunt.

Et considera exemplum in ipso populo Iudaeorum, in quo erat vera Ecclesia Dei, tamen maior multitudo fuit impiorum. Rex Herodes erat impius, et deleverat praecipuum concilium populi, qui vocabantur Sanhedrin, doctores erant distracti in tres sectas. Erant Zadducaei arrogantissimo titulo, quasi dicas, Iusticiarii, qui prorsus reiiciebant Prophetas, et ex professo defendebant epicureas opiniones: negabant animas esse immortales: negabant et resurrectionem mortuorum. Quis autem non miretur, in populo Dei defensos esse tales furores, et quidem praetextu doctrinae Moisi?

Alii autem erant Pharisaei, id est, interpretes, qui tamen retinebant Prophetas, defendebant animae immortalitatem et resurrectionem,

sed addebant multas humanas traditiones, fascinati hac opinione, disciplinam externam esse iusticiam coram Deo, et mereri remissionem peccatorum. Tantum igitur legem docebant de externa disciplina, nec norant doctrinam de fide, de passione Messiae, de remissione peccatorum, sed fingebant Messiam propagaturum esse legem Moisi in totum mundum, et occupaturum imperia. Sic sentiebat maxima eorum multitudo, sed consentaneum est inter hos fuisse aliquos saniores, qui quaesiverunt doctrinam de Messia, commonefacti a veris reliquiis Ecclesiae, a Simeone, Zacharia, Iohanne Baptista, et aliis.

Tertia secta fuit Essaei, id est, operarii, qui conferebant res suas in commune, et studebant vincere caeteros ieiuniis et eleemosynis. Sed haec secta fuit exigua, et habuit errores similes pharisaicis, de iusticia operum et de regno mundano Messiae.

Quanquam autem magna multitudo erat prophana, et magna erat opinionum confusio, et Herodes grassabatur caedibus assiduis, et pontifices erant *ἄθεοι*, tamen Deus servavit Ecclesiae reliquias, Zachariam, Simeonem, Ioseph, Elisabeth, Annam, Mariam, et multos tales. Hi testimonium dabant verae doctrinae, et reprehendebant publicos errores. Sed postea excitatus est Iohannes, qui clariore reprehensione damnavit errores, et mirabili opere Dei collegit novam Ecclesiam.

Ita Deum subinde repurgavit Ecclesiam. Cum in Israël idola colerentur, excitati sunt Prophetae, ut falsos cultus damnarent, et veram doctrinam propagarent: horum auditores erant Ecclesia. Reges impii, et multitudo dedita idolis non erat Ecclesia, et mira Dei bonitate continua successio fuit Prophetarum. Elias praefuit circiter viginti annos, hunc mox secutus Elisaeus, praefuit circiter annos septuaginta. Hunc videre potuit Esaias adolescens, qui praefuit circiter octoginta annos, hunc senem vidit Ieremias, qui praefuit annos quadraginta. Secutus est statim Daniel, qui annos septuaginta praefuit: deinde fuerunt Zacharias, Malachias, Esdras, Nehemias, usque ad Alexandri Magni tempora: postea ab Antiocho Epiphane plurimi senes interfecti sunt: sed tamen reliquias aliquas Deus servavit.

Agnoscamus ergo bonitatem Dei, et gratias agamus, quod subinde excitavit doctores, et exhibuit testimonia doctrinae. Sic post Apostolos subinde excitati sunt aliqui pii doctores, qui publicos errores taxaverunt, ut Methodius refutavit Origenis errores, Malchion Samosatenum, Athanasius Arium, Augustinus Manichaeos et Pelagium: et a multis errores Papae taxati sunt, ut a Wesselo et aliis. Sed longe fuit illustrior gloria populi Israël, quam huius ultimae aetatis mundi. Considerandus est autem hic totus cursus Ecclesiae, ut discamus qualis sit Ecclesia, et quas partes amplecti debeamus. Fortassis nunc, quia fit maior dispersio per Turcas, accendit Deus lucem Evangelii, hanc ipsam ob causam, ut in hac dispersione pii certam doctrinam et consolationem habeant, et quocunque dispergentur, sua voce propagare possint, etiamsi non habebunt ordinarios Episcopos aut Doctores ut antea.

De tertio.

Duplex est vocatio, Alia ordinaria, ut cum Ecclesia eligit ministros, ita in lege erat ordinaria vocatio sacerdotum, quia Deus certae tribui mandaverat hoc officium. Et quanquam multi hac ordinaria vocatione abutuntur, tamen vocationis autoritas non est universaliter reiicienda. Quia vero saepe doctores in vocatione ordinaria non recte docent, ideo Deus addit extraordinariam vocationem: excitavit magnos viros ad publicos errores emendandos, et ad colligendam Ecclesiam, ut Eliam, Elisaeum, sic Iohannem singulari modo vocavit, et ut Eliam debebant audire pontifices, quanquam essent in loco ordinariae vocationis, ita Iohannem debebant audire pontifices, quia Deus ei certa testimonia praebuerat, angelus patri apparuerat, et eius vocationem praedixerat.

Qui non considerant, quanta res sit talis vocatio, et qualis sit Ecclesiae gubernatio, hi non intelligunt talium virorum officium, ut Eliae, Elisaei, Iohannis, Pauli, imo sapientes politici oderunt eos tanquam homines morosos et seditiosos. Alii inepti putant fuisse homines simplices, qui, ut monachi, propter superstitionem quaesiverint latebras. Sed nequaquam de eis ita sentiendum est, sciamus hos esse summos duces, per quos Deus fuit efficax, et restituit et auxit Ecclesiam, et per quos oppressit falsam doctrinam, et renovavit veram: denique quorum ministerium salutare fuit multis vocatis ad vitam aeternam.

De quarto.

Indocti somniant Iohannem tantum tradidisse aliqua praecepta de bonis moribus, sicut tradidit Phocylides aut Theognis, sed ut saepe monemus, discernenda est doctrina Ecclesiae a philosophia, et a pharisaica doctrina. Philosophi docent particulam legis de bonis moribus. Idem et Pharisaei docent, et addunt multas ceremonias. Sed Ecclesia concionatur de poenitentia, et de remissione peccatorum, de iudicio Dei, de reconciliatione, et vita aeterna. Cum de poenitentia dicit, enarrat legem, et testatur legi Dei non tantum praecipi externam disciplinam, sed omnes accusari, dicit legem esse vocem Dei, monstrantem et condemnantem peccatum in tota natura humana. Ideo omnibus dicit: Agite poenitentiam, et addit prophetiam de fine et interitu huius populi, quem talis vir prospiciens, ingenti dolore luxit. Videbant iam regnare peregrinos, et sciebat bene secutura esse excidia omnium urbium, et deplorabat non solum neces tot millium virorum, mulierum, puerorum, sed etiam aeternum exitium. Haec cogitatio quantum dolorem attulerit tali viro, nemo verbis explicare potest. Et quanquam haec praedictio deridebatur ab impiis, tamen pios movebat. Estque inculcata his verbis: Purgabit aream suam, colliget triticum, et paleas comburet igni inextinguibili.

Addidit et doctrinam de remissione peccatorum. Non enim fingendum est, Iohannem praedicasse legem tantum, aut poenitentiam sine remissione peccatorum. Ethnica imaginatio est, cogitare doctrinam poenitentiae, sine Evangelio de remissione peccatorum: quia poenitentia sine consolatione irascitur Deo, et fugit Deum. Ideo Lucas diserte inquit: Praedicabat baptismum poenitentiae ad remissionem peccatorum: et Iohannes clarissime sonuit Evangelium, et quidem ipsum Christum monstravit, et addidit has conciones proprias Evangelii: Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Item: Qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Item: Ex plenitudine eius omnes accepimus gratiam pro gratia. Item: Lex per Moisen data est, Gratia et veritas per Iesum Christum facta est, id est, reconciliatio nobis propter eum et per eum donatur, et veritas, id est, vera et aeterna iusticia et vita per eum restituitur. Lex continebat umbras significantes futura et aeterna bona. Item, iusticia legis, id est, disciplina, est quaedam umbra evanescens. Sed hic Filius res aeternas incoat in nobis, et postea perficiet. Etsi autem hae sententiae sunt breves, tamen summam Evangelii comprehendunt, ut mediocris lector intelligere potest. Nec dubium est has sententias copiose ab ipso enarratas esse.

Quoties igitur de Iohanne loquimur, adhibenda est haec diligentia, ut quaerantur conciones eius, quae proprie continent Evangelium et fidei doctrinam. Nec putemus eum tantum quaedam morum praecepta tradidisse, de quibus postea dicetur. Fuit enim aliud eius praecipuum officium. Voluit enim Deus publicum esse testem, qui monstraret Christum, et simul renovaret doctrinam. Ad haec munera Iohannes praecipue vocatus est, ideo monstravit praesentem Christum, dixit de poenitentia, de iudicio Dei, de remissione peccatorum, de fide in Christum, et de vita aeterna. Simul etiam taxavit errores Pharisaeorum, de suis sacrificiis et traditionibus. Hi putabant se lege iustos esse, putabant se mereri remissionem peccatorum sua disciplina. Haec refutat, imo inquit: Hic agnus tollit peccata mundi. Gratiam accipitis, id est, reconciliationem, non propter vestram iusticiam, sed pro gratia, id est, quia ipse dilectus est. Item: Ex plenitudine eius accipitis, id est, ipse vos nova luce, iusticia, et vita donabit. Refutat et errores de imperio mundi, cum testatur hunc Christum fore agnum, id est, victimam. Item, cum praedicit gentis interitum.

Postquam hanc partem doctrinae de fide diligenter consideraveris, quaerenda erit etiam altera pars, videlicet doctrina de bonis operibus. Hanc quoque tradit, inquiens: Facite dignos fructus poenitentiae, et interrogatus non monstrat opera ceremoniarum, ut Pharisaei, sed moralia opera, sicut semper Prophetae damnarunt superstitionem communem hominum, qua ceremoniae anteferuntur moralibus operibus, ut Esaiae 1. 58. Psalm. 50. et alias saepe monemur. Item locus etiam utilem doctrinam continet, de approbatione vitae politicae et militiae, et quidem leges tradit memorabiles, quae frenant cupiditates gubernatorum, et discernunt facultates inferiorum a rebus superiorum: Non putate, inquit, licere vobis ex civium bonis rapere quantum libet, sed estote contenti stipendiis vestris. Item: Non plus exigite, quam constitutum est etc. Idem locus testatur receptas esse gentes. Ita incoat Iohannes

hanc Ecclesiam colligendam ex gentibus et Iudaeis: habuit igitur maius officium caeteris Prophetis. Fuit monstrator praesentis Christi: habuit mandatum incoandae novae Ecclesiae, baptizandi et recipiendi gentes.

De quinto.

Ideo revelationes aliquae summorum doctórum scriptae sunt, ut erudiant et confirment reliquam Ecclesiam. Quare in historiis Patrum, Prophetarum et Apostolorum, confirmationes illae diligenter quaerantur. Est autem Iohanni clarissimum testimonium exhibitum de tribus personis divinitatis in baptismo Christi. Patris vox auditur, et nominatim discernuntur ea voce pater et Filius: Hic est Filius meus dilectus, quo delector. Filius stans in flumine cernitur oculis. Conspicitur et species columbae, in qua erat Spiritus sanctus. Nam et pater dixerat Iohanni, in hac specie esse Spiritum sanctum.

Ergo et intellexit Iohannes articulum de Trinitate, et Ecclesiae tradidit. Nam hanc revelationem ideo patefecit aliis, ut eos de natura Dei, de aeterno patre, Filio et Spiritu sancto doceret, et discrimina officiorum ostenderet. Docet et de duabus naturis in Christo, cum ait, Filium ante se fuisse, et nunc missum esse, ut fiat victima. De Spiritu sancto scit eum agitatorem esse, qui datur propter Filium, et novos motus Deo placentes in credentibus, novam lucem et vitam accendit. Ideo dicit: Baptizabit vos Spiritu sancto.

Iam si ordine recenseas totum symbolum, vides Iohannem de omnibus articulis concionatum esse. Ita discamus totum Iohannem intueri, id est, universum doctrinae corpus complecti. Praecipue vero in nostra invocatione mens cogitet revelationem Iohanni factam, ut discernamus invocationem nostram a Iudaica et Turcica, invocemus Deum aeternum, qui se patefecit per Filium, et de eo dixit, Hic est Filius meus dilectus, petamus nos exaudiri et recipi propter Filium, et regi Spiritu sancto.

De sexto.

Quod inquit: Ego baptizo vos aqua, sed qui post me veniet, baptizabit vos Spiritu sancto et igni, necessarium discrimen est. Sed valde prodest sciri, non externum baptismum discerni, sed personas. Longe differt Christi persona a ministris. Id saepe inculcat Iohannes, ut discamus Christum non tantum esse doctorem, ut imaginantur omnes ignari Evangelii: sed sciamus salvatorem esse. Cum audis praedicantem Iohannem, aut Paulum, fides intueatur Christum, non istos doctores, et sciat propter Christum dari remissionem peccatorum, et a Christo petat Spiritum sanctum et vitam aeternam, non a Iohanne vel Paulo.

Ideo Iohannes significantissime dixit: Ego sum vox, quasi dicat: Sum tantum minister sonans Evangelium, per quod alius est efficax, scilicet, Christus. Ita dicit se baptizare aqua, id est, adhibere externum ministerium, sed alium esse efficacem, scilicet Christum, qui baptizat Spiritu sancto, hoc est, dat Spiritum sanctum et vitam aeternam credentibus et invocantibus. Econtra vero baptizabit igni omnes impios, id est, aeterna ira et cruciatibus obruet eos, sicut postea inquit: Paleas comburet igni inextinguibili. Veros et horrendos terrores vocat ignem, ut saepe scriptura loquitur. Hos degustant pii in poenitentia, sed liberantur. Impii vero opprimuntur aeterno pavore et dolore.

De septimo.

Postquam de ministerio et de doctrina Baptistae dictum est, deinde de eius privatis virtutibus dicatur. Sed quoties exempla proponuntur, sciamus discrimina esse vocationum et gradus virtutum, imitetur unusquisque ea quae suae vocationi competunt, et imitetur pro sua mediocritate. Nec existimet se illorum excellentium virorum gradus assequi, sed ipsam mediocritatem magnum decus esse in his quae competunt nostrae vocationi, sicut Paulus inquit: Hoc requiritur, ut fideles simus.

Quod vero Iohannes vivit in deserto, hoc illius vocationi conveniebat, tuae non convenit. Quia cum natus esset in tribu sacerdotali, debebat sacrificare in templo. Cum igitur Deus incoaret per eum aliud ministerium, voluit eum discedere a templo, ideo versatur in deserto, ac intelligebant sacerdotes rem novam agi, et contrariam legi. Hae causae factorum in exemplis considerentur, et sciamus non omnia convenire omnibus.

Quia autem erat in deserto, res ita ferebat, ut victus esset sordidior: etsi de locustis ego arbitror, ut contra legem fecit Iohannes, quod disces-

sit a templo, ita contra legem de cibo fecisse, ut ostenderet finem esse politiae Iudaicae, et Evangelium ad gentes quoque pertinere, et tolli discrimina ciborum. Locustae enim usitate cancros significant, quibus non licebat vesci populo legis, consentaneum est autem Iohannem usum esse rebus obviis ad Iordanem, ubi piscatores ei cancros dabant, quos alioqui non vendebant. Moveor et significatione locustae. Naturale dissidium est locustae cum serpentibus, et dicitur in pugna arte prehendere collum serpentis. Sic Iohanni dissidium fuit cum Pharisaeis, et horum colla, id est, doctrinam, strangulavit. Si quis autem mavult locustam intelligi insectum, non repugno.

Maxime vero mors talis viri consideranda est. Nec tantum inde sumantur haec nota praecepta, quod oporteat vera docere, et potius oppetere mortem, quam abiicere confessionem verae sententiae, iuxta illud: Qui non confitebitur me coram hominibus, non confitebor eum coram patre meo coelesti. Sed multo magis hoc considerandum est: quare non semper Deus defendat suos adversus tyrannos. Haec species valde offendit humana iudicia. Sed hic discamus propriam Ecclesiae sapientiam esse, intelligere quod sit subiecta cruci, et cur sit subiecta cruci.

Sed de his ducibus in ministerio verbi, est singulare quiddam. Praecipua causa est, quod Deus per hos ostendere vult testimonium de futuro iudicio. Constat ex priorib. testimoniis, Deo vere placere Esaiam, Ieremiam, Iohannem, Paulum, et similes. Nec approbavit eos tantum ut sint miseri, ac redigantur in nihilum, Nec ideo reiicit impios, ut semper sint florentes: imo erit aliquando discrimen. Ergo cum suos interfici sinit, testatur restare aliud iudicium, in quo patefaciet iram suam adversus impios, et ornabit gloria suos, sicut dictum fuit ad Cain: Si bene feceris, recipies: sin autem male feceris, peccatum tuum quiescet, donec revelabitur. Testatur enim Deus vere se recipere iustos, et irasci peccato, sed differre iudicium, et haec mora confirmat securitatem in impiis: ideo dicit, Quiescet peccatum, sed tamen postea patefiet ira adversus peccatum. Huius venturi iudicii illustria testimonia sunt neces eorum, quos Deus sibi placere certis testimoniis ostendit. Habes praecipuam causam.

Postea sunt et aliae causae. Deus vult eos ostendere, quod serio et ex animo sentiant veram esse doctrinam. Nam si professio doctrinae nihil adferret periculi, non posset sciri an serio sic sentiant. Nunc cum vitae anteferunt, ostendunt se serio sic sentire, ostendunt et hoc, professionem magis necessariam esse, quam vitam.

Tertia causa est, vult etiam conspici, quod Deo non serviant serviliter, non captantes huius vitae tranquillitatem, sed quod vero amore noticiam Dei anteferant omnibus rebus.

Quarta causa est, ut fiant similes imaginis Filii Dei.

Quinta causa est, quod universaliter sanctorum mors testatur, reliquum esse peccatum in natura hominis, propter quod omnes omnibus calamitatibus subiecti sumus, quas tamen Deus infirmis mitigat, sicut in Psalmo dicitur: Si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit? id est, si effunderes iram tuam adversus molem peccatorum nostrorum, et omnia pro merito punire velles, omnes subito interirent, et ruerent in aeternas poenas, sed parcis propter mediatorem Filium.

Omnino insignis schola est consideratio necis sanctorum, et de summis rebus nos admonet, de futuro iudicio, de peccato communi naturae humanae, de mirabili consilio Dei, quo Ecclesiam vult esse subiectam cruci. Quid est dissimilius, quam Nero et Paulus? et tamen Paulus toties antea servatus, laceratur ab illa foedissima bestia. Quid dissimilius Herode et Baptista? quem natum singulari Dei opere, et vocatum ad summum ministerium, et ornatum singulari luce Evangelii, interficit tyrannus tam cito: Iohannes enim non toto biennio concionatus est in deserto, quia circiter secundum Pascha, post incoatam praedicationem interfectus est, ut indicat series historiae evangelicae.

Evangelium die visitationis Mariae.

Lucae 1.

In diebus illis, exurgens Maria abiit in montana cum festinatione in civitatem Iuda, et intravit in domum Zachariae, et salutavit Elisabeth. Et factum est, ut audivit salutationem Mariae Elisabeth, saliit infans in utero eius, Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth. Et exclamavit voce magna, et

dixit: Benedicta tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui. Et unde hoc mihi, ut veniat mater Domini ad me? Ecce enim, ut facta est vox salutationis tuae in auribus meis, saliit prae exultatione infans in utero meo, Et beata quae credidit, quoniam perficientur ea, quae dicta sunt ei a Domino.

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in deo salvatore meo. Quia respexit ad humilitatem ancillae suae, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius. Et misericordia eius in progeniem et progeniem, timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sedibus, et exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes. Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiae suae. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham et semini eius in secula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, et reversa est in domum suam.

Pulcerrima est historia, et plena spiritualis, et Christianae doctrinae. Habet autem *tres* praecipuos locos.

I. Testimonium de Messia.
II. Imago Ecclesiae et verae synodi.
III. Canticum Mariae.

De primo.

Magnum discrimen est inter Ecclesiam, et inter imperia mundi. Ecclesia est exiguus coetus eorum, qui retinent puram doctrinam Evangelii, et credunt in Christum, dissipatus, contemtus et spretus in mundo, qui miratur potentiam, gloriam, victorias et triumphos magnorum imperiorum. Et tamen hic parvus coetus Ecclesiae vere gerit res maximas. Etsi igitur Christi actiones non sic conspiciuntur in mundo, ut Alexandri aut Caesaris res gestae, tamen non est prorsus ignotus, et habet sua testimonia: quia oportet esse aliquam Ecclesiam, in qua Deus vult se et Filium suum cognosci, et vult aliquem coetum salvum fieri, in quo ipse celebretur in vita aeterna, ideo exhibuit multa testimonia, quae fidem nostram confirment, de omnibus articulis, quod hic sit Christus exhibitus iuxta promissiones. Ita hic statim a concepto Christo recitantur testimonia. Conveniunt testes, Maria, Elisabeth anus gravida singulari miraculo Dei, infans exultans in utero, Zacharias cui hactenus muto subito redditur loquela, et alii in hac familia. Nam Maria proficiscitur ad cognatam, non propter privatam amiciciam, sed propter hoc illustre testimonium, et propter confirmationem suae fidei et aliorum sanctorum.

De secundo.

Consideranda est imago Ecclesiae, et petenda consolatio ex hoc loco, ut non deficiamus a veritate, decepti specie et titulo Ecclesiae. Vocant se Ecclesiam Pontifices, Episcopi, Reges, et his addicti: sicut olim Caiphas, Annas, Pharisaei, Sadducaei, sed non sunt Ecclesia. Interim est alia parva Ecclesia vera, sicut Paulus inquit: Non omnes qui sunt ex Israël, sunt Israël. Ut igitur tunc erant Ecclesia, Zacharias, Elisabeth, Maria, et pauci alii, ita nunc est exiguus numerus credentium in Christum, et recte colentium Deum, et hunc coetum persequuntur pontifices et episcopi, sicut tunc erant hostes sanctorum, Caiphas et similes. Dicitur enim, et Zacharias interfectus esse, propterea quod adfirmavit Messiam venisse, sicut scribit Epiphanius.

Est et hic congressus Mariae, Elisabeth, Zachariae, imago verae piae et Christianae synodi: nam hoc primum fuit concilium novae Ecclesiae. Puella Maria venit per 20 miliaria, tantum enim fere fuit iter a Nazareth Hierosolymam usque, ibi narrat cognatae Elisabeth et familiae de suo conceptu, et testimonio angeli, Elisabeth vicissim illi testimonium perhibet, et accedit Zacharias senex, cuius pietas publice nota est, et ex muto subito loquens, sua voce confirmat haec testimonia. Ita in hoc conventu concluditur de summo et gravissimo articulo, de concepto et exhibito Messia, et vera est ac rata definitio sanctissimae synodi, etiamsi non accedit decretum aut approbatio Pontificum et Pharisaeorum. His testimoniis adduntur et Cantica, seu gratiarum actio, ut extet confessio etiam ad posteritatem, et praedicetur hoc ingens Dei beneficium, quod misertus populi sui, miserit Filium. Hoc vult Maria agnosci et palam celebrari. Non vult occultari, aut obrui veritatem, sed extare noticiam verae doctrinae, ut

agnoscatur et glorificetur Deus, ut recte colatur et invocetur. Talia concilia approbat Deus, quae quaerunt veritatem, et iuxta verbum Dei testimonium perhibent de Christo, non quae praestigiis sophismatum et fucosis articulis obruunt veritatem.

De tertio.

De Cantico Mariae.

In hoc cantico Maria gerit personam totius Ecclesiae. Est enim confessio de Messia et gratiarum actio, et descriptio victoriae Ecclesiae, contra mundum, tyrannos, et omnia membra diaboli. Quare et nos sciamus a nobis postulari, ut vere una canamus et sequamur hanc praecentricem, quae ut in choro incoatrix est huius carminis, ac ingenti animo edit confessionem.

Tria ergo comprehendit.

I. Gratiarum actionem. Magnificat anima mea Dominum. Id est, ex tota anima, tota anima, toto corde glorifico Deum. Non dubito vitam in discrimen offerre, propter confessionem. Sic debemus et nos adfecti esse, ut confessionem anteferamus omnibus rebus, vitae, facultatibus, liberis. Qui sic affectus est, vere canit hunc hymnum, Magnificat anima mea Dominum. Quando trahebantur ad mortem Iohannes Baptista, Paulus et similes, tunc vere dicebant: Magnificat anima mea Dominum. Sic sunt Christiani fortissimi milites, cogitant, Magnificat anima mea regem, pro quo pugno, vitam meam et omnia coniicio in discrimen, ut dimicem pro rege, ut sit magnus et victor.

Secunda pars Cantici.

Respexit humilitatem ancillae suae. Fecit mihi magna qui potens est etc. Haec est narratio beneficiorum, quae in Ecclesia Deus efficit. Cum Ecclesia sit spreta, humilis, parva, Deus tamen dat ei victorias, conservat eam contra tyrannos et sapientiam mundi. Haec est summa huius partis. Loquitur Maria de se, sed non tantum de se sola, sed de toto corpore Ecclesiae. Respexit Deus humilitatem, id est, miseriam ancillae suae. Quamvis simus abiecti, quamvis simus imbecilles, sine praesidiis, sine defensione humana, tamen respicit nos Deus, exaudit, iuvat contra tyrannos et sapientes mundi. Hic discamus, quod in sola Ecclesia sic agnoscatur Deus, quod sit Deus remittens peccata, et miseros credentes exaudiens. Humana ratio et omnes religiones, praeter evangelicam, aliter sentiunt de Deo. Habent talem opinionem, quod Deus non curet, non respiciat adflictos. Et est singularis et arcana sapientia, et solorum credentium in Christum, erigere se fide, et credere remissionem peccatorum, et petere et expectare auxilium etc.

Tunc haec fiunt, Fecit potentiam brachio suo etc., servat Ecclesiam inter pericula, sicut servavit electos cum ducerentur in captivitatem Babylonicam. Dispergit superbos confidentes sua sapientia, sicut confudit magos Pharaonis, sic nunc confundit sapientia sua confidentes Papistas, et alios. O magnum peccatum, quod non intelligunt sapientes: quod volunt Ecclesiam suis consiliis regere et mutare. De his est dictum: Perdam sapientiam sapientum. Deponit potentes de sede, sicut Romanos perdidit persequentes Christum. Exaltat humiles. Esurientes implet bonis, consolatur, servat Ecclesiam.

Tertia pars, Confessio de Messia.

Tertia pars est propria illius concilii confessio, quod Messia dàto, recordatus est Deus promissionum. Haec est summa Cantici. Ita et nos agamus gratias, et cum recitamus hoc Canticum, intueamur animo totam Ecclesiam, cogitemus qualia sint certamina in Ecclesia, propter confessionem, quam mirabilibus operibus *Deus* defendat Ecclesiam. Cogitemus requiri a nobis confessionem, cogitemus hunc esse summum cultum, quem haec puella, id est, tota vera Ecclesia, praestat, praedicare Deum quod dederit Messiam, quod elegerit Ecclesiam perpetuo victuram, quod eam defendat et servet, non humanis viribus aut consiliis. Haec discenda sunt in lectione huius historiae, qualis sit vera Ecclesia, et qui sunt veri cultus, et repetenda sunt animo, testimonia de Christo, ut nostram fidem confirmemus, et nos ad invocandum excitemus.

Reliquum est exemplum de infante Iohanne, qui in utero sensit adesse Dominum et Messiam. Quanquam autem hoc de Iohanne peculiare est, tamem est testimonium, quod Spiritus sanctus etiam in parvulis sit efficax, et quod habeant motus quosdam, quanquam nobis incognitos, tamen Deo placentes. Ideo cum audis, Talium est regnum coelorum, cogites in infantibus Spiritum

sanctum, certos motus efficere, quales sunt sanctorum, qui sunt membra regni coelorum, id est, Ecclesiae verae. Et hi motus pii excitantur verbo, ut hic dicitur: Postquam sonuit vox tua etc.

Evangelium die Mariae Magdalenae, Lucae 7.

Rogabat Iesum quidam de Pharisaeis, ut manducaret cum ipso, et ingressus in domum Pharisaei, discubuit. Et ecce mulier in civitate quae erat peccatrix, ut cognovit quod accubuisset in domo Pharisaei, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes eius flens, lacrymis coepit rigare pedes eius, et capillis capitis sui extergebat, et osculabatur pedes eius, et unguento ungebat.

Videns autem Pharisaeus qui vocaverat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset Propheta, sciret utique, quae et qualis est mulier quae tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens Iesus, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister, dic. Duo debitores erant cuidam foeneratori, unus debebat denarios quingentos, alter autem quinquaginta. Non habentibus autem illis unde redderent, donavit utrisque. Quis ergo eorum, dic eum plus diliget? Respondens autem Simon, dixit: Existimo, quod is, cui plus donavit. At ipse dixit ei: Recte iudicasti.

Et conversus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intravi in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, haec autem lacrymis rigavit pedes meos, et capillis capitis sui extersit, Osculum mihi non dedisti, haec autem ex quo intravit, non cessavit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti, haec autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum, Cui autem minus dimittitur, minus diligit.

Dixit autem illi: Remittuntur tibi peccata multa. Et coeperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata remittit? Dixit autem ad mulierem: Fides tua salvam te fecit, vade in pace.

Tres habet praecipuos locos.

I. Tota historia est exemplum doctrinae de poenitentia, quae est propria Evangelii doctrina.

II. Simul etiam proponitur collatio piorum ad hypocritas.

III. Denique tota historia est mirifica imago Ecclesiae.

De primo.

Semper dicimus in conversione oportere existere contritionem, hoc est, pavores ortos ex agnitione irae Dei adversus peccatum, sicut in Adam, Davide, Ezechia, Petro, Paulo, et aliis multis cernitur, et Ioël inquit: Scindite corda vestra in planctum. Et Esaiae 66.: Ad quem respiciam? nisi ad humilem et contritum spiritu, et trementem sermones meos. Et 2. Cor. 7.: Tristitia secundum Deum efficit poenitentiam ad salutem. Item, Rom. 7.: Peccatum per legem occidit me, ut fieret excellenter peccatum, id est, ut conspiceretur reatus et ira Dei. Cum enim humana securitas non videat, quanta res sit peccatum, Deus verbo suo corda iudicat, et ostendit iram suam, hic agnoscimus Deum vere irasci, et expavescimus, sic peccatum fit excellenter reum etc.

Quanto vero res sit offendere Deum, aestimetur ex primo peccato, quam horribilis poena secuta est primam inobedientiam hominum, videlicet, perpetua miseria posteritatis universae: quanta poena secuta est lapsum Davidis? Sed humana mens, ut immensam iusticiam et iram Dei non comprehendit: ita nec magnitudinem peccati comprehendere potest, sed aliquantulum aspicimus, cum corda vere expavescunt, ut inquit Ieremias: Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Ideo etiam haec ingens moles calamitatum imposita est generi humano, ut nos de poenitentia admoneat, sicut Paulus inquit: Corripimur a Domino, ne cum hoc mundo damnemur. Existat igitur in nobis contritio et agnitio irae Dei, sicut in hac muliere conspicitur, quae flens astat ad pedes Christi.

De secundo.

Sed non satis est existere pavores, nec fugiamus Deum, ut Cain, Saul, Iudas, sed sciamus donatum nobis esse propiciatorem, ad quem Deus

vult nos confugere, et quidem sciamus omnium mandatorum praecipuum esse, hunc Filium Dei agnoscere, honore afficere, et per eum velle ad patrem redire, sicut scriptum est: Osculamini Filium. Beati omnes qui confidunt in eo.

Sciamus item saepe iureiurando a Deo confirmatas esse promissiones, de remissione peccatorum, et liberatione a peccato et morte aeterna. Vere igitur vult Deus nos salvos fieri, ut: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Item: Iuravit Dominus, et non poenitebit eum etc. Et Psal. 88. inquit Augustinus: In aeternum regnabit Christus in sanctis suis, hoc dixit Deus, hoc promisit, si parvum est, hoc iuravit, quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum illius misericordiam firma est promissio, credamus et invocemus etc.

Venit ergo ad hunc Dominum mulier, et quaerit consolationem. Audit igitur vocem de remissione peccatorum, Fides tua salvam te fecit, vade in pace. Haec verba concionantur de altera parte conversionis, scilicet de fide. Christus expresse nominat fidem, dicit eam fide recipi in gratiam et salvari.

Ita duae partes poenitentiae hic clare proponuntur. Contritio, qua iudicatur peccatum: sed hic pavor oppnimeret mentem aeterna morte, nisi accederet consolatio. Accedit ergo altera pars, scilicet fides, quae est fiducia erigens animum, quod Deus per misericordiam propter mediatorem recipiat credentem, vere ignoscat, exaudiat, faciet haeredem vitae aeternae. Hac fiducia concipit cor novam lucem et vitam, ut dicitur: Iustus fide sua vivet. Item, ut promissionem Spiritus accipiamus per fidem.

De tertio.

Sed cur antea dixit: Remittuntur ei multa, quia dilexit multum, et cui multum remittitur, multum diligit? Hic videtur dilectio dici causa remissionis. Facilima et simplicissima responsio est: Christus testatur conversam esse, et certe conversio necessaria est, et tribuit huic miserae mulieri iam illam eximiam laudem, quam sibi falso arrogabat populus legis, quasi dicat Christus: Haec mulier implet legem, et est membrum populi Dei. Tu nec imples legem, nec es membrum populi Dei. Constat autem, et semper haec dicimus, conversionem necessariam esse, seu incoatam obedientiam, et tamen cum dicat: Fides tua salvam te fecit, testatur etiam Christus, remissionem accipi fide, non propter obedientiam aut dilectionem.

Alia responsio est expeditior. Duplex est absolutio. Alia conscientiae, quae fit fide. Alia publica coram Ecclesia, quae fit propter opera. Sed de his solutionibus postea. Prius ipsa concio Christi consideretur, quae est dulcissima consolatio piis, adiungenda huic sententiae. Gratia exuberat supra peccatum, et opponi debet tentationi, qua cor magnitudine certi alicuius peccati angitur, ut Petrus angitur conspectu negationis, aut David conspectu adulterii, caedis. Hic opponenda est vox: Gratia exuberat supra peccatum, et hic: Cui multum remittitur, multum diligit, quasi dicat, quo magis agnoscis remissionem, eo magis agnosces magnitudinem beneficii Dei erga te. Maior ergo flamma fidei et dilectionis oritur, et vicissim magis diligit Deus magis diligentem.

Sic consolatur Deus valde lugentem, et utrunque complectitur, testatur Deum vere oblivisci peccata nostra, et non μνησικακεῖν, et tribuit mulieri laudem verae obedientiae, ut possit retinere fidem, et sciat se deinceps placere Deo etiamsi antea horribiliter offendit. Diligenter igitur observanda est haec Christi consolatio, et opponenda magnitudini lapsus, ne postea existimemus, nos minus diligi, minus recipi etc. Et referatur ad hoc dictum: Gratia exuberat supra peccatum. Econtra taxatur superbia Pharisaei, hunc significat Christus ignarum esse remissionis peccatorum, ideoque sine dilectione esse.

Sed redeo ad solutiones. Expeditissima est, dicere, duplicem esse remissionem, Alteram coram Deo, hanc fieri fide. Alteram coram Ecclesia, hanc fieri propter bona opera. Et huic solutioni patrocinatur, quod ad mulierem dicitur: Fides tua salvam te fecit. Sed Pharisaeo accusanti mulierem et damnanti, allegantur opera et dilectio, ut apud hunc quoque absolvatur.

Si quis autem flagitat aliam responsionem, vera est et infallabilis sententia, fidem non posse niti pariter promissione, et conditione nostrae dignitatis, si cogitandum erit, tunc habebis remissionem, cum satis habebis meritorum, ut clare ostendit narratio in textu, non vult nos eam transferre in nostra opera, nec potest vagari fides, et relicto propiciatore quaerere propriam dignitatem.

Cur igitur alibi dicitur: Remittuntur ei multa, quia dilexit multum? Respondeo, Synecdochen esse usitatam, ac si dicat, quia conversa est. Verissimum est enim, conversionem necessariam esse, et tamen interim fide accipitur remissio, et non propter nostram dignitatem. Hae synecdochae sunt usitatissimae. Esaiae 1.: Desinite male facere. Item: Convertimini ad me, et convertar ad vos. Item: Redime peccata tua iusticia, et erit sanatio delictis tuis. Haec dicta et similia continent synecdochen, in qua plures partes conversionis comprehenduntur, quae quomodo sint discernendae, ex aliis locis discendum est. Certum est enim remissionem dari propter propiciatorem, non propter nostram dignitatem, et tamen verum est, sequi oportere dilectionem, id est, obedientiam novam, quam hic magnis laudibus ornat, ut testetur eam placere Deo.

Allegoria.

Duo sunt coetus in Ecclesia. Unus est hypocritarum, qui securi tument persuasione iusticiae, ii nec peccatum norunt, nec remissionem peccatorum, nec fidem, et interim quia fortassis mediocriter praestant disciplinam, admirantur sese, et gloriantur se iustos esse, ad horum mensam assidet Christus, id est, hi sunt pontifices, gubernatores, habent titulum Ecclesiae, quare sub eis sonat alicubi vox Evangelii. Est et alius coetus, scilicet, audiens Evangelium, agnoscens peccatum, vere lugens errata sua, vera fide quaerens Christum: huic coetui agenti poenitentiam et credenti, tribuit Christus testimonium quod sit vera Ecclesia, tribuit item laudem verae obedientiae, quod impleat legem, quod diligat. Hanc laudem arrogant sibi falso hypocritae, ideo Christus transfert eam in hunc coetum, quem hypocritae despiciunt, propterea quia minus est speciosa vita huius coetus.

Praecipuum autem officium, quod Christus tantopere praedicat, hoc est, quod mulier lavit et unxit pedes. Significant autem pedes praecipue ministerium Evangelii: hoc curat et omni officio tueri et conservare studet vera Ecclesia, fovet pios doctores omnibus officiis. Econtra Pharisaei, Pontifices negligunt ministerium Evangelii, quaerunt imperia, condunt leges utiles tuendis opibus, dignitatibus, interficiunt pios doctores.

Evangelium die Michaelis,

Matth. 18.

De Angelis.

In illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis ergo maior est in regno coelorum? Et advocans Iesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum coelorum. Quicunque ergo humiliaverit seipsum sicut parvulus iste, hic maior est in regno coelorum Et qui susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit. Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo eius, et demergatur in profundum maris.

Vae mundo a scandalis. Necesse est enim ut veniam scandala, veruntamen vae homini per quem scandalum venit. Si autem manus tua vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum, et proiice abs te: bonum est tibi ad vitam ingredi claudum vel debilem, quam duas manus, vel duos pedes habentem, mitti in ignem aeternum. Et si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et proiice abs te: bonum est tibi cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis unum ex his pusillis. Dico enim vobis, quod angeli eorum in coelis semper vident faciem patris mei, qui in coelis est.

Septem sunt praecipui loci.

I. Error seu peccatum Apostolorum contendentium de primatu.

II. Reprehensio certaminum de regno, quae oriuntur vel ex falsa persuasione de regno Christi, vel ex ambitione. Et ex his certaminibus oriuntur neglectio doctrinae, schismata, haereses, odia, bella, et vastitates Ecclesiarum. Ideo Christus tantopere incandescit in hoc loco, intuens venturas in Ecclesiam ingentes et horribiles discordias, quae dissipaturae sunt Ecclesias et facturae vastitates.

III. Quam igitur vult esse formam regiminis? nullane erit superior potestas gubernans? Responsio, Christus vult regi Ecclesias Evangelio suo, et non autoritate humana, non gradibus Episcoporum.

IIII. Etsi est aequalitas arithmetica gubernatorum in Ecclesia, quia Christus non vult quenquam excellere potestate, tamen est inaequalitas donorum. Ita fit geometrica proportio, cum videlicet excellentes donis, diligenter consulunt inferioribus, et antecellunt eos autoritate. Et econtra, inferiores obtemperant et cedunt excellentioribus propter verbum Dei.

V. Admonitio de cavendis scandalis doctrinae et morum.

VI. De custodia angelorum.

VII. De infantibus in Ecclesia insigne testimonium, quod Deo placeant.

De primo.

Discamus in sanctis etiam esse errores et peccata, sicut hic Apostoli adhuc imaginantur, regnum Christi fore mundanam politiam, in qua, ut in regno, sint futuri gradus dissimili potestate. Plus mali fuit, si etiam ambitione, invidia, aemulatione Apostoli certaverunt, et alius alteri se suo iudicio praetulit, sicuti in Luca significatur, capite 22.

De secundo.

Vidit haud dubie Christus, quantum mali pariturae essent hae opiniones de constituendo regno in Ecclesia, inde enim multa sequuntur: Episcopi armati potestate, condunt leges, instituunt cultus, ceremonias, ut Missam et similes. Haec postea putatur iusticia Evangelii, ita opprimitur veritas. Praeterea cum accedit ambitio, quanti motus oriuntur? ut Arius praeferri sibi doluit Alexandrum in electione Episcopi: et omnes aetates viderunt similia exempla. Item, Romae quanta fuerunt certamina de electione ante mille annos? Unde vox illa orta est: Plures Romuli more, quam Petri pervenire ad Episcopatum. Sed multo plus mali peperit ambitio ingeniorum de laude doctrinae contendentium, unde sunt ortae haereses, schismata, et multae aliae perniciosae mutationes. Sicut ex Ariana dissensione ortus est Mahomet, inde secuta est vastitas Ecclesiarum. Haec omnia intuens Christus, hic tam duriter concionatur de scandalis, et nos admonet, ut verbo regi velimus, ut caveamus ambitiosa certamina de doctrina, et de ministerio.

De tertio.

Quam constituit hic formam regiminis? Principalis responsio est in hoc dicto: Si quis puerum recipit in nomine Meo, me recipit. Hic ostendit se alligare Ecclesiam, non ad ullius hominis personam, sed ad verbum suum. Ideo inquit, sive alius verbum meum attulerit, audite. Verbo regi vos volo, non gradibus personarum. Hoc vult, cum ait, Si quis puerum receperit in nomine meo, id est, verbum meum afferentem, et postulat ut ipsi Apostoli sint humiles more infantum, nihil adhuc de regno disputantium. Est enim facilis et illustris applicatio seu collatio. Nam fortiora naturaliter sibi sumunt imperium in inferiora. Ideo infantia sentiens imbecillitatem, nondum sumit sibi imperium in alios, etsi fortassis alia natura magis, alia minus obtemperat, tamen omnes infantes metuunt grandiores.

Est igitur perspicua collatio, et detrahit potestatem gubernatoribus Ecclesiae. Ut infantes non sumunt sibi imperium in alios, sed accipiunt dictata a fortioribus, sic vult Christus Episcopos sine imperio circumferre dictata in Evangelio tradita. Videmus igitur displicere Christo hanc tetram dominationem in Ecclesia constitutam, quae quidem etiam iniustas leges, impios cultus, tyrannicis imperiis retinet, et defendit. Et accedunt multa alia ingentia peccata.

Peculiaris doctrina est Christianorum, de voluntate Dei statuere ex ipsius verbo, non ex opinionibus nostris aut eventibus. Ideo ut verbi autoritas amplificetur et magnifiat, Christus abducit homines a conspectu personarum, et monstrat verum ac solum gubernatorem, scilicet, ipsam vocem Evangelii, sicut alibi saepe dicitur: Lucerna pedibus meis verbum tuum. Item: Hunc audite, Si quis sermonem meum servabit, mortem non videbit. Sed humana ratio leviter curat verbum Dei, et de Ecclesia cogitat sicut de humana politia, et in omnibus tentationibus prona est ad amplectenda ea, quae ratio ostendit. Ideo Christus hic revocat nos ad verbum, et vult nos meminisse, verbum esse rectorem, non personas, non humanam rationem

De quarto.

De cavendis scandalis.

Scandalum est falsa doctrina seu pravum exemplum, quod aliis nocet, vel quia invitat ad imitandum, vel quia accersit poenas publicas, vel quia alienat animos a societate rerum bonarum, vel quia praebet occasionem malis, de Deo et de rebus divinis male loquendi.

Gradus *quinque* facimus.

Primus, est falsa doctrina. Hoc genus scandali nocentissimum est.

Secundus, pravum exemplum, quod imitatione nocet, ut invocatio Sanctorum. Item multa alia manifesta delicta, quae invitant alios ad peccandum, aut exemplo licentiam augent, ut helluationes, scortationes etc.

Tertius gradus est, non tantum manifestorum scelerum, sed etiam arcanorum, quae accersunt poenas publicas, bella, seditiones, et alia mala, quae secum multiplicia peccata trahunt. Est autem miserrimum sustinere conscientiam, quod propter nostram culpam infinita multitudo pereat. Ut enim propter Adae et Evae delictum totum genus humanum periit, ut propter Davidis adulterium, propter idololatriam Achas, Manassae, secutae sunt ingentes publicae poenae, ita semper in mundo vagantur publicae poenae, ortae ab aliquibus singulorum peccatis.

Quartus gradus est, pravum exemplum, quod alienat animos a societate rerum bonarum, ut dedecora docentium aut principum, alienant animos ab Evangelio. Ducum turpitudines, ut Antonii, Saulis, languefaciunt animos exercituum, quia iudicant Deum puniturum esse scelera ducum. Huc etiam pertinet in mediis factis petulantia et pertinacia. Petulanter utens libertate apud pios nondum institutos, alienat eos. Rursus pertinaciter retinens superstitiones, confirmat errores, et sanciat aliorum piorum, qui libertate utuntur, infirmas mentes, et contristat Spiritum sanctum,

Quintus gradus est, qui etiam spargitur in omnes, propterea quod mali de Deo, et de rebus divinis sumunt occasionem probabilem ex pravis exemplis male loquendi, ut Semeias propter Davidis delictum, tam habet speciosum argumentum, quo persuadeat Davidem non esse regem divinitus vocatum, nec Prophetam. Nam Propheta non videtur ita ruere. Ita Ezechiel dicit: Propter vos contumelia afficitur Deus inter gentes. Et de filiis Eli dicitur 1. Reg. 2.: Erat peccatum puerorum grande coram Domino, quia detrahebant homines sacrificio Domini. Has sententias meminerimus, ut cogitemus in singulis pravis factis accedere hoc peccatum, quod laeditur gloria nominis Dei. Praeterea meminerimus has severissimas minas: Vae illi, per quem venit scandalum. Haec dicta testantur gravissime puniri scandala, praesentibus et aeternis poenis.

De quinto.

De custodia angelorum.

Extat hic perspicuum testimonium, additos esse custodes angelos piis. Hic colligantur similia testimonia, ut, comes Elisaei videt se stipatum esse magno exercitu angelorum. Et consideretur hic antithesis malorum et bonorum angelorum. Malis duo vitia praecipua tribuuntur, quod sint mendaces, blasphemi adversus Deum, et homicidae, ut in Paradiso utrunque ostendit diabolus. Excutit enim Evae mandatum Dei offusa alia opinione, Eritis sicut dii, et traxit totum genus humanum in aeternam mortem. Idem adhuc conatur, impellit levia ingenia ad epicureas opiniones, aut alias falsas opiniones amplectendas et serendas. Conatur in aeternam mortem pertrahere, quotquot potest, causa est necis corporalis, et plurimarum calamitatum hominibus, ut per eas pertrahat languefactos animos ad desperationem, et aeternam mortem, impellit impios ad omnis generis flagitia, libidines, et caedes iniustas, sicut historia totius mundi omnium temporum ostendit, quae commemorat horribilia flagitia, iniusta bella. Adversus haec tanta mala dux est nobis liberator filius Dei Emanuel, qui destruit opera diaboli, et mittit piis bonos angelos, ad impediendos multos conatus malorum.

De sexto.

Diligenter hic observandum est testimonium, quod infantes inserti Ecclesiae placeant Deo, et sint haeredes vitae aeternae. De talibus enim clare dicitur: Non est voluntas patris, ut pereat unus de parvulis istis.

Evangelium in die omnium Sanctorum, Matth. 5.

Videns Iesus turbas ascendit in montem, et cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli

eius, et aperiens os suum, docebat eos, dicens: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Beati mites, quoniam ipsi haereditabunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt et sitiunt iusticiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam ipsi filii Dei vocabuntur. Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum. Beati estis, cum exprobraverint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum verbum adversus vos mentientes, propter me. Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in coelis. Sic enim persecuti sunt Prophetas qui fuerunt ante vos.

Tres sunt loci.

I. Doctrina generalis est, contra opiniones de scandalo crucis.

II. Et sunt adiectae promissiones bonorum operum, interpretantes legem.

III. Et simul traditur doctrina de fide exercenda in his operibus.

De primo.

Duplices sunt promissiones. Aliae legales, quae habent conditionem operum, et sunt additae bonis operibus, seu meritis, ut: Qui dederit uni ex minimis potum aquae, non perdet mercedem suam. Et hic: Beati mites, Beati pauperes spiritu etc. Sed cum legi nemo satisfaciat, hic quaerendum est, quomodo bona opera placeant Deo, et quomodo hae promissiones fiant ratae. Ideo respondemus, sicut alias saepe dictum est: Lex sine Christo non prodest, sicut autem valet lex, sic et valent legales promissiones, cum prius apprehensa est promissio gratiae donatae propter Christum. Itaque cum fide iusti sumus, deinde placet Deo incoata obedientia, et meretur praemia, ac promissiones tunc ratae sunt, quia illa obedientia dicitur esse quaedam legis impletio.

Est igitur alia promissio propria Evangelii, gratuita, videlicet reconciliationis et iusticiae imputandae propter Christum. Haec promissio semper praelucere debet omnibus operibus et promissionibus, quia per Filium habemus accessum ad patrem. Haec ideo praefati sumus, ut sciatur, quomodo hae promissiones legales valeant et ratae sint, iuxta illud: Per fidem stabilimus legem.

Hinc explicari etiam obiectio potest. Cum hic dicat, homines beatos esse mansuetudine, cur alibi dicitis, sola fide iustificari homines? Respondeo: Haec non pugnant. Oportet primum homines fieri iustos seu acceptos Deo, fide, gratis propter Christum, postea sunt etiam beati, id est, habentes dona et praemia a Deo, propter caeteras virtutes. Haec sine sophistica hoc modo explicata facile intelligi possunt. Discamus igitur tradi hic promissiones legales seu bonorum operum, quae sic accipiendae sunt, ut semper praeluceat promissio evangelica gratiae Christi.

De secundo.

Promissiones hoc loco propositae dissentiunt a iudicio rationis, et sunt expositio legis Mosaicae: lex dicit, bonis bene fore. At hic dicit Christus, iustos futuros in paupertate, luctu, persecutione. Sed respondet Christus, differri praemia praecipua, etsi in hac vita etiam conservari Ecclesiam oportet mirabilibus beneficiis Dei.

Iustis bene sit.
Abel est iustus,
Ergo Abelo bene sit.

Respondeo primum ad minorem: Abel est iustus imputatione, et habet incoatam obedientiam, sed quia in eo adhuc haeret peccatum, manet mors, et haec natura vitiosa est subiecta cruci. Ideo differuntur praemia ad consummatam iusticiam. Deinde respondeas ad maiorem: Iustis bene sit, iuxta consilium Dei, et post hanc vitam. Nam Deus, ut servet Ecclesiam, etiam in hac vita impertit ingentia dona, sed inter mirabilia certamina, sicut servavit Ecclesiam in diluvio, in Aegypto, in captivitate Babylonica, et martyrum temporibus. Teneamus igitur hanc interpretationem legis, quam hic Christus tradit, cum praemia pollicetur, et testatur partim in hac vita dari, partim post hanc vitam.

De tertio.

Sed hoc praecipue discendum est in his concionibus, quomodo fides in his promissionibus exercenda sit. Iactamus fidem, et maxime fugimus exercitia fidei. Christus praedicit Ecclesiam

fore in aerumnis, quia in his vult exerceri fidem. Quomodo? Octo modis.

Primo, agnoscendo gratiam promissam propter Christum.

Secundo, invocando Deum.

Tertio, impellendo ad bona opera, ut retineatur beneficium Dei.

Quarto, ad petendum et expectandum auxilium, adversus diabolum, adversus hostes, adversus imbecillitatem propriam.

Quinto, ad expectandam compensationem seu praemia.

Sexto, ad petendum auxilium in tolerantia.

Septimo, ad ostendendam gratitudinem, et exempla, ut propagetur doctrina, et ornetur gloria Dei.

Octavo, ut his exercitiis agitata et exuscitata fides, crescat, et crescant caetera dona.

Exemplum, Paulus in afflictionibus primum cogitabat, an placeret Deo, quia afflictiones et adversi casus videntur esse signa irae Dei. Excitat igitur fidem, et sentit se propter Christum placere, et confugit ad Deum. Secundo invocat. Tertio, agnoscens misericordiam Dei erga se, studet retinere beneficium, et cavet, ne amittat iusticiam. Quarto fide petit et expectat liberationem in afflictionibus et auxilium adversus diabolum. Quinto, expectat praemia, et intuens fide in finem promissum, perfert praesentes aerumnas. Sexto, fide petit auxilium et robur spiritus, ut possit praestare patientiam, etiamsi mors oppetenda sit. Septimo, statuit haec officia necessaria esse ad ostendendam gratitudinem, ad propagationem Evangelii, agnoscit Deum, mirabili consilio, sic velle abolere peccatum in carne nostra, et Ecclesiam mirabili modo glorificare. Octavo, dat operam ut crescat fides, et caetera dona.

Sic dives credens invocat Deum, studet retinere iusticiam, Deo obtemperat in officio liberalitatis, expectat vicissim auxilium a Deo in suis aerumnis, et expectat compensationem seu conservationem facultatum, ostendit gratitudinem suo exemplo, cupit augeri dona, augeri fidem. Sed quia pauci credunt, pauci expectant conservationem facultatum: ideo animi sunt angustiores et illiberales.

Haec generalia semper de promissionibus legalibus tenenda sunt, ut meminerimus et in his promissionibus praemiorum exercendam esse fidem.

Beati pauperes spiritu.

Non vult deseri facultates sine vocatione, non approbat Monachatum, iuxta illud: Frustra colunt me mandatis hominum, sed concionatur Christus de vera inopia piorum et fugientium impios quaestus, sive inopia sit fortuita, sive acciderit propter professionem Evangelii. Hos inopes omnes consolatur, et testatur inopiam non esse signum irae Dei et maledictionem, imo pollicetur praemia. Estque opposita sententia legi, et imperiis mundi. Lex docet detrimenta facultatum esse poenas peccatorum et maledictionem: hic Christus docet pios, aliud esse iudicium de cruce secundum Evangelium. Nam afflictiones piis non sunt signa irae, sed fiunt exercitia fidei, sicut ubique clamitat Evangelium, Ecclesiam subiectam esse cruci. In durissimis afflictionibus summa lumina Ecclesiae fuerunt, Christus, Iohannes Baptista, Ieremias, Abel etc. Item imperia mundi dicuntur florere, cum habent opes, sic de Ecclesia et Pontifices sentiunt. At Christus hic testatur Ecclesiam potius florere in paupertate, ne desperemus propter inopiam.

Addit autem: Pauperes spiritu, id est, spirituali obedientia, patienter ferentes paupertatem, seu parati ad eam ferendam, si fuerint excussi ex facultatibus, sicut Abraham alias habebat facultates, alias vagabatur inops sine certis sedibus.

Beati lugentes.

Et hic loquitur de veris doloribus piorum, sive propter professionem accidant, sive a poenis aut morsibus diaboli oriantur, ut cum David pulsus in exilium agnovit culpam, et sensit se puniri. In talibus aerumnis clamitat conscientia, nos a Deo proiectos vel desertos esse. Sed vox Evangelii diversum docet: Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Item: Multae tribulationes iustorum, et hic promittitur consolatio, cum in hac vita, tum post hanc vitam, sicut docet totus Psalmus 4.: Scitote quoniam mirificat Dominus sanctum suum, et exaudit me cum clamo ad eum. Item 33.: Pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum.

Beati mites.

Consolatur oppressos, qui non habent vindicem et defensorem, et docet privatam vindictam Deo commendandam esse, sicut Ioseph, Israëlitae in Aegypto, David sub Saule, pii sub Antiocho,

Ecclesia sub Diocletiano, erant sine defensione. Clarius autem intelligitur hic locus, considerata antithesi. Tyranni existimant imperia retineri, et augeri acerbitate vindictae. Econtra, Evangelium docet, ut in causa iusta simus constantes, nec tamen quaeramus privatam vindictam, sed exitus Deo commendemus. Et cum ex officio exercenda est vindicta, mitigemus eam, sicut exempla David, totam hanc doctrinam pingunt. Nunquam voluit Saulem interficere, deinde regnans, necessariam vindictam, tamen saepe temperavit misericordia, pepercit Semei. Huc pertinent multa in Psalmis, ut Psalm. 36.: Saevientes exterminabuntur, sustinentes autem Dominum haereditabunt terram. Pharao deletus est, vicit Israël. Apostoli interfecti sunt, mansit tamen Ecclesia deletis tyrannis. Promittit igitur hic versiculus oppressis, et vindice carentibus, ac non cupidis privatae vindictae, conservationem etiam in terra.

Quanquam autem haec proprie scribuntur propter Ecclesiam, tamen ut res sit magis perspicua, etiam politica exempla consideremus. In politica iusticia, clementia principibus, et mansuetudo privatis utilis est. Econtra, saevitia multis exitio fuit, non solum monstrosis tyrannis, qui etiam aliis sceleribus polluti erant, ut Phalaridi, Dionysio, Neroni, sed etiam alioqui mediocribus, ut Pertinaci, Aureliano. Et saepe videmus, privatas offensiones magnas patientia sanari.

Hanc lenitatem maxime flagitat Christus, quia in Ecclesia incidunt periculosae offensiones, ideo toties dicit: Remittite, et remittetur vobis. Et Christus lavans pedes Apostolis, vult nos sanare offensiones omni genere officii, ideo dicit: Exemplum dedi vobis. Et Petrus inquit: Dilectio tegit peccata. Hae sententiae omnes huc transferantur, Et quia in periculis famae, aut rerum, si desit vindex, timemus nos et nostra peritura esse, ideo hic promittitur conservatio, cum ait: Possidebunt terram, sicut Israël in Aegypto conservabatur, etiamsi mandatum erat ut infantes interficerentur.

Beati qui sitiunt et esuriunt iusticiam.

Sitire iusticiam est, vero dolore et zelo affici, ut propagetur gloria Dei, ut iusta sit gubernatio, et scandala, et mala exempla tollantur. Est autem haec particula quasi declaratio quaedam superioris. Antea dixit salutarem esse clementiam, nunc addit hanc clementiam non debere esse dissolutionem seu ignaviam. Accedat zelus, sit vigilans, intentus, acer, unusquisque in suo officio. Estque opposita sententia Epicureis, qui nihil curant qualiacunque vitia, seu religionum, seu alia, ut nunc rident nos Epicurei, cum de idololatria aut de libidinibus querimur.

Hanc ignaviam detestatur Christus, et praecipit zelum, ac addit promissionem. Nam impii dicunt pios frustra moliri emendationem. Christus econtra promittit labores non fore inanes, saturabuntur, inquit. Item, hi sitientes intelligantur non Cynici, aliena vitia tantum reprehendentes, ad sua conniventes, sed sese quoque emendantes, iuxta illud: Iustus primum accusator est sui, postea occurrit alteri.

Beati misericordes.

Promittitur merces beneficis, qui defendunt aut adiuvant afflictos, ut qui tegunt eos, qui propter professionem Evangelii affliguntur, iuxta Psalmum: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem etc.

Beati mundo corde, id est, casto, sicut ad Ebraeos dicitur: Sectamini sanctificationem, id est, castitatem, sine qua nemo Deum videbit. Et usitata poena est libidinum coecitas, ut Rom. 1. et Ephes. 4. dicitur.

Beati pacifici, id est, recte diiudicantes dogmata, recte sanantes iniustas discordias Ecclesiae, vel regnorum, cedentes aliis bona conscientia, propter pacem.

Continetur autem hic maxima pars Decalogi. Nam ad primum praeceptum pertinent hae virtutes, Veritas et fortitudo in confessione, de qua dicit: Beati qui persecutionem patiuntur. Item: Fides expectans has promissiones et retinens veritatem, propter has promissiones. Item: Patientia in qualibuscunque aerumnis. Nam hae virtutes sunt cultus, de quibus concionatur primum praeceptum.

Ad secundam tabulam pertinent mansuetudo in mitiganda vindicta, beneficentia, castitas, caritas vel aequitas in facienda pace. Ad primum praeceptum pertinet sitire iusticiam, id est, zelus etc.

De dicto: *Non veni solvere legem.*

Lex moralis est aeterna et immutabilis sententia in mente divina, quae est regula iusticiae, praecipiens quales omnes creaturas intelligentes

esse oporteat, et quae facere et omittere debeant, et iram Dei ac poenas praesentes et aeternas denuncians iis, qui non praestant perfectam obedientiam.

Etsi autem Deus est agens liberrimum, tamen ut haec propositio aeterna et immota est, Deus est sapiens, iustus, bonus, ita hae propositiones sunt aeternae et immotae, Deus vult iusta, Deo debetur obedientia. Nec imaginemur legem Dei moralem quiddam mutabile esse, quod abrogari ac deleri possit, sicut tabula adfixa parieti amoveri potest, aut sicut lex Spartana de nummo aeneo mutari potuit. Manet in Deo noticia, quae est regula iuste faciendi. Manet voluntas vere, non simulate volens iusta, et vere, non simulate reiiciens iniusta, sicut Psalm. inquit: Non Deus volens impietatem tu es. Et harum noticiarum divinarum similes impressae sunt humanae menti, quae semper manent et iudicant facta. Quare abrogatio legis non fingatur talis, quasi nunc Deus non irascatur ruenti contra legem moralem, sicut non irascitur edenti carnem suillam.

Sed dicat aliquis: Si lex moralis est aeterna et immota sententia, sequetur, non esse remissionem peccatorum. Respondeo: Cum omnis lex obliget ad obedientiam, vel ad poenam, nec nos lapsi nisi persoluta poena restitui potueramus. Est autem poena derivata in Filium Dei, nec recipit Deus lapsos nisi propter Filium, nec approbat peccatum etiamsi credentes recipit, sed iram suam adversus peccatum ingentem declaravit in passione Filii. Cum igitur de remissione peccatorum cogitamus, fide intueamur Filium pro nobis crucifixum, ut persolveret poenam, et agnoscamus Deum vere et horribiliter irasci peccato, nos autem propter Filium recipere.

Ideo dicit Christus, se implere legem. Et Paulus inquit: Finis legis est Christus, id est, lex testificatur de Christo, ut victimae omnes significantes Christum, admonent venturum fuisse dominum, qui solus impleret legem, implet autem tripliciter. Primum sustinendo poenam pro nobis, cum ipse fuerit sine peccato, et habuerit integram obedientiam, et tamen pro nobis factus sit victima.

Secundo effective implet, quia ipse instaurat humanam naturam, et dat Spiritum sanctum et vitam aeternam, ut rursus in homine existat vera obedientia, quae hic incoatur, et perficitur in resurrectione, et erit aeterna, sicut dicitur: Dabo legem meam in corda eorum, ubi diserte dictum est, meam, ut sciamus novam et aeternam vitam, vere esse sapientiam, iusticiam, obedientiam, congruentem ad ipsam legem sonantem in monte Sina.

C. igitur dicitur, Christum implere legem, etiam hic gradus comprehendendus est, quod videlicet efficiat dato Spiritu sancto, ut in nobis vera, integra, et aeterna obedientia restituatur. Et quia dicit legem meam, satis intelligi potest, legem moralem esse aeternam sententiam in mente divina, quia vult eam restituere in hominum cordibus. Non est igitur abolita, sicut abiicitur Calendarium praeteriti anni, ut aliqui insulse loquuntur.

Tertio implet legem Christus docendo, id est, testatur se eam non abolere ne fiat, sed proponere eam, ut peccata arguat, et doceat quae opera Deus postulet. Vult enim Deus nos verbo suo regi, nec vult nos nostris imaginationibus excogitare opera et cultus, sicut Ethnici excogitarunt, finxerunt idola sine fine, permiserunt sibi libidines, et interim cumularunt sacrificia, et aliqua opera civilia exercuerunt, quibus arbitrabantur se iustos esse, et placere Deo, sicut iam sacrificuli sua opera laudant, Missas, observationes rituum, obedientiam, quam propriis legibus praestant, et negligunt leges divinas de vera doctrina, vero cultu, et castitate. Revocat autem nos Christus ad legem Dei, hanc vult esse doctrinam poenitentiae, et regulam bonorum operum.

In Pentecoste de Evangelio,

Iohannis 14.

Si diligitis me, mandata mea servate. Et ego rogabo patrem, et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud vos manebit, et in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos.

Deploranda est negligentia nostra, qui immensum et inenarrabile beneficium Dei, quod propter Filium dat Spiritum sanctum, per quem vincitur peccatum et mors, non satis consideramus, nec tanti facimus, quantum est, imo nec excitamus nos, ut credamus dari, ac petamus tan-

tum munus. Hanc nostram infirmitatem primum agnoscamus, accusemus et deploremus, sicut Lucae 11. castigat Christus hanc segniciem, ubi fit mentio de vidua, quae assiduitate perficit, ut iudex tandem faciat officium. Ubi addit Christus: Petite, et accipietis. Si homines possunt dare bona hominibus, quanto magis pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Hanc castigationem ignaviae nostrae, et adhortationem Christi, diligenter nobis proponamus, et nos excitemus his ingentibus promissionibus, et discamus magnifacere munus.

Sed ita est, mundus non novit Spiritum sanctum, sicut hic in textu dicitur, quia non novit Christum. O tristem vocem, Mundus non novit Spiritum sanctum, quia non novit Christum. Imo mundus aut deridet, aut persequitur Spiritum sanctum. Plurimi quaerunt opes, voluptates, nec experiuntur Spiritus sancti auxilia. Papistae volunt tueri suam autoritatem, idololatricos cultus, pompas operum. Non intelligunt veram iusticiam, et veram invocationem, imo persequuntur: ideo nec Spiritum, nec Christum norunt. Sed textus addit:

Vos autem agnoscitis Spiritum sanctum.

Hic demus operam, ut et nos simus ex hoc numero agnoscentium. Consideremus igitur verba textus:

Ego rogabo patrem, et alium paracletum dabit vobis etc.

Ne simus prolixi, quia nemo de his rebus satis dicere potest, sed pii audita vel lecta aliqua tali parte Evangelii, toto die meditari et circumferre animo debent. Hoc est celebrare festum diem, et hac meditatione proficiunt pii auditores. Sed ne simus prolixi, duo haec observanda sunt.

Primum ipsa promissio, quod Christus promittit se daturum Spiritum sanctum.

Secundo, quid agat Spiritus sanctus, quod hic additur, quia vocat παράκλητον. Haec est dulcissima appellatio Spiritus sancti, vocatur παράκλητος, quod significat advocatum in iudicio. Sed haec appellatio multa officia complectitur: nam advocatus est, qui patrocinium in iudicio suscipit, praesertim eius, cuius causa periclitatur, et alioqui destitutus est defensione, hunc monet, regit consilio, hortatur et confirmat, dicit pro eo, et quantum potest, tuetur ut liberet periculo.

Ita cum Christus hanc suavissimam appellationem tribuit Spiritu sancto, testatur similia eius esse officia, videlicet, ideo mittitur ab aeterno patre, et Filio, Domino nostro Iesu Christo, ut adsit nobis miseris, reis aeternae irae, et iudicii divini, horum est patronus, suscipit defensionem, suggerit nobis salutaria, monstrat consilium, quomodo liberemur, quia et accendit lucem in cordibus, ut intelligant Evangelium de remissione peccatorum, confugiant ad Christum, et credant sibi propter eum ignosci: deinde est hortator, et movet corda, ut assentiantur, et confirmat assensionem, erigit perterrefactos, iubet confidere de salute, loquitur etiam pro nobis, scilicet movens et impellens corda, ut ausint invocare et certo expectare opem, sicut dicitur Rom. 8.: Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater etc. Item: Ipse spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Denique etiam in confessione palam est noster orator, adiuvat et confirmat dicentes, sicut dicitur: Dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri. Quid potest dici dulcius? o felices, quibus promissum est, et datur tantum beneficium. Haec breviter de appellatione, sed consideremus etiam haec duo, et quod promissus sit Spiritus sanctus omnibus amplectentibus Evangelium, et quod sit eius officium.

De primo.

De primo, diligenter inculcemus nobis promissionem, et sciant singuli eam ad seipsos pertinere. Multi sic cogitant, Video quosdam fuisse magnos viros, ut Moisen, Eliam etc. qui mirabilia fecerunt, Hos credo fuisse donatos Spiritu sancto. Sed nos imbecilles tantum regimur humana ratione, non audemus petere aut expectare Spiritum sanctum.

Haec est impia et execranda imaginatio, sunt igitur opponendae promissiones, quae testantur omnes vocari: Venite ad me omnes. Omnibus vult Christus impertire hoc beneficium. Et quanquam non sumus pares Moisi aut Eliae, quia Deus vult esse membra Ecclesiae dissimilia, tamen omnibus invocantibus Christum fide, datur Spiritus sanctus, sicut Paulus inquit, ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Et scito sic accipi Spiritum sanctum, per auditum Evangelii et fidem, non sicut Anabaptistae cogitant, aut Monachi, qui omnes sunt Enthusiastae. Ana-

baptistae secedunt in angulos, fingunt sibi speculationes, nolunt hac vita civili vivere, His modis putant se accipere Spiritum sanctum, sicut et Monachi, et idololatrae Papistae iactitant se consequi Spiritum sanctum per suas ludicras ceremonias, Missas et opera traditionum.

Sed nos discamus dari Spiritum sanctum per verbum Dei, quandocunque nos eius cogitatione consolamur, audientes, vel legentes, vel cogitantes verbum Dei, et invocamus Deum, ac credimus nobis ignosci propter Christum, et nos iuvari. Haec fiunt in vera poenitentia, et quotidiana invocatione omnium qui agunt poenitentiam, et non perseverant in delictis contra conscientiam.

Dixi de prima parte, scilicet, de promissione. Nunc dicam de secunda, quid agat Spiritus sanctus. Hic Christus facit antithesin.

Non relinquam vos orphanos.

Brevis est oratio, sed est vera imago Ecclesiae coram mundo, et sicut nos ipsi plerunque iudicamus, quando sentimus onus aerumnarum nostrarum. Vide an non sumus orphani? Mundus nos persequitur, sumus coetus exiguus, dissipatus, male cohaerens. Non habemus humanum principem, regem, pontificem. Ridiculum est Papae et regibus, quando nos vocamus Ecclesiam. Deinde singuli suas miserias considerent. Nonne sumus orphani, sine defensore, sine certis auxiliis? Et praesertim tunc intelligeremus nos esse orphanos, si potentiam diaboli aliquo modo cerneremus.

Ergo adversus tantos hostes promittit Christus Spiritum sanctum, ait: Non relinquam vos orphanos, sed ego sum pontifex vester, Rogabo patrem. Crede, non frustra orat Filius, impetrat nobis a patre auxilium. Quod? Spiritum paracletum, qui in nobis lucet, dat consilium, erigit animum, incoat vitam aeternam in nobis, sicut hic dicitur: Ut maneat vobiscum semper.

Ut autem de his beneficiis cogitare possimus, et nos ipsos excitare, proponamus nobis dulcissimum dictum ex Zacharia, ubi scriptum est:

> Effundam super domum David Spiritum gratiae et precum.

Haec vox omnia complectitur, et docet quae sint bona opera, qui sint summi et veri cultus Ecclesiae. Omnes gentes, etiam barbarae, habent cultus Dei externos, honesta opera. Sed hi nondum sunt cultus, quibus proprie colitur et apprehenditur Deus, sola Ecclesia habet veros cultus, quos praestat, cum accipit spiritum gratiae et precum.

Quid significant haec verba? Spiritus gratiae significat Spiritu sancto nos iuvari, ut statuamus nos esse in gratia Dei, certo placere Deo, nobis peccata esse remissa propter Christum. Haec fides in omni afflictione agnoscit Deum adesse opitulatorem, esse propicium, non esse deserturum orphanos. Hac fide Spiritus sanctus est *παράκλητος*, consolator et vivificator.

Sequitur altera particula, Spiritum precum. Cum simus orphani in mundo, opus est nobis defensore et auxiliatore Deo. Ideo excitantur corda Spiritu sancto, ut invocent Deum, sicut et Paulus inquit: Spiritus adiuvat nos, ut clamemus Abba pater. Ideo Ecclesia est onerata ingentibus periculis et aerumnis, ut hanc invocationem exerceamus, fide clamemus ad Deum, expectemus auxilium. Nec putes haec tantum magnifica verba esse. Pii credentes experiuntur vere adesse Deum opitulatorem et auxiliatorem, et res magnae et magna miracula sic fiunt in mundo. Sic servatur tua familia contra diabolum. Sic servantur regna, ut Ezechias et Esaias precibus pellebant Assyrios. Alia miracula, ut Moisi, magis cernuntur oculis, quia Deus vult extare illustria quaedam testimonia. Sed tamen Ecclesia semper habet sua miracula, quae fiunt in vocatione, ut Moises, ut Elias in sua vocatione gubernabantur Spiritu sancto, et res magnas et illustres gerebant.

Ita petamus nos gubernari Spiritu sancto, et sciamus veram esse Christi vocem: Dabit vobis Spiritum paracletum. Sciamus dari nobis Spiritum sanctum, exaudiri nostras preces, iuvari nos in omnibus periculis publicis et privatis, res magnas effici contra diabolum, etiamsi mundus non cernit: quia bellum inter Christum et diabolum mirabili modo geritur, per vasa infirma in Ecclesia, quae Christus tamen efficit potentia divina per Spiritum sanctum.

Memento ergo hanc vocem: Effundam spiritum gratiae et precum. Excites te fide, ut credas te propter Christum esse in gratia, Petito Spiritum sanctum auxiliatorem, invoca Deum in omnibus negociis, ut experiaris adesse hunc opitulatorem.

Nunc etiam oremus pro Ecclesia, ut retineamus Spiritum veritatis, quia diabolus callidissime

struit insidias veritati. Conatur nova sophistica obruere Evangelium, et mundus delectatur his mendaciis et praestigiis, quia nec Spiritum sanctum novit, neque Christum. Sed pii, qui norunt Christum, et petunt spiritum veritatis, toto pectore adversentur talibus imposturis. Deus tamen servabit Ecclesiam, depellet Turcas, propter Ecclesiam, non propter impios et idololatras. Haec breviter hoc die monenda sunt, ut haec monita Christi accipiant pii, et una invocemus Deum propter Filium, et petamus Spiritum sanctum, sicut promisit: Pater meus coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Concio Petri,

Actorum 2.

Stans autem Petrus cum undecim, elevavit vocem suam, et locutus est eis: Viri Iudaei, et qui habitatis Hierusalem universi, hoc vobis notum sit, et auribus percipite verba mea. Non enim sicut vos existimatis hi ebrii sunt, cum sit hora diei tertia. Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioël: Et erit in novissimis diebus, dicit Dominus, Effundam de spiritu meo super omnem carnem. Et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae, et iuvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt. Et quidem super servos meos et ancillas meas in diebus illis effundam de spiritu meo, et prophetabunt, et dabo prodigia in coelo sursum, et signa in terra deorsum, sanguinem et ignem, et vaporem fumi. Sol convertetur in tenebras, et Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et manifestus. Et erit: Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Viri Israëlitae, audite verba haec, Iesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus, et prodigiis et signis, quae fecit Deus per illum in medio vestri, sicut scitis, hunc definitio consilio, et praesentia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis. Quem Deus suscitavit, solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile erat teneri illum ab eo. David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper, quoniam a dextris est mihi, ne commovear. Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea, insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Notas fecisti mihi vias vitae, replebis me iucunditate cum facie tua.

Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam et defunctus est, et sepultus est, et sepulcrum eius est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, et sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumborum eius sedere super sedem eius, praevidens locutus est de resurrectione Christi, quod neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius omnes testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus sancti accepta a patre, effudit hoc donum, quod vos videtis et auditis.

Concio Petri tota continet *tres* praecipuas partes.

Prima est dictum Ioëlis, continens promissionem Spiritus sancti, et salutis aeternae propriam novi Testamenti. Primum igitur describuntur beneficia novi Testamenti.

Secunda pars est, Concio de morte et resurrectione Messiae, qui est causa beneficiorum novi Testamenti. Estque hic locus testimonium, quod hic Iesus sit Messias, quia resurrexit a mortuis.

Tertia pars, de applicatione, quomodo haec beneficia novi Testamenti, parta per Messiam consequamur, videlicet: Agite poenitentiam, et baptizetur unusquisque in nomine Christi, ad remissionem peccatorum, et accipite donum Spiritus sancti.

Longa concio est, et locupletissima, quae non potest paucis tota enarrari. Prodest autem tales locos saepe meditari ad alendam cognitionem beneficiorum Christi, et confirmandam fidem, et ad excitandam gratiarum actionem, et dilectionem erga Deum. Ideo primum breviter de prima parte concionis Petri dicamus, videlicet, de gratia novi Testamenti, et de donatione Spiritus sancti.

Duo dicit Propheta: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Item, de donatione Spiritus sancti: Effundam de spiritu meo. Utraque sententia est opposita legi. Lex docet et postulat multa, sed non salvat, imo accusat, ut docet Paulus: Lex iram operatur. Sed alia est novi Testamenti praedicatio, quae promittit salutem, et quidem promittit *omnibus*, sed *invocantibus*. Quid est promittere salutem? Promittere liberationem a peccato, ab ira Dei, a morte aeterna, donationem vitae aeternae.

Haec adfert novum Testamentum, non propter legem, sed tantum invocanti. Ideo enim dicit: Invocans, ut discernat cultus, quasi dicat: Non quaeretur tunc iste cultus legis, sed alius cultus, scilicet, invocatio sola, quae est vox fidei, credentis et accipientis promissionem, et clamantis: Abba pater. Ideo hoc dictum dulcescet animo, cum cogitabimus promissionem esse universalem, et ad nos ipsos pertinere. Et per invocationem intelligimus fidem, excludentem propria merita, et tantum nitentem Domino, qui iam se patefecit. Oportet enim discerni invocationem a cultu legis. Nam et haec ipsa vox: Omnis qui invocat nomen Domini, salvabitur, est abrogatio legis.

Hic admoneatur auditor, ut diligenter sibi inculcet hanc particulam: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit, sciat esse summam Evangelii, et intelligat invocationem non more legis, id est, non sic cogitet, invocans salvatur, scilicet si dignus erit, si satis habebit operum etc. sed invocans, id est, non fugiens Deum, sed credens ei propter Messiam missum a patre coelesti.

II.

De altera particula: Quomodo fit haec salvatio? Fit hoc modo: Effundam de spiritu meo. Haec est mira vox, et supra omnem humanum captum, Deus salvabit, non lege, sed impertiens seipsum, Effundam, inquit, de Meo Spiritu, de mea substantia, Ubicunque est substantia Dei, ibi est noticia Dei, dilectio Dei, vita aeterna. Quid potest Deus dare maius, quam quod impertit nobis de suo spiritu, de sua substantia? sicut Petrus inquit, nos fieri participes naturae Dei.

Utinam tantum donum agnosceremus, ac peteremus, ut hoc spiritu confirmati, glorificaremus Deum in confessione, et in tota vita. Sed quia non exercemus, ac languescimus, ideo amittimus dona Dei, sicut dicitur: Habenti dabitur. Ideo magnitudinem huius doni divini, Spiritus sancti, in nos effusi, non intelligimus, qnia non exercemus, non proferimus hoc donum, sed excutimus, contristamus Spiritum sanctum. Haec sunt magna peccata in mundo, quae tamen ratio non iudicat aut cernit.

Eruditi considerent hoc verbum, *Meo*, cum dicitur: Effundam de spiritu meo. Primum enim significat spiritum esse personam consubstantialem Deo. Deinde docet, quod Deus ita nos restituat, aliquid suae substantiae impertiens. Ubi autem est substantia Dei, ibi est lux, id est, noticia vera Dei, vera dilectio Dei, et vita aeterna. Haec omnia sunt longe supra captum rationes, supra iusticiam legis, et humanam sapientiam. Intelligi autem poterunt, si exercebimus donum, in confessione et invocatione quotidiana.

III.

Et prophetabunt filii vestri.

Addit signa et testimonia, et praecipua opera Spiritus sancti. Primum est, prophetare, id est, recte intelligere et enarrare Evangelium, quia Evangelium est doctrina de voluntate Dei erga nos, quam humana ratio non percipit sine Spiritu sancto, sicut Paulus inquit: Animalis homo non percipit ea quae Dei sunt. Sicut iam videmus, quid agant sapientes mundi, quorum aliqui volunt videri intelligere Evangelium, cum certe non intelligant. Origenes, Hieronymus et alii multi non intellexerunt noticiam fidei. Haec dicta Pauli: Lex iram operatur, Iustificati fide pacem habemus, adeo non intellexerunt, ut etiam absurda et impropria esse putaverint. Ita nunc multi Theologi haec dicta non intelligunt, etiam cum verba imitantur. Sed qui intelligunt? Vere invocantes Dominum, qui habent fidem, in quos effusus est Spiritus sanctus. Hi prophetant, recte intelligunt, recte enarrant, confitentur, glorificant Deum, conservant Deo puritatem verbi, et defendunt gloriam Dei.

Haec omnia comprehendit verbum, Prophetare, hi sunt grati cultus Deo, sicut scriptum est: Laudate pueri Dominum etc. Hos cultus praestemus, Tales prophetae simus, veri interpretes et confessores. Discamus ergo, quantas res his concionibus proponat, de vera invocatione, fide,

de salute aeterna, de donis Spiritus sancti in Ecclesia. Et his meditationibus accendamus fidem et timorem Dei.

IIII.

Addit signo Spiritus sancti, scilicet prophetiae, alia signa.

Senes vestri somnia somniabunt, et iuvenes vestri visiones videbunt.

Dixi prophetiam praecipue significare intellectum et enarrationem veram verbi Dei, quia verbum Dei continet sapientiam de voluntate Dei erga nos, prorsus positam extra captum humanae rationis. Hoc donum necessarium est Ecclesiae, de quo Paulus 1. Corinth. 4. multa loquitur: Et magna lux est, in aliis magis, in aliis minus fulgens, alio tempore plures in Ecclesia, alio tempore pauciores sunt hoc praediti dono. Sicut tempore Samuelis plures erant in Israël recte sentientes, quam tempore Eli, cum esset, uti dicit textus, sermo Domini rarus. Tempore Apostolorum plures erant recte intelligentes Evangelium, quam postea sub Papatu, etiamsi plurimum fuerit sacerdotum, Monachorum, Theologorum. Nunc Deus iterum aliquantulum exuscitavit hanc lucem, et orandus est, ut conservet, et nos monendi sumus, ne ipsi eam extinguamus nova sophistica et humana sapientia, et fiamus prophetae tales, qualis erat Saul, de quo dictum est: Nunquid et Saul inter Prophetas? Ita nunc de multis, qui nova sophistica corrumpunt Evangelium, quaerunt conciliationes dogmatum congruentes ad sapientiam humanam, ambiguas, flexibiles et fucatas, dici potest: Nunquid et hi inter Prophetas?

Quando pectora sunt ociosa aut occupata humanis cupiditatibus, incipiunt fastidire verbum Dei, postea, unt quaerant pacem et ocium, accommodant se iudiciis impiorum, et sinunt depravari veram doctrinam. Ita redit diabolus ad domum purgatam. Haec magna mala prudenter cavenda sunt, sed mundus insanit suis cupiditatibus, et haec peccata non intelligit. Ideo Spiritus sanctus nos admonet et arguit per Evangelium, monstrat has insidias, et iubet ut vigilemus et caveamus, Et tantum de prophetia.

Addit autem Ioël alia testimonia Spiritus sancti: Senes somnia habebunt, et iuvenes habebunt visiones. His verbis non tantum vaticinia de rebus futuris intelligit, sicut Ioseph, Daniel fuerunt vates. Et Paulus habuit visionem, ut dicit in Actis cap. 16. Sed generaliter omnia dona complectitur, quae Paulus recenset 1. Corinth. 12. Vult enim in genere dicere, futurum esse, ut Spiritus sanctus declaret se multis donis, prophetia, vaticiniis rerum futurarum, scientia gubernationis.

Ut hic cum de senibus loquitur, intelligit gubernatores, hi habebunt divinos motus, divinitus regent politias, vel magna negocia ecclesiastica, aut politica. Sicut interdum princeps aliquis habet sapientiam aut pium consiliarium, aut civitas pium senatorem. Nec putes hic fieri mentionem de vulgaribus somniis, sed sequuntur in textu et aliae appellationes. His omnibus varia dona significat Ecclesiae et gubernationi necessaria, quae etsi omnia sunt miraculosa, et Dei insignia opera, tamen alia aliis magis cernuntur, ut cum Petrus sanaret claudum, vel cum educeretur ex carcere, id vocatur miraculum, Et magni fit, quia incurrit in oculos, cum alia haberet multo maiora miracula, ut, quod assidue defendebatur contra diabolum et contra tyrannos. Item, quod permansit in doctrinae puritate, quod eius conciones erant efficaces, quod eius gubernatio fuit felix. Haec sunt magna et vera miracula, ad quae accedunt etiam interdum alia rara opera, quae magis incurrunt in oculos.

Sic ergo intelligatur hic locus de omnibus donis Spiritus sancti in Ecclesia generaliter. Et meminerint pii, qui sunt in gubernatione, vel Ecclesiae, vel politica, vel principes ac eorum consiliarii, et senatores civitatum, quod hic dicitur de senibus: Senes habebunt donum Spiritus sancti. Hic locus admonet gubernatores, ut sciant humanam sapientiam non sufficere magnis rebus agendis, nec in negociis ecclesiasticis, nec in aliis, sed opus est Spiritu sancto, gubernatore et duce, et orent cum Davide, ut surgat Deus ad iudicium quod mandavit, id est, ad regnum. Psalm. 7. et 71.: Surge Deus, iudica terram.

V.

Hactenus breviter dictum est de donis et testimoniis Spiritus sancti, quae addita sunt promissioni Evangelii de salvatione promissa per Messiam, addit autem textus aliquid de tempore Messiae, et de signis praecedentibos gloriosum

adventum Messiae, quem etiam prodest cogitare, ut securitas carnalis corrigatur.

Prophetae interdum simul loquuntur de utroque adventu Christi, ut hic Ioël loquitur de revelatione Evangelii, et statim adiungit gloriosum adventum Christi in novissimo iudicio. Pars prophetiae intelligatur de primo adventu, pars de secundo. Nam quae de signis dicit: Mittam sanguinem, ignem, Sol mutabitur etc. Etsi haec etiam possunt accommodari ad tempus passionis Christi, tamen describunt totum tempus post Evangelii revelationem usque ad iudicium, videlicet excidium totius Iudaicae gentis, mutationes regnorum, et calamitates publicas, quae erunt saeviores in fine, sicut praemonet Christus Matth. 28. et Luc. 21. ut videmus iam omnibus regnis impendere mutationem. Et praedictum est nominatim de Gog et Magog, id est, de Turcis, quod sint vastaturi armis magnam partem Ecclesiae. Praedictum est et de Antichristo seu pseudopropheta, id est, Papa, qui sedebit in templo Dei, id est, in ipsa Ecclesia, et grassabitur dolo et vi.

Haec mala consideremus, et fide nos magis muniamus, et oremus Deum, ut nos servet, quia in Luca, cum eadem praedicuntur: Erit pressura gentium, tamen additur consolatio eadem: Prope est redemtio vestra. Item: Vigilate et orate, ut possitis haec effugere. Certe pericula temporum hortantur nos ad precationem, et monent instare illum diem, quo omnes impii cum diabolis in aeternas poenas abiicientur, et Filius Dei glorificabit Ecclesiam suam. Hoc iudicium nobis proponamus, et sciamus non procul abesse. Gog et Magog vere pervenit in summum fastigium, et Antichristus iam revelatur. Haec sunt signa ultimi temporis, de quo praedictum est, fore, ut crescat tunc impietas. Ideo simus vigilantes et cauti, ne deficiamus a vera doctrina, timeamus et invocemus Deum, ut nos regat, Non offendamus eum nostra ingratitudine, et turpitudine morum. Haec admonitio necessaria est, quando de signis postremi temporis dicitur.

Secunda pars concionis Petri.

Viri Israëlitae audite verba haec.

In priore parte Concionis dictum est, de ipsis novi Testamenti beneficiis, de salvatione, et de donatione Spiritus sancti, qui est arrhabo novae et aeternae iusticiae et vitae. Nunc sequitur pars secunda, de causa seu autore horum beneficiorum, scilicet, de Messia. Et diligenter considerandum est, hanc concionem de Messia passo, resuscitato, glorificato et regnante, opponi carnalibus imaginationibus Iudaeoram, de regno mundano Messiae, quasi dicat Petrus: Vos expectatis Messiam et liberatorem, qui pulsis Romanis, tribuat vobis imperium mundi, Ecce iam venit Messias, aliter regnat, quam vos putatis. Factus est victima pro peccatis generis humani, cum a vobis interfectus est. Deinde resuscitato Deus omnia subiecit. Hunc Iesum quem vos crucifixistis, scitote Messiam et salvatorem esse.

Ut autem nunc cum Iudaeis duae nobis praecipuae sunt quaestiones. Altera an Christum oportuerit pati, et non habere mundanum imperium, sed coeleste. Altera, an venerit Messias, et sitne hic ipse Iesus, quem nos praedicamus, crucifixum et resuscitatum esse. Ita duas res agit Petrus, Hunc ipsum Iesum esse Messiam, et quod post interfectionem resuscitatus, regnet.

De prima quaestione. An hic sit Messias?

Quod autem hic sit ipse Messias, probat sic: Quia Deus magnis signis et miraculis testatus est, hunc divinitus missum esse. Secundum testimonium, quia scripturae testantur, Messiam resuscitandum esse. Hic revixit ex morte: ergo hic est Messias. Maiorem probat ex Psalmo: Non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem. Haec sunt dicta de Messia, quia certum est Davidem esse mortuum, et nondum resurrexisse, sed vaticinatum esse de Messia. Quia enim Deus promiserat Davidi quendam de lumbis ipsius habiturum regnum aeternum, inde ratiocinatus est, necessario resurrecturum esse illum secundum carnem. Cum igitur testetur scriptura Messiam resurrecturum esse, et hic resurrexerit: ergo hunc Messiam esse certum est, et nos sumus testes resurrectionis ipsius.

De secundo. Quale sit regnum Messiae? Quod sit regnum coeleste, et quod oportuerit Christum pati, hi ipsi Psalmi probant: Conserva me Domine, quia mihi non bene est propter te. Et Psalmus: Dixit Dominus, idem probat, Messiam habiturum regnum perpetuum, et potentiam divinam ad abolendam mortem et peccatum, et

ad dandam iusticiam et vitam aeternam. Ideo hic dicit: Exaltatus a Deo, Effudit Spiritum sanctum. Tale regnum erit, scilicet liberatio a peccato et morte aeterna, donatio iusticiae et vitae aeternae.

Tertia pars est, de applicatione, sed ante applicationem est doctrina de peccato, et praedicatio poenitentiae. Vide autem, quod peccatum accuset, scilicet, quod non noverint Filium Dei, imo crucifixerint ipsum.

Peccata. Populus contemsit signa Dei et manifesta miracula, non credidit Prophetis aut verbis Christi, interfecit Christum. Haec peccata non iudicat ratio, et tamen omnes sumus rei. Iam hoc tempore quam horribiliter contradicitur verbo Dei? Interficiuntur sancti, et multi consentiunt, etsi manu non interficiunt. Hi omnes sciant se sic reos esse, sicut hic Petrus dicit: Sed liberantur per nomen Iesu credentes.

Psalm. 16.: Conserva me Deus. Argumentum Psalmi initio recitetur, Psalmum principaliter esse vaticinium de Christo passuro et resuscitando, et est insertum discrimen verae Ecclesiae, et synagogae persequentis Christum, titulo Ecclesiae Dei.

Sed dicat aliquis, quare loquitur in prima persona, Conserva me, quasi de se ipso David loqueretur? Respondeo, peculiariter loquitur de Christo, et verba sic intelligenda sunt, quod Christus ipse loquatur, sicut et Psal. 22 : Deus Deus meus, quare me dereliquisti? Et Psal. 50.: Expectans expectavi etc. Et tamen in Christo etiam postea membra complectitur, quae scit propter Christum resuscitanda esse, qui resurgit primus, ut sit autor resurrectionis et vitae aeternae omnib. membris. Quare sicut de Christo dicitur, eum non mansurum in morte, sed resurrecturum esse divina potentia, ita significatur de omnibus membris, quod eorum corpora sint revictura. Ita in aliis Psalmis, cum principaliter vaticinetur de Christo, tamen propter effectum, qui ad membra pertinet, Psalmi etiam ad membra accommodantur, sed tamen prudenter considerandum est, quae proprie Christo soli tribuantur, ut in hoc Psalmo de merito et appellatione passionis Filii Dei, quod sit victima et sacrificium pro aliis, quod de sanctorum afflictionibus non dicitur, quae etsi fiunt sacrificia propter *Christum* fide, id est, cultus Deo accepti, tamen non merentur ipsis aut aliis remissionem peccatorum. Item de Christo solo etiam haec verba dicuntur: Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, ut hic Petrus exponit: Caro eius non vidit corruptionem, ut David, cuius sepulcrum adhuc apud nos est.

Habet Psalmus utilissimam doctrinam. Est testimonium de resurrectione, et nos ipsos confirmare debet, in petitione et expectatione vitae aeternae. Item discrimen Ecclesiae docet, quae sit vera Ecclesia, et confirmat nos, ne moveamur specie et autoritate falsae Ecclesiae. Docet item, ut curemus esse membra verae Ecclesiae, et fugiamus falsam Ecclesiam, non faciamus cum ea conciliationes, quae eorum abusus confirmant. Non recipiam, inquit, libationes eorum, nec sumam nomina eorum in labiis meis. Hic Christus reiicit omnes Missas impiorum, et omnes cultus, damnat eorum Ecclesiam, dicit se nolle eam nominare, id est, nolle vocare eam Ecclesiam suam, nolle pro ea orare. Nihil potest tristius et horribilius dici. Ideo simus cauti, ne stabiliamus eorum impietates. Postremo, totus Psalmus est tanquam promissio, quod Deus velit membra Ecclesiae suae exaudire et liberare a morte aeterna. Ita nos quoque recitemus hunc Psalmum, et adglutinemus nos tanquam membra capiti Christo, qui est primogenitus ex mortuis. Sunt autem quatuor membra Psalmi. 1. Petitio Christi ut servetur, cum expositione Passionis. 2. Applicatio passionis, et repudiatio falsorum cultuum impii coetus. 3. Narratio de resurrectione. 4. Finis resurrectionis, ut Ecclesia collecta, vere agnoscat Deum, et celebret in vita aeterna.

Primus versus est, invocatio et propositio petens liberationem, et addit causam: Quia spero in te, et te Deum meum invoco. Nam hoc significat, quod ait: Dixi Domino, Deus meus es tu, id est, te unum invoco, et statuo esse omnipotentem, liberatorem ex morte, et quidem propicium mihi, volentem exaudire, et salvare confugientes ad te, Hunc tibi honorem tribui vis, quod velis salvare, iuxta tuas promissiones, confugientes ad te.

Querela et narratio passionis, Bonum meum non propter te, seu, non est mihi bene propter te, id est, sum in afflictionibus, et videor etiam a te desertus, sicut clamitat in Psalmo: Deus Deus meus, quare me dereliquisti? Sed clarius est

quod dicit: Affligor propter Te, iuxta illud: Propter te mactamur tota die.

Describitur ergo hoc versu, quae sit causa passionis Christi. Propter te patior, id est, propter tuum arcanum consilium de restituendo genere humano, quod voluisti me fieri victimam. Huic tuae voluntati obtempero, et sustineo horrendas poenas, non propter aliqua mea delicta. Quare cum sis Deus meus, et velis me servare, et colligere tibi aliquam Ecclesiam aeternam, ne sinas me in his aerumnis succumbere, sed confirma et sustenta, et libera me.

Sanctis qui sunt in terra, quasi dicat, Ad hos pertinet haec mea passio, Estque haec applicatio pro Ecclesia, sicut Christus ipse ante passionem suis verbis applicavit: Rogo pro eis, non pro eis tantum, sed pro omnibus qui credituri sunt per verbum eorum. Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas. O dulcem consolationem, hic ostendit Filius Dei se esse pontificem nostrum, et interpellatorem apud Deum. Ita hic applicat: Mea passio servit sanctis et honorandis in terra, his est profutura ad salutem, qui sunt sancti, id est, Deo dicati, Deum invocantes, agnoscentes, colentes, Hi sunt, qui meum Evangelium amplectuntur, hos iudico sanctos et gloriosos, pro his me offero, sicut alias inquit: Ego pro eis sanctifico meipsum, his applico meum sacrificium, hos amo et complector, et pro his rogo. Ita hic declarandum est vocabulum, Sancti. Estque hic ipse articulus in symbolo: Credo Ecclesiam catholicam sanctam, id est, dicatam Deo, vere agnoscentem, colentem et celebrantem Deum, in fide et confessione Filii Dei. Haec etiam est honoranda et gloriosa, quia Deus vicissim eam honore afficit, tribuit ei gloriam, scilicet Spiritum sanctum, et per Spiritum sanctum lucem, iusticiam et vitam sempiternam.

Brevis est versiculus, sèd pulcerrima descriptio Ecclesiae: et hinc sequitur antithesis, quam mox adiungit. Alii non sunt sancti, id est, non sunt dicati Deo, non agnoscentes Deum, non colentes, nec sunt honorandi, id est, carent gloria Dei, non sunt ornati a Deo luce, sapientia, iusticia, vita aeterna.

Multiplicata sunt idola illorum, post quae festinant. Dixit se passum esse pro vera Ecclesia. Hanc nunc discernit ab impiis, qui nolunt verum Deum cognoscere, et persequuntur Christum et patrem. Tradit igitur discrimen falsae et verae Ecclesiae. Sicut autem in descriptione verae Ecclesiae duo bona nominavit, sanctitatem et gloriam: ita in descriptione falsae Ecclesiae nominat duplex malum. Malum culpae, id est, peccata, et malum poenae, videlicet, reiectionem et damnationem. Peccata sunt, falsa Ecclesia excogitat sibi idola, imo multa idola comminiscitur, quaerit alium Deum, et ad hunc festinat, huic confidit, hunc celebrat. Quid est autem idolum colere, aut alium Deum? Multiplex est idololatria. Primum sunt idololatrae, qui hoc fingunt esse Deum, quod non est Deus, sicut Ethnici statuas suas, Iovem, Martem, Iunonem, sic etiam Papistae sanctos putant esse Deos, invocant eos tanquam sint omnipotentes, tanquam videant motus omnium cordium. Haec adhuc est manifesta idololatria: et ad hunc gradum pertinent Athei seu Epicurei blasphemi, qui sentiunt prorsus nihil esse Deum, aut non curare humana dicunt, quales sunt plurimi Pontifices et Canonici, et alii Epicurei, qui cogitant Evangelium esse fabulam.

Pertinent etiam huc, qui negant Christum esse Deum, ut Iudaei et Ariani negant Filium Dei crucifixum et resuscitatum, esse Deum. Hi omnes non colunt et invocant verum Deum, imo nullum Deum habent, quia hunc solum et unicum Deum non norunt nec invocant, qui est pater Domini nostri Iesu Christi, de quo dixit: Hic est Filius meus dilectus, quo delector, Hunc audite. Sic vult agnosci et invocari, sicut se ipse patefecit, quod sit pater huius Filii, qui est eius coaeterna imago, et quod propter hunc velit credentes et invocantes recipere, et dare vitam aeternam. Sicut Iohan. 17. dicitur: Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum esse verum Deum, et quem misisti Iesum, esse Christum.

Secundus gradus est obscurior, sed superiori cognatus. Idololatria est colere Deum sine verbo ipsius, excogitatis propriis cultibus, et confidere his cultibus, quod propter eos Deus exaudiat et benefaciat. Sicut olim Iudaei excogitabant varios cultus, et fiduciam horum cultuum habebant: ita nunc Papistae colunt Deum, cultu Missae, votis, Monachatu. Hae res, Missa, Monachatus, sunt vera idola, quia scriptum est: Frustra colunt me mandatis hominum. Item, honos qui debetur Christo, scilicet, fiducia mediatoris, transfertur in Missam, in vota, in mortuos sanctos, et similes res.

De talibus cultibus concionatur Ieremias 7.: Haec est gens quae non audivit vocem Domini Dei sui, neque recepit disciplinam, periit fides, et ablata est de ore eorum, dedicaverunt excelsa Tophet. Dicit sacella passim condidisse, instituisse cultus sine mandato Dei, sicut tunc etiam liberos immolabant et interficiebant. Et sicut in mundo manent alia peccata contra secundam tabulam, ita multo magis manent omnibus aetatibus, omnibus temporibus peccata contra primam tabulam. Nam diabolus maxime conatur homines avertere a Deo, falsis opinionibus et cultibus.

Synagoga tempore Christi non habebat statuas, et tamen erat idololatrica, negabat Christum esse Filium Dei, et falsa fiducia servabat ceremonias, partim traditas in lege, partim excogitatas ab hominibus. Hi cultus eorum erant idola, quibus confidebant ignorantes Evangelium, Christum et veram invocationem, quae fit fiducia misericordiae promissae propter Christum.

Iam hoc tempore multo maior est idololatria, Papistae persequuntur Evangelium et vocem Christi, negant Christum esse mediatorem, et finxerunt sibi suos cultus falsos, Missam, Monachatus, satisfactionem, invocationem sanctorum. Haec omnia praedicant esse iusticiam, merita remissionis peccatorum, et applicant aliis. Haec sunt idololatrica, quia sunt contumeliosa in Christum, item, sunt recepta sine verbo Dei. Item fiducia quae Deo debetur, collocatur in has res. Ideo haec vere sunt idola, de quibus hic dicit: Post haec festinant, significans magnam esse multitudinem, magnos concursus, magnum et ardens studium impiorum et idololatricorum cultuum in mundo, ut nunc etiam videmus. Quantum est Missarum, quantum Monachatuum, quam varii cultus Sanctorum? quanta est veneratio talium rerum, quantis sumtibus Missae, monasteria et templa constant. In summa, Papistae colunt Deum suum Maozim auro et argento, sicut Daniel inquit. Sequitur altera pars de poena.

Nec recipiam libationes eorum de sanguine. Nec memor ero nominum eorum labiis meis.

Haec est horribilis reiectio omnium idololatrarum persequentium Christum, quicunque sunt, Iudaei aut Papistae. Aperte negat eos esse Ecclesiam Dei, negat eos habere sacrificia, negat Christus se velle pro illis orare, reiicit et damnat totum illud agmen idololatricum, sed mundus non intelligit hanc damnationem, imo quia Pontifices, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Reges, Principes tribuunt sibi titulum Ecclesiae: item, quia gloriantur Episcopi de ordinaria successione, hos veneratur, putat esse veram Ecclesiam, cum sit persecutrix Christi et idololatrica. Quid contra haec dicendum est? Primum conscientia confirmanda est, ne moveamur titulo, autoritate, multitudine, ut illos coetus Episcoporum putemus esse Ecclesiam, aut propter eos deficiamus a verbo Dei, sed sciamus aliam esse Ecclesiam veram sanctorum, scilicet, qui verbum Dei amplectuntur, et recte docent. Huius verae Ecclesiae nos membra esse sciamus, etiamsi sumus abiecti extra illas congregationes Pontificum et Episcoporum, sicut Christus inquit: Eiicient vos extra synagogas. Difficile est sustinere hunc titulum, quod non simus membra Ecclesiae, sed opponamus has consolationes. Hic dicit Christus, persecutores non esse Ecclesiam. Et Paulus inquit: Si angelus de coelo aliud Evangelium praedicet, anathema sit. Hic Paulus egregie nos consolatur, et enarrat hanc vocem Psalmi: Non ero memor eorum. Cum enim vocat anathemata, significat persecutores Christi, reiectos et damnatos esse a Deo. Ergo non sunt Ecclesia.

Secundo discas, omnes eorum cultus, Missas, Monachatus, satisfactiones, cultus sanctorum, esse damnatos cultus, et fugiendos.

Non relinques me in inferno.

Tertia pars Psalmi est enarratio de liberatione ex morte, et resurrectione. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem, id est, ne quidem caro mea delebitur, sed ostendis mihi vias vitae, id est, vivificas, et resuscitas ex morte, etiam corpus. Sed hic de Christo peculiariter dicitur illud: Non videbo corruptionem. Nam reliquorum sanctorum corpora, etiamsi non manent in perpetua corruptione, sed propter Christum resuscitabuntur, tamen prius dissipantur in aërem, sicut dicitur: Omnes immutabimur. Sed Christi caro, etiamsi in sepulcro quieverit, tamen non potuit corrumpi, quia ne in morte quidem divina natura a corpore eius discessit, quare oportuit statim incorruptum, seu integrum resuscitari, ut revivisceret totus, etiam cum corpore, quod tamen transfodi in cruce, et expirare, ac sepeliri oportuit, ut sciretur vere mortuum. Sic Petrus haec verba enarrat: Quem Deus suscitavit, solutis

doloribus mortis, iuxta quod impossibile erat teneri eum ab illa.

Reliqui versus Psalmi de fine et effectu rursus concionantur. Ideo sustineo passionem et mortem, ut resuscitatus colligam aeternam Ecclesiam, quae fruatur perpetuo conspectu et consuetudine tua, cum uberrima laetitia et aeterno gaudio.

Ultima pars concionis Petri est applicatio beneficii Christi. Sed prius accusat auditorum peccata, et concionatur de poenitentia. Postea addit de remissione peccatorum, hanc dicit fide propter Christum contingere credentibus, et simul donari Spiritum sanctum, et haec beneficia ita nobis applicari, si audientes Evangelii vocem de Christo, credamus, et baptizemur in nomine Christi.

De Coena Domini,

1. Corinth. 11.

Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, et gratias agens, fregit, et dixit: Accipite et manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens: Hic calix novum testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec veniat. Itaque quicunque manducaverit panem hunc, et biberit calicem Domini indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane edat, et de calice bibat. Qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi et imbecilles et dormiunt multi. Quod si nosipsos diiudicaremus, non utique diiudicaremur. Dum iudicamur autem, a Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

Gravis comminatio est, in qua Paulus dupliciter puniri ait abusum sacramenti, ira Dei et corporalibus poenis. Sic enim ait: Reus erit corporis et sanguinis Domini. Item: Iudicium sibi manducat. Accersit sibi poenam manducando duplicem, scilicet perpetuam, et calamitates huius vitae. Ideo, inquit, inter vos multi sunt aegroti, et multi moriuntur.

Erant adhuc non maximi abusus, Nondum tanti erant, quanti nunc sunt. Sacrificuli impii, impuri, celebrant Missas, vendunt, partem sacramenti populo adimunt, non docent de pio usu. Populus accedit, ignarus ad quid sit utendum sacramento, nihil audivit de doctrina fidei, putat hoc opere se mereri remissionem peccatorum. Circumgestatur pars sacramenti, spectatur, et adoratur, et dantur indulgentiae spectantibus, ut confirmetur vana fiducia spectationis, quod sit opus meritorium etc.

Hi et alii multi abusus horrendi, quibus prophanatur hoc sacramentum postrema mundi aetate, non leves poenas merentur, bella, dissidia et alias publicas calamitates. Credo etiam Turcicos successus praecipue permitti a Deo, propter huius sacramenti prophanationem multiplicem, quam semper pii in Ecclesia deploraverunt.

Dicunt S. Antonium habuisse visionem de postremo tempore Ecclesiae, ubi inter caetera est imago, quod viderit stantes porcos ad aras, et celebrare Missas. An non respondet res ipsa huic visioni? Postrema aetas mundi habet Episcopos, Canonicos, Sacrificulos, Monachos, qui Missam in quaestum contulerunt, et ut porci ventri serviunt, propter ventrem et opes celebrant.

Dicitur et S. Brigittae species Christi apparuisse, flagris lacerati et cruore stillantis, exterrita Brigitta, interrogavit, quid significaret haec species? respondit visio, Christum sic lacerari abusu Missarum.

Hae historiae quoquo modo se habent, tamen significant sanctos deplorasse abusum sacramenti, etiamsi fortassis tecte hoc significarunt talibus historiis, et non licuit eis aperte dicere quod cupiebant.

Haec sum praefatus, ut cogitetur de vero usu sacramenti et fugiantur abusus. Vocatur autem verus usus tantum is, qui est in verbo Dei traditus. Abusus est omnis pompa extra verbum Dei.

I.

Dicam igitur primum pauca de vero usu Sacramenti. Multi de sacramentis, ut de Baptismo et Coena Domini habent civiles et humanas opi-

niones, cogitant hos ritus institutos esse, tantum ut coram hominibus discernant eos qui vocantur Christiani a Iudaeis et aliis gentibus, sicut cuculli discernunt Monachos a caeteris, aut putant coenam Domini esse signum mutuae benevolentiae, quia convivia apud omnes gentes sunt signa amiciciae. Hae sunt humanae cogitationes, quae non recte de sacramentis iudicant.

II.

Papistae aliam habent imaginationem, quod sint opera per quae meremur nobis et aliis remissionem peccatorum. Haec opinio etiam est ethnica, sic de ceremoniis suis sentiebant Ethnici.

III.

Quis est igitur verus usus? Dicam breviter: Sacramenta sunt signa, non tantum discernentia Christianos coram hominibus, sed multo magis signa voluntatis Dei erga nos, videlicet, promissae gratiae.

Deus ab initio, cum dedit promissionem Abrahae, addidit signum. Sic cum dedit verbum Mosi, addidit signa quaedam, sic cum Evangelium sparsit inter gentes, addidit signa, Baptismum et Coenam Domini: quia voluntas Dei recipientis nos, non potest cognosci, nisi per suum verbum, et signa ab ipso tradita. Vult enim addere signa verbo, ut verbum sit illustrius.

Et rem eandem significant verbum et sacramentum, sicut Augustinus inquit: Sacramentum est verbum visibile, id est, res eadem significatur voce, et gestu. Vox auribus, gestus oculis percipitur. Ut in Baptismo, verbis datur remissio peccatorum, gestu fit ablutio.

Sic de coena Domini, verbis admonemur Christum pro nobis esse passum, ipsius sanguinem pro nobis fusum. Gestus idem admonet, nos fieri membra corporis Christi, et nobis dari sanguinem, quo abluti sumus.

IIII.

Quomodo igitur utendem est? Sicut docet Christus: Accipite, manducate, bibite, facite ad mei recordationem. Nec est cogitandum, quod sit tantum civile spectaculum, nec cogitandum est, quod hoc opere merearis remissionem peccatorum, sed scire debes, quod sit res proposita, quae admoneat te de promissione Evangelii, et passione Christi, et quod fide propter Christum accipias remissionem, non propter hanc tuam sumtionem, sed haec sumtio est testimonium, quod Christus velit tibi et singulis applicari suum beneficium. Cum sumis, ideo sumes, cogites: Ecce ad te pertinet beneficium Christi. Id testatur hac ceremonia, in qua se tibi applicat.

V.

Illi igitur sunt idonei ad hoc Sacramentum, qui agunt poenitentiam (sicut hic dicitur: Si nos iudicaremus, non iudicaremur a Domino) et agentes poenitentiam, credunt sibi ignosci propter Christum. Haec fides exuscitatur, cum hoc testimonium cogitamus, quod velit Christus singulis applicari suum beneficium.

Magna igitur consolatio est in hac sumtione. Scias sumtionem institutam esse, ut fides excitetur, et singuli credamus ad nos ipsos pertinere beneficium Christi.

Hic est igitur verus usus, cum agentes poenitentiam hac fide sumimus, et nos consolamur, ac rursus gratias agimus Deo pro donato Filio, pro data salute.

Haec est recordatio, de qua Christus dicit: Facite ad mei recordationem. Significat enim recordatio, non historiae tantum cogitationem, sed fidem et gratiarum actionem, Fides accipit beneficium, Gratiarum actio vicissim praedicat Deum. Et semper cum hac ceremonia debebat fieri praedicatio. Sic etiam vetus Ecclesia hunc morem servabat, quae nullas habuit privatas Missas.

Exposui verum usum, scilicet, sumtionem agentis poenitentiam, et credentis sibi remitti peccata propter Christum, et hac sumtione se admonentis, quod Evangelium ad singulos pertineat. In hoc vero usu scimus sacramentum esse sacramentum, et dari nobis corpus et sanguinem Christi.

De alio usu sine sumtione, scilicet de circumgestatione, nihil dicit scriptura: debet autem in sacramentis esse certitudo. Ideo discamus recte uti sacramento, et in vero usu exercere fidem, et alios abusus extra verbum fugiamus: nec dubitemus, Deus puniet hos ingentes abusus huius sacramenti. Et timeo Turcam esse flagellum praecipue ad hos abusus puniendos. Sed nos oremus Deum, ut mitiget poenas propter suam

Ecclesiam et institutionem puericiae, ad suam laudem parcat nobis, sicut Ninivitis pepercit. Sed nos etiam agamus poenitentiam, ut Ninivitae. Deus propter Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum misereatur nostri, et det nobis Spiritum sanctum suum.

In Evangelium de divite epulone et Lazaro,

Lucae 16.

Hoc Evangelium continet multos insignes locos, qui omnes explicari in una concione non possunt. Et de aliquibus postea dicam, prius summam exponam. Toto haec narratio est imago Ecclesiae, consolatio afflictorum, et obiurgatio impiorum, qui negligunt vel Ecclesiam, vel membra Ecclesiae, quae habent opus auxilio.

Ut enim hic Lazarus iacet ad divitis vestibulum, et a divite negligitur, sic semper iu mundo ut plurimum iacet Ecclesia afflicta et spreta coram regibus, principibus, pontificibus, sacerdotibus. Sic iacebat Christus et Apostoli coram principibus synagogae, sic iacebant Israëlitae coram Pharaone, sic iacebant Ecclesiae toto orbe terrarum coram imperatoribus, Diocletiano, Maxentio, et aliis. Sic nunc iacet Ecclesia vera coram Pontifice Romano, Episcopis et Principibus.

Nos et alii pii, sub aliis regibus et principibus in tota Europa, clamamus ad Pontifices, Episcopos et Reges, ut curent recte doceri, iuvent pios ministros, defendant confitentes, non patiantur interfici. Item, iuvent pauperes sacerdotes et alios, constituant scholas, conservent doctrinam. Haec non audiunt pontifices et reges, putant se esse Ecclesiam, nec tamen faciunt officium suum, sed sunt divites, epulantes splendide, id est, curantes suas opes, splendorem, pompas, non facientes officium. Quia Christus hic non reprehendit divitias, sed addit, voluptatibus indulgens quotidie splendide, ut ostendat, qualis sit ille dives, scilicet quaerens voluptates et splendorem.

Vide quaeso, quid nunc aliud quaerunt Episcopi, nisi voluptates et splendorem? Haec quaerentes impossibile est facere officium. Nam hic non dicit tantum epulans, sed delicians, quod complectitur omnes voluptates. Dixi quales personae significentur, scilicet potentes, et Ecclesia. Secundo observetur, quod Christus consolatur Ecclesiam et omnes pios qui sunt in aerumnis.

Ratio et lex iudicant ex eventu. Hic est miser: ergo negligitur. Sic semper ratio humana, dum in suis tenebris manet, iudicat. Sed Evangelium docet, quod aerumnae non sint signa irae Dei, imo docet nos ideo affligi, ut redeamus ad Deum, et pios aerumnosos maxime curae esse Deo. Sed haec est mira, et solius Ecclesiae sapientia, quae intelligit Deum curare, respicere, exaudire afflictos, et mirabili quodam consilio velle sanctos affligi. Sicut ab initio mundi sancti sunt afflicti. Abel interfectus, Prophetae, Christus, Apostoli, denique omnes pii sunt excruciati variis et ingentibus aerumnis.

Ita hic docet Christus, hunc Lazarum Deo curae esse, et consolatur nos, ut sciamus nos propter aerumnas non proiectos esse a Deo. Et gerit nomen hic, Lazarus, quo admonet et illum et nos, quod sit Deo curae, quia Lazarus est, Eleasar, quasi dicas, Deus adiutor, Gotthelff. Talis est Ecclesia, hanc nemo adiuvat, sed dicitur Lazarus, Gotthelff, Solus Deus eam respicit, exaudit, adiuvat, salvat. Imo sola Ecclesia Christi agnoscit Deum esse Deum talem, qui non abiicit afflictos, qui exaudit et respicit in aerumnis, recipit et vult servare, vel in hac vita, vel certe post hanc vitam, propter Christum. Ideo clamitant Psalmi: Qui sanat contritos corde. Item: Allevat dominus omnes qui corruunt, erigit omnes elisos. Item: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Hic docet, hanc invocationem esse summum cultum.

Ergo quandocunque sumus in afflictionibus, discamus nos hac doctrina Evangelii consolari, et excitemus nos ad invocationem: haec est militia sanctorum, stare in hac fide, et expectare auxilium, sicut Moises dicit: Nolite timere, state, et videbitis magnalia Domini. Nunc etiam sumus Lazari, iacemus ad pedes pontificum et regum, petimus pacem, precamur ne Evangelium conculcetur, sed illi manent epulones. Nos igitur videamus ne deficiamus, sed simus Lazari, expectantes auxilium a Deo.

Sed redeo ad textum. Hic Lazarus curae est Deo, mittuntur angeli ad eum cum moritur, in vito habet caniculam lingentem. Ita Ecclesia

habet custodes angelos, et canes lingentes, id est, quosdam de populo, qui quantum possunt eam curant mediocribus officiis. Dictum est breviter de consolatione Lazari, quo exemplo discamus et nos consolari.

Tertius locus est gravis comminatio de poenis impiorum. Dives rapitur in infernum, et excruciatur intolerabili et aeterno cruciatu. Sic dicit Christus de suo iudicio: Sitivi, et non dedisti mihi potum. Nihil dubitent tyranni, quin Deus eorum asperitatem, quam contra Ecclesiam iam exercent, puniturus sit, et singuli videant, ut curent membra Ecclesiae, ne similiter puniantur.

Haec breviter est summa Evangelii, imago Ecclesiae, petentis a potentibus auxilium et defensionem. Sed Ecclesia manet Lazarus, neminem habet auxiliatorem nisi Deum. Et hic est potens auxiliator, non obliviscitur Ecclesiae, ut Psalmo 9. et 10. dicitur: Non oblivisceris pauperum. Item: Pupillo tu es adiutor. Reliquae sunt disputationes in hoc textu de sinu Abrahae, et de verbo Vocali, seu de scriptura.

De sinu Abrahae.

Sinus Abrahae significat beatitudinem promissam verbo dato Abrahae, de benedictione in semine. Haec promissio in Evangelio facta est illustrior, quod clare dicit: Haac est voluntas patris, ut omnis qui credit in Filium, habeat vitam aeternam. Sicut autem nos discedentes, debemus fide huius promissionis propter Christum factae, nos sustentare, et hac fide ingredimur in vitam et laetitiam aeternam. Ita tunc sancti discedentes sustentabant se verbo Abrahae, et sustentantes se hac fide, ingrediebantur in vitam et laetitiam sempiternam. Vocatur ergo beatitudo sinus Abrahae, quia est benedictio promissa Abrahae propter semen, scilicet Christum.

Haec scire de sinu Abrahae satis est, et omittendae sunt phantasiae de limbo patrum. Patres eadem fide salvabantur, qua Apostoli et nos. Et beatitudo est vita et agnitio Dei, sapientia, iusticia, et laetitia quaedam perpetua; quae non potest enarrari prae magnitudine, sed fide gustus aliquis in nobis incoari debet. De quo gustu ait Paulus: Iustificati fide pacem habemus erga Deum.

De scriptura.

Habent Moisen et Prophetas.

Hoc testimonium est utile, et confirmat pios multipliciter, quod non sunt quaerendae revelationes aut illuminationes praeter scripturam. Sed quod vere haec sit voluntas Dei, quae est in scripturis proposita. Sic vult exaudire, salvare, sicut tibi haec verba Evangelii scripta promittunt. Ideo Anabaptistae damnantur quaerentes alias illuminationes omisso verbo.

De angelis conciuncula.

Ad Ebraeos primo scribitur: Sunt ministri spiritus ad ministerium missi, propter eos qui sunt haeredes futuri. Hic locus duo docet. Primum quae sit substantia angelorum, Deinde quod sit officium. Substantia est spiritualis, quia vocat eos spiritus. Discernit autem scriptura spiritus a corporibus, cum inquit: Spiritus carnem et ossa non habent.

Sunt autem duplices spiritus, Boni et mali. Mali non sunt conditi in malicia, sed a Deo creati sunt sine vitio. Postea vero defecerunt, sicut inquit Christus: Mendacium ex propriis loquitur, ergo non accepit a Deo. Item, Epistolae Petri et Iudae testantur angelos defecisse, et propter peccatum damnatos esse. Et Epistola Iudae diserte inquit, Angelos non conservasse suam originem, id est, non mansisse tales, quales conditi sunt.

De officio angelorum.

Epistola ad Ebraeos vocat eos ministros spiritus, et addit, propter eos, qui sunt futuri haeredes. Haec sententia testatur angelos occupatos esse cura Ecclesiae defendendae. Sic autem cogitemus, sicut revera ad hunc modum se habet Ecclesia. Ecclesiam velut civitatem, ab una parte diaboli obsident et oppugnant acerrime, ab altera defendunt, et propugnant angeli. Nam Paulus vocat diabolos spiritus aëris. Versantur igitur utrique boni et mali spiritus cum hominibus.

Ut autem officia bonorum angelorum agnosci possint, primum consideremus quam saevum hostem habeamus. Describitur autem diabolus quod sit mendax et homicida. Mendax est, id est, immani quodam odio Dei conatur summis viribus deformare gloriam Dei. Ideo incitat homines ad impias opiniones de Deo, et ad blasphe-

mias, et efficit, ut hae propagentur, sicut Paulus inquit: Tenet captivas mentes hominum. Inde nomen habet diaboli, quia calumniatur verbum Dei, et serit impias opiniones. Sicut statim initio apud Evam calumniatus est verbum Dei, et extenuavit eius autoritatem, et exemit Evae reverentiam erga verbum Dei. Excitat igitur in Ecclesia, et auget falsa dogmata et haereses.

Deinde homicida est, id est, molitur hominibus: quia enim summa est acerbitas odii ipsius adversus Deum, ideo conatur nocere hominibus ac praesertim Ecclesiae, ut expleat odium suum adversus Deum. Molitur exitium privatae vitae, affligit valetudinem, inficit aërem, excitat malas tempestates, adfert morbos, pestilentias, corrumpit res nascentes, impellit ad flagitia, pertrahit in prava sodalitia. Deinde etiam in vita politica nocet, excitat crudelitatem adversus Ecclesiam, excitat tyrannos, ut dilacerent Respub. ut saeviant in innocentes, ut moveant non necessaria bella: inflammat inquieta ingenia ad movendas seditiones, et turbandas Respublicas.

Econtra bonorum angelorum officia sunt. Primum veraces sunt, hoc est, amant gloriam Dei, et veram doctrinam: ideo promovent pia studia, et reprimunt diabolum, et impios serenses mala dogmata, sicut interfecerunt Cerinthum. Item sunt ministri ad revelationes, sicut Gabriel mittitur ad virginem Mariam. Item orant pro Ecclesia, iuxta illud: Angeli eorum vident faciem patris mei etc.

Deinde sunt custodes Ecclesiae. Primum impediunt tyrannos, et consilia persecutionis contra Ecclesiam, sicut testantur multae historiae, Elisaeus inquit, plures sunt nobiscum. Idem testatur historia Ezechiae. Item angelus educit Petrum ex carcere. Item defendunt pacem publicam, impediunt consilia eorum, qui movere bella conantur, sicut apud Danielem angelus inquit, se propugnasse regem Persarum. Item apud Danielem vocantur vigiles in arbore, quae significat regnum. Excubant igitur pro regno.

Privatim defendunt vitam, sicut et Christus testatur, pueris esse additos angelos custodes, cum inquit: Angeli eorum vident faciem patris. Et huius officii multa sunt exempla, ut in historia Iacob, Tobiae, Epiphanii. Item in puero Cygneo, et multis aliis.

Vicissim autem discamus quid a nobis requirant angeli, videlicet gratitudinem. Haec est autem vera gratitudo, ut ipsorum virtutes imitemur, hoc est, ut simus veraces, id est, ut agnoscamus nos Deo curae esse, Agnoscámus nobis tales custodes esse additos, et agamus *Deo* gratias pro hoc ingenti beneficio.

Deinde angelorum exemplo simus nos quoque φιλόστοργοι, temperantes, casti etc. Et ut retineamus angelos nobiscum, invitemus eos nostra pietate et bonis moribus.

Finis.

PHIL. MEL. ANNOTATIONES IN EVANGELIUM MATTHAEI.

PRAEMONENDA.

Evangelium Matthaei Melanthon enarravit in schola Witebergensi anno 1519 exeunte et 1520 ineunte, de qua enarratione *Lutherus* (T. I. Epp. p. 124. — in Epp. Lutheri a *de Wettio* editis Tom. I. p. 380.) d. 18. Decb. 1519 scripsit: „Doleo me non posse vel omnes fratres ad lectionem theol. Philippi in Matthaeum hora sexta matutina mittere. Superat iste Graeculus me quoque in ipsa Theologia." Ipse autem Melanthon in epist. ad Ioann. Hessum (d. 27. April 1520, vid. supra Vol. I. p. 158.) aliter indicavit de sua enarratione. Scripsit enim: „Matthaeum nondum absolvi. Nec est, quod annotationes seu scholia nostra desideres. Brevius aequo tractavimus Evangelistam magis παροιμιαζόμενοι ac praeludentes justae enarrationi." — Illum vero in animo habuisse hanc enarrationem in lucem edere, ipse professus est in ep. ad *Schwebelium* d. 11. Decb. 1529 (Vol. I. p. 128.), dum scribit: „Idem nunc in Matthaeum agimus, et forte Commentarios in Matthaeum publicabimus." Quod autem postea non fecit. At inscio Melanthone a. 1523 bibliopola haec scholia, a quibusdam studiosis calamo excepta, in lucem edidit, sic inscripta:

In Evangelium Matthaei annotationes Phil. Melanth. (sine loco). Mense Maio 1523. 8. $5^1/_2$ pl.

Librarius nomen suum non professus est. — Idem liber, auctus scholiis in historiam passionis, quae vero Melanthonem non habuerunt auctorem, ut librarius ipse professus est, prodiit eodem anno:

Annotationes Phil. Mel. in Evangelium Matthaei, iam recens in gratiam studiosorum editae. Hagenoae per Io. *Secerium* 1523. mense Novb. (8. $7^1/_2$ pl.)

Iterum: Annotationes Phil. Mel. in Evangelium Matthaei inque historiam passionis domini. Argentorati, mense Decb. anno 1523. 8.

Porro: Annotationes Phil. Mel. in Evangelium Matthaei in usum proficientium in Christo in lucem editae. Excudebatur anno M.D.XXIII. mense Decb. 8. — (Extat in bibliotheca Gymnasii Gothani.)

Recusae in operibus Melanth. Basileens. Tom. I. p. 131.

Denique: In Evang. Matth. inque passionem domini Philippi Mel. annotationes. Item in eundem Evangelistam et in Lucam eruditi cuiusdam brevia quidem sed docta scholia cum praef. Melanth. Haganoae per Io. *Secerium* 1526. 8. — Recusus est liber ibid. 1531. 8. $19^1/_4$ pl. — (Hunc librum non vidimus.)

Strobelius in libello: Von Melanchthons Verdiensten um die heilige Schrift p. 72., commemoravit, haec Melanthonis Scholia in Italia quoque recusa esse, mutato paululum Melanthonis nomine in *Hippophilum Melangaeum*, et *Danielem Gerdesium* in suo libro: „Specimen Italiae Reformatae" scripsisse: „Extat in hunc usque diem in Indice librorum prohibitorum *Hippophili Melangaei commentarius in Evangelium Matthaei*, inter libros prohibitos, unde colligimus, etiam sub hac larva illum Melanchthonis librum in Italiam esse delatum."

Reimannus in Catalogo bibl. Theol. p. 323. de hoc libello Mel. hoc tulit iudicium: „est opusculum ex ore Auctoris exceptum, interpolatum, non expolitum, nec ad coronidem deductum, sola editionis et antiquitate et raritate commendandum." (Vid. Strobel. l. l. p. 67.)

Nos, qui libellum in manibus habuimus et legimus, iudicium Reimanni utique comprobamus. Est opusculum, ex manuscriptis quorundam studiosorum, parum doctorum, compilatum. Stylus a Melanthonis elegantia et perspicuitate saepe alienus, neque discipuli ubique Magistri dicta recte intellexisse videntur. Quanquam igitur *Hervagius* has „annotationes in Matthaeum operibus Melanthonis Basileae editis inseruit, nos tamen hunc libellum non potuimus habere satis fide dignum et genuina dicta Melanthonis referentem. Neque *Peucerus*, gener Melanthonis, potuit a se impetrare, ut hunc libellum operibus Melanthonis Witebergae editis insereret.

Ut vero Lectores ipsi aliquo modo iudicare de libello possent, partem eius, ut exemplo sit, hic dare voluimus, nempe scholia integra in caput secundum et tertium Matthaei.

(EXCERPTA EX ANNOTATIONIBUS PHIL. MEL. IN EVANGELIUM MATTHAEI.)

Caput II.

Cum natus esset Iesus in Bethlehem, civitate Iudae etc.

Primum Magis, hoc est Persis sapientibus, sive sacerdotibus ostendit Deus salvatorem, quo significaret, etiam Christum in gentes natum esse. Atque ut antea Evangelista, quid Christus venerit docuit, ita modo adumbrat vocationem nostram. Primum stella oritur, hoc est, lux quaedam coelestis, quae cum in tenebras inciderit, nos nobis ante oculos ponit, et siti quadam divinae misericordiae afficit, anxiis suspiriis animorum, quae vere Deum sitiunt, quaerunt, ubinam sit Christus salvator, qui natus est rex Judaeorem, avocat nos de creaturis lux, ut quid ex eis solatii capiamus. Et ita nos nobis ostendit, ut captus tamen naturae non videat, quod ad deum iter sit, per obscura quaedam, et semper contra naturae affectus, consiliaque ducit spiritus, nec sentimus nos nisi vitia nostra, adeoque non videtur reconciliari deus, ut magis irritari putetur deus. Haec pugna spiritus et naturae nostrae, primum frangit et humiliat, Quod carni iucundum, suave, bonum, verum visum est, hoc marcescit, invisum, malum mendax fit, donec adeo pura fiat mens hominis, ut nihil praeter anxium desiderium dei in ea relinquatur, et cum propheta dicat: Omne desiderium meum aute te, item: Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum etc. Affectus ille hic incipit, et absolvitur morte, nullum ad deum est iter, praeter haec anxia suspiria. Docemur itaque ex quo pendere nos oporteat, Christum natum esse in Bethlehem, hoc est, perveniri ad deum non nisi per Christum natum in Bethlehem. Ad hunc, quandoquidem natus est in Bethlehem, hoc est, natus in infirmitate carnis nostrae, confugiendum est.

Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaqum minima es etc.

Micheae 5. Et tu Bethlehem Euphrata parvulus es in millibus Iuda, quae lectio plane diversa est ab Evangelistae lectione. Sed hic sententiam magis quam verba retulit. Nam si legas apud prophetam, per interrogationem admirationis notam, Tune Bethlehem? quasi dicat, certe non. Quare non? Quoniam ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israel. Hanc emphasim reddidit Evangelista, addita negatione, quia hoc iam impletum erat, quod antea propheta praedixit. Caeterum parvula est Bethlehem specie, spiritu magna, perinde ut Ecclesia in speciem contempta, spiritu inclyta. Quo sensu et propheta parvam dixit, Evangelista vero revelato iam mysterio, magnam.

Ut et ego veniam et adorem illum.

Exemplum impietatis proditum est. Sic solemus pietatis speciem omnibus nostris cupidita-

tibus praetexere, et fere nemo est, cui non idoli vice deus colatur. Praecipue tamen Herodes agunt ii, qui specie pietatis sua quaerunt, qui in Ecclesia tyrannidi suae nomen Christi praetexunt.

Oraculo admoniti.

Est argumentum spei et fidei, ubi solitudo dei pro suis commemoratur, ut Paulus etiam Ro. 8.: Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Qui fieri potest, ut non cum eodem omnia nobis donet?

Ecce angelus domini apparet in somniis Ioseph etc.

Et hic locus impietatis argumentum est, quod Christus Iudaeam, quae speciem pietatis prae se ferebat, deseruit, et vitiosam Aegyptum sanctificavit. Id quod eo pertinet, ut intelligamus Christum venisse, ut peccatores salvos faceret. Deinde sententiam Prophetae Osee non frustra producit. Nam et illic apud Oseam, non tam de Christo, quam de toto fideli populo legitur.

OBITER EXCERPTA in Caput tertium.

Christus fugit Iudaeam, i. [id est] exteriorem cultum et speciem, ut sanctificaret Aegyptum, i. ut qui se peccatores et humiles ostenderent, salvaret. Christum ex Aegypto vocari, est simul universum mundum ex Aegypti vitiis vocari, ut intelligamus, Christum venisse in terras, iustificandi nostri gratia. Bethlehem, id est, domus panis. Magi Persae sacerdotes. Stella est dei nostri gratia, quae in nos per deum funditur. Bethlehem vicus non procul ab Hierosolyma. Herodes vir fuit flagitiosissimus, qui aliquando proprios filios suos nece tyrannidis interemit, Ex quo Augustus proverbii locum sumebat, se malle eius esse porcum quam filium. Cum autem vidissent stellam. Creditur ibi quendam fuisse angelum. Herodes omnes bimulos, aut minores interficere iusserat. Vox in Rama, id est in excelso. Rachel pro Bethlehem usurpatur.

Allegorice sic interpretantur munera:

Per aurum, syncerum et purum spiritum.
Per thus, flagrantem in deum spiritum,
Per myrrham, vehementem et ardentissimum in dei gloriam spiritum.

Caput III.

In Christi natali et infantia paucis tractatum est, cur genitus sit, quo modo nos vocemus stella duce, hoc est renascamur Christo, et prima rudimenta esse vitae Christi pati adversitates et exilia. Nunc autem aetas maturior prosequenda est, inserimur Christo per poenitentiam et baptismum. Proinde de poenitentia et baptismo paulo pluribus agendum videtur.

Poenitentia est innovatio vitae in Christum, quae innovatio est peccatorum conversio. Fit autem conversio peccatoris in hunc modum. Spiritum gratiae transfundit deus in animam peccatoris, qui per verbum dei repressis primum peccati affectibus terretur, affligitur, cruciatur, anxius fit pro peccato suo, adeo ut sitiat spiritum iustificantem, ibi non est peccatori perfugium neque quies nisi Christus, in quem si peccatum reiecerit, per fidem aboletur. Duplex est ergo gratiae opus, primum humiliare, proximum tranquillare, erigere, gubernare. Primum opus facit gratia per verbum legis, secundum per verbum Christi. Horror et agnitio peccati ex lege est, Absolutio peccatorum per Evangelium. Primum gratiae opus significatur cum dicitur, convertimini: proximum, et ego convertar ad vos. Primum opus fit per verbum Ioannis, proximum per verbum Christi. Ioannes terret, ut vehementius desideretur Christus. Eadem ergo poenitentia est Ioannis et Christi, opera autem gratiae diversa. Deus terret per verbum Ioannis, hoc est legis, et simul impellit ad desiderium gratiae, Christus medetur, alioqui lex sine gratia aut non afficit nos, aut ita terret ut desperemus, ac invisus nobis fiat deus. Gratia vero primum humilem, desertum, aridum, sitibundum reddit animum, deinde serenat. Propterea Ioannis contio vides quam aspera sit, et plena minarum. Ob id sacri scriptores baptismum Ioannis non habuisse remissionem peccatorum dicunt. Solius enim Christi est condonare peccata, tranquillare conscientiam. Ioannis baptismus non conferebat gratiam, confert autem Christi baptismus. Prophetae ubicunque gratiam commendant, prius iram et iudicium dei indicant, ita hic Ioannes inquit: securis ad radicem posita est.

Ipse vos baptizabit.

Christum baptizare spiritu sancto et igni, significat Christum deum esse et authorem iusti-

tiae. Nemo enim baptizat spiritu sancto et igni praeter solum deum. Baptizare autem spiritu sancto et igni, est dare spiritum sanctum. Summa, baptizare symbolum est remissi peccati et poenitentiae signum. Credentes sibi Christus servat, non credentes reiicit. Ipsi enim datum est iudicium.

Collecta.

Poenitentia est peccati mortificatio. Ex lapidibus, id est, gentibus. Iam vero et securis etc., id est, de coelo declarabitur ira dei super vos. Tangit clanculum Iudaeos, qui plus fiduciae habebant in Abraham quam in eius fidem, et opera fidei. Ventilabrum domini, id est iudicium. Repurgabit aream suam, id est terram, et congregabit triticum, id est convocabit electos in gratiam. Paleam autem, id est, non credentes in Christum. Baptismus sine fide nihil est. Baptismus nostrarum tentationum et adversitatum est ancora.

Caput IIII.

Inserimur Christo per baptismum etc. etc.

CONCIONES EXPLICANTES EVANGELIUM MATTHAEI.

Prodiit liber, cui titulus:

„Conciones explicantes integrum Evangelium Matthaei, Witebergae habitae a M. *Sebastiano Froeschelio* Ambergense, Archidiacono in eadem Ecclesia, scriptae a *Philippo Melanthone.*" Witebergae 1558. 8. 2 alph. 10 pl.

Recusae in operibus Melanthonis Witeberg. Tom. III. p. 247 sqq. — Recusae etiam Witeberg. 1560.

De genesi huius scripti *Froeschelius* in epistola dedicatoria ad Senatum Ambergensem d. d. 29. Septb. 1558. haec literis mandavit:

Cum officii mei ratione mihi singulis diebus Saturni vespertina Concio esset habenda in hac Ecclesia, et iudicio reverendi Pastoris mei sumsissem explicandum auditoribus nostris Evangelium *Matthaei.* Ego autem conscius mihi meae imbecillitatis, et notae omnibus infantiae, vererer aliquid ex meo capite affingere aut exculpere: rogavi reverendum virum D. Philippum Melanthonem praeceptorem fidelem, atque adeo Patrem benignissimum nostrum, ante annos octodecim ferme, adhuc vivente Luthero (qui etiam harum concionum amplius quinquennium auditor et arbiter fuit) ut mihi in locis obscurioribus esset adiumento, et si per gravissimas occupationes suas posset, textum Evangelistae distingueret, et in locos certos redigeret, et quae in quolibet loco vel doctrina vel consolatio proponenda auditoribus esset commonstraret.

Hunc laborem ille in se recepit libenter, quamvis occupatissimus, ut est paratus omnibus ad eiusmodi operas praestandas, ex quibus utilitas aliqua reditura vel ad Ecclesiam et posteritatem, vel ad illos ipsos, qui operam eius expetunt, sperari potest: ita ut vere vivat nec sibi nec suis, sed prorsus aliis, hoc est, Ecclesiae, rei literariae, et omnibus opem ipsius requirentibus. Scripsit igitur singulis diebus Parasceves mihi praesenti primum dispositiones et summas quasdam breves singulorum capitum. Deinde ubi ad 5. caput pervenimus, iustas ferme conciones contexuit, aliquandiu vernacula lingua, ut magis proprie res ipsas auditoribus meis proponere possem, reliqua a cap. 9. explicavit Latina oratione, subinde tamen me admonens ac instruens, quibus verbis nostra lingua quam propriissime efferri et reddi Latina vocabula in Ecclesia usurpata possent, quas Ger-

manicas voces Latinis insertas etiam in hoc excuso exemplo interdum reliquimus, ut rudiores magis proprie Latina Germanicis reddere assuescant.

Hanc autem Philippi institutam scriptionem saepe interruperunt, vel publica huius Scholae pericula et dissipationes, ut cum propter pestem aut bellum hinc expellebantur Professores: vel privatae ipsius profectiones, iussu Electoris susceptae ad conventus imperiales, colloquia, aut similes deliberationes. Itaque mihi perdifficile fuit, annotationes in totum Evangelium Matthaei impetrare, praesertim cum etiam dum hic erat, multae inciderent occupationes, quae ipsius scriptiones impedirent. Dedi tamen operam, ut toties suscepta sit a me explicatio Matthaei publice in Ecclesia, donec tandem in totam eius historiam integrum quasi commentarium elicerem, isque completus fuit anno ab hinc tertio.

Hunc ego Thesaurum inter res mihi carissimas reponebam, et iam in eo eram labore, ut integrum opus mea manu describerem, eo consilio, ut ad vos exemplum mitteretur. Suadentibus enim aliquibus edi publice hunc commentarium, animadvertebam autorem prorsus a publicatione abhorrere, adeo quidem, ut instantibus aliquibus interdum commotius responderet, non permissurum se, ut ederetur, eo quod obiter et per longa saepe intervalla temporum, et interdum festinata opera a se scriptae istae conciunculae essent, accommodatae ad captum rudium auditorum, quibus interdum res gravissimae exponendae essent ἀμαθέστερον καὶ σαφέστερον. Ita factum esse, ut haud dubie multa in iis reperirentur mutila, concisa, non iusto ordine ac methodo, nec pari diligentia omnia explicata, alicubi etiam eadem moleste repetita, denique pleraque inculta, et indigna esse, quae eruditorum oculis exhiberentur. Fieri etiam potuisse, ut in tanta negociorum varietate, et scriptionis huius festinatione, alicubi voculae aliquae sibi exciderint, quae suspicacibus et severis alienorum scriptorum censoribus reprehensionum causam praebiturae essent. Postremo esse huius seculi eam infelicitatem, ut ingenia quaedam talia produxerit et admiretur, quae in hoc sibi summam eruditionis et pietatis laudem quaerant apud indoctos, si etiam recte aliorum dicta secus interpretentur, et varia ibi errorum et haereseon semina latere et occultari pronuncient. Eis se nolle harum rudium conciunculaum editione causam praeberi, nova certamina de doctrina excitandi, aut priora renovandi et confirmandi, praesertim cum nequaquam sibi tantum ocii nunc concederetur, quantum ad perlegendum et retexendum has pagellas satis esset, quas tumultuaria et interrupta saepe opera effuderit potius quam scripserit in hunc finem, ut mihi concionaturo causam diligentius cogitandi de dictis Matthaei Evangelistae praeberet, non ut in plurium manus illae pagellae spargerentur. Extare aliorum iustos et eruditos in hunc Evangelistam commentarios, quos malit a concionaturis inspici et consuli, quam has suas annotatiunculas.

Cum igitur in hac sententia serio confirmatum viderem Dominum Philippum, quod nollet concedere editionem huius commentarii, coepi, ut ante dixi, mea manu eum transcribere, ut eius exemplum ad vos in patriam mitterem. Multas enim causas habebam, cur hunc Praeceptoris mei utilissimum laborem, quo ego in docenda Ecclesia hac non sine fructu auditorum, ut spero, usus eram, statuerem vobiscum communicandum esse. Nam praeter illa sanctissima communis patriae vincula, quibus inter nos mutuo obligati sumus ad quaevis officia praestanda, movebant me vestra munificentia, qua mea studia in Academia Lipsica et hic Witebergae liberaliter provexistis, et alia beneficia vestra, quibus me longo iam tempore absentem affecistis.

Deinde iudicabam me hoc patriae meae debere, ut cui in illustratione et propagatione purae doctrinae Evangelii coram prodesse ac servire non possem, absens ei impertirer illa, quae hic a viris eruditis et donorum excellentia praestantibus hausissem et collegissem.

His et aliis rationibus motus, dum exemplum vobis mearum concionum adornare laboro, uno quasi impetu in me irruunt aliquot hic collegae et amici mei, qui magno studio a me contendunt, ut hunc commentarium in Matthaeum, ut est, a Philippo scriptus, typis excudi curarem, quibus etsi ego, quid mihi obstaret, exponebam, nempe autoris ipsius prohibitionem, quem offendendum hac editione non putarem, cum ipsum ad conscribendas in meam et Ecclesiae gratiam et utilitatem has conciones tam habuissem promtum, facilem et benignum: tamen illi urgere serio coeperunt, et ostendere simul literas aliunde huc missas (quales etiam ipse ex diversis locis frequentes accepe-

ram) quae summopere flagitabant, ut huius commentarii copia fieret, quacunque ratione, omnibus Ecclesiarum ministris.

Quod ad scriptoris rationes attineret, dicebant eas tanti non faciendas esse, ut hoc opus profuturum plurimis, si vulgetur, propterea intra unius parietes et scrinium concluderetur. Ut enim maxime sint aliqua in iis concionibus propter festinationem minus accurate, minus copiose, minus ordine, et simplicius explicata, quam ut debeant eruditorum censurae severiori subiici, tamen existimabant, imo affirmabant, aequos lectores, si praemoniti sint, cui hae conciones scriptae sint, a quam occupato, quam festinanter, quam longis interdum intervallis temporum, quae prius annotatorum sententiam et ordinem facile ex memoria scribentis delere potuerint, haud dubie eum candorem adhibituros esse in legendo et iudicando, ut res ipsas fideliter explicatas grato animo amplectantur, et caetera, quae cum aliis accuratioribus eiusdem autoris scriptis, quod ad docendi methodum et eloquendi rationem attinet, minus congruere videbuntur, his impedimentis, quae scriptioni huius enarrationis subinde obiecta fuisse dixi, attribuant et condonent.

Reliquos vero Momos, qui novo quodam instituto laudem eruditionis et pietatis aucupantur, et summos se in Ecclesia fore confidunt, si omnia aliorum, qui antea cum autoritate aliqua in Ecclesia docuerunt, quantumvis simpliciter et recte dicta, cavillationum strophis et sinistris interpretationibus odiosa ac suspecta vulgo reddant, adeo non curandos esse contendebant, ut eam ob causam etiam maturanda potius quam omittenda sit editio huius scripti, ut si illud more suo arripere mordicus et deformare falsis reprehensionibus isti conentur, suam cupiditatem nocendi et animi impotentiam omnibus bonis apertius prodant et patefaciant, nihil nocituram scriptori aut scripto, cum constet, non in hoc scriptas esse has annotationes, ut publicentur, nec autorem eas publicari voluisse.

Cur tu igitur eas edere audes? dicet aliquis.

Obsequor assiduis illorum monitionibus, petitionibus, obtestationibus, qui cum legendum hunc secreto commentarium a me precibus suis extorsissent, ita mihi eum reddiderunt postea, ut dicerent se eius perlectione multum adiutos et delectatos fuisse, et publicationem eiusdem plurimis ac praesertim versantibus in ministerio ecclesiastico, profuturam esse.

Aliqui etiam hoc addebant, editis his concionibus os obturandum esse iis, qui ad vulgus clamant, non amplius eandem doctrinam sonare in hac Ecclesia, quae vivente Luthero hic sit tradita, cum pius lector ex hoc scripto cognoscere possit, et eandem puritatem doctrinae hic conservari, et libere taxatas esse in publicis concionibus illo periculosissimo tempore corruptelas doctrinae coelestis, quales erant propositae in libro INTERIM, et aliis quorundam scriptis.

Erant etiam quidam, qui mihi aperte minitarentur, si non vellem edere has conciones, se omni arte illi scripto insidiaturos esse, nec quieturos, donec id a me auferrent, ut vel adhuc vivente me et ignorante, alibi excudatur, vel post mortem saltem meam spargatur.

His ego rationibus victus tandem consensi, et permisi, ut ederetur hic commentarius, etsi omnino constitueram eum in latebris asservare, et praeceptoris Philippi prohibitioni auscultare, quem quidem si hac publicatione offendi, reverenter oro, ut mihi clementer det veniam, quod tot bonorum et gravium virorum preces, hortationes, mandata, (inter quos etiam reverendus et sanctus vir Dominus D. Iohannes Bugenhagius Pastor meus, dum viveret, erat maxime assiduus flagitator) ipsius unius prohibitioni, tantum ex consideratione huius corrupti seculi et metu iniquarum reprehensionum profectae, anteposui, aliud nihil quaerens aut captans, quam si, quod multi pietate et prudentia praestantes viri existimant et certo mihi spondent futurum esse, aliquam utilitatem ex lectione harum concionum percipere poterunt ministri verbi et alii docti viri, ne per me illa eis interclusa et impedita per invidiam vel πλεονεξίαν fuisse videatur. Iubet Christus ipse nos liberaliter doctrinam cum aliis communicare, cum inquit: Luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur pater vester qui in coelis est. Item mittens Apostolos suos ad docendum Evangelium, inter alia etiam hoc ipsis mandatum dat: Quod dico vobis in tenebris, vos dicite in lumine, et quod in aure auditis, vos praedicate super tectis.

Hunc finem spectanti mihi hac editione, ignoscat Dominus Praeceptor Philippus, nec existimet omnem inobedientiam semper scelus et detestandam esse, sed aliquam interdum non modo

excusabilem, verum etiam laude dignam esse. Praedicatur aliquot in locis ab Evangelistis inobedientia et linguae incontinentia eorum, qui a gravibus morbis divina virtute et benignitate Christi liberati, iussique id beneficium silentio occultare, minime obsequuntur benefactori suo Christo, victi magnitudine gaudii, sed ut Marcus inquit cap. 7.: Quanto magis iubentur tacere, tanto ipsi clamosius sanationem illam mirandam omnibus obviis praedicant.

Clementer igitur accipiatur et hoc meum factum, quod contra autoris voluntatem hoc scriptum, cuius lectione ego me plurimum adiutum profiteor, et alios omnes, qúibus eius inspiciendi potestatem feci, idem iudicasse cognovi, solus asservare nolui, sed cum pluribus communicandum duxi, idque feci toties rogatus ab amicis, flagitatus a maioribus meis, iussus atque adeo propemodum coactus ab iis, quorum autoritatem ego defugere non debui.

BREVES COMMENTARII IN MATTHAEUM,

CONSCRIPTI A PHILIPPO MELANTHONE.

Semper initio ante enarrationem Librorum, qui recitant historiam Evangelii, dicatur de discrimine Legis et Evangelii.

Deinde cum de promissione dictum est, addatur ideo scriptas esse has Narrationes, ut Apostoli sint testes, et posteritas certa sit, quod missus sit Messias et exhibitus.

Tertio dicatur, In lectione evangelica haec quatuor contineri praecipue.

1. Narrationes, quis sit Christus, et unde sit.
2. Miracula testificantia eum non esse Impostorem, sed vere missum a Deo, et doctrinam eius esse veram.
3. Conciones Evangelii, id est, promissiones, ut: Omnis qui credit in Filium, non peribit. Venite ad me omnes qui laboratis etc. Item de vita aeterna.
4. Conciones de bonis operibus, quae sint velut Legis conciones et interpretationes Legis. Et pertinent ad doctrinam de poenitentia.

Estque diligenter observandum discrimen inter Praecepta et Promissiones, ne amittatur haec lux, quod remissio sit gratuita.

Et tantum de Exordio.

Caput I. Matthaei.

Liber generationis Iesu Christi etc.

I.

Primum Caput narrat seriem Patrum inde usque ab Abraham, et deinde Nativitatem Christi ex virgine.

Et sic testatur Matthaeus Messiam exhibitum esse, et recitat aliorum testimonia et miracula. Haec est summa primi capitis.

II.

Sed ipsa recitatio patrum multa monet.

Primum quod semper fuerit Ecclesia, et qualis et ubi fuerit, et quod sine promissione de Messia, nulla fuerit Ecclesia, nec esse possit.

Est igitur Ecclesia talis coetus visibilis amplectens Evangelium, in quo per ministerium Evangelii seu promissionis Deus est efficax, et regenerat omnes vere credentes. Sed huic multitudini sunt admixti multi externa professione consentientes, sed tamen non vere in corde credentes. Et talis Ecclesia est alligata suae promissioni, et in hac fide invocat Deum, etiamsi interea varie exercetur cruce, Specie externa est misera, dispersa in varia imperia.

Talis fuit Ecclesia Abrahae, Sem fuit Episcopus, postea et ipse fit Episcopus, et habent multos auditores bonos et vere credentes, ut filium Isaac, Saram matrem, Agar, Abimelech. Sed aliqui etiam sunt hypocritae, ut fortassis Ismaël, et certe aliqui, ut postea Esau.

Iam cogita, qualis haec Ecclesia Abrahae fuerit, didicit verbum Dei, et fide promissionis agnovit misericordiam, et sic invocavit Deum. Hac fide placuit, ut dicit textus: Credidit Abraham Deo etc.

Deinde vixit et in bonis operibus, exercuit fidem in cruce, in exiliis, in periculis, fuit Paterfamilias, praedicator, bellator, et fuit patiens, ubi Deus postulat patientiam.

Ita retro cogitanda est perpetua Ecclesia, ad nos confirmandos, ut sciamus, unde sit hoc verbum, quod discimus. Item ut consideremus, an praesens doctrina consentiat cum Abrahae doctrina. Item ut intuentes in illos, sciamus, qualis sit Ecclesia, et ad eam imaginem nos ipsos conferamus, ut consolemur nos contra scandalum crucis, nec putemus nos propterea non esse Ecclesiam Dei, quod multis aerumnis premimur etc.

Haec in genere dicantur, postea breviter repetatur promissio facta Abrahae.

III.

Breviter dici potest, quod etiam semen gentium sit in hac serie in den voreltern Christi, ut significetur Ecclesiam ex gentibus colligendam esse.

IIII.

Historiae singularum personarum praeberent singulos libros, sed tamen ipsi pii legentes considerent insignia exempla, quae nobis prosunt, ut exemplum David agentis poenitentiam. Exemplum Manasse agentis poenitentiam.

Haec consideratio monstrat Ecclesiam omnium temporum, et fidem in nobis confirmat.

V.

Non dicam de genealogiis conciliandis, sed relinquam haec scholis, sed facilis est conciliatio. Lucas ducit Christum a Nathan filio David, ex cuius posteris naturalibus, Christus natus est.

Matthaeus a Salomone, quia hic fuit Pater lege, quia fuit Rex.

VI.

Insigne exemplum est destructio Ierosolymae et reductio ex Babylone, Haec est insignis doctrina, Deus promiserat se illam politiam servaturum esse.

Propter hanc promissionem Iudaei carnali securitate putabant non posse destrui suum regnum, et destruebatur tamen, quia Deus vult nos in vera poenitentia vivere, et servat promissiones, non tali modo, qualem nos somniamus, sicut inprimis, hoc exemplum splendide docet.

Post reditum erat deformior status quam antea, etiam peccata maiora sequebantur. Sectae Pharisaeorum, Sadducaeorum: et tamen Deus servavit reliquias, mansit vera Ecclesia.

Herodes interfecit totum concilium seniorum septuaginta, Sanhedrin.

Aliquanto ante Herodem Ptolemaeus Lamyrus interfecit viginti millia Iudaeorum, et coëgit captivos vesci carne mortuorum.

Abraham genuit Isaac.

Enumeratio ad hoc prodest, ut cognito ordine Patrum, et historiarum, certo sciamus, quando, et quibus testimoniis promissiones traditae sint, et unde Christus natus sit, et sciamus hanc doctrinam de Messia certis testimoniis a Deo traditam esse, et non esse inanem fabulam. Ideo in singulorum Patrum historiis miranda testimonia consideranda sunt.

In Abraham, quod nascitur Isaac ex matre anu et sterili.

In Isaac, quod in immolatione mirabiliter liberatus est.

In Iacob, quod mirabiliter defensus est contra Esau et Laban.

In Nahasson, quod interfuit eductioni per mare rubrum.

In David, quod vicit auxilio divino Goliath et alios.

In Abia, Iosaphat, Ezechia, Iosia, quod habuerunt mirandas victorias.

In Salathiel, quod mirabiliter reductus est ex Babylone.

Haec et similia opera Dei sunt testimonia doctrinae.

Inventa est in utero habens etc.

Sequens narratio recitat historiam de Conceptione et Nativitate Messiae ex virgine.

Hic primum addatur initium narrationis Iohannis, et dicatur de duabus naturis in Messia.

Secundo admoneatur auditor, ut observet ordine testimonia de conceptione et nativitate ex virgine, vult nos Deus certos esse de hoc Messia: ideo multi hic testes recitantur, Angelus confirmat Ioseph, postea et Elizabeth fit testis de conceptione.

Deinde sequuntur testes de Nativitate, Angeli, Pastores, Magi, Simeon, Anna.

De officio Christi.

Salvabit populum a peccatis. Hic taxatur error Pharisaeorum, qui somniabant Messiam liberaturum esse Iudaeos, a corporali servitute, et daturum eis imperia mundi.

De dicto Esaiae.

Ecce virgo est gravida, et pariet filium, et vocabis nomen eius Emmanuel.

Hic dicatur de appellatione, quae complectitur doctrinam de persona Christi, quod duae sint in ea naturae, et de officio, Quod Deus sit nobiscum, placatus salvet nos etc.

De Ioseph.

Quare dicitur iustus nolens infamare coniugem?

Hoc exemplum docet, nos debere parcere alienae famae, cum non habemus certas causas nostrae reprehensionis.

Caput II.

Historia de Magis.

Primum dicendum, quod Deus tradiderit testimonia de nato Filio, ut Ecclesia sit certa. Etsi enim ea quae geruntur in Ecclesia, non ita incurrunt in oculos, ut Alexandri aut Iulii praelia, tamen et his, quae in Ecclesia geruntur, Deus tribuit testimonium.

Et haec testimonia colligamus ad nos confirmandos. Filium Dei Messiam natum esse testantur Angeli, Pastores, Simeon, Anna, Zacharias, Elizabeth, Magi.

Secunda doctrina.

Etiam gentes pertinent ad Ecclesiam, et haec est confessio gentium prima post natum Christum.

Quando autem dicitur de collectione Ecclesiae ex gentibus, simul dicitur, quod remissio peccatorum gratis detur, non propter legem, sed propter Messiam, iuxta illud: In semine tuo benedicentur omnes gentes.

3. *Qui fuerunt illi Magi?*

Homines Persici, haud dubie ex schola Danielis reliqui. Nam Daniel in Persia praeses fuit.

Sic semper Deus aliquam Ecclesiam ex gentibus collegit: ideoque dispersi sunt Israëlitae, ut alibi docerent, et consentaneum est in Germania quondam multos fuisse recte agnoscentes et invocantes Deum in agnitione promissionis de Messia.

4. Miraculum de stella testimonium est praesentiae Dei apud hos Magos, quia haec fuit nova stella propior terrae, quam aliae, quia monstratrix fuit ipsius domunculae, in qua erat Maria. Et necesse est fuisse viros doctos, qui discrimina stellarum aliquo modo sciverunt.

5. Doctrina, Expavescit Herodes et Principes: Ita praedicatione Evangelii exorta, semper Principes metuunt suae tranquillitati.

6. Dictum Micheae: Et tu Bethlehem, docet generatione divina et humana, affirmat Messiam fuisse ante initium mundi. Et tamen nasciturum esse in Bethlehem. Ergo assumet naturam humanam.

Dicit et de officio: Dux qui pascet populum meum Israël, Dux qui liberabit nos a summis malis, peccato, morte, regno diaboli.

7. Doli Herodis. Evangelium vi et fraude oppugnatur.

8. Magi veniunt ad puerum, et ibi ostendunt suam confessionem, adfirmant hunc esse Messiam, fuerunt autem haud dubie dulcia colloquia de promissionibus propheticis.

Donaverunt aurum et alia, sic divites semper aliquid conferre debent ad ministerium tuendum.

9. Est et haec allegoria donorum suavis, Aurum fides: Doctrina Thus, Invocatio, Sacrificium: Myrrha, Crux.

10. Fuga Christi et Mariae, et solicitudo Dei pro Ecclesia: iubet fugere, et dat hospitium alibi.

11. Persecutio, interfectio puerorum facta per Herodem.

Hic primum dicatur de Infantibus.

Haec historia testimonium est, quod infantes in Ecclesia placeant Deo, habeant Spiritum sanctum, et sint haeredes vitae aeternae, quia hi infantes sine ulla dubitatione fuerunt sancti, et laudantur tanquam sancti, per dictum, quod citat Apostolus de vere sanctis, quia filii Rachel sunt filii Ecclesiae et haeredes vitae aeternae.

Et ubi est haereditas vitae aeternae, ibi est Spiritus sanctus. Ergo ut in his infantibus, ita in nostris Spiritus sanctus est efficax etc. Et damnandi sunt Anabaptistae contrarium docentes.

Secunda doctrina.

Hic discendum est, varias esse causas afflictionum in Ecclesia, verum est, saepe nos puniri propter certa delicta. Ut David propter adulterium punitur.

Sed praeter hanc causam etiam aliae sunt, videlicet, Immanitas odii in diabolo saepe grassantis etiam in eos, qui non habent propria delicta, ut Daniel, Ieremias et similes, non habuerunt delicta, propter quae ipsi, ut caeteri abducerentur in exilium, sed causae aliae fuerunt, cur communi calamitati impliciti sint.

Ita nunc, quando venient calamitates, sciamus multos esse, quorum delicta meruerunt.

Sed sciamus simul diabolum propter odii magnitudinem grassari in multos innocentes.

Quare non desperemus, sed sciamus Deum exauditurum esse clamores Ecclesiae, et repressurum saevitiam diaboli, sicut in hac historia, in dicto Ieremiae Ecclesia plorat et clamat, et metuit universalem interitum, sicut dicit: Noluit consolationem admittere, quia non sint filii, quia prorsus omnes perituri videantur.

Et Deus vult nos in talibus periculis non solum propter peccata nostra orare, sed etiam adversus diabolum, et scire, quod Deus velit nos audire petentes auxilium contra diabolum. Propter peccata nostra iuste patimur. Sed quod ad diabolum attinet, iniuste patimur, ideo Deus exaudit nos.

Hic etiam consideremus, quanta haec persecutio fuerit. Non solum passi sunt pueri, sed multo magis parentes, quia nullus dolor humanus maior est, quam dolor ex liberorum calamitate, Quare? Quia Deus hunc affectum voluit esse signum sui amoris erga Filium et erga nos.

Consolatio est consideranda, Ecclesia tunc non habuit defensionem, et tamen servata est. Herodes interfecit pueros, et antea interfecerat septuaginta Seniores, qui erant summum regimen. Pharisaei ipsi interfecerant Zachariam, et talia multa fiebant. Ideo non simus adeo tenelli, zertlich, ut nihil velimus pati, sed agnoscamus Ecclesiae usitatam crucem, et speremus Deum tamen reliquias servaturum esse.

Nazaraeus.

Nazaraei fuerunt votivi in populo, quibus Deus formam voti tradiderat, et non bibebant vinum, non radebant capillos etc.

Hoc fuit institutum sicut alia multa externa exercitia in lege, ut esset insignior confessio, quia singulares ceremoniae faciunt hominem conspectiorem, sed significabat verum concionatorem dicatum Deo, non corrumpentem doctrinam sua temulentia etc. non ebrium cupiditate gloriae, humanis opinionibus.

Christus autem non fuit talis Nazaraeus ceremoniis, quia bibit vinum, sed fuit Nazaraeus significatus, id est, purissimus, et Deo dicatus concionator, non ebrius humanis opinionibus, sed verbum pure praedicans. Item sine cupiditate gloriae etc.

Caput III.

Primum hic consideretur status Ecclesiae eius temporis.

Sectae tres erant, et una prorsus impia Sadducaea. Et Pharisaei plurimi etiam erant impii, pauci fortasse, sicut aliqui Monachi apud nos, erant saniores.

Hoc exemplum ostendit saepe maiorem partem Ecclesiae valde errare.

Interea tamen Deus aliquos servat, ut tunc erant Zacharias, Simeon, Elizabeth, Anna, Maria, Ioseph et multi alii. Ita Deus servat sibi semen, etiamsi impii dominantur. Hanc imaginem nobis proponamus, ut nos consolemur nunc quoque, cum clamant adversarii, Ecclesiam non errare, et se esse Ecclesiam etc.

In talibus tenebris Deus rursus accendit lucem, vocat Iohannem, et iubet eum instituere baptismum, et praedicare Evangelium in deserto.

Ita Deus mirabili misericordia subinde instaurat Ecclesiam.

Sed hic quaeritur, an liceat facere contra potestatem ordinariam, sicut Iohannes discessit a templo.

Respondeo: Semper necesse est anteferri mandatum Dei potestati ordinariae, sicut Apostoli dixerunt: Oportet Deo magis obedire quam hominibus.

Quid docuit Iohannes?

1. Doctrinam de poenitentia.
2. De remissione peccatorum.
3. De bonis operibus omnium statuum.
4. De vocatione gentium.

5. De fine politiae Iudaicae, et praedicatione Evangelii futura.
6. De futuro iudicio et vita aeterna.

Facite fructus dignos poenitentia.

Qui sint, discendum est ex aliis concionibus Iohannis.

Primus fructus est crescere in fide, hanc saepe inculcat Iohan.: Ecce agnus Dei. Iohan. 3.: Omnis qui credit in eum, habet vitam aeternam.

Secundus fructus, opera secundae tabulae, et communissimus est: Eleemosynae. Qui habet duas tunicas, det non habenti.

Ecce docet, qui debeant dare, et qualibus, iuxta regulam Pauli: Non ut sit vobis tribulatio, aliis cessatio.

Dent hi, qui habent et possunt aliquid de suo largiri, detur vere egentibus, qui non possunt laborare et sunt honesti, Salomon: Ne des crudeli substantiam tuam.

Duae conciones pro magistratibus et militibus.

Hi quaerunt, Quid faciemus? quia sunt Ethnici, et dubitant, an necesse sit ceremonias facere. Respondet Iohonnes, non oportere ceremonias servare, sed facere opera vocationis in fide praecipit eis quando baptizat.

Nunc addit doctrinam de operibus vocationis.

Opera Magistratuum et Militum, Quaestorum, Iurisconsultorum, Iudicum, sunt ista praecipue: Non calumniari, non concutere, non plus exigere, sed esse contentum stipendio. Et in his tribus membris continetur summa corporalis regiminis in rebus corporalibus, scilicet mandatur iusticia in his tribus rebus:

Es sind dreierley vnrecht in der Regierung, Mit list vnd falschem schein anderer güter an sich bringen.

2. Mit offentlicher gewalt jemand beschedigen oder etwas abdringen.

3. Die Vnterthanen zu hoch beschweren mit vnnötigen schatzungen.

Vnd diese Predigt Johannis, sollen alle Regenten, Amptleut, Richter etc. wol merken, denn Gott lesst solch vnrecht nicht vngestrafft, Quicquid iudicaveritis, in vos redundabit.

Differentia Iohannis et Christi.

Ego baptizo vos aqua.

Hic quaerunt docti, quae fuerit differentia baptismi Iohannis et Apostolorum.

Respondeo: Iohannes baptizabat in Christum passurum et resurrecturum, Apostoli postea baptizant in Christum passum et resuscitatum. Et tantum haec est differentia. Quo ad effectum, idem est baptismus, Idem prorsus ministerium, et Sacramentum a Deo institutum, quod utrique administrant, et requiritur fides in adultis, et dantur remissio peccatorum, gratia, et Spiritus sanctus, sive Iohannes administret, sive Apostoli, quia impie cogitant, qui imaginantur esse humanam ceremoniam, Die Johannes also für die lange weil angefangen hab.

Sed etiam Iohannis baptismus est vere ingens opus Dei, institutum, ut significet Filii Dei mortem, et promissionem remissionis peccatorum.

Quaestio.

Quare igitur Iohannes dicit: Ego baptizo vos aqua? Respondeo: Discernit omnes ministros a Messia.

De baptismo Christi.

Sexto die Ianuarii baptizatus est aut circiter, ἐπιφάνεια, id est, apparitio Dei, quod ibi Deus se manifestavit.

Quatuor sunt in hac historia insignia.

1. Primum baptismus Christi, Quare Christus voluerit baptizari.
2. Confessio Iohannis.
3. Testimonium Dei, qui se ibi illustrius patefecit, quam usquam alibi.
4. Apertio coeli, Exauditio Dei.

De primo.

Quare voluit baptizari.

1. Causa, Quia voluit dare testimonium baptismo Iahannis, quod illum approbaret, ne existimaretur sentire cum Pharisais et Sacerdotibus, qui damnabant. Quia quando Deus mittit verbum, singuli debent ostendere testimonia suae confessionis.

2. Quia voluit ostendere, hoc esse initium novi Testamenti, et voluit ostendere se esse membrum huius novae Ecclesiae.

3. Causa, Quare baptizatur, cum non indigeat remissione peccatorum? Ideo, quia testatur se quoque baptizari in mortem, et mori pro peccatis nostris, sicut noster baptismum est testimonium, quod in mortem Christi baptizemur, ut peccatum in nobis deleatur.

Confessio Iohannis.

Iohannes non vult eum baptizare, et palam fatetur eum esse Messiam.

Sed Christus respondet et docet se hoc tempore se subiicere ministerio, quod aeternus pater instituit, et vult iam esse inferior hoc ministerio, propter causas, sicut dictum est.

1. Ut det testimonium huic ministerio.

2. Ut approbet baptismum, qui est initium novi Testamenti.

3. Ut fiat membrum huius Ecclesiae.

4. Ut ostendat se baptizari in mortem. Ideo dicit Iohanni: Sine modo, oportet nos implere omnem iusticiam.

Hoc distributive intelligatur. Wiewol die andern hie dauon reden, Christus allein hab alle gerechtigkeit erfüllet, so wollen wir vom selbigen verstand jetzund nicht reden, sondern wie Christus von beiden Personen hie redet, solchs bleiben lassen. Alle gerechtigkeit heisst aller Person werck, beruff vnd gehorsam. Du solt dein Ampt thun, ich das mein, Du solt teuffen wer es begert, Ich bin jetzund in diesem beruff, das ich mich wil teuffen lassen, vnd meinen gehorsam erzeigen mit deiner Tauff vnd meinem Tod, den diese Tauff bedeut.

III.

Testimonium Dei qui apparet.

Haec revelatio multa docet. Est testimonium de Trinitate.

Et semper in invocatione intueamur hanc patefactionem, quia nos debemus nostram invocationem ab ethnica seiungere.

IIII.

Apertio coeli, Der Himel stehet offen durch die Tauff. Deus vult exaudire, vult salvos facere. Haec omnia testatur simul cum ista voce: Hic est Filius meus dilectus. Item: Sicut ibi misit Spiritum sanctum, ita testatur se nobis mittere.

De festo Iohannis Baptistae.

Hoc festum praecipue celebratur propter has causas, ut homines doceantur, quod Deus mirabiliter conservet Ecclesiam, et subinde exuscitet idoneos et salutares doctores, et addat testimonia, quod ab ipso missi sint.

Item ut doceantur homines, quid sit, et qualis sit vera Ecclesia Dei.

Et plurimum refert in tanta confusione regnorum mundi, et mutationibus regnorum, scire, quae et ubi sit Ecclesia Dei, et quomodo conservetur, et quomodo regatur.

Et cum haec discimus, simul agamus gratias Deo pro ingenti misericordia.

Primum autem considerate, qualis status fuerit Ecclesiae tempore Zachariae, et conferte illa tempora ad nostram aetatem, quia magna similitudo est.

In Iudaea regnabat rex impius Herodes, qui multos seniores interfecit. Et Pontifices erant impii, et praecipui Doctores erant Pharisaei et Sadducaei, qui promissiones de Messia corrumpebant. Et cum his sentiebat maxima multitudo in populo.

Iam quaero, an isti fuerint Ecclesia Dei, cum essent summi gubernatores, et praecipua pars populi, quae voluit habere nomen Ecclesiae?

Respondeo: Nequaquam fuerunt Ecclesia Dei, quia Christus expresse ad eos dicit: Vos ex patre diabolo estis. Nequaquam sunt Ecclesia Dei ulli homines vel coetus, qui ignorant Evangelium, aut qui sunt hostes Evangelii.

Ecce quales tenebrae fuerunt? Tanta multitudo, quae gloriabatur se esse Ecclesiam, non erat Ecclesia.

Ubi igitur fuit Ecclesia? fuitne penitus extincta? Nequaquam fuit extincta, quia Deus semper aliquas reliquias servat, sed saepe sunt parvae, sicut Esaiae primo dicitur: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma et Gomorra essemus.

Erant autem Zacharias, Simeon, Anna, Maria, Elizabeth, Ioseph et alii valde multi, quia hi non fuerunt sine auditoribus, sed tamen prae multitudine impiorum Ecclesia fuit parva.

Hanc totam imaginem diligenter considera, et disce primum, qui sint Ecclesia, scilicet retinentes veram doctrinam.

Deinde hoc scias, quod non est verum, maiorem partem esse Ecclesiam. Sicut nunc Papa et Episcopi et Reges, et cum eis sentiens multitudo valde magna, gloriantur se esse Ecclesiam, tantum propter titulos officiorum, et propter multitudinem maiorem.

Sed confirmemus nos exemplo, sicut minor coetus tempore Zachariae fuit Ecclesia, sic nunc et saepe alias minor coetus est Ecclesia Dei. Et hoc exemplum bene mementote.

Secundo, confirmet nos etiam hoc exemplum in aliis tentationibus. Quanquam magna crudelitas erat Herodis et Pharisaeorum, tamen Deus servavit publicum ministerium Zachariae et aliorum, et defendit multos. Quia vult semper esse aliquod publicum ministerium. Ita nunc quanquam Papa et eius adhaerentes volunt delere nostras Ecclesias, tamen Deus nos et alios multos servabit, et non sinet publicum ministerium omnino deleri, sicut tunc, etiamsi Pontifices et Sacerdotes multi erant impii et Epicurei, tamen oportuit aliquos esse pios, qui habebant auditores aliquos, tales erant Simeon, Zacharias, Elizabeth, Maria.

Horum exemplorum cogitatio magna consolatio est.

Postquam igitur exemplum considerastis, iam inde discite, oportere audiri et disci verbum Dei, et de vobis ipsis vere statuite, quod sitis membra Ecclesiae, et populus Dei, quando fide amplectimini Evangelium, et non curate, quod condemnant vos adversarii.

Secundo agite etiam Deo gratias, quod servat Ecclesiam, et vos, et orate, ut diutius servet.

II.

De missione Prophetarum et aliorum vera docentium.

Iam considerate, quomodo Deus subinde instauret Ecclesiam.

Et in hac consideratione agite gratias Deo pro immensa bonitate, quod non relinquit genus humanum perpetuo in tenebris.

Quando Adam et Heva erant lapsi, iam nulla erat Ecclesia generis humani, et oportuisset eos omnino perire, si Deus non immensa misericordia ultro prodiisset, et dedisset promissionem. Edita autem promissione, rursus incoavit Ecclesiam.

Sic postea saepe quando mundus fere fuit oblitus promissionem et doctrinam Evangelii, tunc vocavit novos doctores, ut post Nohe et Sem vocavit Abraham, deinde Ioseph, postea Moisen, postea Samuelem, Eliam et alios.

Sic quando iam magnae tenebrae erant, Deus vocavit Iohannem.

Et semper addit Deus miracula, ut certo sciamus esse a Deo missos. Ideo Iohannes magno miraculo nascitur ex matre sterili et anu. Et quanquam Ethnici habent miracula, quae facit diabolus, tamen hoc miraculum diabolus imitari non potest.

Sciamus ergo Iohannem esse doctorem a Deo missum, et eius testimonio credamus: et quaeramus, quid docuerit.

III.

De doctrina Iohannis.

Quandocunque dicimus de Sanctis, quaeramus primum, quid docuerint. Papistae dicunt de Sanctis ita, ut iubeant eos invocari, et contumelia afficiunt Deum et Sanctos.

Haec idolatria damnanda et fugienda est. Nos sic audiamus Sanctorum historias, ut ex eis discamus, quod Deus servet Ecclesiam, et quomodo servet, et agamus Deo gratias, quod se patefacit toties missis Prophetis et Doctoribus.

Discamus etiam, quid singuli docuerint, et an doctrina eorum consentiat.

Scias igitur Iohannem propriissime et planissime praedicasse Evangelium. Imo prorsus eadem est doctrina Iohannis et nostra, nisi quod Iohannes monstravit praesentem et visibilem Dominum. Nos monstramus regnantem in coelo.

Reliqui articuli iidem sunt totius doctrinae.

Articuli fidei.

Agnovit Trinitatem, vidit in baptismo Christi tres personas.

Agnoscit in Messia duas naturas, quia dicit: Prior me est. Item: Ex plenitudine eius omnes accepimus.

Tradit doctrinam, quod fide accipiamus remissionem peccatorum, et simus iusti fide, dicit etiam: Omnis qui credit in Filium, habet vitam aeternam.

Praedicat poenitentiam et conversionem, et docet remissionem peccatorum dari propter Christum: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi.

Docet de bonis operibus, vocat gentes.

Haec consideranda sunt principaliter in historia de Iohanne. Quomodo vestitus fuerit, et quid comederit, hoc nihil ad nos pertinet, Do-

ctrina ad nos pertinet. Et diligenter mementote haec dicta Iohannis: Ecce agnus Dei.

Item: Omnis qui credit in Filium, habet vitam aeternam.

His dictis confirmemus nos, et sciamus Iohannem non esse doctorem futilem, sed a Deo missum, et mandatum Dei esse, ut ei credamus. Ideo opponamus Iohannis autoritatem Pharisaeis nostris, qui dicunt homines mereri remissionem propriis operibus.

Item, qui obscurant doctrinam de fide. Teneamus potius hanc consolationem: Omnis qui credit in Filium, habet vitam aeternam. Hoc dictum congruit cum dictis Christi et Pauli: Haec est voluntas Dei, ut omnis qui credit in Filium, habeat vitam aeternam.

Haec principalia de Iohanne cogitate diligenter, et Deo gratias agite, quod servet Ecclesiam, et orate, ut posthac quoque servet.

Caput IIII.

De tentationibus Christi.

Praefatio.

Quanquam illae tentationes magnae sunt, et obscurae, et non satis intelligi aut declarari a nobis possunt, tamen non sunt frustra scriptae, sed aliquid docere nos Spiritus sanctus voluit, cum voluit illa arcana scribi.

Primum autem hoc monent, quod magnum sit bellum inter Filium Dei et diabolum, sicut statim in Genesi praedictum est: Ponam inimicicias inter te et semen mulieris. Ideo semper diabolus Ecclesiam varie oppugnavit, caedibus, erroribus, et multis magnis confusionibus, ut multos a veritate et a Deo abstrahat.

II.

Non satis est scire certamen, sed etiam sciendum est, quomodo possimus vincere. Praedictum est igitur, quod Filius Dei sit victor. Et sic inquit Genesis: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Idem prorsus in hoc dicto intelligitur: Filius Dei venit, ut destruat opera diaboli.

III.

Ideo narratur hic pugna Christi et diaboli, ut exemplum videamus, quod Christus fuerit victor, et discamus nos quoque oportere vincere. Vincemus autem non soli, sine duce Christo, sed fide et invocatione Filii Dei.

IIII.

Et mirabile est bellum. Diaboli sunt Spiritus potentissimi et astutissimi, et Ecclesia est coetus hominum infirmissimorum et stultorum, puerorum, mulierum, et aliorum miserorum hominum. In hos grassatur diabolus, ut si viri robusti irrumperent in coetum infantum, et alii alios arriperent et allliderent parietibus.

In tali pugna tamen nos miseri vincimus, sed non vincimus nostris viribus, sed invocatione Filii Dei, quia illos robustos ab infantibus depellit quotidie.

Haec de applicatione, quod debeamus concurrere ad Christum victorem in omni tentatione, primum discantur in hac historia, postea videatur historia.

Tres sunt praecipuae persecutiones, quibus Ecclesiam diabolus oppugnavit. Harum persecutionum typi propositi sunt in persona Christi.

1. Persecutio corporalis, fames et gladius.
2. Persecutio per haereses.
3. Persecutio per manifestam idolatriam.

Ita primum tentatur Christus de victu.

Si es Filius Dei, si es Messias, ciba te. Ironia est in dicto: Dic ut isti lapides fiant panes, quasi dicat, scilicet, tu ex lapidibus victum habebis.

Sicut nunc esuriunt Pastores et alii ministri, et multi deterrentur a ministerio propter inopiam.

*Christus opponit verbum **Dei**, et fide se sustentat.*

Ita docet nos quoque praeliari, verbum Dei quaerere, et excitare fidem, et intueri ipsum victorem. Tunc non solum spiritualem consolationem habebimus, sed etiam temporalia mala mitigabuntur.

Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei.

Magna consolatio est, quod primum quaerendum sit verbum *Dei*, et fide accipiendum. Haec est magis causa vitae, quam naturalia instrumenta.

Exemplum.

Primum quaeramus Evangelium, et fide accipiamus, tunc magis defensionem per Deum quam per exercitus, habebimus.

Hanc consolationem semper deberemus mente circumferre. Multi valde anguntur de victu suo et liberorum, sed hinc deberent petere consolationem.

Et universaliter in omni gubernatione tenenda est haec regula. Primum amplectere verbum Dei, et Deo obedias, postea eventus commenda Deo. Et non cogitet homo, omnes eventus posse prospici aut regi humano consilio. Ideo dicit Psalmus: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet. Item: Subditus esto Deo, et ora eum.

Sed magnum malum est in hominibus, quod volunt omnia prospicere et regere suo consilio, interim negligentes verbum Dei. Ita diabolus deducit homines ad hanc sapientiam, omitte verbum, omitte ministerium, consule tibi, sis certus de victu, de praesidiis, non accersas tibi pericula.

Sed Christus nos revocat ad verbum, et affirmat principalem vitae causam esse Deum, etiamsi physicae causae a nobis non cernantur. Sicut et Moises habuit defensionem sine physicis causis.

De secunda tentatione.

Secunda tentatio imago est haereticorum. Postquam enim Ecclesia aliquomodo eluctata est ex corporalibus periculis, diabolus iam spirituales persecutiones incipit. Instigat aliquos, ut moveant opiniones, et excogitent cultus et leges, sine verbo Dei extra ordinem a Deo institutum, tantum obtemperantes suae curiositati, et sua iudicia sequentes, admirantes suam sapientiam, et sibi ipsis placentes.

Ita sumit sibi Christum exagitandum diabolus. Proponit ei hanc cogitationem. Pulcrum esset, si aliquid novi faceres, quod alii non sciunt, videlicet si hic in omnium conspectu volitares de templo, et non descenderes per gradus. Hoc omnes admiraturi essent et praedicaturi tanquam novum, inauditum, et divinum opus.

Nec timeas periculum, quia scriptum est: Angelis suis mandavit de te, etc.

In hac cogitatione diu detinuit Christum, et duriter eum vexavit.

Sed tandem vincit Christus, et opponit regulam contra opus irregulare. Et nobis valde utile exemplum hic proposuit, ut discamus regulas communes et necessarias omnibus contra opera irregularia. Gedeon facit opus irregulare, sacrificat et instituit cultum in domo sua, sed debuisset meminisse regulae. Habebat enim populus Israël manifestam prohibitionem, ne alibi sacrificarent, nisi ad tabernaculum.

Regula est: Non tentabis Dominum Deum tuum.

Quid significat, Tentare Deum? Ist etwas bessers, schöners machen wollen, denn wie es Gott geordnet hat, vnd solchs fürnemen, sine mandato et verbo Dei, sine vocatione.

Vel.

Tentare Deum peccatum est non solius infirmitatis, ut Davidis adulterium: sed est peccatum sapientiae, scilicet, quando peccatum oritur ex arrogantia seu fiducia sapientiae, scilicet cum mens admiratrix suae sapientiae, contemnit sapientiam Dei, et vult aliquid facere vel ordinare, hac ipsa imaginatione, quod sit melius, quam ordinata divinitus.

Es ist nicht aus schwachheit vnrecht thun, sondern aus dieser sonderlichen überigen vermeinten klugheit, das einer gedenckt, sein ordnung oder fürnemen, sey schöner vnd besser, denn Gottes beuelh oder ordnung, vnd wird also durch eigne klugheit fürnemlich getrieben.

Exemplum.

Non placet populo Israël, cum non haberent regem, status sine certo capite, videtur esse deformis species. Ibi sua sapientia volunt mutare formam Reipublicae. Id vere fuit tentare Deum.

Filii Ephraim in Aegypto sciebant promissam esse terram Chanaan, et aegre ferebant servitutem, videbatur igitur eis pulcrum, dignum viris fortibus, movere bellum, et conari occupare terram Chanaan, sed sine vocatione: ideo interficiebantur.

Docet ergo haec regula, Non esse discedendum a mandato Dei communi, seu ab ordinatione Dei communi, sine singulari mandato et sine vocatione. Sicut Abraham discessit, offerens filium, sed habuit peculiare mandatum.

Applicatio.

Haec tentatio est curiositas in multis vitae partibus, in docendo, in cultibus, in gubernatione, in politia, et in oeconomia.

Sed hic praecipue dicitur de doctoribus, quia hi stant in fastigio templi.

Arius stat in summo loco templi, id est, est praestantissimus doctor.

Ad hunc venit diabolus, autor curiositatis, et instigat eum: Ecce pulcrum esset, si unitas Dei sic intelligeretur, quod diceremus Filium non esse natura Deum.

Hac cogitatione valde excruciat eum, et impellit, ut colligat scripturas pro hac imaginatione. Denique valde urget eum, sicut curiositas est vehemens impetus.

Hic Arius vincitur, et volitat de templo, spargit falsam opinionem relicto verbo Dei, quod depravat, sicut diabolus depravat, inquiens, Custodiet te, sed non addit, In viis tuis, id est, legitima vocatione.

Sic Papa fert legem de coelibatu. Cogitat, videmus mulieres et filios Sacerdotum et Episcoporum multa turbare, pulcrum esset, si Sacerdotes essent coelibes. Ita sequitur Papa ex stulta sapientia et curiositate suam imaginationem, et fert novam legem, contra mandatum Dei.

Sic fecerunt alii instituentes vota et monachatus.

Conclusio.

Discamus ergo ex hac victoria Christi, repugnare tentationibus contra veram doctrinam. Item discamus repugnare tentationibus contra vocationem. Tu es Ludimagister, et libenter tibi sumeres reformationem Ecclesiae.

Sic in tota vita assuefaciamus nos, ut regularia faciamus. Das wir bey der Regel bleiben, vnd nicht ausser der Regel aus fürwitz vnnötige ding fürnemen oder erregen.

Curiositas est opinione sapientiae propriae suscipere irregularia, id est, opera sine vocatione, seu sine mandato Dei.

Die Knaben sollen nicht in die Elb gehen, können wol sonst ins Bad gehen.

De tertia Tentatione.

Prima est magis perspicua, videlicet, solicitari ad defectionem ab Evangelio propter famem et pericula.

Huic opponitur promissio Dei pollicentis victum et defensionem, ita nos nunc consolemur hac ipsa promissione.

Secunda tentatio, est solicitari ad corrumpendam doctrinam, propriae sapientiae aut iusticiae opinione.

Huic opponitur regula: Non tentabis Dominum Deum tuum. Est autem tentare Deum, non infirmitate labi, sed curiositate, hoc est, opinione propriae sapientiae discedere a mandato et ordinatione Dei, quasi velis aliquid melius facere aut ordinare.

In prima tentatione peccat infirmitas.

In secunda peccat proprie, non infirmitas, sed opinio propriae sapientiae, et propriae iusticiae, melius aliquid facturae.

Nunc tertia tentatio sequitur, videlicet, solicitari ad manifestam idolatriam vel blasphemiam. Ubi non peccat infirmitas, nec peccat opinio sapientiae vel iusticiae, sed sciens et seipsum damnans diabolus, odio Dei quaerit idolatriam et blasphemiam, ut Iulianus obtemperans diabolo, sciens et seipsum damnans amplectitur idola odio et manifesto contemtu Dei, pingit Iovem sibi porrigentem sceptrum, et Palladem, quae induit eum purpura imperatoria, et Martem, qui tradit ei gladium. Haec scit commentitia et falsa numina esse.

In hac tentatione Christus non disputat, sed iratus repellit diabolum, quia res manifesta est. Et tantum zelo fidei opus est ad repellendum diabolum.

Nec indiget longa declaratione haec imago, significat postremam et maxime horrendam idolatriam in Ecclesia. Sicut tentatur haec persona, scilicet Christus, ita significatur, quod in corpore Christi sancta Ecclesia sit futura idolatria, quam defendent impii homines manifesto contemptu Dei, scientes esse idolatriam. Et defendent propter potentiam et opes.

Hic coetus defendens idolum, et regnans, est regnum pontificium cum omnibus adhaerentibus, et defendit manifesta idola, sicut Ethnici, Missas pro mortuis, adorationem panis in spectaculo circumgestati, cultus sanctorum. Haec sunt palam idola, ut ipsi sciunt, et defendunt non propter ullam speciem, sed propter regnum, opes, et statum.

Contra haec non opus est disputatione, Postquam scimus esse idola, sed zelo fidei opus est, ve-

hementer orare debemus, ut Deus destruat idola, perdat defensores idolorum, et detrudat diabolum in ima tartara, ut sit in poenis, et non possit nocere.

De hac tertia tentatione iam sciamus tam magnum bellum motum esse. Diabolus pugnat in suo coetu, ut retineat idola, et oculos Papae et Caesaris tenet captivos admiratione status pontificii et pulcri imperii.

E contra nos qui confitemur Evangelium, clamamus non esse idola adoranda.

Et non poterimus resistere diabolo, nisi etiam Filius Dei inter nos praelietur, et dicat diabolo: Vade retro Satana.

Postremo haec duo discamus nos praecipue ex hac tentatione.

Primum, quod quando idola manifesta sunt, postea non sit disputandum, sed zelo spiritus et quadam indignatione, simpliciter fugienda et detestanda sint: et quod fugiendae sint etiam illae viperae, quae excusant idola, sicut nunc multi tales sunt, qui pulcre pingunt Missam et cultum Sanctorum, et alia. Tales diabolos fugiamus.

Secundo sciamus, quod non soli possimus astutiae diaboli resistere, sed quod oporteat nos petere auxilium Dei.

Et nobis proponamus dictum in Genesi: Semen mulieris conculcabit caput serpentis.

Et nunc saepe illam promissionem cogitemus. Et in consolatione nos ad precandum exuscitemus.

Postremo post victorias veniunt angeli et serviunt. Et quanquam illi adsunt etiam in tentatione, ut commilitones, tamen post victoriam magis cernitur eorum praesentia. Tunc laetantur nobiscum, et agunt nobiscum gratias Deo.

Audiens Iesus Iohannem esse captum.

Iohannes initio praedicavit in Iudaea, ad Bethabaram, coepit ante praedicationem Christi fere unum annum, postea discessit ex Iudaea in Galilaeam, ubi baptizavit ad Salem. Ibi captus ab Herode, diu fuit in carcere. Et interfectus est completo secundo anno praedicationis Christi.

Dicemus autem de passione Iohannis alias, quae etiam est insigne exemplum, quod testatur Ecclesiam subiectam esse cruci, sicut statim ab Abel deinde multa exempla secuta sunt, filiorum Israël in Aegypto, et deinceps persecutionum, quae secutae sunt. Et nunc exemplum videmus in nostris periculis, undique nobis hostes minitantur etc.

Reliquit Nazareth et habitavit in Capernaum, fortassis ideo, ut esset tutior, quia Romani tenuerunt Capernaum. Ibi fuit Centurio, de quo dicit: Non inveni tantam fidem in Israël.

Locum ex Esaia citavit, et ad hanc narrationem accommodat, etiamsi pars in eo loco de aliis historiis loquitur, sed ipse Esaias mox addit concionem de Messia: Populus qui sedet in tenebris, vidit lucem magnam.

Initium praedicationis Christi.

Poenitentiam agite. Appropinquat enim regnum coelum.

Haec sit praecipua pars concionis.

De Poenitentia.

Propositio. Una et eadem praedicatio est Evangelii inde usque ab initio post lapsum Adae edita promissione, sicut hic Christus praedicat. Ita prorsus in Paradiso primum obiurgat peccatum, postea addit consolationem. Et sic docuit Apostolos praedicare, Lucae ultimo.

II.

Sunt autem duae partes principales poenitentiae vel conversionis.

Contritio, de hac dicit: Poenitentiam agite, quia primum oportet argui peccatum, ut dicit: Spiritus sanctus arguet mundum. Item: Ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito.

Non placet Deo securitas, imo ut securitatem nobis excutiat, subiecit Ecclesiam cruci.

III.

Secunda pars est consolatio, ut in Paradiso; Semen mulieris conculcabit caput serpentis.

Et Christus praecipit Apostolis: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

Et hic: Appropinquat regnum coelorum, id est, remissio peccatorum, iusticia Spiritus sancti, vita aeterna propter Christum.

Hanc consolationem discamus, et opponamus omnibus miseriis humanis, etiamsi sumus afflicti, et a tyrannis occidimur, tamen sciamus nos propter Christum Filium Dei recipi a Deo, et factos esse haeredes vitae aeternae.

Et quandocunque dicitur de remissione peccatorum, doceri hoc necesse est, ut sit certa consolatio, Quod detur gratis remissio propter Filium, non propter nostra merita. Hic articulus est, de quo iam praecipue pugnatur, propter hanc vocem Evangelii diabolus conatur nos occidere. Et hanc necessariam Ecclesiae consolationem conatur delere.

Vocatio discipulorum.

Primum dicitur de perpetua conservatione ministerii evangelici, iuxta dictum Ephes. 4.: Ascendit dans dona hominibus, alios Prophetas, alios Apostolos, etc.

Hic igitur initio discamus, Deum inde usque ab initio post lapsum Adae instituisse ministerium docendi Evangelii. Et ipse Deus in Paradiso fuit primus concionator, quando promissionem arcanam de semine contrituro caput serpentis promulgavit.

Postea Adam fuit sacerdos et praedicator, deinde Seth, deinde alii suo ordine. Et saepe Deus obscurata doctrina, novos ministros vocavit, ut vocavit Abraham et deinde Prophetas, Samuelem, Eliam, Elisaeum, Esaiam et alios.

Postea Christus ipse palam concionatus est. Et quia voluit novuum ministerium instituere abolita politia Mosaica, et deleto sacerdotio Levitico, ipse novos ministros iam vocat. Et deinceps in genere humano servat ministerium Evangelii, et saepe novos ministros singulari dono excitat, sicut excitavit Augustinum contra Pelagianos, et alias alios, et recens Doctorem Martinum Lutherum.

Haec conservatio ministerii perpetua primum hic consideretur, et agamus Deo gratias pro hoc tanto beneficio, quod dat Evangelium, per quod donat vitam aeternam, quod servat semper aliquos ministros, sicut in Esaia dicitur: Posui in ore tuo verbum meum, et manu mea protegam te, ut plantes mihi coelum.

Veneremur etiam hoc ministerium et defendamus, quantum possumus.

Haec primum in genere sciantur de ministerio Evangelii.

Secundo.

Quod est principale officium ministerii evangelici?

Dico semper et omni tempore ab initio post lapsum Adae, idem fuisse officium ministerii evangelici, quod fecisse videmus Deum in Paradiso. Arguit peccata, et praedicat de Messia et remissione peccatorum.

Ita nunc praedicamus doctrinam poenitentiae et remissionis peccatorum, sicut Lucae ultimo dicitur.

Tertio.

Sed cur vocat Christus ex alia tribu, cum antea Levitica tribus ordinata fuerit ad sacerdotium? Quia vult delere politiam Moisi, et vult colligere Ecclesiam ex gentibus et Iudaeis.

Et hic discamus exemplum irae Dei, quod quando sacerdotes manifeste doctrinam abiiciunt, tunc Deus alios novos ministros vocat. Sicut cum collegia Canonicorum abiecerint doctrinam, non dubium est ea ruitura esse, etiamsi non scimus per quos sint delenda.

Quarto.

Apostoli relictis omnibus sequuntur Christum.

Sic vocati ad ministerium obediant. Hic adde textum in Levitico: Qui dixerit patri suo et matri suae, Nescio vos.

Et circumibat totam Galilaeam.

Narrat initia praedicationis Evangelii, et breviter recitat multis miraculis confirmatam esse doctrinam.

Hic breviter addi potest, Miracula recitari propter tres causas.

Prima est, ut sint testimonia doctrinae, quod sit a Deo, quia illa facta singularia cum non possint fieri, nisi a Deo, testantur hunc doctorem a Deo missum esse, et Deum efficacem esse per eum, et doctrinam vere esse sententiam Dei etc.

Secunda causa est, Miracula sunt testimonia promissionum, ut huius promissionis: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Iste pauper clamavit ad Dominum, et Dominus exaudivit eum.

Tertia causa, Miracula continent doctrinam de applicatione promissionum, id est, quod fide propter Christum accipiantur beneficia, et quidem, quod ea accipiant *Omnes* sine acceptatione personarum, sicut Christus sine discrimine *Omnes* confugientes ad eum recipit, Iudaeos, Samaritanos, Cananaeos, Ethnicos, Centuriones, Publicanos.

Caput V.

Generalis concio sequitur de interpretatione Decalogi, quia Pharisaei corruperant doctrinam, et fingebant in Decalogo tantum praecipi puerilem disciplinam de externis operibus.

Deinde amplius fingebant, homines iustos esse illa disciplina, et mereri remissionem peccatorum, et delebant totam doctrinam de Messia.

Necesse est autem hos errores in Ecclesia taxari, et illustrari doctrinam de peccato, et de redemtione per Messiam donata. Propter has causas recitatur enarratio Decalogi.

Sed ante enarrationem legis consolationes de cruce proponuntur, quia pharisaica doctrina, sicut et philosophica, ignorat doctrinam de cruce, et sic ratiocinatur, Iustis bene sit, Abel interficitur. Ergo Abel est iniustus, et reiectus a Deo.

Sed haec doctrina hoc loco affirmat, hominem non reiectum esse a Deo propter crucem vel calamitates.

Et universaliter prodest scire homines in Ecclesia, quod omnes calamitates, aut sunt poenae revocantes ad poenitentiam, ut exilium Davidis.

Aut sunt exercitia, ut carcer Ioseph.

Aut sunt testimonia doctrinae, ut interfectio Iohannis, Pauli.

Aut sunt precium pro aliis. Tale precium est sola mors Christi.

Et diligenter mementote hos quatuor gradus, et saepe cogitate, ut sciatis cur Ecclesia sit subiecta cruci, et ex his fontibus sumantur consolationes, postquam scimus causas afflictionum.

Iam sequitur textus.

Beati pauperes spiritu, id est, Die in armut gedultig sind.

Exorsus est autem a paupertate, quia haec est communissima miseria piorum.

Et non quaeratur alia expositio, loquitur textus de paupertate, quam sic vocamus usitate, indigentiam rerum necessariarum, cum deest pecunia et alia ad victum necessaria.

Hos pauperes spiritu, id est, vera patientia cordis tolerantes paupertatem, dicit beatos esse, id est, non reiectos a Deo, sed habentes statum Deo placentem. Nam Beati hic non significat mortuos habentes vitam aeternam, ut vulgo loquimur, aut promerentes vitam aeternam, sed significat bonum opus, seu statum non reiectum a Deo, ut si diceret, Bene est pauperibus, id est, non sunt reiecti a Deo.

Et loquitur de Ecclesia, quae antea iusta est fide, postea habet multa bona opera, quorum singula dicuntur beatitudines. Lazarus iacens ante domum divitis est beatus, sed ita, primum est iustus fide, postea eius patientia in paupertate, est beatitudo, id est, bonum opus Deo placens: nec reiectus est Lazarus a Deo.

Praeterea sciendum est, non laudari ipsam paupertatem, sicut monachi finxerunt, qui tamen non indigebant ullis rebus necessariis. Sed loquitur de obedientia in paupertate, id est, de obedientia erga Deum.

Utrunque est ordinatum a Deo, divitiae et paupertas. Et nec propter divitias nec propter paupertatem homo recipitur aut reiicitur, sed recte uti divitiis, est bonum opus, recte uti paupertate etiam est bonum opus.

Abraham est dives, et placet Deo, quia est iustus fide, et deinde recte utitur divitiis, non pluris facit divitias, quam confessionem doctrinae.

Moises in aula Pharaonis posset esse dives, et fieri Princeps, si deficeret ad religionem Aegyptiacam, sed mavult esse pauper, ac retinere veram religionem. Talia exempla multa videmus in quotidiana vita. Aliquis ex nobis posset esse dives Canonicus, cum impietate.

Sed mavult esse pauper Diaconus, cum pietate.

Quia eorum est regnum coelorum.

Quaero, An paupertate mereantur regnum coelorum? Non, sed cum iam antea facti sint filii et haeredes, regnum coelorum simul est compensatio pro paupertate.

Quid significat regnum coelorum?

Non solum futuram gloriam, sed simul universam defensionem divinam in hac vita.

Ioseph in carcere, pauper, habet regnum coelorum. Est dives propter defensionem Dei.

Beati lugentes.

Lugentes hoc loco generaliter intelligantur omnes pii, qui veris doloribus et angoribus excruciantur, ut primum qui iniuste affliguntur propter professionem verae doctrinae, aut alioqui patiuntur innocentes, quales fuerunt Abraham, Iacob,

Ioseph, David, tres viri in fornace Babylonica. Item illi etiam, qui cum non sint innocentes, haerent in poenis, et castigantur propter sua peccata, ut cum fures, homicidae et alii scelerati rapiuntur ad supplicia, si tamen convertantur ad Deum, et consolationem concipiant, ac erigantur fiducia mediatoris Christi exemplo emendati latronis in cruce, Regis Manassae, et Prophetae Davidis etc.

De singulis his in luctu vel moerore iacentibus modo sint conversi ad Deum, et confugientes ad Christum acquiescant fide, certa est et manet vera haec regula, promittens levationem salutarem: Beati qui lugent, quia consolationem sentiunt. Ac referatur ad vocem iuramenti: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Item Esaiae 66.: Ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito et tribulato, et tremente sermones meos. Item Psalmo 51.: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus, cor contritum et humiliatum Deus non despicies. Et sumatur hic declaratio ex integra explicatione totius doctrinae de cruce.

Beati mites, quia possidebunt terram.

Mites, id est, non cupidi vindictae, nec laedentes alios cupiditate privatae vindictae, sicut plurima perniciosissima bella moventur propter cupiditatem vindictae. E contrario David est mansuetus seu mitis, id est, non cupidus vindictae, cum saepe posset Saulem interficere, et civiliter loquendo, haberet ius interimendi hostem, tamen nunquam voluit occidere, ne videlicet autor esset novi exempli seu scandali rapiendae dominationis in populo Dei, si privatus vel subditus diceretur interfecisse regem ordinarium. Sic exemplum Iosephi mitissimi Patriarchae etiam pingit hanc totam doctrinam.

Cum autem acerrimus impetus et ingens incendium sit in animis hominum cupiditas vindictae, eo maiore contentione huic affectui repugnemus, muniti verbo et auxilio divino, iuxta praeceptum Pauli Rom. 12.: Non vindicantes vosmetipsi. Estque vindicta privata severe prohibita. Ergo manifestum est singulos quotiescunque incenduntur ira, ardent odiis et malevolentia iniuste, sicut Cain, debere hos affectus contra conscientiam haerentes deponere, nec irae et cupiditati vindictae morem gerere, secundum gnomen quae extat in Iohannis Epistola: Qui odio persequitur fratrem suum, est homicida.

Praeterea, etiam cum veris causis lacessitus iuste irasceris, tamen debes cohibere privatam cupiditatem vindictae. Quia Deus sanxit ordinem, ut sint leges, iudices et regimina seu magistratus, his subiecit genus humanum, ad hos vult confugere, petere defensionem, praesidium et executionem poenarum, ac interim te Deo, legibus ac iudicibus vero animo cedere vindictam, nec alere privatum odium. Adiungitur itaque promissio, quae consolatur iniuste oppressos: Beati mites, quia possidebunt terram. Quae quidem promissio clarius intelligitur considerata antithesi, est enim opposita humanis iudiciis. Reges, Principes et privati seu inferiorum ordinum homines cogitant, se consecuturos potentiam, imperia, dignitates, habituros successus, gloriam, et incrementa fortunarum, si formidabiles videantur acerbitate vindictae, si premant et conculcent alios. At contra Christus promittit non indulgentibus privatae vindictae conservationem etiam in terra, ita ut deletis tyrannis illi tandem sint dominaturi.

Exempla, ut David evehitur ad fastigium regni, quantumvis atrociter saeviente Saule et caeteris hostibus impiis. Iacob servatur et tegitur divinitus, etiamsi cogitur aliquandiu fugere saevitiam fratris Esau.

Ioseph fit dominus omnium suorum fratrum, respondente eventu suis somniis, quem fratres moliebantur omnibus viribus impedire. Imo praeficitur ac imperat etiam hero suo et herili coniugi, qui curaverant eum coniici in carcerem.

David manet dominus, et retinet regium locum supra omnes Principes ac proceres regni, quamvis plerique conspirantes conarentur vi oppresso regnum eripere.

Beati qui esuriunt et sitiunt iusticiam, quia saturabuntur.

Esurire et sitire iusticiam, est vero dolore affici et angi propter propriam infirmitatem, immunditiem, labes, lapsus atque peccata, et fide a Deo petere remissionem, consolationem ac salutarem emendationem, ut David, Manasse, Petrus, latro in cruce, postquam consternati agnitione irae Dei adversus sua peccata, et sese emendantes, vere esuriunt ac sitiunt iusticiam, experiuntur uberem et efficacem consolationem, quemadmodum pollicentur haec dicta: Esurientes implevit bonis, ac divites dimisit inanes. Item Esaiae 66.: Ubi habitabit Dominus? In spiritu contrito et tri-

bulato. Deinde hi quoque esuriunt et sitiunt iusticiam, qui vero dolore et zelo excruciantur propter confusionem doctrinae coelestis in Ecclesia, propter veritatis labefactationem et impias corruptelas, quia vident plurimos perverse docere, confirmare et stabilire idola, comminisci novos errores etc. ac gementes orant, ut Deus adiuvet propagationem suae veritatis, et sanet vulnera Ecclesiae extricatae ex erroribus.

Sic Iohannes Evangelista tunc sustinuit acres dolores, cum Hebion et Cherinthus impium et blasphemum dogma sparserunt, detrahentes Christo divinam naturam.

At de Polycarpo scribit Irenaeus, solitum saepe veris gemitibus deplorare, quod non multo ante, quam horrendas blasphemias Marcionis audivisset, a Deo ex huius vitae curriculo evocatus esset. Quicunque igitur vero motu cordis clamant ad Deum, gementes ac moerentes, ne labefactetur et opprimatur veritas, illorum preces nequaquam sunt irritae.

Ita Daniel ingenti motu precatur de restituenda Ecclesia et instauratione templi Ierosolymitani. Et Ezechiel. 9. vetat Deus ab angelo occidi eos, qui gemunt propter idola et abominationes in Iuda. Item 3. Reg. 19. proponitur exemplum pulcerrimum veri et ardentis zeli in Elia esuriente et sitiente iusticiam, quando gemens acerbissimis querelis clamitat: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israël, altaria tua destruxerunt, et Prophetas tuos occiderunt gladio, et solus relictus sum ego, cuius animam quaerunt ut auferant.

Beati misericordes, quia misericordiam consequentur.

Quid differt misericordia a iusticia? Iusticia iudicis est iuxta leges punire omnes qui deliquerunt, et quidem singulorum delictorum poenas exequi iuxta normam legibus constitutam. Ita Deus asperrime sine ulla mitigatione punit diabolos iuxta hunc immotum ordinem severae iusticiae.

Misericordia vero virtus est, quae afficitur dolore in aliena calamitate iniusta, et opitulatur iniuste oppressis, quantum potest: aut etiam in calamitate iusta dolet vicem eorum, qui etsi poenas meriti sunt, tamen non fuerunt duces et autores scelerum, sed errore aut imbecillitate lapsi deceptive sunt, ac propter probabilem rationem talibus lenire miserias studet.

Sic Deus est misericors in recipiendis primis parentibus Adamo et Eva, quorum lapsus etsi tristissimus fuit, tamen ipsi non superbo contemtu Dei scientes et blasphemi offuderunt aliis falsam persuasionem, ut impulsores diaboli ardentes horribili odio Dei. Propterea Deus hac distinctione discernit homines lapsos et diabolos, quod rigide sine ulla mitigatione severam iusticiam exercet et exequitur adversus blasphemos diabolos. At inenarrabili temperamento mirandaque copulatione iusticiae et misericordiae sic parcit hominibus, ut et iram declaret in poenis, et mitigatione poenarum misericordiam exerceat.

Hanc virtutem sciamus nobis quoque mandatam et praeceptam esse: Estote misericordes, sicut et Pater vester misericors est.

Primum debemus affici sensu calamitatis innocentum, sicut hoc ipso tempore plurimi homines innocentes ac pii cum miseris familiis vagantur eiecti ex suis nidulis, quibus opem ferre, benefacere ac miserias lenire singuli pro facultatibus et vocatione debemus.

Secundo, sontibus etiam debemus ignoscere, sic ut remittamus aliquid de summo iure, et mitigemus iustam calamitatem, ubicunque ratio muneris et officii publici non iubet severe poenas exequi. Nam indulgentiae nimiae confirmanti atrocia peccata nequaquam misericordiae appellatio tribuenda est, ut si iudex aut magistratus aliquis velit connivere ad enormia delicta, parcere homicidis, furibus, et aliis id genus grassatoribus, impunitatis spe pergentibus turbare communem societatem. Huic opponatur fulmen vocis divinae ex Deuteronomio: Non parces ei.

Misericordia vero probabiles habet causas clementiae et mitigationis poenae, ignoscit iis, qui decepti seu seducti sunt, et de quibus non vana spes est emendationis.

Sed indulgentia seu lenitas connivens ad delicta, est confirmatio scelerum, caedium et aliarum turpitudinum.

Porro huic misericordiae, quae tribuitur vel sontibus vel innocentibus, quemadmodum paulo ante dictum est, Dominus addidit amplissimam et dulcissimam promissionem: Beati misericordes, quia misericordiam consequentur. Idem confirmant plurima dicta, ut Psalm. 41.: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala

liberabit eum Dominus, Dominus servabit eum et vivificabit, et beatum faciet in terra, nec tradet eum voluntati inimicorum suorum, Dominus opitulabitur ei decumbenti. Tu Deus depellis omnes eius morbos, et universos dolores levas. Item, Proverb. 19.: Qui miseretur inopis, mutuo dat Domino, is vicissim illi benefaciet. Et postea 28. cap.: Qui dat pauperi, non indigebit, qui vero avertit oculos suos, excutietur ex fortunis.

Eodem respexit Dominus, cum sic inquit Matthaei. 25.: Venite benedicti patris mei, ac possidete haereditatem regni vobis parati inde usque a conditione mundi. Esurivi enim, et dedistis mihi cibos etc. Item tertio Regum 17. Magnifice praedicatur pulcerrimum exemplum viduae Sareptanae, cui cumulate redditur merces misericordiae, quam Prophetae praestitit, nec solum ipsam et filium largissimis praemiis ornavit Deus, sed haud dubie totum oppidum sensit eius beneficii uberem fructum ac compensationem.

Exceptio.

At hic oportet scire, tantum erga illos exercendam esse misericordiam, erga quos pater coelestis et misericors fuit et adhuc est, ut erga iniuste oppressos, aut etiam erga sontes et male meritos, nequaquam tamen blasphemos, nec impulsores et autores scelerum tales, quales sunt diaboli et omnes pertinaces idolatrae, blasphemi et haeretici, nec erga validos mendicantes, impudentes stelliones, petaces errones ac impostores, quales passim hodie vagantur.

Talium calamitatibus non debemus moveri vel affici, nec ipsis subvenire vel benefacere, sicut sequentia testimonia clare praecipiunt, 2. Iohan. 1.: Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, non recipite illum in aedes, nec salutem illi dicite, Qui enim dicit illi, Salve, communicat operibus eius malis. Item 2. Thes. 3.: Si quis non vult laborare, non manducet. Audivimus enim etc. Proverb. 5.: Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli. Lucae 9.: Estote misericordes, sicut pater vester coelestis etc. Is non exercet misericordiam erga diabolos, pertinaces haereticos et blasphemos.

Beati mundo corde, quia Deum videbunt.

Haec particula loquitur de castitate, Beati habentes cor castum. Et hic attente ac serio cogitemus omnia praecepta de castitate, toties a Deo repetita. Horribilia etiam poenarum exempla nobis proponamus.

Quid est castitas?

Primum igitur scias, castitatem esse virtutem, quae vitat omnes commixtiones et effusiones seminis prohibitas lege Dei, ut scortationes, adulteria, incestas consuetudines etc. Et adiungantur ad considerationem harum prohibitionum comminationes poenarum tristissimarum, nec dubitemus Deum horribiliter irasci vagis libidinibus, et atrocem violationem huius praecepti puniri cum atrocibus poenis in hac mortali vita, tum post hanc vitam sempiternis suppliciis universaliter in omnibus non agentibus poenitentiam. Nam Levitici 18. dicit Deus: Omnes qui fecerint abominationes huiusmodi, terra evomet. Item Ebraeos 12.: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Item, 1. Corinth. 6.: Nolite errare, scortatores, adulteri, non possidebunt regnum Dei. Ac ideo tam severe Deus sanxit castitatem, ut esset insignis et conspicua virtus, discernens Deum a diabolis et aliis immundis naturis.

Hic etiam vobis horribilium poenarum exempla proponite. Sodoma conflagrarunt propter incestas libidines. Ac Deus ipse Cananaeos affirmat propter incestas libidines deletos esse. Postea fere tota tribus Beniamin deleta est propter stupratam Levitae uxorem, Iudicum 20. Ita, ut interficerentur viginti quinque millia hominum bellicosissimorum. Item Davidis adulterium magnas ipsi et regno calamitates attulit. Porro singuli cogitent ac memoria repetant historias veteres atque recentes, in quibus exempla cernent poenarum, per omnes gentes omnibus temporibus vagantium, sed praecipua et tristissima poena impuritatis est, de qua Paulus inquit: Coecitate puniri libidines, iuxta Pauli dicta, ad Romanis 1. et Ephesios 4.

Itaque conspectus et consideratio poenarum exuscitet et augeat in nobis timorem Dei. Promissiones vero dulces et amplae flectant animos ad amorem castitatis, sicut et hic additur: Quia Deum videbunt, hoc est, securitas, coecitas et furor comitantur libidines, quemadmodum cives in Sodomis excoecati et amentes accersebant sibi exitium. Item, ut Salomon in gratiam mulierum quas amabat, ruit in idolatriam. Quam multos praestantes ingeniis, autoritate, sapientia, eruditione Reges etiam atque Principes, legimus ob-

scoenis amoribus de sanitate ac mente deturbatos esse?

Numeri 25. Commorabatur Israël in Setim, et coepit fornicari populus cum filiabus Moab, quae vocabant eos ad sacrificia sua. At illi comedentes ac bibentes adorabant idola earum, et initiatus est, seu, adhaesit Israël Baal Peor.

Sic nostra memoria Episcopus Trevirensis, idemque Marchio Badensis in ipso thalamo interfectus est a sutore quodam.

Item Episcopus Wormatiensis, Dalburgius excellens eruditione, et Cancellarius Edelbergae, dum noctu ingreditur aedes meretricias, casu delapsus in cellam vinariam, misere periit.

E contrario: magna luce, sapientia, donorumque praestantia Deus ornat et cumulat castos, ut exemplum Iosephi testatur, de quibus donorum incrementis loquitur textus: Deum videbunt. Item, ad Ebraeos 12.: Sectamini sanctificationem, sine qua Deum nemo videbit.

Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur.

Tria genera hominum sunt in omni gubernatione.

Primum genus est ignavorum, qui sunt negligentes, et cessant in officio suo. Qualis in regimine politico fuit Sardanapalus: in regimine ecclesiastico Leo Papa, non curantes iusta et iniusta, nec facientes mediocriter officium, sed ociosi helluones. De talibus clamitant Prophetae, ut Ezechiel 34.: Vae pastoribus qui pascebant semetipsos, lac comedebatis et lanis operiebamini, gregem vero meum non pascebatis. Item Ieremias cap. 48.: Maledictus qui facit opus Domini negligenter. Item Esaiae 5.: Vae qui surgitis mane ad ebrietatem sectandam, et potandum usque ad vesperam, ut vino aestuetis, cithara, lyra, tympanum, tibia, et vinum in conviviis vestris, et opus Domini non respicitis, nec opera manuum eius, id est, ordinem divinum consideratis.

Secundum genus est non ignavum, sed malevolum, lividum, inquietum, pugnax, armatum impudentia et sophistica, quod superbia, ambitione, invidentia, rixositate, aut curiositate, ac polypragmosyne tantum contentiones et discordias excitat. Et tales multi sunt in omnibus regiminibus, ut Romae Marius, Catilina, in Ecclesia Arius, Eccius, Canysius, qui tantum dissidia, distractiones et horribiles tumultus quaerunt. De quibus Salomon Proverb. 6: Eum qui serit discordias inter fratres abominatur Dominus.

Tertium genus est pacificum. Suntque pacifici, diligenter facientes labores necessarios et proprios suae vocationis, non cupidi rixarum, non appetentes certaminum, nec captantes iniustas discordias, ἐπιεικείᾳ, et lenitate tolerantes infirmiora membra, ordine et recte diiudicantes dogmata, ordine, leniter ac benigne diremtis controversiis, corrigentes errata sanabilium, nec perplexe involventes aut insidiose depravantes negocia sententiis calumniosis vocati ad diiudicationem. Non ignavi, non malevoli, non quaerentes, non necessarias rixas, non polypragmonici, non saevi in imbecilles, non obiurgantes cum acerbitate sine ordine, non exercentes saeviciam in sanabiles, nec acerbe, scurriliter et contumeliose dictis volentes vincere, praesertim non prius amanter et ordine admonitos seu castigatos. Ita fuerunt pacifici in gubernatione politica Scipio et Augustus, intelligentes ac sedulo fideliterque facientes proprii muneris officia praecipua, iusta et necessaria. Et in Ecclesia seu ministerio Paulus et alii fideles doctores, ut Ieremias et caeteri Prophetae.

Nec existimentur esse pacifici Sophistae, qui verbis ambiguis et flexiloquis conciliationibus moderari atque concordare volunt religionum controversias, ut fecit Synodus Syrmiensis, quae distinctas Ecclesias hoc consilio speravit rursus coniungi posse, si ex Symbolo Niceno eximeretur vox ὁμοούσιον et generale verbum ὅμοιον insereretur. Nam haec ambigua formula, et velut utrique pedi conveniens cothurnus, nequaquam sustulit dissidium, sed auxit discordias. Talium consiliorum et evertuum non pauca, proh dolor, aetas nostra vidit exempla, ut cum Sphynx Augustana, quae nominatur INTERIM, prolata est.

Pacificis opponuntur in regimine politico tyranni, in Ecclesia calumniatores, diaboli, sycophantae. Tyranni quaerunt et concitant bella sine causis iustis et necessariis, sicut hoc ipso tempore Romanus Pontifex movet bella, et tumultus excitat adversus imperatorem cupidum pacis et publicae tranquillitatis. Item qualis est Turcicus tyrannus, etc.

Calumniatores et sycophantae quaerunt logomachias seu cavillationes et sophismata plausibilia ad eludendam veritatem simplicem, aut ad

veteratorie depravanda aliorum consilia et facta, ut cum Papistae clamitant, nos parum honorifice de sanctis et sentire et loqui, imo profanitatem et contemtum pietatis confirmare, hoc praetextu, quod non approbamus invocationem mortuorum hominum etc. Cum tamen de sanctis et actionibus seu operibus divinis in sanctorum cordibus multo loquamur rectius, honorificentius ac splendidius quam ipsi. Item, cum apud exteros reges praegravamur hac impudentissima calumnia, seu verius manifesto mendacio, quod laxemus vincula coniugii, disciplinae etc. Nec est finis aut modus falsarum criminationum, sophisticarum depravationum et venenatissimarum calumniarum.

Quemadmodum igitur textus Proverb. 6. inquit: Deum abominari serentes et excitantes discordias: ita Dominus hic dicit tanquam e regione, pacifici sunt filii Dei, quia proxima societas et copulatio cum Deo est illa, de qua precatur Christus Dominus Iohan. 17.: Ut sint unum in nobis, sicut pater in me, et ego in patre. At Filius Dei unigenitus, est natura, seu, nativitate filius. Nos vero filii efficimur adoptione, hoc est, tanquam filii et haeredes in gratiam recipimur per fidem in Christum, seu fiducia huius unigeniti Filii nobis donati. Sed postea cum pacifici sumus, in hanc sententiam nominamur filii Dei, ut organa salutaria, per quae Deus efficit, et promovet pacem, ut, cum doctores in Ecclesia, ministerio Pauli Apostoli scribentis ad Galatas, reducuntur in concordiam et piam consensionem. Aut, cum Iohannes Evangelista Ecclesias in Asia coniungens consentientes efficit ac concordes adversus Hebionem et Cerinthum ita, ut deinceps doctores orthodoxi una voce ac sententia confiteantur, atque doceant in Christo utramque naturam esse et manere, divinam scilicet et humanam.

Huiusmodi pacificatores sunt filii Dei, hoc intellectu, quod in eis et per eos est efficax. Nec affingatur aliena interpretatio his verbis: Quia filii Dei vocabuntur, perinde ac si Paulus aut Iohannes fiant filii Dei per hoc suum ministerium pacificationis, cum prius in gratiam recepti ac filii facti sint fide, sed intelligantur, accepta iam remissione peccatorum, cum in sua functione ac ministerio pacis et concordiae piae sunt autores atque promotores, tunc etiam esse filii Dei, ut organa seu instrumenta salutaria, per quae Deus efficit, et restituit pacem in Ecclesiis. Ad hunc modum Constantinus imperator est pacificus, cum velut iniectis frenis reprimit atque coërcet Licinium, ne pergat exercere saevitiam adversus Christianos. Item, postea quando curat in Synodo Nicena, diiudicatis controversiis ecclesiasticis, sanari discordias et concordiam in doctrina restitui. Est enim vere Dei organum in hoc officio seu munere pacificationis, tametsi prius in gratiam receptus et coram Deo iustus sit fide seu fiducia mediatoris. Nam hic textus: Beati pacifici, quia filii Dei vocabuntur, loquitur de functionibus et ministeriis, quae sequuntur in iustis ac placentibus, qui iam ad Deum conversi, et fide apprehendente Christum unigenitum Dei Filium iustificati seu reconciliati sunt.

Tales hoc loco nominantur filii Dei, id est, organa Dei salutaria. Quod est ingens beneficium divinum et singulare decus.

Beati qui patiuntur persecutionem propter iusticiam.

De scandalo crucis.

Primo dicendum est, quod constet universam sapientiam rationis humanae duriter offendi, perturbari et obstupefieri, intuentem hanc aeternam speciem, videlicet, quod Ecclesia videtur miseriis oneratus, dissipatus et conculcatus seu oppressus coetus, ac praesertim quod praecipua lumina et excellentia membra Ecclesiae crudeliter interficiuntur tanquam a Deo reiecta, et piacula seu catharmata execranda, ut Abel, Esaias, Ieremias, Christus, Petrus, Iohannes Baptista. Adversus hoc scandalum necesse est nos recte praemonitos et praemunitos esse. Ac omnino sciamus tantum in verbo Dei propagato per Patres, Prophetas, Christum et Apostolos monstrari veras causas, quare durius prematur, et in hac mortali vita subiecta cruci sit Ecclesia, sed iudicium rationis humanae reclamat, et hoc modo disputat: Iustis congruit bene esse; Nos sumus iusti, Ergo debebamus esse sine calamitatibus, florere, frui opibus, gloria, tranquillitate etc.

Verum doctrina Evangelii, quae est sapientia Ecclesiae propria, declarationem tradit. Ac primum respondet ad maiorem seu dictum legis, Iustis debet bene esse. Id verum est, scilicet, si non haereant in iustis peccati reliquiae, si sint prorsus a peccato liberati. Sed vox Evangelii

revelat integram liberationem, docens iustos, quantumvis afflictos in hac vita, postea habituros aeterna bona, et fruituros perpetua laetitia tunc, cum liberati fuerint a toto peccato, non tantum imputatione et incoatione, sed consummatione novitatis. Deinde respondet ad minorem: Nos sumus iusti, scilicet, per fidem, imputatione seu iusticia a Deo imputata propter Filium, et incoatione novae puritatis, quae quidem incoata novitas adhuc squalida plurimum habet infirmitatis, ita ut simul adhuc magnae sordes haereant in conversis, ut vere manent reliquiae peccati, tristes dubitationes, item multae errantes flammae cupiditatum, seu inclinationes viciosae multiplices in hac immunda et misera natura, donec haec massa carnalis mersa in peccatum prorsus aboleatur ac destruatur morte corporali.

Haec initio dicta sint de scandalo crucis, quod offenditur humana ratio his tristissimis spectaculis, intuens molem aerumnarum, quibus exercetur et oneratur Ecclesia.

Porro sciendum est quatuor esse genera afflictionum.

Primum et communissimum genus calamitatum est, poena certorum et peculiarium delictorum, ut carcer seu captivitas Manassae. Item spectacula publicarum poenarum, cum ultimo supplicio afficiuntur homicidae. De hoc genere castigationum non loquitur iste textus: Beati qui persecutionem patiuntur propter iusticiam, sed antea consolationem proposuit Dominus haec opera iusticae divinae sustinentibus: Beati qui lugent etc.

Secundum genus calamitatum est exercitium seu probatio, ut cum Ioseph innocens propter continentiam iniuste coniicitur in carcerem.

Tertium genus est Martyrium, seu testimonium doctrinae, ut cum Petrus, Paulus, Iohannes Baptista etc. tantum propter confessionem verae doctrinae interficiuntur.

De utroque genere afflictionum, videlicet, probatione et martyrio loquitur hic Christus. Quia vult etiam sanctos homines ac ipsi placentes agnoscere, quod adhuc haereant in ipsis reliquiae peccati, et quod haec corrupta natura universa propter peccatum destruenda sit. Praeterea mors et afflictiones sanctorum sunt testimonia de secuturo iudicio, testantur restare aliam vitam et aliud iudicium post hanc vitam. Cum enim Deus ostenderit antea manifestis et illustribus testimoniis, Paulum sibi placere et curae esse, quem tamen sinat a turpissimo tyranno indignissime postea interfici, significat, secuturum aliud iudicium, in quo ostendet se approbare Paulum, non Neronem.

Item, supplicia sanctorum in confessione sunt testimonia de doctrina, confirmant veram esse, et non commentitiam doctrinam, et quod sancti anteferentes veritatem vitae vere ac serio sic sentiant, sicut docent, nec ut hypocritae circumferant fictam aut fabulosam doctrinam, sui commodi causa.

Quartum genus calamitatum est λύτρον, id est, compensatio seu precium pro nostris peccatis, satisfaciens iusticiae Dei ad placandam iram. Est autem solius Christi obedientia in omnibus ipsius afflictionibus et morte.

Haec quatuor genera distincta appellationibus diligenter considerentur, nec confundantur castigationes Manassae, cum aerumnis Iosephi, attamen utrique horum divinas consolationes offerri atque proponi sciamus.

Etenim donatur Manassae remissio peccatorum propter mediatorem Christum, ad quem vera fide confugienti poenae mitigantur. Ita Ioseph condonatur atque remittitur naturalis infirmitas et immundities propter eundem Filium Dei propiciatorem, et mitigatur ac tollitur tandem crux seu calamitas. Sed a Iosephi aerumnas accedunt hae causae finales, ut edantur testimonia doctrinae, et secuturae vitae.

Vos estis sal terrae.

Initio monet de ministerio, quo oporteat esse aliquos qui doceant. Et in alio loco expresse instituit doctores, scilicet cum mittit Apostolos. Matthaei 10. Item Iohan. 18.: Sicut misit me pater, sic et ego mitto vos.

Et praecipit omnibus qui docent, ut sint sicut sal, arguant peccata, et ostendant veros cultus Dei.

Et addit comminationem: Si sal fuerit insipidum, effundetur et conculcabitur, sicut in Hosea dicitur: Quia scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris.

Haec comminatio semper in genere humano servatur. Quando doctores fiunt negligentes, et omittunt officium, tunc postea sequitur aliqua calamitas, in qua pereunt, sicut Canonici, Monachi et alii Papistae delebuntur, quia neglexerunt et corruperunt ministerium.

Repetit eandem admonitionem: Vos estis lux mundi. Et sit hoc officium docentium, ut ostendant veram doctrinam de Deo etc.

Ne putate, quod venerim solvere legem.

Hic incipit concionem de lege, quam apparet ab eo saepe repetitam esse, quia est interpretatio legis, quam in Ecclesia notam esse oportet.

Primum autem hic, ut saepe facimus, et saepe fieri necesse est, moneri auditores oportet, aliud esse legem, et aliud Evangelium. Hoc discrimen notissimum esse oportet.

Quid est lex?

Respondeo pro pueris breviter: Est Decalogus. Est autem doctrina a Deo tradita praecipiens quales nos esse oportet, et quae facere et omittere oportet, et postulans perfectam obedientiam, et damnans omnes, qui non praestant perfectam obedientiam, videlicet testificans autoritate divina, quod tales rei sint irae Dei et mortis aeternae, et multipliciter puniantur in hac vita et post hanc vitam.

Haec doctrina, quae est lex, non est doctrina de remissione peccatorum. Et Christus non est legislator. Quia lex statim in creatione nobis insita est, et postea subinde et saepe repetita, et in monte Sinai manifesto testimonio promulgata. Et poenae horrendae in vita testantur, legem esse ratam, et Deum esse custodem legis, et poenas exequi, sicut inquit: Deus est ignis consumens.

Et non putemus, legem Dei ita tolli posse, sicut tabula a pariete amovetur, vel sicut statuta humana tolli possunt, Wie ein Bierſteuer, oder ein Gebot von Kleidern.

Sed lex est sententia Dei horrenda adversus peccatum, quam ipse, quia est iustus, exequitur. Et tantum parcit confugientibus ad Filium, sed tamen Filio imposuit poenas, ut iusticiae divinae satisfieret.

Haec generalia de lege saepe cogitanda sunt, et sciri haec necesse est.

Evangelium vero est praedicatio poenitentiae et promissio, in qua propter Filium Dei gratis dantur nobis certo remissio peccatorum, imputatio iusticiae, Spiritus sanctus, et vita aeterna, per solam fidem in Christum, non propter legem et non propter nostra merita.

Haec promissio est medicina, quae sanat vulnera, id est, damnationem et poenas, quae voce legis nobis imponuntur.

Et hanc medicinam in promissione statim Deus revelavit, quando recipit Adam et Hevam, qui etiam ceciderant in damnationem et poenas iustas, sed Filius Dei pro eis deprecatus est. Et ita propter Filium recepti sunt, et edita est promissio: Semen mulieris conculcabit caput serpentis.

Est ergo huius promissionis promeritor, et pignus et praedicator, Dominus noster *Iesus Christus*, cuius sanguine promissio obsignata est.

Cum autem audivisset populus, se per Messiam a damnatione, quae est poena, quam lex imponit, liberandos esse, audierunt etiam, quod finis futurus esset ceremoniarum Leviticarum, intelligebant doctrinam de libertate carnaliter, quasi iam concederetur licentia omnibus cupiditatibus, sicut multi ante annos viginti audita praedicatione libertatis Christianae, volebant esse liberi ab omnibus legibus, a reditibus et a disciplina.

Huic stultae opinioni primum Christus hic opponit gravissimam sententiam de lege: Non veni solvere legem, sed implere.

Obiectio.

Sed dicat aliquis: Si Christus non est legislator, cur praedicat legem?

Respondeo.

Verum est, Christum non esse legislatorem, quia lex prius est lata et nota, sed venit principaliter propter promissionem.

Sed tamen quia in Ecclesia oportet sciri, quid sit peccatum, necesse est vocem Decalogi in Ecclesia sonare, quae est aeterna sententia Dei, et non parcit ullis hominibus, nisi confugientibus ad Filium Dei, ut prius dixi.

Non potest cognosci medicina, nisi prius et morbus cognoscatur. Ita non potest magnitudo misericordiae et remissio peccatorum intelligi, nisi intelligatur peccatum aliquo modo.

Quomodo potes obligare vulnus, si non scias, ubi aut quale vulnus sit? Ideo in Ecclesia semper etiam Decalogus recitatur, ut Paulus inquit: Per legem cognitio peccati.

Et quia Pharisaei legem male interpretati fuerant, et suas traditiones pluris faciebant, quam legem Dei, sicut apud nos Papistae et Monachi.

Ideo Christus ut fidelis doctor Decalogum saepe repetivit, et falsas interpretationes taxavit et delevit, sicut nostro tempore Dominus Doctor Martinus in praedicatione Decalogi tales pharisaicas interpretationes delevit.

Interea tamen scias, aliud esse promissionem propriam Evangelii, et Christum habere alia principalia officia, scilicet, sonare vocem Evangelii, et fieri victimam, et dare remissionem peccatorum, iusticiam et vitam aeternam. Iam videte verba.

Non veni solvere legem. Solvere significat delere, weg thun, vnd austilgen.

Affirmat igitur clare, quod ipse non velit delere legem, videlicet Decalogum. Nam Decalogus est illa pars legis, quae est fundamentum aliarum legum, et est sententia perpetua, et ad totum genus humanum pertinet, non tantum ad populum Iudaicum.

Quare autem non deletur Decalogus? Quia non est tantum pictura in libris vel parietibus, sed est ipsa sapientia et voluntas Dei, quae est aeterna, sicut ipse Deus.

Sicut igitur sapientia et voluntas Dei non possunt deleri, ita lex non potest deleri, sicut videmus manere poenas in nobis ipsis, quia eas lex, id est, iusta voluntas Dei imponit.

Ait ergo: Non veni solvere legem, sed implere.

Haec verba plena sunt maximae sapientiae, et debent esse notissima omnibus, et saepe cogitanda sunt, ut paulatim magis magisque ea intelligere discamus.

Ut autem pro nostra infirmitate utcunque declaremus haec verba, sciendum est, quod Christus implet legem *quatuor* modis.

Primum, suae propriae obedientiae perfectione, quia solus Christus perfecte facit legem.

Secundo, solvendo poenas pro nobis.

Tertio, efficiendo legem in nobis, dans Spiritum sanctum, et regenerans nos, et restituens nobis vitam aeternam, ut ita fiat lex in nobis, quia oportet nostras voluntates congruere cum sapientia et voluntate Dei.

Quarto, quia ipse eam etiam docet et illustrat, et testatur obedientiam esse necessariam.

De dicto:
Non veni solvere legem, sed implere.

Coepimus nuper dicere de hac gravissima sententia: Non veni solvere legem, sed implere. Et vos adhortor, ut eam perpetuo meminisse studeatis, et saepe cogitetis.

Dixi autem, Dominum quatuor modis implere legem.

Primum, perfectione propriae obedientiae.

Secundo, sustinendo poenam, quam nos debemus iusticiae Dei.

Tertio, renovando nos, ut possimus legem facere.

Quarto, docendo, et tollendo errores pharisaicos.

De primo modo non est prolixe dicendum, sed hoc moneri opus est, quod nullus homo in toto genere humano fuit sine peccato, et satisfecit legi, nisi solus hic Dominus Iesus Christus, qui natus est ex Maria virgine. Et hunc Dominum oportuit esse sine peccato, ut poena in ipsum derivata valeret, non pro ipso, sed pro aliis.

De secundo modo.

Praecipue loquitur Dominus hoc loco de secundo modo, tametsi caeteri modi ad illum sequuntur.

Est autem secundus modus maxime admirandus. Christus implet legem, scilicet derivando in se poenam, et ita pro nobis persolvendo, ut nos propter eum recipiamur.

Hic discamus peccatum esse rem horrendam et pessimam, siquidem Deus non voluit remittere peccatum, nisi tanta compensatione interveniente.

Et consideremus hic, quomodo miranda sapientia Dei in redemtione hominis copulentur misericordia et iusticia.

Iusticia Dei est, ut post lapsum Adam et Eva sint damnati ad poenas aeternas, sicut diaboli. Et ita ratiocinatur Adam, cum a Deo accusatur.

Sed Filius Dei intervenit, et orat pro genere humano, et ut iusticiae patris satisfiat, fit hoc mirandum decretum, ut Filius adsumat humanam naturam, et obediat legi, et sustineat horrendas poenas pro genere humano.

Ita Deus per misericordiam recipit homines, scilicet propter deprecantem Filium, sed tamen copulata est iusticia, sic, ut Filius sustineret tamen poenam pro caeteris.

Hoc mirandum consilium in hac vita non satis intelligimus, sed erit haec sapientia discenda in coelo in tota aeternitate. Nunc tamen incoanda est haec consideratio. Et ut incoaretur, institutae fuerunt tot mactationes in lege. Hae omnes fuerunt typi et signa huius futuri sacrificii admirandi.

Vult nos Deus cogitare esse seriam et ingentem iram suam adversus peccatum, et fuisse maximam causam, quare Filius passus sit. Nimis duri sumus omnes homines, et hanc magnitudinem irae Dei non possumus intelligere. Sed tamen cogitatio incoanda est, et Deus orandus est, ut in nobis accendat scintillas huius lucis et sapientiae, ut non parvam rem existimemus esse peccatum.

Quanquam igitur alii tantum hic loquuntur de typis, Christus implet leges ceremoniales, quia ipse fit victima, quae est significata per ceremonias et mactationes pecudum: tamen sciatis principalem impletionem esse, quod patitur poenam, quam nos debuimus iusticiae, propter aeternam legem, quae est recitata in Decalogo.

De tertio modo.

Non solum poenam persolvit Christus, sed persoluta poena postea nobis etiam sua bona applicat, et restituit nobis iusticiam et vitam. Sic implet legem, renovat nos dato Spiritu sancto, ut iam incipiamus esse in nobis tales, quales lex esse docet.

Renovata natura nostra et postea consummata novitate in Resurrectione, erimus prorsus tales, quales esse lex docet. Interea vero tamen reputamur iusti, imputata nobis ipsius Christi iusticia.

Hanc doctrinam quotidie auditis. Et est necessaria consolatio. In hac vita sumus iusti propter Filium Dei imputata nobis ipsius iusticia, quam oportet fide accipi.

Et cum in veris pavoribus corda vivificantur, iam incoatur obedientia in nobis, quae perficietur post hanc vitam.

Ita dicit Paulus Rom. 8.: De peccato damnavit peccatum in carne, ut iusticia legis impleatur in nobis.

Hic loquitur de duobus his modis, de persolutione poenae, cum ait, Christum factum esse peccatum pro nobis.

De sequente beneficio, cum ait, Ut iusticia legis impleretur in nobis, id fit dupliciter.

Primum imputatione, donata nobis iusticia Christi. Et hanc oportet fide accipi.

Deinde et renovatione nostrae naturae, quae renovatio in hac vita incoatur, et post hanc vitam perficietur.

De quarto modo.

Christus implet legem docendo. Etsi enim Christus non ideo principaliter venit, ut leges ferat, quia lex antea et nota fuit, et promulgata, sed ut ipse fiat victima: tamen simul, ut dictum est, taxat errores Pharisaeorum, et ostendit puram sententiam legis, ut monstret magnitudinem peccati, et nos trahat ad poenitentiam. Ideo in hoc capite recitat dicta legis, et reprehendit pharisaicas interpretationes etc.

Legatur textus.

Qui solverit unum de mandatis minimis, et sic docuerit homines etc.

Nisi abundaverit iusticia vestra supra iusticiam Pharisaeorum. Veteribus dictum: Non occides.

Ego autem dico vobis: Qui frustra irascitur fratri suo, reus est iudicii etc.

Enarratio.

Hic incipit Dominus reprehendere malas interpretationes Pharisaeorum. Et iam iterum admonet nos de hac communi doctrina, quod oportet semper in conspectu esse discrimen Legis et Evangelii.

Et assuefaciant se omnes homines, ut cum audiunt nomen legis, sciant fieri mentionem Decalogi. Et quia Christus vult iam esse Doctor, taxat errores, quibus Decalogus depravatus est a Pharisaeis, et orditur a praeceptis crassioribus. Non occides, Non moechaberis, quia in his magis sentimus nostras viciosas cupiditates et ἀταξίαν, und unordnung, quam in primo praecepto. Est autem in summa hic communis error Pharisaeorum.

Lex Dei prohibet non tantum opera externa pugnantia cum lege, ut externum homicidium aut externum adulterium. Sed vult etiam cor esse recte ordinatum et simile legi Dei, ut non solum, ne Saul occidat Davidem, sed vult etiam ut sit Saul cor rectum, quod propter Deum vero affectu herzlich diligat Davidem.

Sed Pharisaei docebant, legem Dei tantum loqui de externis factis. Et non loqui de interio-

ribus affectibus, et postea fingebant sic satisfieri legi, quando homo foris coërceret manus et alia externa membra, Et dicebant hominem iustum esse coram Deo, habentem hanc externam speciem, et nihil sciebant de Christo et de iusticia fidei.

Sed docebant talem externam speciem, quae usitate nominatur externa disciplina, Eusserliche zucht. Et nihil dicebant de vera poenitentia, de vera humilitate, de Christo, de iusticia fidei, et de gratia, vel de illis veris consolationibus, de quibus concionantur Prophetae in promissionibus. Imo ista dicta de fide: Iustus fide sua vivet, impiissime corrumpebant, sicut nunc corrumpunt Iudaei sceleratissime. Iustus fide sua vivet, sic interpretantur, unusquilibet honeste vivens in sua religione, sive Iudaeus, sive Ethnicus, sive Mahometista, vivet. Tales horrendas blasphemias fingunt impii homines, quando amittunt lucem Evangelii.

Ante hos annos Monachi etiam hos pharisaicos furores eodem modo sicut Pharisaei et Iudaei docuerunt, quod externa opera legi Dei satisfaciant, quod homo sit iustus tali disciplina, quod interior immundities, dubitationes de Deo et aliae errantes cupiditates, andere vnordentliche begirden, non sint peccata. Et nihil dixerunt de iusticia fidei, imo nunc quoque defendunt hos ipsos errores.

Sed nos hic discamus ex concione Christi verum intellectum legis, quod videlicet damnet exteriora facta contraria legi, et interiores inclinationes pugnantes cum lege. Et sciamus, quod in hac corrupta natura Omnes sint rei irae Dei, et quod nemo natus in hac corruptione potuerit aut possit satisfacere legi Dei, sicut Paulus clare dicit Rom. 8.: Caro non potest subiici legi Dei.

Et hanc doctrinam scire necesse est, ut agnoscamus iustam iram et iudicium Dei, et agamus poenitentiam, et confugiamus ad Dominum nostrum Iesum Christum. Et non potest intelligi iusticia fidei, donec manent hae tenebrae, quod simus iusti nostra iusticia et impletione legis: imo hic error directe pugnat cum doctrina de iusticia fidei. Quare in Ecclesia necesse est hunc errorem saepe et perspicue taxari.

Haec dixi, ut summa totius huius concionis planius intelligatur. Nunc breviter de textu dicam.

Primum dicit Christus: Si quis unum de his minimis mandatis solverit, et sic docuerit etc. erit minimus in regno coelorum.

Quid vocat minima mandata? Profecto maxima sunt, dubitatio in corde de Deo, securitas, esse sine timore Dei, esse plenum superbia, odio, invidentia, inordinatis amoribus etc. An haec sunt minima?

Respondeo: Pharisaei sic loquebantur. Et Dominus utitur verbo ipsorum, ut coecitatem eorum taxet, quasi dicat: Vos pessimi et superbissimi hypocritae vocatis Minima haec tanta mala, quae valde offendunt Deum, et non vultis agnoscere iudicium et iram Dei. Ideo vos quoque eritis minimi in regno Dei, id est, abiecti et damnati ab his, qui sunt in regno Dei.

Altera pars.

Nisi excellet iusticia vestra, supra iusticiam Pharisaeorum, non intrabitis in regnum coelorum.

Ecce hic discernitur iusticia Christiana ab hypocrisi. Hic videtis, quod non doceat Christus securitatem carnalem, et non velit nos manere tales, in diesem rohen furchtlosen wesen.

Quot modis igitur antecelluit iusticia in homine Christiano?

Quatuor modis.

Primum Poenitentia, id est, veris doloribus propter peccata. Non est securitas in Davide sicut in Saul, David agit poenitentiam et dolet, Saul contemnit iudicium Dei, vel in poena irascitur Deo.

Tales sunt universaliter hypocritae, furchtloß, stoltz, vnd meinen sie sind die rechten seulen der Christenheit etc.

Secundo excellit Fide. Hanc prorsus ignorant hypocritae, confidunt sibiipsis, non confugiunt ad Filium Dei, qui est mediator, gloriantur se sua justicia iustos esse, vel ruunt in desperationem, et de hac consolatione, quod deberent credere homines fieri iustos imputata iusticia propter Christum, nihil sciunt, nec volunt scire. Ita David erexit se hac fide. Saul non potuit se erigere, quia hanc doctrinam non voluit amplecti.

Tertio, Invocatione. Hi soli possunt Deum invocare, qui agunt, poenitentiam et credunt in Christum. Rom. 10.: Quomodo invocabunt nisi credent?

Item: Nemo venit ad patrem, nisi per Flium.

Item Salomon. Oratio hypocritae est peccatum. Tantum deridant Deum, qui invocant, et tamen non credunt se recipi vel exaudiri. Cum invocatione oportet complecti spem, et simul sunt multae virtutes, quae sunt tantum in Christianis agentibus poenitentiam et credentibus.

Quarto, Consolatione, credentes sentiunt consolationem, et crescit in eis fides et laetitia cordis, et alii fructus Spiritus. Item Deus etiam mitigat eis poenas, ut Davidi, Manassae, Iechoniae etc. Sed hypocritae magis magisque ruunt, ut Saul non solum premitur desperatione et dolore in corde, sed etiam aliis multis externis calamitatibus.

Haec quatuor diligenter consideranda sunt, ut sciamus discrimen inter hypocritas et Christianos, et excitemus nos ad conversionem, ad poenitentiam, fidem, et veram invocationem, et quaeramus in Deo consolationem, quod profecto iam in his tantis miseriis valde necessarium est.

Audistis quod dictum est antiquis: Non occides.

Diximus supra, semper in genere humano hypocritas legem Dei intelligere tantum de externa disciplina, et fingere hanc externam disciplinam esse justiciam coram Deo, et mereri remissionem peccatorum, sicut Pharisaei fingebant, sic Monachi, et aliqui omnibus temporibus finxerunt.

Hunc errorem vult emendari Deus omnibus temporibus. Prophetae clamantes contra hunc errorem interfecti sunt. Christus etiam hic taxat eundem errorem. Taxavit et recens Dominus Doctor Martinus, quia Deus vult agnosci peccatum, quod intus in corde haeret, et vult expavescere, vult nos agnoscere gratuitam remissionem peccatorum, et iusticiam propter Filium.

Et orditur Christus a praecepto, Non occides, quod loquitur de peccatis, quae magis intelligi possunt. Et immundities cordis pugnans cum hoc praecepto est magis nota, quam subtilia peccata, diffidentia erga Deum, quae habetur pro sapientia, vel fiducia propriae iusticiae, quam putant hypocritae virtutem et gloriam esse. Sed invidentia et acerbum et iniustum odium in corde Saulis sentitur et clare iudicari potest, et scit Saul, qualis res sit, sed non vult se damnari, dicit haec mala non esse peccata.

Contra hanc coecitatem dicit Christus: Ego autem dico vobis, Omnis qui irascitur fratri suo frustra, reus est poenae, Der ist alsbald schuldig, das er sol gestrafft werden.

Qui dixerit fratri Racha, Wer seinem Bruder ein grimmige geberde zeigt, wer neid oder haß tregt, der ist schuldig, das man ihn für Gericht führe.

Qui dixerit fratri suo Fatue, reus est gehennae ignis, Wer seinen Bruder lestert, schmehet, felschlich verleugt.

Nominavit tres gradus, qui non sunt externa homicidia manu facta, sed sunt interiora homicidia, quae corde fiunt. Et sunt communissima, sicut videmus plurimum esse odiorum, invidentiae, maledicentiae etiam in illis, qui volunt videri iusti et sancti, et haec sua peccata non vident.

Quod autem alibi dicit Christus: Reus est poenae, reus est judicii, idem sunt, quia expresse dicit reum esse. Cum sit reus, iuste eum Deus condemnat. Sed durissime dicit de tertio: Reus est gehennae ignis. Sic solet nominare inferos et poenas aeternas, et nomen sumtum est a valle Ennon, ubi fuit sacrificatum idolo, cui in sacrificio offerebantur pueri, qui ibi comburebantur. Inde nomen sumitur pro poena infernali.

Sed cur hic durius loquitur, von den Lesterern? Quia maledicere est peius, quam caedem manu facere, quia qui manu occidit, tantum necat corpus, sed maledicus occidit corpus, et eripit famam. Nam dolor propter infamiam adfert etiam mortem, sicut Salomon vere dicit: Calumnia conturbat sapientem, et frangit robur cordis eius. Haec bene considerent homines maledici, quales valde multi sunt, et sciant se esse dupliciter homicidas. Occidunt corpus dolore, et occidunt hominem quo ad famam, quae est melior res, quam vita corporalis, Sicut Salomon dicit Proverb. 22.: Melius est nomen bonum, quam divitiae multae.

Quaestiones duae.

Sequuntur hic duae Quaestiones.

Una: Estne omnis ira peccatum? Respondeo: Textus dicit de iniusta ira, quia expresse dicit: Qui irascitur fratri *frustra.* Et talis ira iniusta multo frequentior est apud homines, quam iusta ira.

Est autem iusta ira, quando propter gloriam Dei aut propter iusticiam irascimur peccantibus, sicut Christus irascitur, cum expellit ex templo numularios, vel sicut Princeps irascitur latronibus aut raptoribus virginum vel honestarum matronarum. De hac ira dictum est: Zelus domus tuae comedit me. Et talis ira debet esse in gubernatione, quia est calcar exuscitans ad iusticiam, et adiuvans iusticiam.

Sed haec ira rara est. Alia ira iniusta est communior, sicut Saul invidet et irascitur Davidi, sicut superbi universaliter irascuntur aliis, a quibus se impediri putant etc.

Hanc distinctionem considerate, de ira iusta et iniusta, et simul vos ipsos recte examinate. Unusquisque vult esse iustus, et videtur sibi iuste irasci, sed saepissime habemus falsas imaginationes, et sumus hypocritae, et fucamus nostras pravas cupiditates, irascimur ex superbia, vel avaricia, quia non statim omnia nobis dantur, quae postulamus, quae tamen non iuste debentur nobis. Tales valde multi sunt, et introspiciat unusquisque seipsum.

Huc etiam pertinent ingrati. Multi sunt, quando omnibus beneficiis longo tempore affecti sunt, et semel aliquid fit contra eorum voluntatem, incipiunt odisse. Tales etiam pertinent ad hanc concionem Christi: Qui fratri suo frustra irascitur, reus est poenae. Et Salomon dicit: Non recedet malum a domo ingrati.

Altera quaestio est generalis. Cum omnium corda sint plena immunditiae, et homo non possit deponere hanc immunditiem totam, Quare lex eam arguit? An frustra haec dicuntur? sicut frustra dicebant Stoici, quod homo deberet esse prorsus sine ira, sine amore, sine laetitia, sine metu.

Respondeo: Nequaquam haec frustra dicuntur a Christo, et non est stoica phantasia, sed propter duas causas recitantur. Primum propter poenitentiam, ut agnoscamus nostra peccata, et sciamus, quod non satisfaciamus legi, et non mereamur remissionem. Secundo, propter incoationem, quia oportet incoari in nobis novitatem, et oportet nos repugnare malis affectibus.

Et quanquam fit incoatio, tamen manent in nobis multae reliquiae peccati. Et debemus scire, quod simus iusti propter Filium Dei, non propter nostram impletionem legis.

Si offers ad aram, et ibi recordatus fueris, quod frater tuus habet aliquid contra te.

Saepe auditis discrimen inter haec tria: Promissionem, praecepta de operibus moralibus, von nötigen Tugenden, Et ceremonias, Kirchengepreng: vel inter fidem, Opera moralia, nötige Tugenden vnd Ceremonien.

Et nosse hanc distinctionem valde necessarium est, quia usitatum est, quod homines delabuntur ad ceremonias, et has putant esse totam religionem, Die gantze heiligkeit, Christenthum vnd Gottesdienst, sicut saepe conqueruntur Prophetae, et refutant hunc errorem, sicut in Psalmo 49. dicitur: Audi populus meus, non in sacrificiis arguam te, etc.

Alle Heiligkeit.

Sic tota religio Papae et Monachorum est servare ceremonias suae Missae, formam vestitus, discrimina ciborum, et coelibatum, ne sacerdos ducat uxorem etc. Sed has abominationes debemus intelligere, taxare et fugere, et scire, quod religio sit alia res.

Hoc cum audiunt sapientes mundani, agnoscunt utcunque religionem, Gottesdienst, non esse has larvas ceremoniarum, et discunt doctrinam de operibus moralibus, von weltlichen Tugenden, oder von guten Sitten, et hanc obedientiam existimant esse totam religionem, sicut dicit Cato: Si Deus est animus, ut nobis carmina dicunt, Hic tibi praecipue pura sit mente colendus. Et Plato: Deus non gestibus honoratur, sed vera virtute.

Ista phantasia sapientum, quod tales virtutes sint summus cultus, etiam est falsa, quia scriptum est: Sine fide impossibile est placere Deo.

Haec discrimina bene mementote. Et hunc ordinem considerate.

Primum oportet in homine esse fidem, agnoscentem Deum, et apprehendentem promissionem gratiae, et mediatorem Filium Dei, et iusticiam per eum et propter eum donatam. Quia nemo venit ad patrem, nisi per Filium. Et haec fides lucet in vera poenitentia et vera conversione cordis ad Deum.

Haec fides scit etiam, quod remissio peccatorum non datur propter ullam aliam rem, nisi propter Filium Dei, non propter nostras ceremonias, aut virtutes.

Postquam autem iam cor sic ad Deum conversum est, et est iam Deo copulatum, et vivit in Deo, sequuntur etiam virtutes et ceremoniae iusto ordine, et in tali intellectu, sicut vult Deus intelligi et fieri virtutes et ceremonias. De hoc ipso ordine concionatur hic Dominus. Quia Pharisaei etiam dicebant, oblationes esse summum cultum, et mereri gratiam et omnia bona, sicut Papistae de Missa dicunt. Et erant pleni odiis, et contaminati adulteriis, et multis faciebant iniurias, et postea fingebant, se delere haec peccata omnia sacrificiis, et sic negligebant potiora legis, ut scriptum est Matthaei 23.: Vae vobis qui decimatis mentam etc. et graviora legis negligitis: Iudicium et misericordiam, et fidem. Ecce hoc dictum Christi prorsus idem monet, quod prius dixi, quod falsissima sit imaginatio pharisaica, quod tota religio sit illa observatio ceremoniarum, sed hic expresse nominantur, fides et iudicium et misericordia. Fides significat, ut scitis, veram Dei agnitionem, et accipere promissionem gratiae propter Filium promissae.

Deinde iudicium et misericordia significant virtutes morales, Iuste agere cum hominibus, et eos non afficere iniuriis, et his bene facere, ubi potes et debes benefacere.

Ita hoc loco dicit de ordine: Si vis offerre, et tibi conscius es, quod alterum iniuste laeseris, nihil prodest tuum sacrificium et oblatio tua, scias non placere Deo oblationes eorum, qui veniunt cum mala conscientia, id est, cum proposito peccandi ad Deum.

Sed oportet regulam servari: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam. Sacrificia cum mala conscientia sunt derisio Dei, sicut saepe in Prophetis nominantur abominationes. Et Proverb. 15. dicitur: Victimae impiorum abominatio Domino, vota iustorum placent. Et in summa, plena est scriptura de hoc ordine, quod primum oporteat in nobis fidem esse, postea bonam conscientiam in operibus moralibus.

Tertio debent sequi ceremoniae cum vero intellectu.

Sed volo addere tantum hoc dictum Oseae, quod saepe repeto, quia omnibus notissimum esse debet. Oseae 6. dicitur: Misericordiam volo, non sacrificium, et scientiam Dei, plus quam holocausta.

Idem docet, quod iam dixi. Taxat falsissimam opinionem, quae fingit Deo placere sacrificia in his, qui negligunt agnitionem Dei, scilicet fidem et misericordiam, id est, opera necessaria bonae conscientiae.

Et dicit: Magis volo scientiam Dei, id est, fidem, quam holocausta. Et: Magis volo misericordiam, id est, bona opera erga proximum, quae sunt necessaria ad bonam conscientiam.

Hoc dictum Oseae mandate memoriae, quia est bona et utilis regula, ex qua multi errores iudicari possunt.

Papa totum invertit, dicit: Melior est Missa, quam fides et bona conscientia. Si sacerdos indoctus, impius, adulter celebret Missam, plus boni facit, quam alius homo recte credens, et castus maritus.

Tales furores Papistarum sine ulla dubitatione Deus horribiliter puniet in hac vita, et post hanc vitam. Ideo simus firmi in fide, et petamus a Deo, ut ipse Ecclesias, quae veritatem amant et sonant, defendat et servet, et non sinat eas dissipari, et expectemus protectionem a Deo.

Haec dicta sint de hoc ordine, de fide, operibus conscientiae, et oblatione.

II.

Iam movetur quaestio. Quis debet petere reconciliationem?

Hic vides, quod Dominus praecipit deponi odia, et rursus reconciliari, cum significatione externa, ut alter intelligat odium depositum esse.

Sed quis debet incipere reconciliationem? Respondeo: Pars iniusta, quae laesit alterum, debet incipere reconciliationem, et petere veniam, et se Deo et iusticiae subiicere, et hanc humilitatem Deo et iusticiae praestare.

Sed nemo libenter se humiliat. Ideo omnes quaerunt praetextus, quod habeant iustas causas, et nemo vult in mundo habere iniustam causam.

Hoc malum ita commune est, ut vix aliud sit communius, et maxime usitatum est hypocritis, qui vident festucam in oculo fratris, et negligunt trabem in suo oculo.

Sed hic unusquisque suam conscientiam ipse interroget, remotis illis praetextibus, quos scit ficticios et sophisticos esse. Et cum conscientia eum arguit, videat ut petat reconciliationem.

Et magis accidit, ut illi petant reconciliationem, qui minus peccaverunt, quia dictum est: Iustus in principio est accusator sui. Iusti in-

veniunt in se etiam infirmitates, et libentius eas fatentur, et petunt veniam a Deo, et ab hominibus. Si alter non vult reconciliari, postea tua conscientia est excusata, si petiisti reconciliationem, Deus erit iudex, et tradet illum implacabilem et furiosum hominem lictori, qui ducet eum in carcerem.

Haec doctrina non solum discenda est, sed etiam in vita exercenda. Multae inter nos offensiones incidunt, has debetis sanare, et mutua reconciliatione iuvare communem pacem, sicut et Iacobus bene inquit: Confitemini invicem peccata vestra. Tu habes peccata, habeo et ego. Ego tibi condono, Tu et mihi condonato propter Deum, et propter Dominum nostrum Iesum Christum, quia haec est voluntas Dei, ut in pace mutua vivamus.

Non moechaberis. Ego autem dico vobis, quod omnis, qui videt mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est in corde suo.

Dixi supra, quare haec enarratio Decalogi a Christo proposita sit, scilicet quia est interpres legis, et praedicator poenitentiae, et vult ostendere nos omnes reos esse, et habere peccata, ut agnita ira Dei, confugiamus ad gratiam, et discamus aliam iusticiam nobis propositam esse, promissam propter Filium Dei, et nos non esse iustos impletione legis.

Et exorsus est Dominus a duobus mandatis, quae manifeste convincunt nos, cum loquantur de inordinatis flammis et cupiditatibus, quas sentire omnes et iudicare possunt, videlicet, de invidentia et odiis, et de illicitis amoribus, et cupiditate adulteriorum.

Ideo hic addit enarrationem huic praecepto, Non moechaberis, hanc: Omnis qui videt mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est. Hac declaratione ostendit, quod praecepto Dei non solum externa adulteria prohibita sint, sed etiam omnes inordinati motus. Et quod Deus velit cor esse castum, et obediens ipsius legi, et amans castitatem sicut ipse est.

Accusat igitur nos omnes, quod non simus tales.

Obiectio.

Hic iterum potest obiicere homo secundum politicam sapientiam, nach der Welt weisheit.

Quare prodest proponere praecepta impossibilia? Cur prohibentur inordinati motus, cum nemo possit eos prorsus exuere? Respondeo: Haec dicta Christi non sunt inutilia, quia sunt praedicationes poenitentiae, ut dixi, vult nos Deus agnoscere, quod simus mersi in peccatum, et rei peccati. Et vult nos dolere, et non esse ferreos et securos, quasi simus iusti et mundi nostra munditie, et vult nos quaerere gratiam, et credere quod propter mediatorem detur remissio peccatorum, et reputemur iusti.

Et quando sumus conversi ad Deum, vult nos frenare nostros motus, et vult nos non contra conscientiam polluere nos scortatione vel adulteriis.

Hanc doctrinam de peccato, gratia, et nova obedientia saepe alias auditis. Et debet vobis omnibus nota esse.

Hic etiam addo brevem admonitionem pro iunioribus. Scitote adulteria et scortationes magna peccata esse, et a Deo sine ullo dubitatione magnis poenis puniri, Daß Gott gantze Land, Stett, vnd die Theter straffet.

De his poenis primum dicit expresse textus ad Ebraeos: Scortatores et adulteros iudicabit Deus.

Et Levitici 18. dicitur de omnibus prohibitis modis commixtionum: Omnis anima quae fecerit tales abominationes, peribit de medio populi. Custodite mandata mea, ne terra vos evomat, sicut evomuit gentes, quae prius talia fecerunt.

Nec dubitare debetis, quin Deus bellis et magnis vastationibus puniat adulteria et similia delicta.

Scripta sunt etiam exempla ad regulam ostendendam.

1. Deus punivit mundum diluvio propter adulteria.

2. Sodoma perierunt, et propter similia delicta nunc tota Asia, Aegyptus, Graecia sunt vastata.

3. Num. 25. Iubet Deus suspendi principes populi Israel, et occiduntur praeterea viginti quatuor millia hominum, propter scortationes.

Item tribus Beniamin pene tota deleta est, quia Nobiles quidam stupraverant Levitae coniugem.

Item David propter adulterium horribiliter punitus est. Et sicut ipse alterius viri uxorem polluit, ita vicissim Deus permisit pollui uxores ipsius.

Et videte familias regum et principum, ubi manifesta exempla sunt, quod Deus punit peccata

seminis in semine, id est, in filiis et in posteritate.

Haec mementote, et timete iram et iudicium *Dei*, et vitate adulteria et similia peccata, et orate *Deum*, ut vos regat, quia *Deus* diligit castitatem, et vult donum illud a se peti, et libenter dat hoc donum, et magnis praemiis ornat, sicut Ioseph vitans adulterium, magna praemia accipit.

Ita dicitur in libro Sapientiae, cap. 8.: Scivi quod aliter non possem esse castus, nisi Deus daret. Et hoc ipsum erat sapientiae, scire, cuius sit donum. Ideo precatus sum Dominum. Ita et nos faciamus, petamus hoc donum a Deo, et nos ipsi addamus nostram diligentiam, et conemur nos frenare, nec labamur, et vitemus occasiones adulteriorum, et discamus: Vitare peccata, est vitare occasiones peccatorum. Sünd fliehen, ist die vrsachen vnd vmbstend fliehen, die ein Menschen anreitzen. Wenn einer ins Bad gehet, so wird er naß. Also, wer solcher geselschafft nachgehen wil, der fellt desto leichter. Darumb sollen wir fürsichtig sein, vnd nicht selbs anreitzung suchen zu solchen sachen. Darumb spricht S. Paulus: Wandelt fürsichtiglich, nicht als die Narren.

Aliud Praeceptum.

Si oculus tuus scandalizaverit te, erue eum.

Praecipit Dominus vitari occasiones, vrsach vnd vmbstend, die ein Menschen anreitzen. Halt deine Augen, fliehe böse geselschafft etc. Solche anreitzungen alle sind hie verboten.

Praeterea hoc mandatum de oculo et de dextra continet aliam prohibitionem etiam. Oculus significat consiliarium. Dextra significat amicum. Praecipit igitur Christus, ut caveamus, ne a malis consiliariis seducamur. Item, ne propter amicos aut uxores, peccemus. Scitis autem valde multa et magna peccata homines facere, impulsos a consiliariis vel amicis. Saepe peccant homines in gratiam principum et amicorum, cum alioqui non peccarent, nisi moverentur hac stulta imaginatione: Oportet te gratum facere amicis, oportet te propter communem pacem tacere, sicut multi in aulis tacent veritatem, ne offendant principes vel amicos suos.

Haec peccata sunt communissima. Ideo hic textus non longa declaratione indiget. Sed mementote, quod Christus prohibet hanc levitatem, quod pluris facimus principes vel amicos, quam Deum, sicut alibi dicit: Qui diligit patrem aut matrem, plus quam me, non est me dignus.

Hic autem iubet oculum erui, et praecidi manum. Hic discatis recte intelligere sermonem. Non vult, ut corporaliter effodias oculum, vel praecidas manum, sicut olim stulti aliqui castraverunt se, ut Origenes.

Et sumatur expositio ex praecepto: Non occidas. Nam si membra omnia peccantia corporaliter abscindenda essent, tunc cor effodiendum esset, ita homo se occideret, quod expresse prohibet Deus.

Non igitur intelligatur hoc dictum de corporali abscissione, vom leiblichen außstechen oder abschneiden, sed de prohibitione, quae fit firmo proposito, qua voluntas prohibet audire consilia vel amicos illos, Das außstechen vnd abschneiden ist, mit rechtem ernst vnd festem fürsatz diese Redt vnd freund abschneiden, das ist, von jnen weichen, jre meinung, freundschafft vnd genad nicht grösser achten, denn Gott.

Et ita fugere tales amicos, est res magna et difficilis apud sapientes. Ideo hoc praeceptum, de quo Christus hic loquitur, magni momenti est, sicut bene sciunt sapientes, se saepe peccare, ne offendant amicos. Sed iuvenes haec nondum sciunt, tantum hoc sciunt, quod saepe malis sodalitiis et exemplis sociorum corrumpuntur. Ibi videant etiam, ut se a malis sodalitiis avellant. Et hoc praeceptum *Christi* meminerint: Si te dextra manus offendit, abscinde eam.

Dictum est:

Qui dimiserit uxorem suam, det ei libellum repudii. Ego autem dico vobis etc.

Quia Christus aliquoties repetivit hanc concionem, in qua reprehendit divortia, qualia usitata erant Iudaeis et gentibus, satis apparet, quod illam levitatem valde improbavit. Fuit enim usitatum, ut dimitterent uxores tantum ex levitate, cum mulier nihil peccasset, sed fortassis vir vidit aliam, quae magis placuit. Item arte alius alterius coniugem ad se pellexit, et ludebant specie iuris, quasi quaelibet divortia essent in lege Moisi concessa. Hortensius rogavit Catonem, ut sibi cederet coniugem Martiam, pulcram et generosam foeminam. Fecit Cato, et post mortem reduxit Martiam, quod erat etiam contra ethnicas

leges. Augustus practicabat, ut Drusus sibi cederet Liviam. Talia saepe et multum facta esse apud Iudaos quoque, valde credibile est.

Has levitates taxat Christus, quia valde displicent Deo confusiones libidinum.

Ideo volo ordine de hac materia dicere. Primum, de castitate. Secundo, de coniugio. Tertio, de divortio. Quarto, de officio Magistratus, in puniendis adulteriis, et aliis libidinibus.

I. *De Castitate.*

Quid est castitas?

Est obedire Deo in hoc opere, ut vel in coniugio, vel extra coniugium abstineas ab omni commixtione prohibita lege Dei.

Nec tantum virginitas putetur esse castitas, sed vita coniugalis coram Deo vere est castitas, quando servatur fides coniugii, et non miscentur adulteria.

Hunc ordinem ita sanxit Deus, vult genus humanum intelligere castitatem, ut sciamus, quod ipse sit castus spiritus, et in precationibus nostris discernamus Deum a diabolis hac cogitatione. Cogitemus nos alloqui Deum, qui est castus et verax et beneficus, non alloqui diabolum, qui est mendax, homicida, cupidus nocendi, et odio Dei incitat homines ad vagas libidines, et varie polluenda corpora.

Cogitetis igitur diligenter et saepe hoc discrimen Dei et diabolorum, et in precatione cogitate, quid velitis alloqui. Non apprehendimus Deum brachiis, sed oportet mente eum alloqui et intueri, et cogitate, qualis sit, et discernite eum ab omnibus creaturis, et diabolis, ab angelis et hominibus, et aliis rebus omnibus. Est autem hoc hoc discrimen perspicuum sumtum a castitate, qua discernatur a diabolis et hominibus.

Et sciamus simpliciter, quod velit nos Deus servire sibi in hoc opere, scilicet abstinendo ab omnibus prohibitis libidinibus. Haec est voluntas eius expressa in praeceptis, et declarata in poenis.

Praecepta sunt: Non moechaberis, Deut. 25.: Maledictus qui dormit cum uxore proximi. Et 1. Corinth. 6. dicitur: Nolite errare, scortatores et adulteri non possidebunt regnum Dei.

Ad Galatas 5.: Qui talia faciunt, regnum Dei non possidebunt.

Haec praecepta mementote, et non contemnatis ea, quia non dubium est, quin sit veritas, quod non sint membra Christi, perseverantes in adulteriis aut aliis prohibitis libidinibus.

Praeterea poenas considerate. De aeternis iam dictum est. Ruent in aeternas poenas omnes, qui non convertuntur, ut iam dictum est: Scortatores et adulteri non possidebunt regnum Dei, scilicet, qui non convertuntur.

Sed addenda est doctrina de poenis in hac vita. Non debes dubitare, quin Deus etiam in hac vita puniat adulteria et alias prohibitas libidines, poenis corporalibus, et animae plagis. Ideo scriptum est: Scortatores et adulteros iudicabit Deus, scilicet, et in hac vita, et post hanc vitam, si non fiet conversio.

Iam vide exempla poenarum in hac vita.

Inter causas diluvii recitatur hoc peccatum, quod homines praecipui in Ecclesia coeperint vagas libidines exercere, allerley unzucht treiben.

2. Postea Sodoma et aliae urbes funditus delentur. Et quidem ipse Filius Dei est in illo itinere apud Abraham, et fit executor huius poenae suo manu, ut ostendat, quod valde irascatur talibus turpitudinibus.

3. Numeri 25. Iubet Deus suspendi multos principes propter stupratas Moabitidas.

4. Fere tota tribus Beniamin deleta est, propterea, quod quidam Nebulones compresserant Levitae uxorem.

5. David pellitur ex regno a filio, et filius violat uxores patris, quae calamitas poena fuit adulterii Davidis.

6. Ieremias inter causas exilii Babylonici recitat adulteria. Sic et alii Prophetae saepe de poenis adulteriorum loquuntur.

7. Historiae omnium gentium plenae sunt exemplis, Troia destructa est propter raptum Helenae, et tales historiae valde multae sunt.

8. Considerate etiam exempla quotidiana. Videtis multas, magnas et parvas familias interire, propter libidines. Et non dubitetis, quin Deus talia scelera etiam in hac vita severe puniat corporalibus poenis.

9. Praeter poenas corporales sunt et poenae spirituales. Paulus ad Ephesios 4. dicit contaminatos vagis libidinibus puniri coecitate, indolentia et impoenitentia, mit blindheit und verstockung, id est, fiunt coeci multiplicibus furoribus opinionum et aliis.

Et sunt sine ullo dolore de peccatis, et sine ulla poenitentia, sed securi quaerunt voluptates obscoenas, et peccata peccatis cumulant etc. donec tandem ruunt in aeternum exitium.

Talis est vita Pontificum, Canonicorum et multorum impiorum. Videtis Canonicos esse coecos, sunt Epicurei, nec volunt audire nec intelligere Evangelium.

Postea ita pergunt in suis peccatis, idolatriis et libidinibus, donec prorsus ruant in poenas aeternas.

Haec omnia, quae iam dixi, bene considerate, et praecepta et poenas, et vos ad castitatem tuendam exuscitate, et orate Deum, ut vos adiuvet, ut possitis esse casti.

Cogitate etiam, quam miserum sit vivere ita in scortatione vel adulteriis, ut scias tibi Deum irasci, et non possis eum invocare, et nec auxilium nec defensionem a Deo petere, et te esse mancipium diaboli. Talis vita est miserrima.

Haec mala serio cavenda sunt. Dixi de castitate.

II. *De Coniugio.*

Iam postquam dixi de castitate addo doctrinam de Coniugio.

Cum Deus velit intelligi castitatem, sanxit hunc ordinem, ut sint copulati unus vir et una foemina, inseparabiliter.

Est igitur coniugium legitima copulatio unius maris et unius foeminae, talis, ut sint inseparabiliter iuncti.

Et hic ordo institutus est in Paradiso, in his verbis: Erunt duo in carnem unam, id est, unus mas et una foemina inseparabiliter iuncti.

Ecce hic iam tradita est lex: Non moechaberis, quia comprehenditur in his verbis: Erunt duo in carnem unam. Si tantum duo, et inseparabiliter iuncti, ergo non licet vagari ad plures.

In hoc ordine Deus voluisset nos sibi servire etiam tunc, si natura mansisset integra.

Iam hoc scitote, cum talis coniunctio sit instituta et ordinata a Deo, discamus Deo obedire in hac sua ordinatione, et sciamus vitam coniugalem *Deo* placere, et genus vitae sanctum esse credentibus, et Deo gratias agamus, et non violemus hanc ordinationem divinam coecis furoribus, sicut fecerunt Ethnici, et adhuc multi impii faciunt, qui inter se nunquam sunt concordes, qui facile committunt adulteria, quasi sit ludus etc.

Sit vera reverentia Dei in nobis, et hanc ordinationem Dei in vero timore Dei honoremus, sicut scriptum est ad Ebraeos: Honorabile coniugium. Deus vult agnosci, quod coniugium sit sua ordinatio, vult singulas familias esse Ecclesias, in quibus concorditer invocetur, et ei gratiae agantur. Ideo duos condidit, marem et foeminam, ut sit dulcis societas, et sit Ecclesia, sicut dixit: Faciamus ei adiutorium simile, scilicet, quod sit adiutorium non solum in generatione, et educatione, et vitae corporalis officiis, sed etiam in societate invocationis, in docendis, regendis pueris.

Ideo marem et foeminam, ut sit amor ordinatus.

III. *De Divortiis.*

Primum recitetur querela: Dissidia et miseriae coniugum, sunt magna pars calamitatum generis humani, et sunt signum et poena peccati originalis, quia si natura hominum non esset mersa in peccatum, fuisset illa societas unius maris et unius foeminae, plena mutui amoris et dulcedinis, et nulla facta essent divortia, nec vir aliam concupivisset, nec mulier alium virum, nulla odia, nullae discordiae fuissent, sed laeti simul educassent et docuissent sobolem, et simul coluissent suos hortulos ex agros, egissent *Deo* gratias, audivissent seniorum sapientiam, inter sese de doctrina, de operibus *Dei* multa collocuti essent.

Quando igitur incidunt domesticae calamitates qualescunque, cogitemus de peccato originis, et de aliis peccatis, quae nos addimus, et has coniugales miserias sciamus poenas esse peccatorum. Ideo agamus poenitentiam, et oremus Deum, ut nos regat, et simus ipsi vigilantes contra diabolum, ne rixae crescant, quia diabolus, sumta occasione, ex parvis scintillis magna incendia exuscitat.

Sit igitur haec prima regula.

Sciant coniuges, quod sit voluntas Dei, ut coniugium sit unius maris, et unius foeminae legitima coniunctio, et indissolubilis, et quod sine dubio peccent personae, quae praebent causam divortio, ut adulteri, aut desertores.

Hanc esse mentem Evangelii certissimum est. Quanquam enim Moises permisit divortia, ita ut liceret viro dimittere uxorem, etiam quae non peccaverat, tamen hunc morem Christus improbat, et expresse prohibet talia Mosaica divortia, et retrahit coniugium ad primam institutionem: Erunt duo in carnem unam.

Ut autem coniuges possint manere simul, discamus etiam opus esse patientia mutua, et precatione ad Deum contra diabolum.

Secunda regula.

Certum est, quod peccant adulter et adultera, item quod peccant desertor et desertrix. Postquam autem per tales dilaceratum est foedus coniugii, quaestio est, An liceat personae innocenti, rursus cum alia coniugium contrahere?

Hic Papa dicit, quod non sit concedendum aliud coniugium personae innocenti. Non volo autem longam disputationem hoc loco recitare, satis clarus est hic textus, qui dicit posse divortium fieri inter tales, personam innocentem, et adulteram vel adulterum.

Iam si innocenti personae non concederetur aliud coniugium, id esset Nomine divortium, non Re.

Quid opus fuisset excipere casum adulterii, si voluisset eodem modo obligatam personam innocentem, sicut in aliis casibus vult esse obligatam, videlicet, si uxor sit iracundior, aut sit aegrota?

Et olim in Ecclesia hunc morem fuisse, ut concederentur talia divortia personis innocentibus, aliqua antiqua dicta et exempla ostendunt.

Ieronymus narrat, Romae fuisse nobilem matronam Fabiolam, quae maritum habuit adulterum, et turpissime viventem.

Haec tandem alteri viro nupsit. Etsi autem Ieronymus disputat de hoc facto, tamen historia ostendit, fuisse hunc morem adhuc usitatum. Et leguntur alia exempla.

Tertia regula.

Sicut Christus expresse loquitur de casu adulterii, sic Paulus de alio casu loquitur, scilicet de desertore vel desertrice. Et dicit, quando alter coniugum fit fugitivus et desertor, tunc persona innocens non est subiecta servituti, id est, non est ei amplius obligata, sed concedendum est ei aliud coniugium.

Est autem desertor vel desertrix persona, quae sine iusta causa discedit a coniuge, et diu abest sine iusta causa, ex malicia, ut saepe fit. Tales sunt etiam plerunque adulteri et adulterae.

In his duobus casibus servatur etiam in nostris Consistoriis hoc, ut concedatur innocenti personae aliud coniugium.

Sed postea quaerendum est de poena personae, quae peccavit vel adulterio vel desertione. De hac poena dicam proxime.

De iudiciis et poenis.

Nuper dictum est, in quibus casibus possit concedi personae innocenti coniugium. Et clare et expresse dixi, quod nullus homo possit iuste distrahere coniugium. Sed adulter et desertor distrahunt contra voluntatem Dei, et horribiliter peccant. Persona innocens non distrahit, sed est libera, postquam iam per adulterium alterius facta est distractio, vel per desertionem alterius.

Sed hic sciendum est, quod oportet tales causas afferri ad Iudicem ad hoc ordinatum. Nemo est sibi ipsi iudex adversus alterum. Sed si vis condemnari personam nocentem, et te pronunciari liberum, oportet hoc fieri per ordinarium iudicem.

Nec prius licet personae innocenti contrahere aliud coniugium, quam fiat cognitio per iudicem ordinarium. Hoc etiam diligenter et saepe debebant Pastores in suis concionibus populo dicere, quia saepe accidit, ut contrahant tales personae sine iudicio, et postea inveniuntur causae insufficientes separationis, et multa mala sequuntur. Ideo recte factum est, quod potestas in his Ecclesiis singulares Iudices et Consistoria pro his causis ordinavit, ut sciant homines, ubi quaerendi sint harum rerum iudices, et optandum esset, hos iudices magis etiam iuvari a potestate superiori, et ab iis, qui gerunt gladium.

Papistae talia iudicia fere omnino negligunt, sicut alias multas bonas ordinationes valde corruperunt.

Et propter istorum negligentiam, nostrae potestates etiam sunt negligentiores. Sed oremus Deum, ut ipse nos iuvet, et det nobis salutaria regimina.

Quaestio de aegrotis.

Hic etiam quaestio movetur de aegrotis, An propter morbum perpetuum facienda sit separatio?

Responsio.

Non volo de omnibus quaestionibus huius materiae in concione loqui, sed relinquo haec negocia Consistoriis pro magna parte. Tantum pauca dicam, utilia praesenti populo.

Ac primum hoc dico, quando aliqua persona natura non est idonea ad coniugium, ut, so ein Man gantz keine manliche krafft zu einer Frawen hat, talis coniunctio non est coniugium. Et iudex scit se debere pronunciare, quod non sit coniugium, et debet potestatem concedere personae valenti, ut aliud coniugium contrahat. Et de hac materia satis sit iam dictum, caetera commendo Consistoriis.

Sed si sunt alii morbi, ut lepra, morbus gallicus, vel alii similes morbi, in viro vel in muliere, hic dico, quod tales morbi nequaquam separent coniuges et quod nequaquam sint sufficientes causae divortii.

Dicet aliquis: Hoc grave est, quod cogor retinere aegrotum coniugem. Quanquam est grave, tamen iustissimum est. Id sic probo.

Summa amicicia est bene facere amico in necessitate et in miseria.

Inter Maritum et Uxorem est summa amicicia tantisper, donec non divelluntur per scelus aliquod. Tantisper enim de eis verum est: Erunt duo in carnem unam.

Ergo propter morbum nullo modo dissolvatur coniugium, sed in morbo ostendatur fidelitas erga aegrotam personam.

Quanta haec iniuria esset, si haberes honestam coniugem, et ex ea filios et filias, et illa inciperet aegrotare, si tunc velles eam abiicere.

Sic estis copulati, ut laeta et tristia simul toleretis, et alter alteri auxilium ferat. Sicut parentes non debent abiicere filios et filias, cum aegrotant, sic maritus uxorem non debet abiicere aegrotantem, nec mulier discedere a viro aegrotante. Deus ideo instituit societatem coniugum, item parentum et filiorum et filiarum, ut infirmi et aegroti habeant auxilium, sicut mater infantulum curat, non abiicit.

Haec satis sit etiam de hoc casu dixisse, et necessaria est haec admonitio pro multis, quia multi fiunt impatientes, et aliqui deserunt aegrotantes coniuges. Tales impatientes sciant voluntatem Dei esse, quod debeant petere consolationem a Deo, et Deo obedire in tali afflictione, et debeant manere apud aegrotantes, et nequaquam ab eis discedere.

IV. *De poenis adulterorum.*

Restat ultima pars de poenis, de qua etiam breviter dicam.

In Ecclesia est tantum una poena, scilicet Excommunicatio, adversus omnia delicta, quae sunt manifesta, vel in iudiciis ostensa. Etsi autem haec poena valde magna est, scilicet esse eiectum ex Ecclesia Dei, et non habere remissionem peccatorum, sicut dictum est: Quorum retinueritis peccata, retinentur eis, tamen homines impii non curant hanc poenam.

Sed mandatum Dei est, ut Magistratus, qui gerit gladium, severe puniat adulteros poenis corporalibus, sicut in lege Dei scriptum est, Deut. 22.: Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque morietur, adulter et adultera, et auferes malum de Israël.

Et alia multa ibidem de poenis adulterii et scortationis dicuntur. Et quia magistratus non punit, Deus postea punit utrosque, scilicet, adulteros et magistratus. Imo punit propter hanc negligentiam totas gentes, sicut in exemplo Beniamin apparet.

Nobiles adolescentes compresserant Levitae coniugem, et eam interfecerant, maritus dissecuit cadaver, et misit partes ad omnes tribus Israël, et questus est de hoc scelere.

Israël sitae convenerunt, et iusserunt ut sontes mitterentur ipsis, ut iusta poena eos afficerent, sed quia erant hominum nobilium filii, nemo voluit eos dedere ad poenam. Ideo postea secutum est magnum bellum, et fere tota tribus Beniamin interfecta est. Ita non debemus dubitare, quin Deus puniat et adulteros et magistratus, et totas gentes, propter magistratuum negligentiam. Haec nos concionatores monere debemus, plura facere non possumus. Sed dico vobis: O Consules et Magistratus: Timete iram Dei, et considerate poenas publicas. Scitis ipsi vestram in puniendo negligentiam, ideo emendate vos, et sitis severiores.

Haec de hoc loco Matthaei, de adulteriis et de divortiis dicta sufficiant.

Non peierabis.

Doctrina de Iuramento saepe est repetenda in Ecclesia, quia necesse est homines admoneri,

ut aliquo modo sciant, quid sit iuramentum, et quanta reverentia iuramenti esse deberet. Et quae iuramenta vere sint iuramenta. Et quae sint poenae periurii.

Principio autem sciendum est, quid sit iuramentum. Iuramentum est asseveratio alicuius dicti cum invocatione Dei, ut sit testis nostri cordis, quod non velimus fallere, et sit vindex ad nos puniendos, si fallimus, et est obligatio, qua nos ipsos Deo ad poenam obligamus, si fallimus, et non est irrita, quia Deus expresse ordinavit poenam pro tali contumelia, quod periuri volunt eum facere testem mendacii, et contemnunt poenam.

Der Eid, ist ein solche bestettigung einer Rede, darinn man zugleich Gott anrufft, vnd bitt jn, das er ein Zeug sey vnsers hertzen, das wir keinen betrug im Sinn haben, und wolle ein Straffer sein, so wir nicht glauben halten, Vnd ist ein verpflichtung, damit wir vns selbs zur straff verpflichten, so wir nicht halten. Vnd diese anruffung und verpflichtung ist gewis, denn Gott hat mit ausgetruckten worten die straff geordnet fur diese schmach, das man jn zum Zeugen der Lügen angezogen hat, und das man seine straff verachtet hat.

Aus diesen worten lernet jr nu, das im Eid, eigentlich ein anruffung Gottes gefast ist, darinn wir vns selbs zur straff verpflichten, wenn wir Gott zum lügenhafftigen Zeugen machen.

Vide igitur quam multae magnae res in iuramento contineantur.

Primum, Veritas, quae per sese servanda est, etiamsi non sit additum iuramentum.

Secundo, Invocatio Dei, quae debet esse seria, et fieri non ad confirmandum mendacium vel aliud peccatum.

Tertio, Confessio, quod Deus sit vindex periurii, et ultor, quando tanquam fallax testis citatur.

Quarto, Promissio, quod velimus sustinere poenam, si fallimus, so wir nicht halten.

Ita econtra, quatuor magna peccata sunt in periurio, im Eidbruch.

Primum peccatum, est Mendacium. Id per se esset magnum peccatum, etiamsi non accederet violatio iurisiurandi.

Secundum peccatum est falsa invocatio, quod periurus invocat Deum ad confirmandum mendacium.

Tertium peccatum, Contemtus comminationis Dei, qui minatur poenam periuris, sed periurus peccat nihil curans hanc comminationem divinam.

Quartum peccatum, Mendacium in obligatione, Ein lügenhafftige verpflichtung, periurus obligat se Deo, et mentitur Deo, cum non curat iudicium Dei.

Haec ita crasse dicta sint de peccatis, quae simul sunt in periurio, im Eidbruch, quia nemo potest eloqui, quanta sit magnitudo peccatorum in unico periurio, Et quantus contemtus Dei, quod Deus allegatur tanquam fallax testis, Et quod contemnitur eius comminatio.

De poena.

Sciatis autem dictum in secundo praecepto: Non habebit Deus insontem hunc, qui vane usurpat nomen Dei.

In hoc praecepto est expressa comminatio. Et sciatis, talem ordinationem Dei esse tam certam, quam certa est ordinatio, quod Sole oriente fit dies.

Sequitur poena post periurium apud omnes homines, quocunque modo nominantur, sive Christiani, sive Ethnici, sive Turci, sive quocunque modo nominantur. Quicunque facit periurium, certo punitur divinitus, sive sint reges, sive servi, sive quicunque homines. Id ostendit experientia. Macabaeorum 7. Alcimus summus sacerdos iurat Iudaeis, quod non velit eis nocere, postea interficit eos. Sed aliquanto post ipse quoque subito percutitur a Deo, et dat poenas. Et talia exempla quotidie in vita cernuntur.

Secunda doctrina.

De quibus rebus possit promissio fieri cum iuramento.

Respondeo: Promissio cum iuramento debet fieri tantum de rebus possibilibus, et non prohibitis lege Dei.

Et quando homo promittit rem, quam scit sibi esse impossibilem, aut quae est prohibita lege Dei, tunc peccat, ut quando iurat aliquis, quod velit occidere aliquem innocentem. Tale est, quando aliquis iurat, quod velit fieri monachus, quia iurat multa prohibita in lege Dei, scilicet, quod velit esse idolatra.

Tale est, quando aliquis iurat, quod non velit contrahere legitimum coniugium.

Tales promissiones de rebus impossibilibus vel prohibitis, non sunt iuramenta, et peccant sic iurantes, et postea addunt maiora peccata, quando faciunt talia promissa contra legem Dei, quia manifeste dictum est: Non volens Deus impietatem tu es.

Hanc regulam tenere oportet, quia magna peccata confirmantur, quando negligitur, sicut neglexit eam Herodes, qui, quia iuraverat, postea simulavit se oportere Iohannem interficere, quia iuramento obligatus esset.

Sed haec hypocrisis fuit irrisio Dei, et multa magna peccata continet.

Talis est hypocrisis monachorum et papisticorum Sacerdotum, quod simulant se servare idololatrias, et impurum coelibatum, quia sint obligati iuramento. Sed Deus punit et puniet haec peccata, et puniet hoc mendacium et hanc hypocrisin, quod dicunt se propter iuramentum manere in tali impietate.

Tertia regula.

Tantum per nomen Dei iurandum est. Non per creaturas, non per coelum, non per terram, non per sanctos homines, viventes vel mortuos, quia Deut. 6. dicitur: Dominum Deum tuum timebis, et illi soli servies, et per nomen eius iurabis.

Haec regula bene consideranda est, quia mala consuetudo fuit et est, quod in iuramentis additur: Iuro per Deum et per Sanctos.

Et consideranda est causa, quare talis forma sit reprehendenda.

Iurare est aliquid dicere cum invocatione Dei. Constat autem, quod Sancti non sint invocandi. Item quando iuro per Deum, confiteor, quod adsit testis et vindex.

Haec conveniunt tantum omnipotenti naturae. Ideo non facienda est mentio Sanctorum in iuramento, qui non sunt omnipotentes, nec sunt inspectores cordium, nec sunt executores poenae, Sie sind nicht die gewaltigen Straffer.

Haec regula etiam hic tradita est: Non iurabitis per coelum, per terram, per caput vestrum. Creverat etiam mala consuetudo apud Iudaeos mutandi formam iuramenti.

De hac mala consuetudine hic dicit. Non prohibet prorsus iuramentum, quod recte et cum reverentia Dei fit, sicut postea latius dicetur.

Nunc satis sit haec praecipua scire:

1. Quid sit iuramentum.
2. Quae poenae sequantur periurium.
3. Quod promissiones de rebus prohibitis non sint iuramenta.
4. Quod tantum Deus invocandus sit in iureiurando.

De iuramentis vi extortis.

De iuramento, quod vi seu metu coacti facimus.

De iuramentis, quae terrore coacti faciunt homines egressi annos pueritiae, ea iam aetate, quae deliberationem et liberum consensum habet, ita sentiendum est:

Si quis iurat hosti, vel etiam latroni in via publica, ut vitam redimat, se daturum esse Ioachimicos centum, et hac pactione praesens periculum effugit, is, quia rem licitam sciens eligit, necessario fidem praestare debet, cum talis actio sit reipsa iuramentum. Estque violatio vel elusio huius iuramenti vere periurium, contumelia Deum afficiens.

Et quoniam saepe usu venit (nam et nos crebra exempla meminimus nostri temporis), ut, interposita fide seu religione iurisiurandi, vel de reditu vel de pretio pro capite pacto, captivi dimittantur incolumes, monendi sunt imperitiores, huiusmodi iuramenta privatae incolumitatis causa hosti vel latroni data necessario servari deberi.

Haec ut rectius intelligantur, addo declarationem memoria et consideratione dignam.

Etsi tale iusiurandum terrore extortum est, tamen etiam metu facta revera sunt voluntaria. Et quia in iureiurando prorsus abesse debet simulatio, promissio in talibus casibus est reipsa iuramentum.

Viatori enim, postquam in periculum incidit, propositis vel ab hoste vel a latrone minis, optio datur, potestasque permittitur, ut eligat, utrum velit vitam amittere, an pecuniam promittere.

Facta ergo potestate viatori, ut alterum inter mala eligat, manifestum est in ea collatione, fieri electionem a voluntate assentiente, ut iactura pecuniae salus corporis redimatur.

Quare cum iudicio non impedito voluntas tunc propter talem temporis articulum, eligit minus damnum, videlicet iacturam pecuniae, ut vitam retineat, fateri necesse est, voluntatem,

etsi metu perturbatur, tamen in hac promissione retinere libertatem, ideoque electionem esse voluntariam. Ad quam cum accessit hoc terribile vinculum, scilicet iuramentum, nequaquam pactio talis irrita, sed reipsa vero et voluntario iuramento sancita et confirmata esse iudicetur. Itaque sciat is qui iureiurando fidem adstrinxit, Deum velle ut faciat iuratum, nec eludat promissa violatione iuramenti. Non enim dubium est, quin ira Dei saeviat poenis corporalibus in redimentes periurio pecuniam vel vitam.

Hanc quam recitavi veram sententiam diligenter mementote. Sed ut libentius ac saepius memoria repetatis, volo vobis historiam dicere.

Quidam vir nobilis equestris ordinis in Francia, hostis erat Suevici foederis, is a Principe Palatino captus iuramenti loco data fide, confirmavit se ad diem constitutum rediturum ad locum designatum. Qua lege seu conditione tunc liberato statim potestas facta est, cum vellet, ad suos redeundi. Etsi autem habebat exploratum hic, qui fidem suam obligaverat, si iuxta pactum revertisset ad diem praestitutum, non modo Palatinum Principem optimum autoritate sua intercessurum fuisse, ne manus ipsi violenter afferrentur, sed etiam in causa ipsius daturum operam, ut depositis inimiciciis, ac pace conciliata, conditionibus, quam fieri posset, aequissimis dirimerentur utrinque controversiae, tamen fidem iusiurandumque negligens, promissa non fecit, verum brevi tempore post non procul a valle Ioachimica, plumbeo globo, ex bombarda emisso traiectus obiit, iusto Dei indicio poenam luens periurio dignam.

Porro Papa Romanus in iure canonico, de iuramentis vi extortis, perplexe loquitur, ac veteratorie ludit sophismatum praestigiis. Alibi enim iubet astute eum, qui metu fractus iuravit, petere absolutionem a Pontifice, et hac absolutione dicit ipsum liberari a religione iurisiurandi. Alibi dicit talia pacta iuramento sancita servanda esse. Haec varietas responsionum turbat conscientias. Sed non immorabor huic disputationi. Caeterum de praetextu absolutionis pontificiae bonae mentes erudiantur, impietatem esse et errorem contumeliosum contra Deum, quod Papa sibi sumsit autoritatem absolvendi homines, ne faciant promissa legitimo iuramento. Haec breviter hoc loco monuisse satis sit.

An liceat iurare?

De textu.

Hactenus hae materiae in duabus proximis propositae concionibus, mediocriter explicatae sunt, videlicet: Quid sit iuramentum, et quae promissiones reipsa sint iuramenta, quibus obligantur conscientiae. Et quae iuramenta sint irrita, nec revera sint iuramenta. Nunc enarrabimus textum, cuius haec sunt verba:

Ego autem dico vobis: prorsus non iurate, neque per coelum, neque per terram etc.

Ex hoc dicto Anabaptistae exstruxerunt suum illud delirium, non licere Christianis ullum dare iusiurandum, et hac quaestione passim turbarunt seditiose politica vincula in civitatibus. Constat enim iuramentum esse praecipuum vinculum iudiciorum et ordinis politici, sicut usitatum est in quavis gubernatione, magistratus postulare, ut subditi, seu cives iurent se legibus obtemperaturos. Et in foro dirimendarum controversiarum causa, saepe decurritur eo, ut vel a magistratu, vel iudicibus litigatori iusiurandum deferatur. Talia iuramenta ordine politico sancita, qui damnat et improbat, an non idem seditiose nervos civilis societatis incidit?

Quamobrem paulo diligentius attendite, ut recte discatis intelligere textum in Matthaeo. Liquet enim perniciosum errorem Anabaptistarum ex hac inscitia et coecitate, tanquam ab ipso capite ac fonte manare atque oriri, quod et prorsus ignorant discrimen Legis et Evangelii, et doctrinam tantopere necessariam tamquam salutarem, pertinaciter auribus et animis excludunt.

Christus autem in hoc capite non constituit politiam, nec de negociis vocationum, sed de privata cuiusque munditie loquitur, ac seorsim in interpretatione legis tanquam in iudicio Dei, singulorum corda arguit, ostenso peccato, iubetque nos interiorem immunditiem, futilitatem, et inordinata incendia cordis humani agnoscere: sicut paulo ante de ira iniusta, et flammis adulterii in corde concionatus est. Ac statim postea dicit: Non resistite malo, prohibens privatam cupiditatem vindictae.

Haec dicta non loquuntur de politico ordine, nec certam corporalem politiam constituunt, sed sunt conciones poenitentiae, arguentes peccatum in singulorum cordibus. Interea sinit Deus ordi-

nem in imperiis et universam politicam gubernationem servire communi societati, nec tollit aut abolet, sed confirmat et approbat forenses ordinationes, legitimas poenas et normas actionum civilium, congruentes cum naturali iudicio rationis. Hanc doctrinam tradit Paulus Rom. 13. Ac textus ad Ebraeos 6. perspicue dicit: Omnis controversiae finis est iusiurandum. Quibus verbis expresse sancitur et approbatur legitimum iusiurandum, quod est vinculum civilis obedientiae et iudiciorum. Hoc testimonio de iuramentis ordine politico sancitis contenti simus, ac firmissime statuamus, hunc ordinem in vita politica congruere ad rectitudinem a Deo institutam. Itaque extant exempla piorum inde usque ab initio, ut Abrahae, Isaac, Prophetarum et Apostolorum aliquoties, et magna cum exaggeratione iurantium, quae convincunt, verum iurare, esse opus suo genere bonum, et a Deo ordinatum atque concessum. Denique lex Dei Deut. 6. expresse inquit: Per nomen Domini Dei tui iurabis.

Iam recte instituti, ac intelligentes explicationis nostrae fundamenta seu fontes, videlicet discrimen Legis et Evangelii, ac politici ordinis, ipsi cogitent atque perpendant, quomodo dextre sit intelligendus, aut interpretatione commoda leniendus hic locus in Matthaeo.

Primum autem consideranda est particula in textu: Non per coelum, non per terram etc. Certissimum est enim formas iurandi per creaturas, illicitas et prohibitas esse, sicut proh dolor, apud omnes gentes, nec apud Iudaeos duntaxat et Ethnicos, sed etiam professione tituloque Christianos, haec turpis et detestanda consuetudo increbuit, quod in iurando fiunt invocationes non solius Dei, sed creaturarum quoque. Ita nunc apud Papistas conceptis verbis usitate talis iurandi forma proponitur: Ita me Deus adiuvet, et omnes Sancti. Sic Iudaei iurant per templum, Ethnici per coelum et terram.

Hos modos illicitos taxat Dominus, ac prohibet invocationes creaturarum. Nam iuratio est invocatio illius qui citatur, ut sit testis et vindex. Scitis autem solum verum Deum, qui se patefecit misso Filio, invocandum, nec honorem Deo proprie convenientem, tribuendum esse ulli rei, quae non est Deus. Omnis enim invocatio tribuit illi rei, quam invocat, honorem seu cultum peculiariter Deo debitum, scilicet, inspectionem cordium et omnipotentiam. Quanta igitur impietas est, honorem Dei transferre ad creaturas! Haec est plana et expedita responsio, videlicet, Dominum non prohibere licita iuramenta, quibus obligatio fit immediate inter Deum et hominem, sed iuramenta facta non per nomen Dei, quae sunt invocationes creaturarum, ut cum in iureiurando adduntur Sancti etc.

Secundo, consideretur insigne discrimen inter iusiurandum delatum a magistratu vel iudicibus, quod in omni imperio summum vinculum est, et inter iuramenta, quae privatim ab humana futilitate, sine magna causa et gravi deliberatione, sine mandato potestatis. Item non cogente vocatione erumpunt. Nam iusiurandum, quod magistratus et iudices postulant, aut alia necessitas, cum reverenter atque serio dandum, tum sancte magnaque religione servandum est: si tamen legitima forma conceptum, fiat per nomen solius Dei, et in re licita, quae scilicet praestari possit absque violatione mandati divini.

Verum consuetudo temere de qualibet re iurandi sine vocatione, mandato et necessitate. Item temerarius usus iniustarum execrationum, quae fiunt cum invocatione Dei, ut noceat seu maledicat aliis sine ulla gravi causa, qualis haec est horribilis imprecatio: Ut te Deus perdat, et similes, quas tamen haec aetas detestabili vanitate ac profanitate furenter ad vulgaria negotia transfert. Haec sunt valde tristia peccata, et flagitiosi abusus nominis divini, pugnantes cum secundo praecepto Decalogi. Pertinet autem ad parentum officium, coërcere liberos paternae castigationis metu, ne nomen Dei transferant ad stultas et iniustas execrationes, item ne sint faciles et futiles in iurando. Debebant et politici gubernatores haec peccata severis exemplis punire. Sed quia parentes et magistratus ignavi atque negligentes in puniendo desunt officio suo, ideo postea respublicae bellis, vastationibus, et aliis publicis calamitatibus plectuntur. Qua de re diligenter et saepe cogitetis.

De ista humana futilitate, non considerante magnitudinem iurisiurandi loquitur textus in hoc capite Matthaei, et arguit corda, quod altissima securitate leviter curant et parvi pendunt iram Dei, cum in invocatione falsa vel illicita multipliciter eum contumeliis afficiunt.

Audistis quod dictum est: Oculum pro oculo, et dentem pro dente, etc.

Hic redit Dominus ad praeceptum quintum: Non occides. Et sicut supra dixi, praecipi de puritate cordis, et non tantum de obedientia externorum, sed de toto homine, Non occides, scilicet non corde, non lingua, non manu, sed totus homo congruat legi Dei.

Ita hic addit interpretationem ad hoc praeceptum pertinentem: Non occidas, quia praeceptum de vindicta Pharisaei non recte intelligebant, quia scriptum est: Oculum pro oculo. Ideo fingebant, rem licitam esse in unoquolibet odium et cupiditatem vindictae contra alios.

Hunc errorem taxat Dominus. Lex dicit: Oculum pro oculo, sed loquitur ad iudicem, qui est in officio divinitus ordinato. Hic in poena legitima debet servare hanc regulam, sine privato odio, sed vera obedientia erga Deum, in qua doleat etiam propter communem miseriam humani generis, et tantum sit minister iustae voluntatis Dei.

Hanc iustam et severissimam legem Dei corrumpebant Pharisaei, et transferebant ad sua odia, et ad carnales furores, et docebant, licitum esse odisse alios, et exercere vindictam quocunque modo.

Contra hanc falsam interpretationem hic Dominus tradit declarationem legis, et prohibet odia et vindictam, quam homo petit et quaerit, extra officium a Deo ordinatum. Ideo dicit: Ego autem dico vobis: Non resistite malo, sed si quis percusserit te in dextram maxillam, obverte ei et sinistram, etc.

De hoc textu multa disputarunt olim Christiani et Ethnici. Aliqui dixerunt esse ridiculum praeceptum: quia, si nulla vindicta esset licita, nullae essent poenae, nullae repressiones latronum et furum et praedonum, et concederetur infinita licentia malis hominibus. Alii dixerunt esse consilium, non praeceptum. Sed omnes illae stultae disputationes contra hunc textum inde ortae sunt, quod illi non intellexerunt, quam magna res sit politicum regimen, et quod longe discerni oporteat poenas iudiciales, quae sunt divinae, a nostris odiis ac furoribus.

Teneatis ergo hanc regulam pro vera declaratione huius textus:

Duplex est vindicta vel poena, una est ordinata a Deo per iudices. Haec est res licita, et a Deo praecepta, et necessaria, et nequaquam omittenda, ut quando iudex punit latronem, vel furem, vel adulterum, vel similes.

De hac poena sciamus, quod sit opus iustitiae Dei, et iudices in eo opere sciant se esse ministros Dei, et nihil ibi facere ex proprio odio.

Deus vult tales poenas severe exerceri in mundo propter quatuor causas.

1. Primo, quia est iustus, vult tolli iniustos, ut latrones et similes.

2. Quia vult conspici in talibus exemplis iustitiam suam, et nos per talia spectacula commonefacere et docere, quod sit iustus, et quod sit puniturus peccantes.

3. Qui necessitas est tollere tales, ne plus noceant, sicut necesse est occidere rabiosos canes.

Et mirabile est, quando aliquis semel pollutus est humano sanguine seu caede, quod postea rursus facit homicidium.

4. Quia Deus vult talibus exemplis etiam alios perterrefieri, ut metu poenae contineantur, ne faciant homicidia.

Has quatuor causas considerate, et discite timere legum poenas, quia Deus tamen exequitur tales poenas, etiam cum magistratus non potest exequi, sicut scriptum est: Qui gladium acceperit, gladio peribit.

Et discatis venerari potestatem et poenas iudiciales, tanquam opera iustitiae Dei. Et tantum sit dictum de poenis iudicialibus.

Alia species est vindicta non ordinata a Deo, sed orta a nostro odio, Eigne Rach vnd eigne Rachgirigkeit, extra officium iudicis. Haec vindicta hic prohibetur. Et hic textus est praeceptum, et non tantum consilium, ut aliqui stulti dixerunt, quia Deus vult nostra corda munda esse, sine odiis, et vult nos servare ordinem, quem instituit, sicut dicit: Mihi vindictam, et ego retribuam, scilicet per me immediate, ut Pharaonem punit immediate per se, vel per me, mediate, scilicet per magistratus, sicut punit Antonium per Augustum, vel latronem per iudicem.

Quaestio.

Hic movetur quaestio: Quid autem, si alius me vel meos laesit, non defendam me, vel non petam a iudice, ut puniatur? Vel si aliquis vult

occupare meam haereditatem, an non petam a iudice, ut causam cognoscat?

Respondeo: Iudicia sunt res divina et licita. Et potes a magistratu petere defensionem aut poenam. Haec iusta sunt, et concessa a Deo, sicut Rom. 13. clare dicitur: Magistratus est honori bono operi, et timori malo. Item Paulus etiam provocat ad Caesarem.

Sed hoc prohibet Deus, ne propria odia adferamus. Item, Quando magistratus non iuvat nos, ne nos moveamus seditiones, sicut multi iam dicunt: Quia Caesar vult nos iniuste opprimere, ideo volumus movere seditiones.

Haec mala prohibet hic textus. Intelligitis ergo valde utilem doctrinam hic contineri, et Christum non tradere monasticam hypocrisin, sed res magnas docere.

Alia Quaestio.

Sed dicet aliquis: Quomodo potest homo laesus esse sine odio et indignatione? Respondeo sicut supra, quando dictum est: Qui concupiscit alterius uxorem, est moechus. Nemo in hac pravitate naturae est sine concupiscentia, nemo sine iniustis odiis, sed tamen haec concio Christi audienda est tanquam concio poenitentiae propter duas causas.

Prima est, ut agnoscamus peccatum in nobis, et quaeramus mediatorem.

Secunda, ut non obtemperemus malis inclinationibus, faciendo contra conscientiam.

Ecce non frustra proponitur haec praedicatio poenitentiae, sed propter has causas, ut saepe iam dixi.

Petenti te da, et volenti a te sumere mutuo, ne adverseris.

Supra dictum est de tolerandis iniuriis in corpore. Hic dicit de facultatibus, et sunt duo praecepta, unum de eleemosynis, quae sunt donationes, pro quibus non solvitur tantundem in pecunia.

Alterum praeceptum est de mutuatione, quae non est donatio, sed est dare cum tali conditione, ut tantundem vicissim solvatur.

Hos textus depravant etiam Anabaptistae et Monachi, cum in Luca dicatur: *Da omni petenti.* Si meae facultates debent omnibus patere, et debent esse sicut communis congeries foeni, Wie ein Hauſchöber, unde rapiant omnes: qualis haec erit vita? Et Anabaptistae arripiunt hunc textum, et clamant, omnia debere esse communia. Et hi clamores valde grati sunt malis hominibus, qui libenter vellent rapere divitum facultates, sicut scimus multos ad sectam Anabaptisticam tantum hac ipsa causa pertractos esse, quia sperabant se de alieno multa habituros esse.

Monachi moderatius et minus tragice suam fabulam egerunt, nec seditiose contenderunt in Evangelio tolli rerum proprietatem, ut furenter fingunt fanatici Anabaptistae: attamen reipsa somnium Monachorum prorsus falsum est, cum, fascinati tetra hypocrisi, docent voluntariam desertionem facultatum, et Platonicam communionem rerum, esse perfectionem, hoc est, eximie sanctum opus, ac praecipuum Dei cultum, qui gratiam mereatur auctiorem. Tam insulsam et monstrosam hypocrisin ex his textibus arripuerunt, et hauserunt cum Monachi tum Anabaptistae.

Nugatur et Romanus Pontifex in libro Decretorum, scribens, abdicationem proprietatis omnium rerum propter Deum, meritoriam et sanctam, et viam perfectionis esse.

Est igitur quaestio, Quomodo sentiendum sit de proprietate, seu distinctione dominiorum, et de eleemosynis? Exercet enim singulos haec cura atque cogitatio: Si necesse est *omnibus* dare, si nihil comparci nec reservari debet ad necessarios usus: redigemur ad mendicitatem, deerit mihi meisque liberis victus.

Responsio.

Adversus has quaestiones, et Anabaptistarum ac Monachorum hypocrisin primum teneamus, et opponamus praeceptum Decalogi: Non furtum facies.

Ecce Deus hunc ordinem sua voce sanxit, ut suum quisque teneat, ut iure divino et naturali propriae sint legitimae haereditates, iustae mercedes, res traditae per emptionem ac donationem. Idem dedit ius haereditatis paternae tenendae, non eripit ulli privatam proprietatem, sed suas cuiusque possessiones, domos, et res honeste partas vel acquisitas, hac lege tanquam muro, distinxit ac munivit, circumdedit metas omnibus hominibus universaliter in toto genere humano, arcet ab alieno reges, principes, subditos, privatos, vetat furta, prohibet rapere ex aliorum

bonis, prohibet conturbari dominia. Quia praeceptum dicit: Non furtum facies. Nam si in communi ac promiscuo rerum usu, tanquam in commentitia Platonis civitate, vivendum nobis esset, non posset ne infinita quidem cuiusquam rapacitas furti nomine notari. Quae enim in illa Platonica confusione rei alienae occupatio vel invasio posset existere? Manifestum est igitur, cum furta prohibeantur, distinctionem dominiorum et rerum proprietatem sapientia et lege Dei ordinatam esse, Deoque placere: nec approbari facultatum temerariam et confusam velut in unum acervum congeriem, unde singuli, quod fortuito arripuerint, auferant, perinde ut temulenti iuvenes interdum proiectas per iocum ludumque vestes in unum cumulum sigillatim postea sortito repetunt, vel suas vel alienas recipientes.

Imo sapientiam et voluntatem Dei considerans in hominum consociatione, et nervis societatis, agnosce hanc ordinationem opus Dei esse, ut sit proprietas, et legitima rerum distinctio: et laetus autori eius ordinis, attribuenti tibi facultates atque conservanti, gratias age, cui fideliter in oeconomicis officiis iuxta ordinem ab ipso sancitum servi atque obtempera, tuasque possessiones et fortunas Deo offerente, suppeditante et provehente, partas honestis tuis laboribus, et iusta industria, vel aliis legitimis licitisque modis acquisitas, retine, tibique ac liberis tuis, ad vestras et aliorum necessitates, frugaliter comparce.

Ita primum sciatis, quod vox divina, Non furtum facies, discernat dominia: quodque liceat habere proprium, ac suum cuique tenere; et quod explodenda sint fanatica deliramenta Anabaptistarum et Monachorum, a quibus tanquam diabolicis contagiis abhorrere ac refugere, penitusque habere persuasum debetis, quod nequaquam sanctitas aut perfectio sit discedere a facultatibus, seu non tenere proprium, ac interim fraudulenter et impudenter abuti aliena liberalitate, vel ignava mendicitate (quae furti species est) et consimilibus artificiosis imposturis aliorum patrimonia exhaurire. Haec vanissima hypocrisis est cloaca diaboli, non est pietas aut sanctimonia.

Caeterum teneatis hic, memoriaeque mandetis dulcissimam sententiam Salomonis, quae venustissima figura verborum complectitur ac pingit utrumque. Approbat proprietatem, praecipiens frugalitatem, custodientem res proprias: et tamen vult erogendis eleemosynis necessariis, benigne iuvari vere egentes, pro facultatibus.

Ac Salomonis haec sunt verba: Fontes tui deriventur foras, et tu Dominus eorum maneto. Id suavissimum dictum, ut egregiam et veram Ecclesiae Dei doctrinam de hoc negotio proponit, ita simul est elegans et utile praeceptum oeconomicum, unicuilibet patrifamilias diligenter considerandum.

Expresse dicit: Tu Dominus tui fontis maneto, et non alii tecum. Hic perspicue confirmat legitimam dominiorum distinctionem, et simul monet, vitandas esse profusiones, et haereditatum dissipationes. Vult te frugaliter et ordinate tuis rebus uti ad necessitatem, ne usuris exhaustus, vel oppressus aere alieno, redigaris ad mendicitatem, sed ut incolumi patrimonio dominium fundi retineas: sicut ibidem praecipit: Bibe aquam ex tuis cisternis, et tui fontis rivulos bibe, non fureris, praederis, rapias ex alienis. Et paulo ante: Non des facultates tuas alienis, nec substantiam tuam crudelibus, id est, ignavis helluonibus, hirudinum more, tanquam sanguinem tuum exugentibus, qui, postquam abusi tua facilitate comederunt tua bona, postea te derisum petulanter mordacibus dictis exagitant et insectantur.

Hae sententiae omnes congruunt ad hanc regulam saepe repetitam in doctrina coelesti, videlicet, ordinatione ac voluntate divina singulos habere proprietatem et dominium in suis possessionibus, Deoque gratam esse parsimoniam in conservandis patrimoniis et haereditatibus, ne facultates nostras profusis sumtibus sic exhauriamus, ut nostris desint necessaria.

Hinc discant item reges, potestates ac principes, se quoque teneri ac obligari lege divina, ne exhauriant bona subditorum immodicis expilationibus, sed ut sit tolerabilis mediocritas in petendis legitimis et ordinariis stipendiis ac tributis. Debent enim parcere civium facultatibus, ne conturbentur dominia, neve subditi excutiantur ex fundis, sed ut frui suis laboribus, utque proprias possessiones, villas, domos, et fortunas tenere possint. Nam iure divino populum habere proprietatem in suis rebus, historia regis Achab occupantis vineam Naboth, clare testatur, quia Deus vindex nominatim taxat hanc iniuriam,

et memorabili exemplo punit Achab, propterea quod iusto civi, expulso ex possessione fundum eripuerat.

Porro de liberalitate et eleemosynis pulcerrime dicit Salomon: Fontes tui foras deriventur, et rivi effluant in plateas, id est, de fructibus fundi tui benigne largiaris vere egentibus: sed ita tamen, ut maneas tui fontis, hoc est, fundi et patrimonii dominus. Iubet igitur haereditates et dominia conservari, vetat inanes profusiones fieri, sed hoc fine, ut pro modo facultatum iuves egenos et calamitosos, quantum sine notabili detrimento potes. Itaque scias hanc ipsam ob causam praecipi diligentiam tuendi mediocres facultates, moderandi sumtus, parce utendi fortunis, ut facultas sit recte atque utiliter bona collocandi, et suppetat, unde necessitati atque inopiae cum propinquorum, tum alienorum, consulere ac subvenire possis.

Idem praeceptum tradit hoc loco Dominus: Da petentibus te, et volentibus a te mutuum accipere, etc. Intellige: non furacibus, rapacibus, crudelibus, id est, validis mendicantibus, ignavis et otiosis helluonibus, petacibus erronibus passim vagantibus, qui stelliones appellari solent. Salomon enim expressis verbis inquit: Non des facultates tuas *crudelibus*, hoc est, impostoribus illis et harpyis, seu hirudinibus, qui abutuntur tuis facultatibus, et velut striges tibi medullas ac sanguinem furtim exugunt.

Sic ipse Dominus in Luca diserte dicit: Date pro facultatibus, ex eo quod habetis ac dare potestis. Item 2. Corinth. 8. modus communicationis describitur, ut ita largiamur, ne nobis sit afflictio, aliis ignavum otium.

Vides haec dicta palam interpretationi nostrae suffragari, nec habere dubitationem, quin vera, simplex, nativa et propria sententia huius loci, seu textus in Matthaeo sit ea ipsa, quam commemoravi, videlicet, divinitus approbari proprietatem, simulque mandari, ut ex bonis, quorum vere sumus Domini, erogentur eleemosynae: veruntamen constitui modum atque metas liberalitati, ne aliorum ignaviam nostris profusionibus confirmemus, sed ut fundi seu patrimonii dominium retineamus.

Quia Deus in hac vita corporali verissime vult oeconomias et politias conservari, hisque velut aeternis vinculis hominum societatem colligari. Parvuli liberi tui, misellae matres in edendo partu, nutritione ac educatione sobolis, indigent casulis ac tuguriolis, perinde ut propriis nidulis foetificantes aviculae: iisdem opus est cibo, potu, et aliis vitae adminiculis. Omnia haec et Deo curae sunt, et ordinata divinitus. Ac vult conditor, nos rebus a se ordinatis reverenter ac libenter uti, nec ut feras vagari singulos, et se in diversos specus abdere, sed multos una versari, non quidem ut unus alterum defraudet aut impediat, verum potius, ut aerumnosis, atque pauperibus, impeditis valetudine, vel aliis veris difficultatibus, pro praesenti occasione, proque modo facultatum, benigne subveniamus ac opitulemur.

De his piis et necessariis officiis loquitur Psalmus: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem: in die mala liberabit eum Dominus. Affirmat divinis praemiis ac donis eum cumulari, qui afficitur misericordia erga pauperem vel egentem, id est, non erga stellionem, valentem et otiosum mendicum, ignavum helluonem, sed vere calamitosum, et vera causa petentem.

Huiusmodi eleemosynas Deo placere, et aerumnarum praesentium mitigationem mereri scias. Ac memineris dulcissimam promissionem in hoc versu Psalmi: In die mala liberabit eum Dominus. Vult Deus tibi vicissim benefacere, lenire calamitates, depellere pericula, pro beneficentia ista, qua aliis afflictis, laborantibus inopia, aut morbo oppressis opem tulisti. Propterea debetis esse benigniores erga miseros, ut his ipsis officiis ostendatis, vos assentiri promissionibus divinis, quas certissimum est non esse irritas. Debetis etiam praecepta toties repetita, quibus flagitat Deus ut liberaliter iuventur egentes, assidue meditari, et animo circumferre.

Quaestio.

Sed quare dicit Domni: *Omni petenti*? Respondeo: Non hoc vult, ut des validis mendicantibus, aut effundas omnia, sed dicit: omni petenti, id est, non discernas amicos et inimicos, da omnibus tam inimicis quam amicis, respectu verae necessitatis et pro facultatibus, non omitte cupiditate vindictae vel iniusto odio.

Haec sint dicta de eleemosyna, hoc est, cum misericordia moti, liberaliter opitulamur et gratuito donamus aliquid egenti, nec eum volumus obligatum ad aequalem seu mutuam compensatio-

nem, nullo tempore repetituri vel sortem, vel pretium aliquod.

Sed *mutuatio* est gratis iuvare petentem, pecunia seu frumento, seu alia re utili, quae tamen usu consumitur, cum hac obligatione, ut debitor post certum tempus tantundem reddat creditori. Vides igitur hoc ipso dicto rursus a Domino confirmari legitimam dominiorum distinctionem. Nam rebus in commune collatis, et proprietate sublata, nec mutuationes ullae fierent, nec accipiens mutuo obligaretur ad reddendum idem in genere, seu aequivalens.

Porro, plurima hic poterant utiliter de mutuatione dici, nos quaedam breviter attingemus.

Primum vero considerentur discrimina mutuationum. Nam velut distinguuntur duae species mendicantium, quorum alteri sunt stelliones et impostores, alteri sunt vere egentes: ita mutuo sumentium duo genera discerni debent. Sunt enim alteri tantummodo fures, qui variis praetextibus debita cumulare student, et perfidia defraudant creditores, nec unquam curant reddere quantum sumserunt. Quos quidem hac unica sed universali regula, tanquam Lydio lapide, coargui et iudicari posse memineris, quod certum est, omnes eos, qui libenter mutuo sumunt, non libenter nec bona fide rependere quod debent. Sed haec defraudatio reipsa furti species est.

Alterum est genus vere pauperum, indigentium alieno beneficio et auxilio ad usus oeconomicos, quorum omnis cura in eo versatur, ut, etiamsi quid damni contrahendum sit, fidem tamen suam liberent, et satisfaciant creditoribus.

Prioribus illis petentibus nequaquam debes mutuo dare, memor sententiae Salomonis, qua taxantur hirudines istae: Non des facultates tuas crudelibus. Eodem pertinet Apostoli dictum: Nolo vos largiri, ut aliis sit ignavum otium, vobis afflictio.

Sed his posterioribus, qui cum propter inopiam in egestate sint, tamen abstinent ab alieno, et pacta servant, fideliterque solvunt quantum possunt, ac paene plus quam possunt, omnino debes mutuo dare.

De hac liberali et officiosa mutuatione hic praecipitur, quae est opus placens Deo, pro quo vicissim Deus benedicet tuis fortunis, augebit rem familiarem tuam, teque ingenti cumulo praemiorum ornabit. Hoc ipsum mutuationis officium commendatur et hoc dicto: Date et dabitur vobis.

De usuris.

Diximus nuper de eleemosyna et de mutuatione. Et in Luca fit mentio praecepti, quod prohibet usuras: Date mutuum, nihil inde sperantes. Quare etiam de usuris aliquid in hac materia dicendum est. Sed ero brevis. Ac primum vos omnes hoc moneo:

Magnum discrimen est inter haec tria:

Primum, ordinaria tributa imperiorum imposita fundis, quae subditi ex bonis illis, aestimatione facta, solent et debent pendere, ut cum ex uno agro penduntur duo vel tres medimni frumenti.

Secundo, certi reditus emti pro portione in fundo certo, cum pacto redemtionis, seu conditione de revendendo.

Tertio, usura seu foenus hoc est, cum dans mutuo pecuniam, et non emens fundum, vel certum reditum in fundo, sed exploratum habens, quando sit recepturus pecuniam, seu sortem, insuper tamen paciscitur et aufert lucrum aliquod supra sortem, tantum ratione mutuationis, seu propter officium mutuationis.

Ut autem in iudicando mediocrem prudentiam adhibeatis, haec tenere et considerare debetis.

Ordinaria tributa imperiorum, et certi reditus emti ex agris certis cum pacto de revendendo, nequaquam sunt usurae. Nec sitis adeo vecordes et stolidi, ut promiscue tanquam in unum chaos confundatis haec omnia: publicos reditus constitutos a legitima potestate, emtiones cum pacto redemtionis, et usuras, sicut ante annos viginti quinque Struthius Isenaci in seditione rusticorum excitatis miris tragoediis non leviter turbabat homines, adeo ut nollent debita solvere creditoribus, vociferantes, sine omni discrimine, omnes pensiones debitas, et qualescunque reditus, usuras esse.

Hae insaniae turbulentaeque defraudationes et iniuriae, pugnant cum septimo praecepto: Non furtum facies. Deus enim sanxit distinctionem dominiorum atque facultatum, prohibet impetum fieri in alienas possessiones, vult bona fide reddi aequalem compensationem, et numerari quantum debetur, in emtionibus, mutuationibus, et locationibus etc.

Hanc aequalitatem universaliter in contractibus inaestimabili sapientia et consiliis mirandis instituit ac ordinavit Deus, ut de ipsius iustitia commonefacti agnoscamus, et ipsum aequalem esse. Eos igitur, qui fidelitatem praestant in his officiis ac bonis corporalibus, vicissim sua benedictione cumulat; at defraudantes alios in rerum communicatione, atque crescentes rapinis et iniustis aucupiis, Deus etiam in hac vita iustis poenis afficit. Ac, ut testetur se non negligere facultatum administrationes et acquisitiones, tandem excutit eos fortunis. Ideo dicit Propheta Esaias: Vae qui praedaris, quia vicissim spoliaberis. Et Christus Dominus inquit: Quacunque mensura mensi fueritis, eadem reddetur et vobis.

Iam, quae sint ordinaria tributa imperiorum, non ignorari debet, et facile potest intelligi, videlicet, legitimae et usitatae pensiones, ordinatae in bonis subditorum, ut magistratus inde habeant necessarios sumtus, et ut sint nervi reipublicae, quibus et belli subsidia, et pacis ornamenta continentur. Tales publici reditus non sunt usurae. Imo iustum est singulos haec legitima stipendia pendere. Nam Paulus nominatim postulat hanc collationem tributorum, Rom. 13. Cui tributum debetis, tributum solvite.

Iustum est itidem, emtos fructus seu reditus, cum pacto revendendi, iis quibus debentur fideliter solvere, propterea quod omnis vera legitima et non simulata emtio divinitus ordinata et approbata est. At quisquis in emtionibus et venditionibus fraudem struit, et debita pretia maligne solvit, fur est, exhauriens alienas facultates, eratque severe puniendus a magistratu. Sed etiam cum magistratus deest officio, et tolerat alia furta, tamen Deus retrahet hunc stellionem ad poenas. Haec brevis commonefactio sufficit de his duobus casibus.

Caeterum de mutuatione proxime disserui. Scias et hanc esse divinam ordinationem, quam utrinque et a creditore et a debitore vult fideliter servari Deus, ut nec dans mutuo petat accessionem usurariam propter officium mutuationis, et sumens mutuo, bona fide tantundem pecuniae reddat. Sic igitur Deus ordinavit contractum mutuationis, utrique contrahentium quasi metis circumdatis.

Creditor, qui dat mutuo, non debet exercere quaestum pactione usurarum, nec aliquid ultra sortem postulare, nec ex alieno lucrari. Etenim Levitici vicesimo quinto, Lex divina dicit expresse: Time Deum, ut vivere possit frater tuus apud te. Non accipias a fratre tuo usuras, nec amplius quam dedisti. Et in Psalmo 14. dicitur: Quis habitat in tabernaculo tuo etc. Qui pecuniam suam ad usuram non dedit. Item Ezech. 18. atrocissima comminatio: Qui peccaverit morietur, accommodatur et ad foeneratorem impudenter exigentem amplius quam quantum mutuo dedit. Praeterea Lucae 6. Christus inquit: Mutuum date, nihil inde sperantes. Quod dictum non ita perverse nec insulse intelligatur, ut ratiocinemur, ne quidem licere sortem seu capitale sperari. Esset enim haec non mutuatio, sed donatio, si prohiberet sortem peti. Hic itaque proprius est intellectus, et simplex ac vera interpretatio verborum Christi: Sic mutuo detis, ut tantundem pecuniae recipiatis, nec in mutuo lucrum supra sortem propter ipsam mutuationem petatis.

Cum his praeceptis congruit historia memorabilis et perpulcra, quae extat in quinto capite libri Esdrae: Magna difficultas annonae et fames erat in terra Palaestina, propterea locupletiores et pecuniosi mutuo dabant egentibus civibus, sed postulantes usuram centesimam, id est, quae centesimo mense aequat sortem, ita ut inopes illi cogerentur et sortem reddere, et singulis mensibus de centum pendere unum, seu de centum florenis uno anno duodecim aureos solvere. Quod cum rescivisset Nehemias, exarsit ira, et foeneratoribus illis graviter obiurgatis mandatum divinum proposuit: Fratri tuo absque usura dabis mutuo. Quare perterrefacti creditores confitebantur peccata sua, et affectis iniuria pollicebantur se restitutionem centesimarum facturos esse. Haec dicta sint de dantibus mutuo.

Rursus, accipiens mutuum meminerit et observet praeceptum: Non furtum facies. Nam si recusat vel non studet numerare, quantum debet, revera fur est. Proinde debet fideliter solvere sortem, quae aequalis est mutuo, seu pendere tantundem quantum sumsit. Sanxit enim Deus atque adeo flagitat officium utrumque, videlicet et dandi mutuo liberaliter sine captatione et sine foenore, et fideliter reddendi ea, quae utenda acceperis. Nam contractus mutuationis a donatione differt, estque opitulari proximo translatione pecuniae seu frumenti etc., sed cum hac obligatione, ut die constituto debitor reddat idem in genere

seu aequivalens. Qui si fidem suam praestans debitum ad constitutum diem solverit, nec creditori moram ullam fecerit iniustum fuerit mutuo dantem insuper aliquid amplius exigere atque lucrari, cum alter, qui soluit usuram, nihil recipiat. Atque ea demum re ipsa est et proprie dicitur usura, cum quis ab officioso debitore, qui constituto die fideliter solvit, impudenter ultra sortem petit et flagitat lucrum, ut propter mutuationem plus recipiat quam dedit.

Pertinet autem ad officium politici gubernatoris, legibus et poenis hanc rapacitatem prohibere. Magistratus enim civilis ad haec officia praecipua principaliter ordinatus est a Deo.

Primum, ut sonet ipse, vel curet promulgari, inculcari et repeti vocem Decalogi in genere humano, ne regantur homines suis imaginationibus, sed ut lex naturae in Decalogo expressa sit omnium consiliorum et actionum norma, iuxta quam discernantur mala et bona opera.

Secundo, ut magistratus sit vigilans custos et executor legum Decalogi, easque poenarum severitate tueatur, afficiat homicidas et adulteros capitali supplicio, coërceat item et puniat fures, praedones, grassatores et usurarios.

Sed in conspectu est, proh dolor, affectata magistratuum segnities et negligentia. Adulteria raro, usurae prorsus non puniuntur. Veruntamen nos interim, ut illi cessent, necessario mandatum divinum proponere, annuntiare et praedicare debemus.

Ac Deus ipse custos, vindex et executor suae legis erit, et tandem fures et foeneratores excutiet ex possessionibus, sicut dixit: Vae qui praedaris et spolias, quia vicissim spoliaberis. Quae comminatio communi appellatione praedatorum direptorumque complectitur etiam impostores illos, qui res vitiosas vendunt, qui fallaces et fucosas merces extrudunt, qui panes, cerevisiam, vina corrumpunt et adulterant, Haec est (o rem miseram et deplorandam) harum regionum flagitiosa quaedam labes ac macula, et hirudo multo perniciosior privatarum et publicarum facultatum, quam caetera furta. Ideo veniunt bella, expilationes immodicae, et aliae calamitates magnae, quia certatim student omnes, obtinere immoderatam libertatem et infinitam licentiam omnium cupiditatum suarum, exercent iniusta pecuniae quaerendae aucupia, detrahunt aliis sui commodi gratia, decerpunt de alienis facultatibus, ut suas cumulent, quaerunt πλεονεκτήματα, et per contractus insidias struunt, ut ipsi locupletentur cum damno et iniuria aliorum. Fraudulenta vero venditio cerevisiae malae, quam compendii vestri causa non recte vultis coquere, quam multis vitiis et peccatis inquinata est? Hoc enim aucupio non solum per insidias emtores argento spoliatis et expilatis, sed etiam potu nimis tenui et crudo, tanquam lenibus quibusdam venenis, furtim aliorum corpora laeditis, et valetudinem affligitis.

Istiusmodi rapinas, imposturas, expilationes, interemtiones denique fraudulentas non sperate diuturnam impunitatem habituras. Sic enim inquit vox divina Deut. 25.: Non habebis in lance tua diversa pondera, neque erit in domo tua mensura maior et minor, sed pondus et modium iustum habeas, ut longo tempore vivas in terra, quam Dominus Deus tibi dederit. Abominatur enim Dominus Deus tuus, et aversatur omnem iniustitiam.

Hoc dictum bene mementote, et semper animis circumferte. Moveat vos cogitatio severissimarum et valde tristium comminationum. Impetret et extorqueat a vobis vis et moles poenarum hoc tempore cervicibus vestris imminentium, ut serio poenitentiam agatis, et assiduis a Deo gemitibus mitigationem tantarum calamitatum petatis. Quomodo quaeso poterunt a cervicibus nostris vel praesentes poenae depelli, vel impendentia pericula averti, si non huiusmodi enormia et affectata flagitia, fraudes, mendacia, perfidiam, petulantiam, spurcitiem et obscoenarum voluptatum turpitudines, serio moribus emendatis, deponemus et vitabimus?

Periculosissimum incendium excitatum est moto bello horribili, cuius quo se conversura sit moles, quamdiu duraturus impetus, quique tandem futurus sit eventus, nemo est hominum, qui possit prospicere: Vastantur agri, respublicae, regiones. Hinc fames, egestas et inopia rerum necessariarum existet in populo. Crescentibus exactionibus et expilationibus publicis, aliisque difficultatibus et oneribus in politico regimine, servitus fiet durior, eaque se facies rerum intuenti offert, ut videantur omnia barbaricam vastitatem atque solitudinem his regionibus minari.

Aeternus Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, clementer leniat et mitiget poenas prae-

sentes ac impendentes, nec sinat infinitas dissipationes, barbaricas confusiones, et ethnicas vastitates in his regionibus fieri.

Vos etiam propter gloriam Dei, ac propter totius Ecclesiae ingentem moestitiam obtestor, ut et vestrae et vestrorum imbecillium liberorum incolumitatis atque salutis causa, serio vos emendetis, coniunctis et ardentibus votis Deum invocetis, modestius vivatis, fideliter officia civilia praestetis, et in contractibus iustitiam exerceatis, hanc denique sententiam tanquam sigillum cordibus imprimatis: Abominatur Dominus Deus omnem iniustitiam, hoc est, quisquis ex insidiis, vel dolo malo detrahit ac nocet alteri, huius malitia iram Dei irritat, qui tandem eiusmodi defraudatorem tollet e medio.

Caput VI.

Supra dixit de enarratione et interpretatione praeceptorum: Non occidas, Non moechaberis, Non furtum facies. Horum praeceptorum interpretatio est de rebus crassioribus, quae facilius intelligi possunt. Nunc venit ad doctrinam de vana gloria, quae non ita facile intelligi potest, et est malum in profundo cordis infixum cupiditas vanae gloriae.

Ut aliquo modo crasse doceamus populum de hac re, sciendum est, quod vocabulum *superbia*, et vitiosa ambitio, seu cupiditas vanae gloriae non significet ostentare res externas, ut pulcras vestes, aut aedificia splendida (etsi hae res externae arguunt et declarant interdum occultam et interiorem superbiam) sed significat in corde confidere propria sapientia, aut viribus, aut potentia, aut pecunia, ideoque despicere alios, et hac sui fiducia sine vocatione et extra vocationem magnas res suscipere, multa movere, imo etiam coram Deo se efferre, nec agnoscere se dignum esse poena, et fremere adversus Deum, tum vel impeditur cupiditas, vel iusto iudicio Dei sequitur infelix exitus. Ista sunt arcana et occulta peccata, quae pauci homines intelligunt.

Hanc superbiam perpetuo condemnat Deus, et in concionibus suis, et in poenis, inevitabiliter sequentibus insignem insolentiam. De hoc malo et Christus hic loquitur. Ac dictum Petri dignum est memoria: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

Difficile est intelligere, quid sit superbia, et quid sit humilitas, quia sunt in corde: sed tamen externa signa et exempla utcunque ostendunt discrimen. Sumamus igitur exempla.

Saul initio est modestus et humilis, sicut textus manifeste dicit, servit suo patri, manet intra vocationem, quaerit asinas, etc. Sed postea evectus ad fastigium regni, cum aliquamdiu habuisset prosperos successus et insignes victorias, fit superbus, hoc est, erumpit extra metas vocationis, et appetit maiora, conatur ad se transferre regnum, et quasi per manus, haereditatis loco, tradere posteris suis. Cum quidem sciret, regnum in hoc populo esse peculiare donum Dei, nec haberet mandatum de constituenda haereditaria successione. Idem postquam videbat alium, nempe Davidem vocari, cui Deus suo consilio regnum traditurus esset, irascebatur Deo et hominibus, premebat et persequebatur Davidem, interficiebat Sacerdotes, elatus hac superbia, quod confidebat fastigio imperii seu autoritate regia, et sua potentia, quibus praesidiis putabat se satis munitum esse adversus omnes fortunae casus, ne hic cursus impediri posset.

Cum David interfecisset Goliath, et virgines composuissent hymnum triumphalem de ipso et Saule, magisque praedicarent ac celebrarent Davidem quam Saulem, ibi Saul incensus invidentia urebatur gloria sui ministri, ardebat aemulatione et ira, dolens istum sibi praeferri, et se quasi inferiorem duci: cum tamen debuisset Deo reverenter agere gratias, et ita potius cogitare: Ah Domine Deus, vere sunt nihil omnes homines, nec potest regni moles humanis viribus sustineri. Tibi autem gratias ago, quod *tu tu* Deus dedisti nobis victoriam per me et per alios, boni consulo alium praestantiorem electum esse. Tibi permitto atque concedo, ut tuo consilio, cuicunque volueris, dona superiora, ampliorem gloriam, et diuturniores successus tribuas. Confiteor me parum idoneum, imo indignum esse tot beneficiis, et ea gloria, qua me ornasti. Agnosco me miserrimum peccatorem esse etc.

Aliud exemplum.

Absolon erat filius regis, magnifiebat et colebatur a principibus et consiliariis, ac debebat adiuvare patrem: sed non contentus hoc splendore, praecipuoque dignitatis gradu, appetit superiorem vocationem seu summum fastigium, nec

expectat mortem patris, sed ante tempus invadit et occupat regnum excusso patre. In huiusmodi crassis et insignibus exemplis potest agnosci et conspici, quid sit superbia. Et bene considerate haec signa: ubicunque sunt hi morbi, invidentia, livor, aemulatio, et maledicentia laedens aliorum famam, seu obtrectans alienae existimationi, atque despectio aliorum; item: ubi multa tentantur, et moventur extra vocationem; item: ubi est impatientia contra Deum, ibi superbiam esse nihil dubium est. Tales igitur superbos et arrogantes esse cogitemus, quales Esau, Saul, Absolon et similes fuerunt.

E regione ponemus illustre exemplum humilitatis.

Ionathas filius Saulis eminebat inter praestantissimos duces et capitaneos patris, ac praeterquam quod multas egregias res gesserat, et admirandis atque salutaribus victoriis a Deo fuerat ornatus, etiam regis erat filius, cui iure et more aliarum gentium et communi quadam hominum opinione, haereditas regni deberi putabatur. Sed est humilis, non ruit extra vocationem, continet se intra metas officii, et quia scit nihil esse maius in hominum vita, quam gubernationem, praesertim populi Dei, nec ulli regnum in hoc populo deberi, nisi quem Deus electum et unctum quasi diademate imposito collocarit ipse in sede regia, ideo nequaquam concupiscit aut conatur rapere dominationem, sed intra metas suae vocationis fideliter servit. Deinde postquam videt Davidem divinitus ad hanc gubernationem vocatum esse, acquiescit, gaudet alium praestantiorem electum esse, amanter cedit, honestissime cupit ac benefacit ei, cor ipsius nec accenditur aemulatione et invidentia, nec impatientia et indignatione cruciatur, non existimat iniuste secum agi, vel iniuriam sibi fieri, quia scit hoc ipsum regnum donum Dei esse, nec invadendum esse ab ullo homine. Imo laetus agit gratias Deo, quod pro salute populi nunc vocarit et excitarit, sapientem, bonum, felicem et sanctum regem, gratulatur reipublicae, optat ut Deus haec beneficia cumulet.

Hic ipse mitis et fidelis animus in Ionatha est vera humilitas. Ac quoties auditis dici de superbia et humilitate, toties vobis in mentem veniant haec exempla Saulis, Absolonis et Ionathae.

Itaque facillimum fuerit intelligenti fundamentum in hac doctrina, perspicere et diiudicare, cum in omnibus historiis tum in quotidianis exemplis, quae personae re ipsa sint superbae, quae humiles, et quid proprie superbia sit, quid humilitas: collatis item eventibus agnoscere et observare, quod verissimum sit Petri dictum: Deus superbis resistit, humilibus dat gratiam, et quod verissime statuendum sit, superbos ordine divino ex alto fastigio excussos, tandem tristissimis casibus opprimi, sed humilibus Deum opitulaturum, et ipsorum curriculo affuturum esse.

Caeterum ut haec omnia melius intelligatis, volo definire, quid sit humilitas, et regulam tradere, commonefacientem vos, in quibus rebus exercenda sit humilitas, seu circa quae versetur. Vestrum erit diligenter ea considerare et meminisse.

Humilitas est verus timor Dei, qui sensu percipi potest in corde, et in agnitione propriae infirmitatis verus dolor de peccatis, et sordibus nostris; estque obedientia sese Deo subiiciens ac serviens intra metas vocationis, non stulta sui fiducia erumpens, nec suscipiens negotia supra vires, aut maiora appetens, sed spe auxilii divini diligenter faciens convenientia vocationi, et est iustitia tribuens suum cuique locum, non certans aemulatione et livore cum antecellentibus, nec despiciens, premens, impediens caeteros, sed agens Deo gratias, quod alios etiam facit organa salutaria; est denique patientia tribuens Deo laudem iustitiae, ac propter agnitionem delictorum moderate ferens poenas, nec irascens Deo, quasi crudeliter exerceat nos vel negligat, cum loco movemur, aut cursus noster impeditur.

Iam videte, quot membra seu species complectatur, et ex quantis virtutibus composita sit humilitas.

Prima virtus est timor Dei.

Secunda, agnitio peccati et imbecillitatis propriae.

Tertia, continere se intra metas, nec omissa vel deserta vocatione propria, irruere in aliena, aut appetere superiora viribus.

Quarta, neminem despicere, nec accendi invidentia.

Quinta, non fremere adversus Deum in poenis, sed in calamitate patienter obedire.

Harum omnium virtutum copulatio est humilitas. Ita sunt humiles Ionathas, David, et casti Angeli. Sed omnium maxime filius Dei,

adeo patienter exuens suam gloriam, et se abiiciens, ut coram aeterno patre iacuerit prostratus et supplex pro nobis, ac senserit derivata in sese vera et horribili ira Dei, summam confusionem, deformationem, miseriam et ignominiam, perinde ac si ipse nostris sceleribus et probris sese polluisset. Ah quid nos vilissimi et inquinatissimi vermiculi superbimus, ac irritati parvis iniuriis, aut aliquo convitio leviter aspersi fremimus, et coecis affectibus animos tanquam navem ventis permittimus? Pudeat nos arrogantiae et flagitiosae impatientiae nostrae, cum filius Dei propter nos in tantam humilitatem sese abiecerit. Propterea ipse dicit: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde. Haec vox Christi semper sit vobis in conspectu.

E contrario videte, quot ex vitiis conflata sit superbia, quantumque chaos foedissimarum sordium, turpitudinum, ac pestium, in cor superbum, tanquam in sentinam scelerum concludatur et confluat.

Superbia est coecitas errore iudicii non agnoscens peccatum et propriam infirmitatem, ideoque securissime contemnens iram Dei, et est orta ex hac ipsa coecitate admiratio atque fiducia suarum virium, potentiae, industriae, neglectis metis vocationis erumpens, et maiora appetens, aliosque vel arrogantia despiciens ac premens, vel invidentia criminans et deformans. Est denique impatientia fremens adversus Deum in poenis.

Primum ergo vitium, comprehensum in superbia, est coecitas non agnoscens peccatum et propriam infirmitatem.

Secundum, securitas carnalis, vel esse sine timore Dei.

Tertium, confidere sua sapientia, potentia, aut donis qualibuscunque, sine agnitione et fiducia auxilii divini.

Quartum, arrogare sibi maiorem autoritatem, quam convenit, et extra vocationem erumpere, ut Absolon, ut seditiosi, ut autores novorum dogmatum, quos ingenii propriaeque sapientiae fiducia et gloriae sitis impellit ad studia factionum et ambitiosa certamina, quales Arius, Mahomet, et omnes haeretici fuerunt.

Quintum, invidentia et aliorum despectio.

Sextum, impatientia, repugnans voluntati divinae.

Talis confusio pessimorum affectuum est superbia.

Haec breviter dicta sint de vocabulorum definitionibus tanquam in parva tabella quoquo modo propositis, ut commonefacti discamus paulisper aspicere nos ipsos, et agnoscere sordes ac miserias humanas, utque mentes excitentur ad considerationem virtutum, quas continet humilitas, et oppositorum vitiorum, quae plura concurrunt in superbis.

De precatione.

Quando oras, non eris sicut hypocritae etc.

In hac doctrina de precatione, primum rursus prohibet superbiam: postea docet modum orandi, et quidem certam formam verborum proponit; cumque proxime de superbia dictum sit aliquid, non sane retulerit, nec operae pretium fuerit tunc tradita prolixe iam repetere.

Est omnino profundum et arcanum peccatum superbia, videlicet, immodice sibi placere, seipsum admirari et magnifacere, se oblectare donis, arrogare sibi laudem iustitiae et sanctitatis, quas pestes indies magis magisque discamus agnoscere, ut maiore prudentia repugnemus omnibus his morbis. Ideoque cum in afflictionibus exercemur, et cruce praeparamur ad ferendam humilitatem, tunc sciamus deduci nos in hanc scholam erudiendos et domandos castigatione, ut agnita pristina superbia et arrogantia emendemur, ac proficere studeamus. Ita Nabogdonosor, velut ebrius sese aspiciens admirabatur suam virtutem et potentiam, tumebat superbia et sui fiducia, oblectabat se his vocibus: *Ego* sum ille gloriosus, pulcer et invictus rex, clarissimarum, maximarumque virtutum praestantia excellens, cuius sapientia, consiliis, et dimicationibus tantum imperium partum et constitutum est: *Ego* feci Babylonem tantam meo robore. Sed eundem dona sua immodice mirantem et amantem, elatumque fiducia propriae sapientiae, virtutis et potentiae, subito Deus ex summo gradu deturbat, et detrudit in acerbissimas calamitates, in quibus non solum regnum et autoritatem, sed mentem etiam amisit, cum furiosus vagaretur inter bestias etc.

Nec est quod quisquam securitatem et superbiam alens, promittat sibi placidos et optatos exitus. Quin potius omnibus persuasum esse debet universaliter inter homines, quicunque excelso dignitatis gradu collocatus, amplissimisque for-

tunae muneribus ornatus, eminet et antecellit, ideoque velut ebrius et infatuatus successibus superbe sua consilia et sese magnificit, eum hac ipsa sui fiducia sibi tragicas poenas accersere, a Deoque rursus ex alto fastigio deiectum horribiliter cadere, sicut admonui proxime, signum secuturae ruinae certissimum esse, insignem insolentiam. Semper enim verae manent hae regulae: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Item, abominatio Domino est omnis superbus corde, Proverb. 16.

Discant autem homines, primum agnoscere, emendare et exuere crassam, insulsam, agrestem atque Thrasonicam superbiam. Quae quidem superbia rustica et Thrasonica est, Cyclopico fastu palam despicere atque contemnere reliquos, eosque maledictis et probris vexare, et obtrectatione aliorum vel gloriam quaerere, vel sibi potentiam augere velle. Item, stolida vanitate et arrogantia gloriose multa, sed falso de sese praedicare, et impudenter ea sibi tribuere, quae non adsunt. Item: ingerere se alienis vocationibus, nec tribuere singulis gradum, in quem ordine collocati sunt, sed invadere in eorum functiones, et velle quoquo modo antecellere aliis. Item: iniustam licentiam sibi sumere premendi et afficiendi alios iniuria, et offerre speciem terroris, asperumque fieri non colentibus et magnifacientibus nos, ut propter hanc ipsam insolentiam, nos potentiores, fortiores, et praestantiores esse putemur quam sumus, alii vero videantur inferiores.

Haec enormia, crassa, et petulanter accersita vitia, multipliciterque vitam hominum turbantia considerentur, et agnita vitentur, frenentur, ac deponantur, adsciscatur autem et praestetur humilitas coniuncta cum patientia Christiana. Verum de his satis multa.

Nunc de precatione seu adoratione.

Prima regula sit: Ne abutamur oratione ad hypocrisin et exercendam superbiam, neve transferatur invocatio vel ad superstitionem vanamque fiduciam propriae iustitiae, vel ad inanem ostentationem atque pompam, dum simulatis ceremoniis et tragoediis externis sanctimoniam mentientes affectamus, ut homines praedicent nos in templo stantes, plurima legentes, incurvisque corporibus in genua considentes, tanta quidem specie fictae devotionis, ut (quod Germanis in proverbio est) Divorum pedes mordicus auferre velle videamur.

Secunda regula: Precatio non est inanis et otiosa et frigida *βαττολογία*, seu ethnico more propter consuetudinem inani labiorum motu, vocumque strepitu, et linguae volubilitate legere prolixas preces, et easdem superstitiose sine fine iterare: quemadmodum Monachi et sacrificuli ante haec tempora cogebantur recitare horas canonicas, cum immodice prolixas, tum ne ab ipsis quidem intellectas: aut sicut aniculae rosariorum naenias demurmurabant sine animorum intentione.

Tertia regula: Invocatio seu adoratio est necessarius et praecipuus cultus Dei, ac summa virtus, et propria solius Ecclesiae, seu vere Christianorum; estque vera fide aliquid petere a Deo propter mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum, et postea gratias agere Deo et mediatori pro acceptis beneficiis.

Itaque priore loco dicemus de petitione, quae est motus in corde, volens aliquid accipere a Deo, et petens, ut nobis dentur bona necessaria.

Ad petitionem vero necessaria est praecipue quinque rerum consideratio.

Primo cogitandum est, quem invoces, qui sit verus Deus, ubi se patefecerit, ut discernas tuam invocationem ab Ethnica et omnium sectarum damnatis invocationibus. Quanquam enim Ethnici quoque precantes usurpant et retinent nomen Dei, tamen vagantur animis, ignorantes, quid sit Deus, aut quod Numen alloquantur: alius coelum nominat Deum, alius appellat solem. Tu vero debes in precatione attente considerare, et tecum ipse quaerere, quid agas, quid invoces, ubi se Deus patefecerit, et dirigere mentem ac invocationem ad hunc verum Deum, qui se patefecit misso filio, Domino nostro Iesu Christo crucifixo et resuscitato. Ideo saepe inter invocandum cogites et proponas tibi baptismum Christi, in quo clarissime patefactae et revelatae sunt tres personae: Deus Pater, Deus Filius et Deus Spiritus sanctus. Ac quoties inchoas precationem, oculis, mente, veraque fide intuearis in Dominum nostrum Iesum Christum, et consideres utrumque, nec aliud numen invocandum esse, nisi hunc verum Deum, qui se patefecit in Christo, videlicet Patrem, Filium et Spiritum sanctum: et hunc aeternum Deum semper in ecclesia patefactum, velle certo te exaudire, curare tuos gemitus, recipere tuas preces propter Filium et mediatorem Christum.

Haec cogitatio commonefaciens, quem velis alloqui, seu quod sit illud numen, quod alloquaris, in omni invocatione suscipienda ante oculos, et apud animum attente, serioque proponenda est, ut in conspectu sit discrimen verae invocationis in Ecclesia, et invocationis Ethnicae, Ignorant ethnici quid invocent, nec possunt statuere quod exaudiantur, nec cogitant, cur exaudiantur. Verum Christiani norunt et aspiciunt admirandas revelationes, quibus ab initio se Deus ostendit in Ecclesia, earumque cogitatione fidem confirmant, intuentur patefactiones in eductione ex Aegypto factas. Item evidentissima testimonia per filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum exhibita in resuscitatione mortuorum. Hunc verum Deum patefactum illustribus testimoniis agnoscat, compellet, et alloquatur cor tuum, et fiducia mediatoris petat gratiam et alia beneficia, certo statuens propter Christum exaudiri tuos gemitus.

Haec prima sit admonitio de invocatione, ex qua perspicue potest intelligi, non statuas, non diabolos, non Sanctos, non ullos homines invocandos esse, nec honorem Deo debitum ullis creaturis tribuendum esse. Sitque semper in conspectu dictum Christi: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies.

Secunda commonefactio est, ut mandatum Dei de facienda invocatione cogitetur, quia nullum opus Deo placet non divinitus praeceptum. Imo quis auderet ad Deum accedere, tantamque maiestatem compellare et alloqui? nisi vellet ipse atque iussisset hoc modo se coli: praesertim cum naturaliter omnium hominum corda dubitatione oppressa trepident, Deumque fugiant in veris doloribus.

Propterea proposuit Deus severissimum mandatum, ut sciremus alacriter et confidenter nos ad ipsum accurrere et confugere, auxiliumque in periculis ab ipso petere et exspectare debere, atque hanc invocationem summum esse cultum, et opus omnium maximum, Deoque gratissimum, sicut clamitat Psalmus 49.: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me. Item Matthaei 7.: Petite et dabitur vobis, pulsate et aperietur vobis. Ac universa scriptura plena est talium praeceptorum, quorum autoritas animis inculcetur, nosque exsuscitet et accendat, ne trepidantes fugiamus Deum, sed ut ausimus libenter, avide, et quasi familiariter ad ipsum confugere.

At dicat aliquis: Libenter venirem in conspectum Dei, libenter accedens ad Deum multa peterem, certe in tantis miseriis intelligo mihi opus esse auxilio Dei, sed sum miserrimus peccator. Fortassis meae preces non curantur, sentio me indignum esse, qui exaudiar. Quid petam, cum scriptum sit: Peccatores Deus non exaudit? Frustra igitur clamo ad Deum, cum sim multipliciter reus irae.

Responsio.

Hic tenenda est tertia consideratio, pertinens ad veram invocationem, videlicet, promissio, et filius Dei mediator. Deus non solum severissime praecepit, ut petamus, sed etiam ut invitaret nos ad invocationem, clarissimas sententias dulcissimarum et amplissimarum promissionum addidit, in quibus iure iurando confirmat, se certo velle nos exaudire, praestare bona quae petimus, et opitulari nobis in omnibus, tum spiritualibus, tum corporalibus periculis et necessitatibus. Suntque promissiones expressae his verbis: Amen amen dico vobis: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Ecce hic iurat filius Dei, Patrem certo velle nos exaudire, certo accipi et placere nostras preces. Item Matth. 7.: Petite et accipietis.

At rursus, indignitate tua deterreris, disputans te miserum peccatorem esse.

Responsio.

Hic necesse est scire, propter hanc ipsam causam, quia sumus oppressi peccato, Deum constituisse dilectum filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, pro nobis deprecatorem, interpellatorem, mediatorem et summum Sacerdotem, propter quem certo recipiat et exaudiat nos. Quare debes in omni invocatione accedere et confugere ad propitiatorem Christum, ita, ut primum adferas poenitentiam, seu conversionem ad Deum, deinde sustentes et erigas te hac consolatione, quod et propter mediatorem Christum certo accipias remissionem peccatorum, et reconciliatus propter ipsum, exaudiaris, et quod idem sit summus Pontifex ingrediens in Sancta sanctorum, tuosque gemitus, tua vota, tuas preces perferat in arcanum divinitatis consilium.

Ecce hanc tantam consolationem ignorant Ethnici, Iudaei, Turci et Papistae, sed tantum vera ecclesia, seu populus Dei, recte agnoscens dominum Iesum Christum, tenet hanc efficacissimam et dulcissimam consolationem. Magnitudo quidem tantae rei longe superat omnium Angelorum et hominum eloquentiam. Quid enim maius et admirabilius hac Dei bonitate cogitari potest? videlicet, quod nos miseros homines vult certo recipere, curare, respicere, exaudire propter intercessionem et sacrificium Pontificis Christi. Ideo diserte dicit ipse Dominus: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, id est, fide, quae nititur me propitiatore, seu fiducia filii Dei mediatoris et placatoris. Haec est in omni precatione omnium maxime necessaria consideratio, de qua pios et vere Christianos, qui serio magnaque animi intentione orant, quotidiana docet experientia, non sine ingenti certamine ac labore flecti, erudiri, et erigi corda, ut acquiescant in tot promissionibus sancitis sanguine et resuscitatione filii Dei, nec eam luctam sine veris gemitibus fieri posse.

Necessario itaque debet accedere quarta commonefactio, de *fide*. Est enim inane murmur, nec dici potest invocatio, si quadam consuetudine recitans verba cogites: Nescio an sim *Deo* curae, an placeant et vere recipiantur meae preces. Sed necesse est te promissionem atque filium Dei mediatorem intueri, amplecti, et apprehendere vera fide, acquiescente in Deo propter ipsum, necesse est te fiducia promissionis gratiae repugnare diffidentiae et dubitationi, iuxta dictum Iacobi: Omnis petat in fide, nihil haesitans. Item 1. Tim. 2. dicitur: Orate sine ira et haesitatione. Item, textus inquit ad Ephesios: Per Christum audemus accedere confidenter per fidem in ipsum.

Quare scias oportere universaliter in omni petitione primum et ante omnia afferri atque praelucere hanc fidem, qua credis, Deum aeternum certo te recipere, tibi ignoscere, velle tuas preces respicere, approbare et exaudire propter mediatorem Christum.

Ac in petitione aeternorum bonorum, ut reconciliationis, salutis, et gubernationis animae, firmissime statuito, quod haec ipsa, quae sine conditione petis, videlicet remissionem peccatorum, gratuitam reconciliationem, et vitam aeternam, Deus tibi nominatim et in specie certo dare et praestare velit.

Sed de bonis corporalibus, in hac vita necessariis, fides petit et statuit cum conditione: Si Deo placet. Quae quidem precatio non est irrita, sed efficax, et vel hoc ipsum, quod nominatim petitur, impetrat, vel certe mitigationem calamitatum et miseriarum.

Etsi enim Deus in hac vita vult ecclesiam subiectam esse cruci, tamen immensa misericordia lenit ac mitigat invocantibus ipsum poenas et aerumnas, ut sustineri atque perferri possint, ne desperatione oppressi mergamur in aeternam mortem, sicut affirmat in Esaia, se habitare cum afflictis etc. Scias igitur, etiamsi differtur liberatio corporalis, nec eventus tuae cogitationi respondet, tamen placere, recipi, exaudiri tuam precationem, nec esse irritam, nec inane murmur. Haec sine ulla dubitatione certissima et verissima sunt, ut et Syracidae 35. scriptum est: Lacrymae viduae defluunt ad maxillam, sed oratio ascendit, et coelum penetrat.

Quinta consideratio est rerum petendarum, ut cogitentur et recitentur in precatione nominatim certa beneficia quae petimus, videlicet, remissio peccatorum, donatio Spiritus sancti, gubernatio divina in moribus, consiliis et periculis, confirmatio seu firmitas fidei, castitatis et omnium necessariarum virtutum, item conservatio ministerii evangelici, puritatis doctrinae et ecclesiae; item corporalia beneficia, bona valetudo, victus, salutaria regimina, pax et concordia publica, felicitas liberorum, protectio tui tugurioli, tuae familiolae, tuarum fortunularum, tui oppiduli, etc.

Has tantas necessitates, tot et tam varii generis pericula, commonefacti ingentibus miseriis vestris, vobis proponere, et in petitione bonorum universae ecclesiae, et vobis privatim, et vestris familiis, necessariorum, cum spiritualium tum corporalium, fidem, invocationem, et spem exercere debetis. Nam propter hanc ipsam causam Ecclesia subiecta est cruci, et aerumnas inextricabiles humano consilio sustinet, ut mole rerum oppressi ad invocationem excitemur, et auxilium *Dei* quaerere cogamur. Donec enim homines ebrii voluptatibus, et praesentibus commodis fruentes, vivunt sine magnis doloribus, non fiunt ardentes, sed nimis ignavae, languidae et frigidae petitiones, quia tantus est stupor otiosarum et temulentarum

mentium, ut nec suas miserias considerent, nec putent sibi opus esse auxilio Dei. Ideoque Deus Ecclesiam sinit assiduis persecutionibus et tristibus ac variis calamitatibus commonefieri, ut ipsa experientia convicti discamus clamare et confugere ad ipsum, et agnoscamus Dei praesentiam mirandasque liberationes in Ecclesia, quibus ad timorem Dei, ad fidem, et ad celebrandum Deum invitemur, quemadmodum docet et hortatur Psalm. 33.: Accedite ad Deum, et magna frequentia accurrite, tunc facies vestrae non confundentur, iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum, etc.

Haec est communis doctrina de precatione, quam saepe auditis. Sed erat quotidie in invocatione cogitanda, et ad usum transferenda. Non enim tractat otiosas subtilitates, et inanes argutias, sed continet necessariam doctrinam exercendam in quotidiana vita, et in omnibus negotiis, ut discamus verum cultum, ad quem conditi sumus, Deo praestare, adeoque salutares et efficaces commonefactiones proponit, ut in conversione vitam et consolationem aeternam cordibus afferant.

Caeterum rursus adiicio brevem explicationem dicti: Peccatores Deus non exaudit.

Vera est sententia de peccatoribus non agentibus poenitentiam, seu nolentibus converti ad Deum, ac secure perseverantibus in peccatis contra conscientiam, ut, qui retinent propositum polluendi se adulteriis, persecutione verae doctrinae, rapinis et furtis, etc.

Sed de aliis peccatoribus agentibus poenitentiam, seu conversis ad Deum, nequaquam debet intelligi hoc dictum. Nam de conversis et quaerentibus remissionem peccatorum, loquitur vox iuramenti divini: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

His necessariis commonefactionibus de invocatione seu petitione, nunc contenti simus. In sequenti concione plura disseram de hoc loco, quia Christus ipse formam precandi proponit, quam dextre, perspicue ac recte discamus intelligere, qua de re postea dicendum erit.

Sic igitur orate: Pater noster qui es in coelis, etc. Lucae 11. Quando orabitis, dicite:

Hanc admonitionem primum addi prodest. Sunt quidam hypocritae adeo supra caeteros Sanctos religiosi, ut dicant nihil opus esse verbis in precatione, satis esse spiritu invocare, et nesciunt, quid sit spiritus vel caro, tantum suae ignaviae praetextum quaerunt, qui raro vel nunquam recitant verba precationum.

Contra tales hypocritas tenenda est particula in textu: *dicite.* Manifeste iubet Christus haec verba recitari, quod non intelligatur superstitiose, sed recitatio verborum utilis est.

Primum autem recitatio verborum, quae Dominus noster Iesus Christus ipse nobis praescripsit, aut quae Spiritus sanctus in Psalmis et alibi tradidit, eo conducit, ut per hanc formam divino consilio propositam erudiamur et commonefiamus de vero Deo, de vero cultu, de voluntate Dei, et promissionibus divinis, utque firmiori assensione statuamus, quod se Deus patefecerit, quod ostenderit, quomodo velit invocari, quod placeat ipsi petitio beneficiorum et auxilii divini, et quod vere exaudiat invocantes, velitque haec ipsa bona largiri, quae nominatim in hac eruditissima forma peti iussit.

Haec cogitatio patefactionis et promissionum inprimis est necessaria in recitatione formae divinitus traditae, ut cum filius Dei iubet te dicere: Remitte nobis debita nostra, cogita: Quia praecipit Christus, ut petamus reconciliationem, certum est immotam Dei voluntatem esse, ut statuamus, ab ipso nobis ignosci. Nec enim iuberet petere remissionem, nisi vere daturus esset. Item, cum docet precatio Dominica serio orare: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, cogites, quia Christus iubet nos petere beneficia corporalia, haud dubie ea donabit Ecclesiae.

Ecce tanta consolatio proponitur in hac forma et recitatione certa verborum, quae Dominus praescripsit et tradidit, ut liquido constet temulentos istos Cyclopes plane furere, et agitari malo spiritu, qui contendunt, nihil opus esse horum verborum recitatione.

Sed illi insaniae opponatur textus in Luca, qui nominatim inquit: Cum oratis: *dicite.*

Secundo, expressa recitatio verborum sit inter precandum confessio quaedam contra diabolum. Sit etiam professio fidei coram Ecclesia, qua te seiungis ab omnibus Ethnicis, et omnium sectarum furores improbas.

Sic cum dexter latro pendens in cruce expressis verbis orat: Domine memento mei, quando

venies in regnum tuum, de sublimi concionans edit illustrem confessionem, et ostendit suo testimonio, hunc Iesum, qui nunc est supplicii socius, vere Messiam esse, remittentem peccata, et autorem atque instauratorem vitae aeternae.

Praeterea, commemoratio certa verborum si fiat publice, utiliter et testimonio commonefacit ac erudit, et exemplo invitat, excitat atque confirmat, cum pueros et adolescentes, tum alios grandiores natu.

Haec omnia bene considerare diligenterque meminisse debetis, ut assuefaciatis vos ad recitationem precationis Dominicae, Symboli Apostolici, et Psalmorum libenter ac frequenter, tum privatim, tum publice exercendam. Nam piae mentes experientur, Deum per hanc recitationem efficaciter ipsis consolationem atque lucem suppeditaturum esse, nec irritam fore invocationem, nec clamores inutiles, sed salutaria quae petunt impetraturos esse.

Nunc ad ipsa verba orationis Dominicae accedo.

Pater noster qui es in coelis.

Hac parte recitata primum detineat animum tuum dulcissima patris appellatio. Consideres attente, quem Deum voces Patrem, et cur ita nomines. Ac scias hac te compellatione, Pater noster qui es in coelis, alloqui totam divinitatem. Pater enim hoc loco est essentiae nomen, non tantum unius personae. Est igitur vocabulum commune toti divinitati, seu ponitur essentialiter, non personaliter, complectens Patrem, Filium, et Spiritum sanctum.

Deinde necesse est te simul cogitare et intueri mente patefactiones divinas, ut directa sit invocatio ad hunc verum Deum, qui se patefecit misso filio Domino nostro Iesu Christo crucifixo et resuscitato. Quare talis aliqua forma invocationis cogitetur:

Omnipotens, aeterne, vere et vive Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, et cum Spiritu sancto, te supplex alloquor, oro et invoco, ad te confugio, tuam misericordiam et opem veris gemitibus imploro, exaudi me, iuxta promissiones tuas, propter filium Mediatorem Iesum Christum, tu es Pater noster, hoc est, tu vis nobis esse placatus, nos recipere et exaudire propter filium tuum, quem constituisti pro nobis propitiatorem. Ingens, verus et ardens amor est parentum erga natos, propterea vero animi motu ad te patrem amantissimum confugio, quem fiducia patefacti filii certo statuo, miranda et paterna benevolentia mihi in omnibus periculis opitulaturum, et divina consolatione leniturum esse calamitates et aerumnas.

Tali aliqua seu forma, seu cogitatione te commonefacias, ac fidem accendas et excites, quoties recitas haec verba: Pater noster.

Qui es in coelis.

Sequitur: Qui es in coelis, hoc est, qui es omnipotens, opitulator, et vere ades ubique. Nam esse in coelis, cum de Deo, seu infinita natura loquimur, non significat occupare certam quandam coeli partem, et in solio sedere supra solem, aut supra sphaeram stellarum fixarum: sed est substantia omnibus locis et creaturis adesse, ac ubique praesentem et efficacem esse, sicut textus affirmat Ieremiae 23. Coelum et terram ego impleo.

Est igitur haec asseveratio in precatione, quaedam confessio de universali praesentia et infinita potentia Dei, quod vere tibi adsit, te respiciat et exaudiat, videat et iudicet motus ac gemitus tui cordis, quodque tanta sit ipsius potentia, ut certo tibi possit opitulari: et quod non adores ligneam aut lapideam statuam, nec idolum aureum vel argenteum, sed unicum, verum, aeternum, omnipotentem, vivum, sapientem, bonum, beneficum, veracem, castum, iustum atque misericordem Deum, qui se per Dominum nostrum Iesum Christum resuscitatione mortuorum, et aliis miraculis patefecit, ac vere vult et potest nobis opem ferre.

Hanc cogitationem debes addere ad haec verba: Qui es in coelis. In qua recitatione simul consideretis, quanta coecitas et insania sit, invocare Sanctos, qui ex hac vita decesserunt. Isti enim nec intuentur cor tuum, nec te praesentes audiunt, nec ubique adsunt. Sed invocatio compellans mortuos Sanctos tam est incerta, inanis, et irrita, quam si tu hominem prorsus ignotum, ignorantem, absentem, longeque disiunctum, ridicule compelles et alloquaris in cubiculo tuo. Verbi causa, si dicas: Ah mi Domine Pastor Ecclesiae Lubecensis iuva me, vel ora pro me. Ille enim

nec videt motus, nec audit vota tui cordis, ac nescit quidem se invocari.

Talis invocatio, quae fit ad surdos et ignorantes, quid quaeso differt ab adoratione idololatrica et ethnica marmorearum seu lignearum statuarum?

Hanc manifestam et crassam idolomaniam simul in recitatione tua mens cogitatione depingat, serioque detestetur, ut certo discas invocare verum Deum, nec dubites vere tibi Deum adesse, vere aspicere, iudicare, exaudire gemitus tui cordis, velle ac posse tibi opitulari, dare vitam et salutem propter filium suum, Dominum nostrum Iesum Christum.

Sanctificetur nomen tuum.

Nunc sequuntur ordine petitiones.

Audivistis autem supra commonefactionem de rebus petendis in precatione recensendis. Debent enim precantes certum aliquod beneficium, necessarium vel animae vel corpori a Deo nominatim petere, et exspectare.

Porro, primum, summum, et maxime necessarium bonum est vera Dei agnitio, ac vera et incorrupta doctrina, de qua notitia et celebratione Dei concionatur etiam primum praeceptum. Ac sicut primum mandatum Decalogi requirit et praecipit, ne habeas Deos alienos, sed ut verum Deum recte agnoscas, credas eius verbo, habeas veram fiduciam erga Deum, verum timorem et dilectionem Dei super omnia: ita docet nos Dominus initio petere, ut possimus inchoare et praestare cultum interiorem, et obedientiam cordis erga primum praeceptum. Exorditur itaque a praecipuo et omnium maxime necessario bono: Sanctificetur nomen tuum, quasi dicat: Ah Domine Deus accende in nobis puram, veram, et sanctam agnitionem nominis tui, hoc est, da nobis puram et sinceram doctrinam sine corruptelis, ne vel errores amplectamur, vel idololatricos cultus recipiamus, sed effice, ut te verum et unicum Deum, Patrem Domini nostri Iesu Christi, qui te patefecisti per hunc filium Iesum Christum, ab initio missum ad Ecclesiam, crucifixum et resuscitatum, sancte agnoscamus, tibi vere credamus, te recte invocemus, colamus, ac celebremus. Custodi nos clementer, ne fanaticis et idololatricis furoribus animi nostri fascinentur, tolle idololatriam et omnes impias opiniones, effice, ut tu verus Deus recte innotescas, vere agnoscaris, vera fide invoceris, colaris et celebreris.

Nomen enim significat notitiam seu agnitionem.

Hic igitur observabis, quod primum Decalogi praeceptum, et haec prima petitio congruant, quodque loquantur de vera patefactione, agnitione, invocatione ac celebratione Dei.

Adveniat regnum tuum.

Vera agnitio non sit otiosa speculatio, sed lux ardens divinitus accensa, cordibus afferens aeternam iustitiam, laetitiam et vitam, iuxta dictum Christi: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te verum Deum, et Iesum quem misisti esse Christum. Effectus itaque verae agnitionis est iustitia et vita aeterna. Propterea de effectu primae petitionis dicitur: Adveniat regnum tuum, hoc est, tu per ministerium et vocem doctrinae tuae regenera, rege, guberna nos Spiritu sancto, inchoa in nobis regnum tuum in hac vita, et perfice post hanc vitam, sis in nobis efficax, accende per vocem Evangelii et agnitionem tui, veram fidem, iustitiam et vitam aeternam in cordibus nostris, destrue regnum diaboli. Non concedas diabolo, ut praestigiis suis nostros animos capiat, et deinde implicatos et irretitos horribiliter impellat et evertat. Habitet ac regnet Iesus Christus filius tuus potenter et efficaciter, ac mansionem faciat in nobis, sicut ipse promisit, inquiens: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget illum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus.

Caeterum et haec ipsa petitio pertinet ad primum ac secundum praeceptum Decalogi. Oportet enim ista duo coniungi, et utrumque simul in nobis inchoari, veram scilicet agnitionem Dei, et efficaciam divinam, seu motus divinos excitatos et accensos per lucem doctrinae coelestis et agnitionem Dei. Nam vera cognitio praecedit, vivificatio sequitur, ac Deus est efficax per suum verbum, suaeque vocis cogitatione convertit et vivificat assentientes. Petis ergo in his primis atque praecipuis petitionibus summa et amplissima beneficia, veram lucem doctrinae, veram fidem, timorem Dei, dilectionem Dei, spem, consolationem et vitam aeternam, victoriam denique adversus Diabolum, et adversus tua peccata.

Fiat voluntas tua, sicut in coelo sic et in terra.

Dominus facit initium precationis a vera Dei agnitione, et efficacia, seu gubernatione divina in nobis ipsis. Quare nunc sequitur tertia petitio, pertinens ad tertium et quartum praeceptum Decalogi, quae de vocationibus et functionibus loquuntur. Nec iam privata tantum bona tibi ipsi petis, sed potius communia et publica quibuslibet vocationibus, ordinibus, et statibus salutaria. Oras etenim pro ministerio Evangelii, pro magistratibus et politia, seu pro bono statu publico, pro oeconomica seu domestica gubernatione, cum tuae familiae tum aliarum: Ah Domine Deus, tu regas ipse et adiuves tuas functiones, ut in omni gubernatione, administratione, vocatione, *Tua* voluntas fiat, id est, ut fiant ea, quae *Tu* mandasti, fiant tibi grata et placentia, videlicet, ut concionatores et Ecclesiae ministri recte, fideliter sancteque doceant, ut reges, principes, consules, ac omnes qui praesunt, piis et salutaribus consiliis constituant, regant ac defendant respublicas, ut patres matresque familias honeste curent suos liberos educari, erudiri et castigari iuxta doctrinam coelestem, utque singuli suo loco officium suum rite et feliciter faciant, ac maneant omnes adiuncti copulatique tibi Deo, tamque membra viva suo vero capiti, et omnes tibi obediant, nec avulsi discedant et aberrent a vero capite. Tolle omnia scandala gubernatorum et aliorum quae offendunt tuam voluntatem. Non concedas ut diaboli serant falsam doctrinam, spargant inter nos tetros errores et contumeliosos adversus Deum, quibus homines avellant a Deo, sicut Adam et Evam deceptos abstraxerunt a tua voluntate. Non accendant diaboli odio tui tyrannides et iniusta bella contra tuam voluntatem, ne sequantur tristissimae vastationes Ecclesiarum, interitus disciplinae et piorum sudiorum iuventutis.

De his tantis rebus loquitur hoc tertium membrum: Fiat voluntas tua, sicut in coelo, sic etiam in terra. Proinde quoties haec verba recitas, cogita, te hic non solum pro te petere, sed pro toto corpore Ecclesiae, pro singulis ordinibus et statibus, pro omnibus regiminibus, coetibus et vitae generibus. Ac saepe multumque debes hoc tuo cum animo considerare, quod antea monui diligenter expendendum et in conspectu tenendum esse. Filius Dei iussit ipse peti tantas res, videlicet, conservationem coelestis doctrinae, gubernationem et efficaciam divinam in nobis, gubernationem salutarem Ecclesiarum, item regiminum et politiarum, ut Ecclesiolae misellae foveantur et protegantur.

Hae certe sunt res atque petitiones maximi momenti, omniumque, quae cogitari ac nominari seu oratione comprehendi possunt, summae et amplissimae; veruntamen quia Dominus noster Iesus Christus praecepit, ut haec tanta bona petamus, nec irrita vota nostra, nec inanes et inutiles erunt clamores nostri.

Meminerimus etiam, maximas maximeque necessarias res ideo comprehensas esse in hac forma precationis, divino consilio tradita, ut nos eas cogitatione complexi, afficeremur, aliorum et totius Ecclesiae cura, ne securitate et feritate Cyclopica viventes in diem, essemus sine solicitudine, nec angeremur pro aliis, sed mente et cogitatione cuiusque in publica salute defixis, intueremur et complecteremur totam Ecclesiam, et universum regimen politicum, motique calamitatibus Ecclesiae, reipublicae, parentum, liberorum, et amicorum, non nobis tantum, sed etiam aliis opem ferri flagitaremus. Itaque consideremus communes et privatas necessitates, inprimisque publica pericula regionum, quae nobis et honestis studiis hospitia concedunt, ac petamus nos luce divina regi in vocatione, in omnibus consiliis, in tuenda puritate Ecclesiae, in docendo, in regenda republica et honesta disciplina.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Praecedentes petitiones optimo ordine praescriptae sapienter exorsae sunt a primo praecepto, videlicet, ab agnitione Dei, et efficacia, seu gubernatione divina in nobis. Istum aptissimum ordinem bene animadvertere ac intelligere valde prodest, et in docendo plurimum lucis et perspicuitatis affert.

Haec quarta petitio: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, loquitur de corporalibus bonis, de vita et incolumitate corporum, de bona valetudine, de victu, hospitio, domicilio, pace, defensione, omnibus denique vitae commodis, praesidiis, et adminiculis, sicut in praesenti vita corpora multis et diversis rebus indigent, cibo, potu, bona valetudine, certis oeconomiis, possessionibus, nidulis ac tuguriolis, felici ac pia administratione politiarum, quae praebent nobis

hospitia, pace seu tranquillitate publica, contractibus etc., quemadmodum videmus hanc externam et corporalem vitam indigere plurimorum hominum ope, officiis, operis, et praesidiis.

Nec est ulla humana sapientia et diligentia tanta, quae satis intelligere ac prospicere, nedum eloqui possit, quot et quam diversis rebus ad retinendam et tuendam vitam corporum opus sit. Non enim iam declamito de rebus vitae non necessariis, ut de non necessariis apparatibus, pompis et profusionibus, de quibus hanc petitionem minime convenit intelligi, quae tantum loquitur de omnibus bonis corporalibus necessariis in hac vita.

Haec igitur quotidiana et necessaria beneficia, quoad eius fieri potest, omnia veniant in mentem, ac in conspectu sint recitantibus hanc petitionem: Pater noster qui es in coelis, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, hoc est, da nobis omnia corporis commoda, sustenta et proroga nobis vitam, da nobis bonam valetudinem, ut labores vocationum perferre possimus, da victum, cibum, potum, da pacem, mediocrem tranquillitatem, hospitia, politias, coniugia, oeconomias, ut soboles foveri et educari possit, protege domicilia, tuguriola et oppidula nostra, da commodas tempestates, foecunditatem agrorum, fruges, annonam, da bonos successus in officiis vocationis, felicitatem in administratione politica et oeconomica, successus in communicatione rerum per contractus in negotiatione, in opificio meo, concede parvis meis longa et felicia vitae spatia, da vires corporis et vigorem ingeniorum, non sinas in his regionibus vel Turcicis, vel civilibus bellis, vel seditionibus barbaricam vastitatem fieri, defende casulas nostras, ne incendiis aut aliis cladibus pereant.

Has et similes corporales necessitates memineris tibi cum animo tuo considerandas et expendendas esse veris gemitibus, quoties oras: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Qua in cogitatione multae gravissimae, saluberrimae, maximique momenti doctrinae tibi discendae, meditandae, intimisque sensibus erunt infigendae.

Nam primo dicat aliquis: Quid attinet haec beneficia petere, cum Deus ipse taxet, accuset, et prohibeat solicitudinem de crastino, seu de pascendo ventre, de victu, cibo, potu, defensione, et aliis vitae commodis? Item quid prodest petitio? cum Deus nos velit affligi, paratos esse ad ferendam paupertatem, et offerre nos ad obedientiam in tolerandis adversis? Item, Evangelium iubet quaerere aeternam vitam, non praesentia et corporalia bona. Item, multi doctores scripserunt, Deo haec non esse curae, nec in usitata precatione intelligendum esse panem corporalem seu bona corporis, sed contendunt eam loqui de coelestibus et aeternis bonis. Ad istiusmodi ratiocinationes et obiectiones, quae cordatis omnibus haud dubie veniunt in mentem, hanc responsionem diligenter observare, recte intelligere, atque bene meminisse operae pretium fuerit: de qua quidem scriptores ecclesiastici valde pauca tradiderunt.

Responsio.

Aeternus et omnipotens Deus verissime condidit initio genus humanum, admirando consilio, inenarrabili sapientia, et immensa bonitate, ad aeternam vitam, laetitiam, et consuetudinem cum ipso. Idem post lapsum homines per et propter filium Dominum nostrum Iesum Christum, redemtos, et in gratiam receptos rursus revocavit ex morte, ac restituit ad vitam, iustitiam et gloriam aeternam, deditque promissiones de remissione peccatorum, restitutione salutis, consummatione iustitiae, ac coelestibus et aeternis beneficiis. Haec esse verissima, assensione firmissima statuamus.

Necesse est autem, ut in hac vita ante mortem corporalem fiat conversio ad Deum, et inchoëntur ac crescant vera fides, vera agnitio Dei, vivificatio, consolatio et obedientia. Vult enim Deus, ut in hac misera massa, sit et colligatur aeterna Ecclesia in hoc angusto curriculo vitae mortalis. Ac nisi in praesenti vita haec divinae lucis, sapientiae, consolationis et novitatis initia sint in nobis accensa, quibus ad aeternam scholam praeparamur, non erit postea nobis aditus ad coelestem Ecclesiam, quae Dei conspectu, consuetudine, sapientia et bonitate laeta fruetur in omni aeternitate. Quae ut vera, certa et immota sunt, ita prorsus est necessarium ea discere, meminisse, ac firmissima fide amplecti. Hic ergo teneatis dictum, quod omnibus notissimum esse oportuit, Beati mortui qui in Domino moriuntur, hoc est, qui antequam hinc decederent, agnoverunt Dominum, et in fide ac vera invocatione perseverantes, in hac vita se filio Dei Domino Iesu

Christo pie commendarunt. Sic et Paulus inquit: Superinduemur aeterna salute, si tamen vestiti et non nudi reperiemur, id est, si ad illud iudicium, quod post mortem subituri sumus, initia iustitiae aeternae afferemus.

Firmiter igitur et certo statuendum est, quod et oporteat in hac mortali vita Ecclesiae aeternae collectionem fieri per filium Dei vivificantem credentes voce Evangelii, et quod necesse sit te ipsum converti ad Deum, et membrum seu civem Ecclesiae Dei fieri ante mortem corporalem, si vis post resurrectionem cum omnibus salvatis vivificari vita aeterna, in qua Deus visibiliter et immediate conspicietur. Hoc fundamentum singuli homines animis infigere, familiariter nosse, constanter amplecti, et utraque manu retinere debent.

Ex hoc fundamento iam sequitur illud: Cum necesse sit inchoari in hac vita Ecclesiam, Deum celebraturam in omni aeternitate, haud dubie Deo curae erunt haec initia sanctificationis in genere humano, et paterne consulet ac prospiciet huic infirmae fugacique vitae hominum, in qua vult ostendere suam praesentiam, vult semper aliquam Ecclesiam superstitem esse, ideoque vult tribuere aliqua vitae spatia, servare corpora, familias, politias, fovere, protegere et propagare vitam nostram, quamdiu ipsi visum fuerit, propter salutem Ecclesiae suae, immensa bonitate sustentare et conservare, durantibus officiis corporis, generatione, nutritione et similibus, hanc propagationem et consociationem generis humani, et donec ipse voluerit procreari et educari sobolem, foecundari terram, ministerium suae vocis audiri, regimina politica manere, et per Evangelii praedicationem multos homines vocari atque praeparari ad haereditatem salutis aeternae. Nam si debent multi coetus hominum isto modo, videlicet, per ministerium Evangelii in hac mortali et aerumnosa vita ad *Deum* converti, et ad aeternam salutem vivificari ac restitui, certe opus est imbecilli hominum naturae cibo, potu, agricultura, contractibus, emtione, venditione, divisione, et proprietate rerum iuxta leges, pace publica, bono statu imperiorum, regimine politico, etc. Propterea dicitur in Psalmo: Non mortui laudabunt te *Domine*, sed nos qui vivimus, benedicimus *Domino*. Mortui non possunt ministerio vocis humanae praedicare et celebrare divina beneficia in hac vita corporali, sed nos qui vivimus testificamur et confitemur, tribuentes *Deo* laudem misericordiae, ut innotescat gloria eius in toto genere humano.

Ex hoc fundamento tradit Paulus hanc regulam, primae ad Timotheum quarto: Evangelium, seu pietas promissionem habet praesentis vitae et futurae. Itaque semper in conspectu sint utriusque generis promissiones, quarum et discrimina gradusque intelligere, et ordinem, quo petendae sunt, considerare debetis.

Ineptis enim scriptoribus illis et eruditio et spirituale iudicium defuit, qui finxerunt hanc precationem non loqui de corporalibus et praesentibus bonis. Item indignum esse bona corporis a Deo petere. Haec insulse dicta tanquam deliramenta ex perniciosis tenebris orta, et plena impietatis, explodantur.

Tu contra firmiter statuito, Deum tradidisse utriusque generis promissiones, cum aeternas, tum temporales, et diligenter discito, quomodo fides in utrisque sit exercenda et excitanda.

Scias initio promissionem aeternae salutis, qua Deus propter Christum offert nobis et donat remissionem peccatorum, iustitiam, Spiritum sanctum, et haereditatem vitae aeternae, fide semper amplectendam et retinendam esse. Ac primum et ante omnia fides accipiat et apprehendat reconciliationem et aeterna beneficia, atque ita per et propter mediatorem Christum accedat atque confugiat ad Deum. Nec dubites te membrum Ecclesiae Dei et haeredem esse vitae aeternae.

Hanc primam et summam promissionem de rebus aeternis scito tibi ratam, firmam, et certissimam esse omni tempore, et vere credito te esse filium Dei receptum in gratiam, ac haeredem aeternae salutis, teque hac fide et spe sustentato, quicquid fiat de corporibus in hac vita, sive dives sive pauper, sive integra, sive afflicta valetudine, sive in magna potentia, sive in exilium pulsus, sive in poenis, sive extra poenas sis. Hae res externae atque corporales non eripiunt tibi gratiam et vitam aeternam, sed omni tempore cor tuum firmissime credat, etiam cum a tota rerum natura desertus et proiectus videris, perpetuam Evangelii vocem semper et sine ulla exceptione manere verissimam: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Haec promissio et consolatio immota et aeterna est, nec mutatur propter paupertatem,

morbos, et alias corporales aut temporales poenas, si modo fidem reconciliationis et spem vitae aeternae retineamus.

Est igitur haec primum summa et efficacissima consolatio, ac praecipua doctrina de promissione aeterna, quam consolationem semper oportet esse praecipuam, sive fruamur tranquillitate, sive exerceamur et opprimamur aerumnis humano consilio inextricabilibus, in hac vita, ut David excussus ex regno, et exutus universa gloria sua, tamen retinebat aeternam consolationem, sustentans se promissione gratiae, etiamsi non reducendus fuisset in amissum corporale regnum. Et Iob inquit: Etiamsi occidet me, sperabo in eum. Imo necesse est in te ipso hanc fidem, spem, patientiam, item, consolationem, lucem, iustitiam et vitam aeternam inchoari, accendi et confirmari in praesenti aerumnosa, imbecilli et mortali vita. Hic enim ordo sancitus est admirando consilio, et sapientissima Dei voluntate. Nec conturbemus ipsi nos praestigiis disputationum, quia haec est veritas divinitus patefacta in verbo expresso.

Sequuntur iam caeterae promissiones de bonis corporalibus. Quia vult Deus in hac vita colligi et inchoari Ecclesiam, tradit etiam promissiones corporales, et docuit nos in hac precatione clamare, nominatimque a se petere omnia bona corporis ad hanc vitam necessaria. Procul igitur et penitus ex animis reiicite profanas, deliras, et diabolicas imaginationes, quae fingunt, nec petenda esse a Deo bona corporum, nec corporalia Deo curae esse. Sed potius expendatur et cogitetur, Deum singulari consilio etiam vitam corporalem dedisse, nec eam subito deleri, sed servare velle, velle in consuetudine huius vitae mortalis inchoare suam aeternam Ecclesiam, et efficaciter ostendere suam praesentiam, velle a se peti et exspectari necessaria vitae in vocatione, et hoc modo velle crescere agnitionem sui in invocatione inter pericula et mirandas liberationes. Opponantur itaque falsis imaginationibus istis ipsa verba precationis, quibus ipse Dominus petere nos docuit: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

Cum ergo te Dominus ipse doceat ita precari et petere, certo debes ac firmiter statuere, Deum velle haec bona largiri, postulare ut ea nos quaeramus, a seque fide petamus et exspectemus, et affirmare, se hoc honore coli. Ideoque expresse dicit in Psalmo: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me, statues et fateberis de praesentia Dei, quod non absim procul a te, sed quod praesens exaudiam, custodiam et protegam te, nec sim otiosus nec ignavus Deus, nihil agens, non efficax, nec adiuvans, sed quod velim vobis opitulari in hac vita, et postea dare vitam aeternam per et propter filium Dominum Iesum Christum.

Huc addatur etiam digna consideratione doctrina de quatuor causis gravissimis et praecipuis, propter quas Ecclesiae traditae sunt promissiones de bonis corporalibus.

Prima est, Deus vult nos scire et credere, se vere conditorem, autorem, datorem, et conservatorem esse horum beneficiorum, ipsamque corporalem vitam et omnia bona externa, seu temporalia, vere esse opera et dona divina, nec humana diligentia sola, vel parari, vel augeri, vel retineri ea posse, sine voluntate, ope, et gubernatione Dei. In hanc sententiam dicit textus Actorum 17.: In ipso sumus, vivimus, et movemur, id est, per ipsum datur, sustentatur, et fovetur vita nostra. Item, Proverb. 10.: Benedictio Domini divites facit, hoc est, non ditescimus, non paramus nec tuemur opes tantum humana industria et nostris laboribus, sed necesse est accedere auxilium Dei, iuvantis honestos labores et obedientiam nostram in vocatione. Sic et Psalmus inquit: Nisi Dominus aedificaverit domum, frustra laborant aedificantes.

Secunda causa. Cum Deus inchoët aeternam suam Ecclesiam in hac mortali vita, vult etiam huic coetui, in quo lucet ipsius notitia, et vera invocatio, dare necessaria ad vitae corporalis conservationem. Utque consolationem haberemus, nec frangeremur desperatione, sed bona cum spe propagaremus doctrinam, Deus hanc suam voluntatem in multis promissionibus clarissime ac dulcissime expressit: et nota sunt vobis omnibus haec verba: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis, id est, agnoscite Deum, quaerite veram doctrinam et gloriam Dei, praestate veros cultus, obtemperate Deo iuxta Evangelium, et clementer suppeditabit vobis necessaria vitae praesidia. Sciamus et illud hoc loco, *Deum* semper in hac vita usque ad finem durare velle, certoque servaturum esse Ecclesiam, quia bona corporis, vitam, victum, defensionem et hospitia promisit, sine quibus hic coetus voce ministerii colligendus vivere non potest, iuxta di-

ctum: Non mortui laudabunt te Domine, id est, mortui non possunt externa confessione et testificatione sonare vocem de Deo, inter nos viventes.

Tertia causa est, sic etiam vult agnosci Deus, ut fides et invocatio exsuscitentur et exerceantur in quotidiana necessitate. Quin tot et tam diversae res temporales, tam variae externae occasiones et afflictiones, tam multiplicia corporalia negotia et pericula, ut vita, bona valetudo, morbi, egestas, victus, pax, bella, etc. cogitentur esse ceu scholae et gymnasia quaedam, in quibus discenda, exercenda et confirmanda sit vera agnitio et vera invocatio Dei. Id testatur ipse Deus in Psalmo: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me, hoc est, conspicies meam praesentiam, agnosces me tibi adesse, me vere gemitus et clamores vestros exaudire, me certo velle opitulari, quem honorem volo mihi tribui, nolo me removeri tanquam ignavum, oscitantem, ac somniculosum Deum, qui nec velit opem ferre, nec sit efficax.

Quarta causa, omnes promissiones beneficiorum corporalium debent esse commonefactiones de summa, praecipua et aeterna promissione gratiae, seu reconciliationis et salutis aeternae propter mediatorem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum. Nam Deus ideo vult dare bona corporis, quia in hac vita ante mortem corporalem inchoari regenerationem, et salutis aeternae initia fieri necesse est, ut colligat et servet aliquam Ecclesiam in consuetudine praesentis vitae. Quare fides universaliter in omni petitione bonorum praesentium, simul intueatur redemtorem et salvatorem Christum, ac prius credat et accipiat remissionem peccatorum, imo sciat, non posse accedi ad Deum, nec peti aut exspectari auxilium corporale, nisi postquam promissione gratiae, et fiducia reconciliationis erecti statuimus Deum placatum esse, recipere nos in gratiam, et nobis ignoscere propter Christum. Sic Dominus ipse dicit: Nemo potest venire ad Patrem, nisi per filium. Item, 2. Corinth. 1.: Omnes promissiones divinae sunt Amen, id est, certae, ratae, firmae, verae, per et propter Christum.

Has quatuor causas bene mementote, et animis infigite, quare Deus tradiderit promissiones bonorum corporalium, ac quomodo sit eis utendum, et hoc modo discite, fidem pariter in utriusque generis promissionibus, cum spiritualibus, tum corporalibus exercere. Nam qui genera, gradus et ordinem promissionum, de quarum distinctione modo diximus, recte cogitat et intelligit, is habet et clarissimum lumen in doctrina Christiana, et in quavis tentatione, sive spirituali sive corporali, efficacem consolationem.

Hactenus admonitiones breves et necessarias recensui de distinctione utriusque generis promissionum, et de petitione bonorum corporalium, quas qui considerabit attente, et exercebit assidue, re ipsa experietur, invocationem, si fiat hoc ordine, ut dictum est, non irritam sed efficacem esse.

At hic contra obiicit humana imbecillitas: Cum sciamus in hac vita oportere nos affligi, quid attinet petere? Brevis et perspicua responsio est: Sciamus utrumque, et affligi, et tamen vivere nos oportere, iuxta versum Psalmi: Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me. Sic Ieremias clamat de mitigatione calamitatum Ecclesiae: Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, non in furore, ne ad nihilum redigas me. Utrumque Deus mirabili et inenarrabili consilio sanxit et ordinavit. Vult punire peccatum per et propter suam iustitiam, vult et Ecclesiam subiectam esse cruci, et tamen cum mandaverit ac postulet invocationem, vult nos statuere, quod precatio nunquam sit inanis et irrita, sed quod ipse sit immensa misericordia mitigaturus invocantibus et poenam et crucem, ne prorsus in terris Ecclesia deleatur. Plane igitur et clare potest intelligi, non idcirco preces inutiles, sed Deo gratas et efficaces esse, etiamsi nos exemplo Simonis Cyrenaei vere partem sanctae crucis gestare cogimur, veruntamen Christus adstat, et subvenit ac opitulatur nobis. Haec breviter hoc loco monuisse satis sit, plures enim postea de hoc genere petitionum commonefactiones addemus.

Et remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris.

Vos scitis, idque meditari diligenter, et in conspectu semper habere debetis, duplices esse promissiones divinas: aeternas et corporales. Promissio de bonis aeternis est promissio gratiae, remissionis peccatorum, donationis Spiritus sancti, et salutis aeternae. Haec est praecipua Evangelii promissio, propter quam filius Dei missus est ad nos, et constitutus mediator, redemtor, liberator et salvator. Nam si tantum corporis bona promissa nobis essent, nec habituri essemus aeter-

nam salutem, proponeretur nobis consolatio nec firma, nec efficax, sed inanis et evanescens. Atqui Deus vult communicare nobis in omni aeternitate sapientiam et bonitatem suam, atque consummationem immensae misericordiae et admirandae liberationis huius hoc modo decrevit, ut in aeterna beatitudine, sapientia, iustitia, laetitia vivi fruamur ipsius claro visibilique conspectu, et sine peccato, sine morte, sine ullis calamitatibus ipsum perpetuo celebremus. Haec promissio gratiae et aeternorum bonorum, procul discerni debet a promissionibus bonorum corporalium.

Secundo, semper tenenda est regula, in omni petitione oportere primam et summam promissionem gratiae et remissionis peccatorum propter Christum praelucere caeteris promissionibus beneficiorum corporalium. Itaque necesse est te, si vis accedere ad Deum, et bona corpori necessaria petere, primum ac perpetuo afferre hanc fidem, de remissione peccatorum et acceptatione gratuita, qua nominatim petis et accipis reconciliationem, quaque certo statuis *tibi* remitti peccata, *te* recipi, *tua* vota respici, *tuas* preces exaudiri propter filium Dei, Dominum Iesum Christum. Non enim potest accedi, nec est ullus aditus ad Deum sine mediatore et propitiatore filio Dei.

Tertio, sciendum est hanc aeternam et immotam esse voluntatem Dei, atque severissimum et immutabile mandatum, ut omni tempore firmissime credas, tibi *gratis* per et propter Christum donari remissionem peccatorum, iustificationem, Spiritum sanctum et haereditatem salutis aeternae. Sic manet immota, certa, et rata credenti promissio aeterna de reconciliatione et mediatore, sive impetres vitam et beneficia corporis, sive non contingat liberatio corporalis.

Veruntamen quia Deus, in hac misera mortali vita, initia suae lucis, iustitiae et vitae aeternae in nobis accendit, et vult Ecclesiam per ministerium Evangelii, et conversionem seu poenitentiam inchoari in hoc angusto mortalis vitae curriculo, largitur et suppeditat etiam bona corporalia, vitam, incolumitatem corporis, bonam valetudinem, domicilia, politias, pacem, victum, coniugem, liberos, oeconomias, bonos successus in laboribus, etc. Itaque voluntatem suam expressit, quod etiam haec corporalia bona vere daturus sit, et addit Evangelio nominatim promissiones de rebus corporalibus, ut, cum dicit: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Mandat etiam, ut fides et invocatio quotidie exerceantur petenda et exspectanda sustentatione ac defensione corporum, aliisque rebus necessariis, ab ipsius bonitate atque misericordia propter Christum.

Hanc doctrinam de distinctione promissionum audivistis in proxima concione. Et quia praecedens petitio: Panem nostrum quotidianum, etc. loquitur de beneficiis corporalibus, ideo mox Dominus adiungit et repetit petitionem remissionis peccatorum, quam quidem universaliter in omni precatione, quaecunque res petitur, ante omnia adhiberi, simul comprehendi, et semper praelucere caeteris petitionibus oportet. Quia cum statim in invocatione obstrepat infirmitas et indignitas nostra, semper trepidae mentes fugiunt Deum, ac ita cogitant: Quam libenter peterem auxilium, nisi me deterrerent mea peccata, quae tot et tanta sunt, ut non ausim confugere neque accedere ad Deum. Item: Si non haberem tam tristes lapsus, Deus haud dubie mihi mitigaret poenas. Has dubitationes et trepidationes experiuntur atque sentiunt omnium piorum corda, etiamsi homines efferi, barbarici, et Cyclopici, aut hypocritae securi ignorant eas.

Quamobrem Dominus noster Iesus Christus ipse nobis hic amplissimam et uberrimam consolationem proposuit: adiungens mox hanc dulcissimam petitionem: Remitte nobis debita nostra, etc. Quasi diceret: Non sum nescius, quod angeris et terreris indignitatis tuae tristissimorumque lapsuum conspectu, quod cogitas te abiectum esse, tuos clamores irritos esse, Deum respuere nec curare tuum murmur, tua peccata esse nimis multa et magna, tibi poenas exspectandas esse, non auxilium nec liberationem. Contra istas ratiocinationes filius Dei sic te consolatur: Rectum est, Deoque gratum, quod agnoscis et confiteris tua peccata. Sed non oportet te deficere a Deo, nec opprimi desperatione, imo scias Deum velle tibi ignoscere, et remittere peccata propter Christum, serioque praecipere, ut petas remissionem, nec solum petas, sed ut etiam certo firmiterque credas, omnia tua peccata, sive magna, sive parva, omnes labes, et infirmitates, gratis propter mediatorem Christum, non propter ulla tua merita tibi remitti.

Hic igitur attente atque serio mens tua inter precandum, praecipua capita doctrinae Evangelii, quae Dei beneficio quotidie auditis illustrari, de

gratia, de remissione peccatorum, de mediatore, de fide, diligenter sibi proponat, cogitet et intueatur. Quapropter infigite animis hanc petitionem. Cum enim Dominus noster Iesus Christus ipse iusserit peti remissionem, et quidem quotidie peti, haud dubie vult nobis omnia peccata, quantacunque sint, remittere, et omnes quotidianas et multiplices infirmitates atque sordes condonare.

Verum simul hic monendi estis, nequaquam perseverandum esse in delictis contra conscientiam, sed scire debetis, quod necesse sit in qualibet vera invocatione fieri aut crescere in nobis poenitentiam, seu, conversionem ad Deum, quia iuramentum divinum clare dicit: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Est enim copulativa oratio, coniunguntur haec duo: conversio et consolatio, remissio peccatorum et vita, sicut haec alias fideliter explicantur, et saepe repetuntur.

Quod autem additur: *Sicut et nos remittimus debitoribus nostris*, admonemur et obligamur mandato Christi, ut nos quoque remittamus.

Ac rursus interpellat hoc loco tua conscientia: Si non possum accipere remissionem, nisi et ipse condonem aliis, fiet incerta reconciliatio, nec eluctari potero ex dubitatione, utrum consequar remissionem. Quia quantumvis repugnem odiis et cupiditati vindictae, sentio tamen adhuc semper vestigia seu cicatrices aliquas indignationis et simultatum adversus aliquos manere.

Ad hanc obiectionem teneatur perspicua et vera responsio: Remissio peccatorum offertur et donatur tibi per fidem, gratis, propter Dominum nostrum Iesum Christum, non propter tuam condonationem, aut ullum aliud opus. Quod fundamentum bene memineris, diligenter observes, et utraque manu, seu verius toto pectore firmiter amplectaris.

Verissimum est autem, in hac consolatione, cum fide sustentantur et eriguntur corda, necessario simul existere et inchoari bonum propositum, ne videlicet perseveres in sceleribus contra conscientiam, sed vere convertaris ad Deum, nec deinceps retineas voluntatem ruendi in adulteria, aut cupiditatem nocendi aliis. Hanc conversionem, seu non simulatam mutationem prioris propositi, oportet in nobis existere, idque manifestissimum est.

De hac seria emendatione loquitur *Christus*, quod videlicet necesse sit sequi iustitiam bonae conscientiae, seu bonum propositum. Etsi enim sunt et manent in nobis in hac vita multae non leves sordes, pravae inclinationes flammae vitiosorum affectuum, et ingens ac multiplex infirmitas reliqua est, tamen prorsus necessarium est, et in nobis esse poenitentiam, et in conversione deponi delicta contra conscientiam, ne indulgeamus odio interno et privatae cupiditati vindictae, ne scientes contra mandatum Dei velimus alios laedere, vel opprimere, sed ut studeamus reconciliatis seu recuperatis voluntatibus offensiones sanare quantum possumus.

Haec est vera, nativa et propria sententia verborum Christi, quae nos in precatione diligenter et attente consideremus ac perpendamus. Etsi enim certissimum est, gratis remitti nobis peccata nostra propter *Christum*, non propter ulla nostra merita, tamen simul oportet scire, severissimam et immotam Dei voluntatem esse, ut ad ipsum convertamur, nec perseveremus in peccatis contra conscientiam. Quare cum mens retinet contemtum Dei, non exauditur, imo ne potest quidem accedere et confugere ad Deum, donec manet perseverantia in malo proposito. Quo enim ore, qua conscientia talis invocatio fieret: Ah Domine *Deus*, miserere mei, esto propitius, ignosce, parce mihi, ego tamen interim omnibus furoribus opinionum, libidinum, crudelitatis indulgebo, petulanter pergam caedibus, rapinis, furtis, imposturis et mendaciis explere pravas cupiditates?

Has preces Deus abominatur et exsecratur, ut et Salomon affirmat, Proverbiorum vicesimo octavo: Qui declinat aures suas, ne audiant legem, oratio eius erit exsecrabilis. Ac Paulus expressis verbis inquit: Nolite errare, Deus non irridetur, neque adulteri, neque scortatores, neque homicidae, etc. regnum Dei possidebunt. Item Iohannis nono: Peccatores Deus non exaudit, scilicet non agentes poenitentiam, nec abiicientes propositum violandi legem Dei contra conscientiam.

Ecce hanc necessariam doctrinam inservit hic Christus, et addidit ad petitionem remissionis, qua monemur de poenitentia, ut afferamus ad Deum conversionem, nec retinentes propositum peccandi, beluinis cupiditatibus et diabolicis furoribus frenum laxemus, et interea somniemus, nos invocare Deum, ac tumeamus persuasione sanctitatis: sicut proh dolor, hoc postremo tempore mundus infinitam sibi licentiam sumit, et

plurimorum tanta est feritas, ut nulla disciplinae vincula patiantur, qui tamen interim fingunt se habere fidem, se veris animi motibus invocare Deum, se esse viva et electa membra Ecclesiae, cum vivant in securitate et immanitate Cyclopica, et cedant ac obsequantur diabolo, impellenti eos ad adulteria, homicidia, et alia tetra flagitia.

Istam insignem perversitatem, enormem petulantiam, Cyclopicamque feritatem, nisi seria morum emendatione correxerimus, tristes et horrendae poenae sequentur. Imo grassantur in conspectu poenae publicae, videtis intestina bella, vastationem rerum publicarum, et magnam calamitatum multitudinem concurrere: et quanquam Deus aerumnas praesentes hactenus clementer mitigavit, tamen valde metuo, ne toties irritatus feritate morum nostrorum violentius et implacabilius exserat iram, haeque regiones multo tristioribus poenis opprimantur, quia modus nullus est petulantiae, contumaciae et affectatae nequitiae iuniorum.

O aeterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi propter tuam gloriam adiuva nos, guberna, tuere et serva Ecclesiam tuam, puritatem ac studia coelestis doctrinae, disciplinam et mediocres politias, non sinas fieri tristissimas et infinitas vastitates, non Ethnicam et Turcicam profanitatem plenam spurcitie, ac contemtu iustitiae divinae.

Hanc ipsam commonefactionem de conversione seu poenitentia saepe multumque in precatione vestra animo volvere, et cogitatione memoriaque repetere, eaque vos ad poenitentiam et emendationem flectere atque exsuscitare debetis.

Si quis in conversione abiicit malum propositum, is demum potest alacriter invocare Deum fiducia mediatoris, et in corde sentit pacem, tranquillitatem, laetitiam et consolationem, iuxta dictum Pauli: Iustificati fide pacem habemus. Haec autem fiducia, pax et laetitia acquiescens in Deo, nequaquam simul existere potest in tuo corde, cum perseverantia in delictis contra conscientiam, seu cum proposito indulgendi quibuslibet furoribus, teque polluendi omni scelere turpitudinis. Sed postquam inchoata est conversio in cordibus, fides firmissime nitatur et acquiescat in mediatore Christo, et certo statuat invocationem tuam placere et efficacem esse, tibique vere dari remissionem peccatorum. Hanc summam et amplissimam consolationem debes infixam animo tenere, eamque quotidie in omni precatione tua intuens ac recordans exercere et confirmare fidem, proque tantis beneficiis Deo vere gratias agere. Et hactenus de hac petitione: Remitte nobis debita nostra, sicut et nos remittimus debitoribus nostris.

Et ne nos inducas in tentationem.

Hoc est, ne sinas nos induci, seu, ne sinas nos labi, ruere, submergi et opprimi, cum tentamur, ne sinas nos succumbere diabolo in tentationibus. Nam hae phrases, seu modi loquendi: Ne nos inducas in tentationem, significant permissionem, non effectionem, nec efficacem voluntatem. Nequaquam enim sententia horum verborum est, quod Deus autor et causa sit tentationum, ac ipse nos incitet ac velut invitare velit ad peccandum, quodque delectetur et voluptatem capiat ex interitu et pernicie nostra. Haec falsa interpretatio explodatur. Sed autores et impulsores, a quibus oriuntur tentationes et causae peccatorum, verissime sunt diaboli et homines. Item futilitas, curiositas et petulantia nostra, et pravae inclinationes. Rursus autem in hac petitione multae gravissimae et utilissimae, magnique momenti doctrinae comprehenduntur. Etsi enim velut praetervolat aures nostras verborum brevitas insignis: Ne nos inducas in tentationem, tamen haec pauca verba de maximis et seriis rebus, de acerrimis et insidiosissimis hostibus loquuntur.

Iam proponite vobis ante oculos primum hostem, scilicet, *diabolum*, quam is horribiliter grassatus est? quam tristem stragem atque ruinam edidit? cum initio Adam et Evam impulit in horrendum lapsum, qua impulsione universum genus humanum avulsum a Deo pertraxit in mortem et miserias infinitas. Item, quam saeviit atrociter omnibus temporibus? quantum flagitiosissimarum libidinum, horribilium dissipationum, tragicorum et tristissimorum casuum, acerbissimarum calamitatum diabolus invexit, et excitavit, in excogitandis et stabiliendis idolis, in accendendis non necessariis bellis, in efficiendis caedibus iniustis, in concitandis seditionibus et discordiis, etc. Nec imaginemini, diabolum esse somniculosum, segnem, ignavum et otiosum spiritum, sed clare textus et expressis verbis inquit de Iuda: Intravit in eum Satanas. Item, Dominus ad Pharisaeos, qui certe sapientes erant, et mores mo-

derabantur, honesta disciplina, dicit: Vos ex Patre diabolo estis. Item Petri testimonium manifestum est: Diabolus tanquam leo rugiens circumit, quaerens quem devoret. Non igitur somnietis, vos in tuto citraque periculum, et velut extra teli iactum sedere, nec posse vos a diabolo circumveniri, sauciari vel everti.

Postea cogitentur et alii hostes, qui sunt incitatores atque causae tentationum, videlicet, mali homines, ut constat, multa millia adolescentum malis sodalitiis et exemplis depravari, tandemque corpus et vitam perdere, aliquos etiam animae iacturam facere. Item, multi principes et sapientes viri per suos consiliarios, quorum fidei cor et vitam suam committunt, et quibus, ut dicitur, apertum pectus ostendunt, capiuntur et seducuntur, ut amplectantur ac recipiant doctrinam falsam et perniciosam, ut non necessaria et perniciosa bella moveant, ut aliis malis causis et negotiis implicentur. Sic et alii privati homines decipiuntur et corrumpuntur saepenumero per malos consultores et doctores.

Tertius hostis et omnium intimus ac proximus est tua propria sapientia, tua bella imaginatio, seu splendida cogitatio, et prava cupiditas in tuo corde: quando propria curiositate seu petulantia ingeniorum exstimulamur et impellimur ad fingenda, serenda, vel amplectenda nova dogmata, aut cum errantibus flammis vitiosorum affectuum incendimur ad adulteria, aut cupiditatem vindictae, ad furta, mendacia, imposturas, et alia flagitia. Haec possumus ipsi sentire omnia. Cumque obtemperamus et indulgemus his pravis motibus et inclinationibus, vagantur circa nos diaboli spectatores furiosorum conatuum nostrorum, ideoque confestim advolant, et diro atque venenato afflatu cor miserum, imbecille ac desertum a Deo inficiunt ac impellunt, ut debilitatum et languefactum ruat in manifesta scelera. Ut, cum David intuens alienam coniugem forma praestantem incenderetur eius amore, cumque volens aleret incendium, in animo ortum, et in externo quoque gestu ac sermone obsequeretur vitiosis illis motibus et flammis, diaboli videntes eum cedere affectui, et admittere illecebras, praecipitatum violenter impellebant, prostratumque lapsibus inextricabilibus implicabant.

Hic itaque tertius hostis, nempe propria curiositas, et appetitio seu cupiditas vitiosa, versatur in lubrico, magnumque venit in periculum, utroque tempore, cum in rebus prosperis, et ad voluntatem nostram fluentibus, tum in adversa et afflicta fortuna, ut quando morbis, egestate, contemtu, caeterisque miseriis et aerumnis urgemur, premimur, ac obruimur. Etenim quando nobis tranquilla et placata sunt omnia, cumque in vita voluptatibus affluente divitiis et gloria floremus, tunc immoderati, petulantes, et securi laxamus frenos coecis cupiditatibus, despicimus arroganter, et conculcamus alios, certaminibus motis tumultus excitamus, aut indulgentes curiositati ostentamus ingenia et sapientiam, sumus autores novorum dogmatum, et nobis persuademus nostram felicitatem perpetuam fore, sicut Pompeius dicebat, se supplosione pedis Italiam totam exercitibus completurum adversus Iulium Caesarem.

At contra cum subeuntibus ingentes aerumnas accidunt inextricabilia humano consilio, tunc animis fracti moerore contabescimus, ruimus in impatientiam et desperationem, fugimus Deum, tristesque cruciatus et horrendi fremitus in corde sequuntur.

Hos tam varios hostes agnoscere, tamque multiplices tentationes considerare debemus, atque ideo veris gemitibus et lacrymis orare: Ne nos inducas in tentationem, hoc est, ne sinas nos mergi, succumbere, et opprimi, cum tentamur, quando diaboli periculum, pestem, et exitium moliuntur corporibus, animabus, coniugibus et liberis nostris, quando dilacerare Ecclesias, et turbare respublicas conantur. Item cum alii homines consiliis et incitationibus suis volunt nos irretire et implicare malis causis. Item, cum superati propria infirmitate rapimur et impellimur ad inhonesta vel exitiosa negotia. Ac in summa: Si quis cogitat sua sapientia suisque consiliis, etiam sine gubernatione, custodia et ope divina se regere posse suos mores, sua negotia et pericula: is vere coecus, vecors, furiosus, et mente captus iudicari debet. Nec enim ulla humana sapientia et vigilantia par esse tantae moli periculorum et impedimentorum, nec sufficere potest ad regendam vitam nostram, ad sustinendam vocationem, ad prospiciendas, vitandas et fugiendas insidias diaboli, ad intelligendas cavendasque seductiones et imposturas hominum, ad vincendam denique propriam infirmitatem, sine auxilio et protectione Dei. Quia semper vera est sententia filii Dei: Sine me nihil potestis facere. Sumus imbecilles, et variis calamitatibus onerati; propter-

ea Deus misit nobis filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, ut esset defensor et custos Ecclesiae, a quo sciremus nos regi, protegi et iuvari, modo vere et serio invocantes ipsum petamus auxilium et gubernationem divinam, et abiiciamus ea delicta, quae impediunt invocationem atque polluunt conscientiam, nec in securitate Cyclopica furenter pergamus indulgere ac obedire omnibus pravis inclinationibus et vitiosis cupiditatibus.

Ita Dominus ipse dicit Apostolis: Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Item, Paulus inquit: Ambuletis accurate, non ut fatui, sed ut sapientes, in quibus Deus initia suae lucis accendit.

Haec omnia diligenter vobis proponite, nec sperate istius dissolutae vitae Cyclopicam securitatem et temulentiam, sine tristissimis casibus et humanarum miseriarum, et diabolicarum insidiarum abituram esse. Nec frustra haec insignis et memorabilis sententia inseritur historiae, cum Israëlitae choreas exercerent circum vituli Aegyptiorum imitatione facti simulacrum, ubi textus dicit: Sedit populus manducare et bibere, et surrexit ludere.

Certe horum temporum ingens est moestitia in tantis periculis, et publicis miseriis, et quanquam iuniorum animos non valde movent difficultates temporum, et confusiones gubernationum, tamen seniores in tanta rerum angustia tristissimisque poenarum spectaculis, et maximarum calamitatum metu, profecto debebant tum excruciari propter horrenda bella, propter vastationes Ecclesiarum, et imperiorum collisiones, tum affici suis, atque domesticis difficultatibus, inopia, morbis, infelicitate liberorum, detrimentisque facultatum, ut cum solicitudine de procellis et aerumnis huiusmodi cogitantes, et in vitandis lapsibus intenti magis ac circumspecti, et in precando ardentiores essent.

Has itaque causas publici luctus et moestitiae singulorum, serio magnoque animorum motu cogitantes, clamemus ad Deum in hac petitione, ne sinat nos pertrahi in laqueos diaboli, nec succumbere pravis inclinationibus, nec in superbiam, fastum, fiduciamque nostri ruere, nec in tristitiam et desperationem mergi, nec aliis tentationibus, quae multae variaeque sunt, opprimi.

Quare recitantibus verba huius petitionis saepe veniat in mentem similium verborum Christi, quibus in agone ad montem olivarum discipulos adhortatur ad precandum, inquiens: Orate ne intretis in tentationem, id est, ne diabolus excutiat vobis fidem, et avellat vos a Deo per insidias, imposturas, praestigias atque scandala, quae multipliciter excitare potest.

Sed libera nos a malo.

Haec est petitio generalis, et tanquam clausula, quae quidem aptissime cohaeret et congruit cum proxima praecedente petitione. Caeterum non loquemur iam de Ethnicis, Turcis, et similibus impiis. Hi enim non liberantur a malo, sed manent oppressi peccatis, ira Dei, tyrannide diaboli, et aeternis poenis, sive floreant in hac vita, sive sustineant magnas miserias. Ut Caesar Tiberius suaviter vixit, fuit magnus et potens imperator, habuit omnis generis voluptates, polluit se confusionibus libidinum, iniuste multos interfecit. Idem posteaquam consenuerat, placide sine violentia mortuus est; nec tamen ideo consecutus est liberationem ex summis et aeternis malis, sed periit abiectus in horrendos, acerbissimos et sempiternos cruciatus. Quamobrem nihil hoc loco de Ethnicis exemplis dicendum erit. Quantumvis enim Ethnici solicite serioque clament: Ah Domine Deus eripe nos ex periculis et miseriis, tamen ipsorum clamores sunt horribilis et mera coecitas, ideoque inanes et irritos esse minime dubitandum est. Non enim alloquuntur verum Deum, imo filium Dei contumeliis afficiunt. Praeterea cum diu anxie clamaverunt, tamen animi tumultuantes ac trepidantes disputant, Deum non curare gemitus, lacrymas, clamores invocantium, non valere nec recipi suas preces, ideoque non exspectant a *Deo* auxilium. Quare tandem horribili fremitu irascuntur et maledicunt Deo.

Hoc igitur loco tantum de vivis ac veris Christi membris, deque piorum ac sanctorum afflictionibus verba faciemus.

Deus Ecclesiam suam subiecit cruci, adeoque duriter exercet, ut vix ullo tempore non experiatur illa insignes ac multiplices calamitates, sed idem tantam molem miseriarum inaestimabili bonitate sic mitigat et lenit, ut aliqui tamen homines maneant in vita superstites, quibus et bonam valetudinem et victum largitur, quo labores vocationum perferre, ac servire et prodesse possint aliis, iuxta dictum Psalmi: Non mortui lau-

dabunt te Domine, id est, qui iam decesserunt tanquam de praesidio et statione vitae, non fungentur amplius ministerio publico docendi, nec ad gubernacula reipublicae sedebunt, nec onera communia, laboresque necessarios in civili societate seu mortali vita sustinebunt.

Vult autem Deus in hac misera massa in hac vita inchoari hoc summum beneficium, videlicet, restitutionem iustitiae et vitae aeternae, in qua deinceps prorsus abolito peccato et deleta morte ipse erit omnia in omnibus, propterea multis hominibus tribuit vitae spatia longiora, dat bonam valetudinem, victum, fruges terrae, ut plures vivere, ac Ecclesiis pie servire, aut certe suo loco sustinere labores utiles possint. At multi adeo tristibus aerumnis onerati, tamque saevis casibus oppressi sunt, ut nec suae vocationis labores facere, nec utiliter servire possint, verbi causa, qui gravibus et diuturnis morbis excruciantur, aut qui tyrannicarum persecutionum crudelitatem subeunt, nihilominus tamen omnes nos precari oportet, sive magnos et acerbos, sive leniores dolores perferamus, ut Deus immensa misericordia nos tandem velit a malo liberare.

Scitis esse severissimum Dei mandatum, ut firmissime credamus, nos propter filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum vere liberatos esse a peccato et ab aeternis poenis. Attamen debemus petere liberationem, et in hac petitione fidem exsuscitare ac confirmare, certoque statuere, Deum nobis propter filium mediatorem clementer et inenarrabili bonitate peccata remittere, atque verissimum esse, quod in omni aeternitate velit nobis suam sapientiam, iustitiam, bonitatem, ac laetitiam communicare, nec abiecturum nos esse in sempiternum exitium cruciandos cum diabolis et omnibus impiis.

Has res aeternas primum debes in petitionis huius recitatione animo contemplari et considerare; postea cogites et intuearis etiam omnes praesentes atque corporales miserias et aerumnas, ac petens liberationem cum te ipsum tum alios quoque complectaris, certoque statuas hanc tuam precationem, non esse irritam, sed a Deo recipi, et impetrare cum tibi cum caeteris mitigationem. Ac etiamsi durius exercemur, nec prorsus auferuntur poenae, quia Ecclesia subiecta est praesentibus miseriis corporum, tamen Deus clementer lenit ac mitigat poenas, ut Ecclesiae, politiae, ac civitates aliquae maneant et conserventur, utque tu parvulos liberos tuos retinere tecum, ac educare possis. Propterea nequaquam cogites ideo frustra fieri hanc petitionem, aut irritam esse precationem, si non tollantur ac desinant omnes afflictiones et miseriae, sed Deus exaudit tamen ac recipit afflictorum gemitus et clamores, atque plurimas poenas lenit ac mitigat.

Nisi Deus misertus nostri mitigasset poenas tunc, cum imperator Carolus occupaverat hoc oppidulum, idque totos quatuordecim dies imposito praesidio tenebat armatus, fuissent omnes interfecti, et periissent funditus. Ideo si Diabolus insidiator posset vel unius horae spatio vos universos cum sanctis infantibus et familiis vestris devorare, nequaquam praetermissurus nec dilaturus esset. Quamobrem serio verisque motibus animorum petamus, ut Deus nos clementer liberare velit a malo, cum praesenti, quod iam degustavimus ac sentire coepimus, tum futuro seu imminenti, quod etsi nondum sustinemus, nec sentimus, aut ne quidem prospicimus, tamen fuerat oppressurum cervices nostras, nisi Deus id immensa bonitate arceret ac depelleret.

Libera nos a malo aeterno, et temporali, praesenti et impendenti, particulari et universali, quod posset accidere, nisi Deus averteret.

Sic clamant Prophetae, Ierem. 10.: Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, non in furore, ne forte ad nihilum redigas me. Item Abacuc 3.: Domine cum iratus fueris, immensae misericordiae recorderis. Ita nos quoque petimus his verbis: Ah Domine Deus clementer mitigato nobis publicas et privatas calamitates, ac omnes huius vitae miserias et aerumnas, non sinas fieri Ethnicas vastitates, non spurcitiem diabolicam, non Turcicos furores grassari sinas in genere humano.

Amen.

Id est, haec ita verissime fiant, et rata sint.

Hanc appendicem seu clausulam necesse est addi in omni vera invocatione. Quia invocatio sine fide, et oppressa dubitatione, est Ethnica impietas. Ut cum dicit aliquis: Ah Domine Deus opitulare mihi, qui tamen interea secum sic cogitat: Nescio an sim Deo curae, nescio an Deus vult recipere meas preces, nescio cur recipiat. Certe qui non eluctatur ex his dubitationibus, is

recitat Ethnico more suam precationem. At pias mentes et conversas ad Deum necesse est ita cogitare: Severissima et immutabilis Dei voluntas est, ut invocemus ipsum, et certo vult nos propter filium Iesum Christum, exaudire, quin hanc ipsam ob causam tradidit promissiones suas, addito mandato immutabili, ut credamus, quod vere velit nos exaudire. Propterea firmissime statuo, me propter Christum a Deo exaudiri, et certissime non inanes, non inutiles, nec irritos esse gemitus et clamores meos. Oro etiam ardentibus votis, ut haec initia fidei Deus in me confirmet, quemadmodum trepidus ille agnita imbecillitate fidei petit se confirmari: Credo Domine, sed opem fer diffidentiae meae.

Quando ieiunatis, non sitis, sicut hypocritae, tristes.

Populus Iudaicus non habuit certos et in lege divina praefinitos dies ieiunii, praeter unicum diem decimum septimi mensis, qui dicebatur festum expiationis. Ipsi vero nominarunt ieiunium abstinentiam ab omni cibo, seu inediam integrae diei, id est, cum prorsus nihil edebant tanto temporis intervallo, quantum est a vespere diei praecedentis usque ad vesperam sequentis. Sed Pharisaei cumularunt humanas traditiones, et crebra ieiunia servaverunt, quibus exercitiis praedicabant se promereri ingentia beneficia, remissionem peccatorum, et pietatis ac sanctimoniae incrementa.

Porro vos scitis ex Evangelio, nulla ieiunia sive divinitus mandata, sive ab hominibus electa et praescripta, mereri remissionem peccatorum. Imo tetra et horribilis blasphemia est, tribuere hunc summum honorem, et soli Christo debitum, nostris operibus, ritibus ac exercitiis, quod sint merita remissionis peccatorum, aut quod sint iustitia coram Deo, verum hic honos proprius est filii Dei Domini nostri Iesu Christi, cuius unius obedientia meruit nobis remissionem peccatorum, iustitiam, donationem Spiritus sancti, et haereditatem vitae aeternae. Et hanc ipsam amplitudinem gratiae seu misericordiae divinae necesse est a nobis apprehendi et accipi sola fide, acquiescente in mediatore Domino nostro Iesu Christo. Huius firmissimi fundamenti nulla nos unquam capiat oblivio, sed eius memoriam perpetuo circumferamus animis, qua de re vos commonefieri saepenumero auditis.

Nec sinatis abduci vos et dimoveri diabolicis praestigiis ab hac salutari et verissima Evangelii doctrina, sed assensione firmissima statuatis certo vos accipere et habere remissionem peccatorum, et imputari vobis iustitiam propter meritum Christi, sicut affirmat Propheta: Livore eius sanati sumus. Nec patiamini vobis in hac doctrina tenebras offundi.

Iam hoc quoque certissimum et irrefragabiliter verum est, quod quandocunque fide concipitur et inchoatur in cordibus haec dulcissima consolatio, certo Deus accendat et efficiat in nobis vitam et laetitiam acquiescentem in misericordia Dei, ut omnes vere Christiani seu conversi ad Deum sentiunt et experiuntur, iuxta dictum: Iustificati fide pacem habemus erga Deum.

Veruntamen in hac ipsa vivificatione seu regeneratione oportet fiduciam tui cordis acquiescere in filio Dei, Domino nostro Iesu Christo, et non sua munditie vel novitate niti.

Haec ipsa doctrina verissime vox est sacrosancti Evangelii, ac aeterna et immota veritas, nec est quicquam vel obscuritatis vel ambiguitatis, vel insidiarum, vel sophistices in hac sententia, quam recensui. Itaque constanter eam amplectimini et retinete, nec sinite vos perturbari ac circumveniri offusis nebulis ac corruptelis, vel a Papa, vel a Monachis, vel ab Augustana Sphynge, cui nomen est *Interim*, vel a quibusdam praestigiatoribus, qui nunc velut ex antro Trophonio prodeuntes iactitant se nova nobis mysteria patefacturos esse.

Occurri autem nobis et quaeri hoc loco potest, quare ieiunia non prorsus improbentur hic et reiiciantur, et cur dicat Christus: Cum ieiunare voles, hilaritatem vultus et oculorum prae te feras.

Respondeo.

Primum sciendum est, non praescribi ullam ieiuniorum formam, aut modum exercitiorum in Evangelio, sed liberum esse cuilibet et concessum cum prandere, tum coenare, ac vesci vel carnibus, vel piscibus, vel oleribus, vel rapis, vel quibuscunque cibis frui, divinitus cuique datis et oblatis. Verum in genere temperantia omnibus hominibus est praecepta, servans omni tempore modum in cibo et potu, convenientem naturae corporum. Sic ipse Dominus praecipit Lucae 21.: Attendite, ne graventur corda vestra

crapula et ebrietate. Cur vero dicit corda gravari? videtur enim potius dicendum fuisse, ventrem pastu potuque immodico repletum ac refertum inerti mole gravari? Respondeo. Dominus ideo nominatim de corde loquitur, quia in temulentis exstinguitur invocatio Dei. Quare gubernatio seu actio divina impeditur in nobis, intemperantia templum Dei, nempe cor et cerebrum, violantibus. Hoc modo corda gravantur ingluvie et helluationibus.

In eandem quoque sententiam Petrus inquit 1. Petri 4.: Estote temperantes et sobrii ad precandum.

Et Hoseae 4. scriptum est: Scortatio, vinum et ebrietas auferunt cor, hoc est, laxant humanos animos, et effrenatos in furorem agunt, ac impediunt intentionem in invocatione, ipsiusque *Dei* efficaciam seu effectiones in cordibus.

Itaque principio notum sit vobis hoc necessarium praeceptum, quod videlicet temperantia in cibo ac potu sit opus necessarium quocunque tempore. Ac de his mandatis exercitiis ieiuniorum loquitur Evangelium.

Haec sive abstinentia sive forma ieiunii, non est hypocrisis, ac hilariter fieri seu praestari debet in fide, invocatione, et gratiarum actione ad Deum. Estque fides et laetitia in Deo illud ipsum generosissimum ac pretiosum balsamum, cuius hic fit mentio, quo nimirum se perfundere debent ieiunantes. Ac ne potest quidem hilariter, ardenter et ex animo fieri tum invocatio tum gratiarum actio, quam diu tibi cibo potuque distento, vel halanti etiamnum pridianam crapulam, spiritus turbantur et exaestuant in cerebro. Intueatur et consideret sese unusquisque, tunc animadvertet ac deprehendet, utrum ieiuni et sobrii sit ardentior invocatio, an temulenti et vino crapulaque distenti.

Propterea coniungit utrumque scriptura Matth. 17.: In *ieiunio* et *oratione*, ut significet invocationem nimis esse languidam frigidamque, imo prorsus impediri et exstingui in vita ebriosa, Cyclopica et beluina.

Secundo, Evangelium loquitur de alio quodam genere ieiunii longe difficiliore magisque serio, cum videlicet cor adeo plenum veris doloribus angoribusque confectum est, ut ab animo moestitia et curis occupato ventriculus languefactus ne quidem admittat cibum, nec frui potu allato possit. Tale fuit ieiunium Davidis obiurgati a Propheta Nathan. Sic in Ninive ieiunarunt aliqui sancti homines audita concione Ionae. Ita Matthaei 9. inquit ipse Dominus, fore, ut discipuli sui ieiunent tunc, cum sponsus ab eis auferetur. Hoc modo ieiunavit et Paulus post conversionem. Item, sic pauperes familiae propter inopiam coguntur ieiunare ac propemodum contabescunt fame, quia desunt eis necessaria ad victum, seu res naturae convenientes. Sic et Agar cum filio paene siti periit, in solitudine non habens aquam.

Hoc ieiunii genus Ecclesiae proprium nequaquam est simulatio vel hypocrisis, si cor Deo sese subiiciens patienter obediat in afflictionibus. Ac tunc quidem haec consolatio maxime necessaria est, ut accedat laetitia et hilaritas, atque fragrantissimo balsamo caput perfundatur. Haec enim laetitia et balsami fragrantia est ipsa consolatio, qua cor fide ac spe vivificatum erigitur, et in adversis tolerandis obediens invocat Deum, certoque statuit Deum velle propitium esse, ac mitigatis aerumnis adesse nobis atque opitulari, ne prorsus mergamur et tanquam fluctibus obruamur, sicut affirmant haec dicta.

Psalmo 49.: Invoca me in die tribulationis tuae, et eripiam te, et glorificabis me.

Psalmo 33.: Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde.

Nahum 1.: Bonus est Dominus et confortans in tribulatione, et agnoscens seu acceptans sperantes in se.

Iis igitur, ut dixi, modis patientiam, fidem et spem in hoc genere ieiunii exerceamus. Etenim haec ipsa consolatio est illud saluberrimum balsamum, quo tunc ungimus ac perfundimus capita nostra.

Etsi enim iuvenilis aetas de hoc ieiunio, videlicet, de tolerantia in cruce et magnis verisque doloribus, nondum scit aut intelligit multa, tamen grandiores, quorum iam maturuit aetas, norunt, non deesse veris Ecclesiae membris et vocationis curas, et acres animi dolores, quibus saepe adeo duriter exercentur, ut ne possint quidem admittere cibum aut potum.

Praeterea multi sunt pauperes, qui vere indigent rebus ad victum necessariis, nec habent cibum et potum naturae convenientem. De hoc difficili, serio, tristique ieiunio, quod nec hypo-

criticum nec accersitum est, Christiani meminerint consolationem, quomodo tolerandum perferendumque sit, ac norint efficacia remedia vere sanantia dolores cordis.

Tertium ieiunium est paedagogicum, ac sponte seu ultro electum exercitium, ut, si quis in die aut prorsus abstinere a cibo, potuque, aut semel duntaxat et pauxillum velit edere, hoc fine, ut magis idoneus sit animus ad intentionem in invocatione, studiis, ac negotiis. Hoc exercitium arbitrio nostro electum re ipsa tantum est opus voluntarium temperantiae moderantis cibum et potum, ideoque cuilibet liberum est, prout aetati viribusque suis convenire iudicat, vel inedia integri diei corpus coërcere, vel in die quam minimum cibi et potionis ad reficiendas vires adhibere. Itaque usitatum fuit in Ecclesia omnibus temporibus: Sanctos convenire ieiunos ad precandum. Sic Act. 10.: Cornelius quatriduum ieiunat, cum misso divinitus angelo mandatum accipit de accersendo Petro. De hoc more ieiunandi non potest ferri lex aliqua generalis vel universalis, praescribens unum modum seu certam formam talium exercitiorum, quorum varietas nequit comprehendi regulis, cum alia aliis congruant. Singuli tamen privatim, prout valetudinis ac temporis ratio pateretur, debebant saepe tribuere precibus et ieiunio certum aliquem diem, quem totum a cibo se abstinentes consumerent in pia meditatione patefactionum et promissionum divinarum, ut videlicet animi intentione et cordis alacritate excitata ad cogitationem de Deo, accenderetur invocatio, nec spirituales actiones impedirentur.

Sed ea barbaries est in populo, ut plerisque persuasum sit, se, si unum diem ieiuni sint, noctem continuo sequentem non posse vivere.

Nec prolixius hac de re dicam, sed tantum vos ad ieiunium primi generis adhortabor, id est, ad temperantiam severissime mandatam a Deo omnibus hominibus, ne in comessationibus, helluationibus, certaminibusque poculorum vitam degamus. De hac diligentia frenandi cupiditates Dominus concionatur Lucae 21.: Videte ne corda vestra graventur ebrietate et crapula.

Loquitur autem res ipsa, et quotidiana exempla, proh dolor, nimis multa testantur, in his regionibus omne fere studium conviviorum apparatibus, et ebrietati, atque immanibus illis poculis impendi. Quare manifestum est, nunc a Deo variis modis puniri, ut incendiis, bellis, et convulsionibus atque confusionibus regiminum, seu politiarum, plus quam belluinam istam ventris ingluviem, et helluandi perpotandique consuetudinem. Praeterea, quoties videtis temulentos homines ultro ruere in suas clades, et saepe cruento ferro inter se ipsos concurrere, imo et caedibus mutuis grassari? Item, quot et quantae passim audiuntur querelae declamitantium publice privatimque, crescere pretia rerum venalium, et in agricolas maledicta coniicientium, quod non minoris vendant fruges et carnes? At quomodo potest laxior annona sperari, in tantis profusionibus, helluationibus, pomparum conviviorumque apparatibus? Equidem credo quod Deus nequaquam adeo benigne foecundaret terram, sed inopia frumenti et agrorum sterilitate nos castigaret, nisi puerperis, infantibus, pueritiae, ac misellis et egentibus familiolis parceret. His ut victum largiatur Deus, benedicit terrae, fovet semina rerum nascentium, largiore messe, ubertate frugum et fructuum prospicit humanis necessitatibus.

Verum hic erant addenda sane plurima de crassis abusibus. Alii propter avaritiam res vitiosas vendunt, atque Dei dona corrumpunt, adeo ut nec panis nec potus salubris naturaeque corporum conveniens haberi possit. Alii Homerico Grillo similes, qui a Circe in porcum mutatus recipere hominis figuram noluit, adeo delectantur immunditie, sordibus et illuvie, ut in morem suis lutulenti quaslibet res, panem, carnes, cerevisiam, et id genus alia corrumpere et contaminare soleant.

Istos crassos abusus non agnoscitis nec iudicatis esse peccata, propterea cumulantur poenae, Deus aeternus clementer nostri misertus tribuat his regionibus salutaria regimina, quae non permittant laxari petulanter honesta disciplinae vincula.

Non thesaurizate vobis thesauros in terra.

Iam sequitur concio de avaritia et fiducia acquiescente in pecunia, opibus, et copia rei familiaris.

Hic primum familiariter nota sint vobis verba Pauli Ephes. 4.: Unusquisque laboret manibus suis operans bonum, ut et ipse habeat, et in-

digenti communicare possit. Item Gen. 3. Deus inquit: In sudore vultus tui vesceris pane tuo. Item Psalm. 128.: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit. Et passim exstant plurimae sententiae divinae, quae praecipiunt labores iustos congruentes vocationi.

Ac est ipsius naturae rationisque praescriptio, imo voluntas Dei, ut paterfamilias habeat necessaria victui, et laboribus vocationi convenientibus paret facultates, augeat et tueatur rem familiarem. Haec virtus nempe sedulitas recte et ordine quaerens victum, parans opes, partasque facultates conservans, Deo placet, ac nominari potest oeconomia diligens ac iusta, et ordinata divinitus.

Extrema vero seu vitia contraria huius diligentiae sunt: alterum, prodigalitas, profusionibus exhauriens facultates, alterum avaritia, sordibus, furtis, et rapacitate quaerens divitias.

Est autem *avaritia*, velle quoquo modo corradere et accumulare opes, videlicet lucris iniustis variisque rapinis et furtis, tum occultis tum manifestis, ut cum vitiosae fucataeque merces extruduntur, cum panis et cerevisia corrumpuntur ac depravantur, cum adulteri nummi pro bonis solvuntur, cum fraudulentis venditionibus et imposturis alieno struuntur insidiae, cum variis praetextibus sumitur mutuum, nec fideliter penditur quicquid aliis debetur. Item cum petuntur usurae, cum exercentur aucupia pecuniae quaerendae iniusta, cum denique violatur aequalitas et iustitia in defraudandis aliis.

Haec omnia prohibentur in septimo praecepto: Non furtum facies. Nec indiget quicquam horum prolixa declaratione, sed singuli sese scrutentur, et animadvertant, ubi fideliter et candide, ubi fallaciter et insidiose agant, moresque suos emendent. Quia talis iniustitia non est leve peccatum, sed quod Deus et in hac vita punit atrocibus poenis, et puniet aeternis suppliciis, nisi fiat conversio ad Deum. Sic dicit Esaias 33.: Vae qui spolias, quia spoliaberis. Itaque manifeste videtis crescentes peculatu et variis fraudibus, exuti tandem fortunis. Et ab experientia dictum illud ortum est: Male parta male dilabuntur. Ita Paulus inquit 1. Cor. 6.: Adulteri, fures etc. non erunt haeredes Dei et vitae aeternae.

Porro et haec est avaritiae species, ac ingens peccatum, cum pecuniae, opes et copiae anteferuntur piae doctrinae atque veritati divinae. Quantus est in plurimis regionibus horum numerus? qui agnita veritate tamen fugiunt pericula confusionis, imo et persecutionem seu oppressionem purioris doctrinae stabiliunt et adiuvant, ne dignitatem, bona, divitias ac tranquillitatem suam in discrimen afferant vel amittant.

Est et haec avaritiae species, cum habes mediocres facultates, nec vis pro tuo modo et loco decerpere aliquid Deo, et conferre cum ad conservationem ministerii Ecclesiae, tum ad sublevandas difficultates vere egentium, sicut Nabal nolebat iuvare Davidem, quem tamen praesens occasio ipsi commendabat.

Avaritiae speciebus annumerandum est et hoc triste peccatum, quando cor tuum magis acquiescit et nititur fiducia pecuniae, potentiae, opum, quam fide praesentiae et bonitatis divinae cum securus nec agnoscens tuam infirmitatem, sinis in corde tuo exstingui et timorem Dei et invocationem, et vana fiducia propriarum divitiarum quaeris voluptates, indulges cupiditati vindictae etc. Quae quidem sunt arcana, sed tristia et tetra peccata, de quibus iam copiosius disserendi locus haud fuerit.

Omnia haec peccata prohibentur in hoc dicto Christi: Nolite vobis colligere thesauros, in quibus cor velut inhaerescit et acquiescit, quique pluris illi sunt quam Deus ipse. Propterea addit: Ubi cor tuum, ibi thesaurus tuus, quod omnino verum est de avaris, qui lucra, divitias et πλεονεκτήματα sua multo pluris faciunt et aestimant, quam Deum.

De prodigalitate.

De prodigalitate non dicam prolixe, loquitur enim res ipsa, ut cuivis perspicuum est, prodigos, qui facultates suas in res non necessarias per luxum aut per vanum studium ostentandi opes profuderunt, exutos patrimoniis tandem converti ad furta et rapinas, aut ignavam mendicitatem, quae et ipsa quaedam furti species est.

Hinc rhythmi Germanici dicunt:

Wer mehr wil verzeren,
Denn sein pflug kan ereeren,
Der wird zu letzt verderben,
Vnd villeicht am Galgen sterben.

Quorum haec est sententia:

Si quis de partis vult plura absumere rebus,
Quaerere quam vigili sedulitate potest:
Is mendicando victum petet, ostia pulsans,
Aut feret huic tristem crux, laqueusque necem.

Ac exstat mandatum divinum profusiones et dissipationes haereditatum nominatim prohibens, Proverb. 5.: Ne des substantiam tuam crudeli, nec saturentur alieni facultatibus tuis. Vocat enim crudeles et alienos eos, qui abutuntur aliena facilitate et liberalitate, quique harpyiarum et hirudinum more sanguinem exorbent, ac postquam facultates aliorum devorarunt, iis, quibus fidelitatem et gratitudinem debebant, in calamitate illudunt et insultant.

Praeterea conspici potest in aulis et administratione seu gubernatione politica, quantum impedimentorum, et detrimentorum perniciosorum pariant inanes profusiones. Cum domini seu potestates non necessariis sumtibus apparatibus et pompis impendunt ordinaria tributa legitimasque pensiones, ac supra modum suarum facultatum inani aucupio gloriae profundunt plurima, ubi non est opus, postea nec ipsi sunt instructi pecunia ad res necessarias gerendas, nec parcunt civium facultatibus, sed immoderatis expilationibus deglubentes populum, ditionibus territoriisque suis onera intolerabilia cumulant.

Haec omnia diligenter consideretis atque perpendatis et discatis cum gratiarum actione ad Deum, ordine ac prudenter tum collocare tum custodire facultates iuste partas, nec ullis praetextibus alios defraudetis.

Quin et hoc sciatis, divinitus offerri, Deique beneficia esse facultates, victum ac rem familiarem, nec negligere Deum administrationes aut acquisitiones fortunarum, sed velle eas tueri, augere et provehere recte utentibus et in vocatione fideliter servientibus, velle etiam attenuare ac dissipare facultates, cum insignes abusus accersuntur contra conscientiam, sicut experientia comprobat, et oculi testantur haec divinitus hoc modo fieri.

Hanc communem doctrinam, de proprietate, seu distinctione dominiorum, ac de legitimo usu facultatum, debetis hic attente cogitare et meditari.

Non volui arduas et subtiles hoc loco quaestiones agitare, sed mentionem facere communium negotiorum, casuum et vitiorum, quorum in huius vitae miseriis et infirmitate exempla nimis crebra, et proh dolor quotidiana sunt in conspectu posita, de quorumlibet generum furtis, iniustis aucupiis et lucris, atque multiplici abusu facultatum.

De his ipsis peccatis Christus quoque loquitur, nec dubium est, quin nos quoque, si vera pietate Deum coleremus, essemus futuri diligentiores in his oeconomicis, quantumvis levibus, ut videntur, officiis, videlicet, ut iusto ordine et acquireremus seu pararemus, et administraremus sive collocaremus haec externa atque corporalia bona, nec luporum, canum et felium, de pastu decertantium more, velut ex faucibus ereptum bolum seu cibum, unus alteri mordicus auferret.

Deus certe vult ac flagitat, ut nos et hac qualicunque obedientia fidem atque timorem Dei declaremus, ac ipsi hunc honorem cultumque debitum praestemus, videlicet, ut benigne, fideliter, et iuste inter nos alii cum aliis res ac officia communicemus, iuxta dictum Prophetae: Misericordiam volo, non sacrificium, et agnitionem Dei magis quam holocausta etc.

Nos quidem concionatores quid possumus aliud facere, quam sonare vocem Decalogi, et vobis auditoribus mandata divina proponere? Caeterum politici magistratus officium erat in multis huiusmodi negotiis tueri iustitiam exercendis iudiciis et executione poenarum, seu puniendis violatoribus iustitiae ac disciplinae. Sed regimina, proh dolor, languidiora sunt his ultimis temporibus, et in hac delira mundi senecta. Deus clementer det imperia iusta et salutaria Ecclesiae, flectat etiam vestros et nostros, id est, omnium animos ad pie, temperanter, ordine, circumspecte sobrieque vivendum, ut et ipsum honore adficiamus, et in gubernatione morum solicitae mentes accendantur ad invocationem et caeteras virtutes congruentes voluntati divinae, Amen.

Lucerna corporis est oculus.

Hoc memorabile dictum est regula generalis, commonefaciens nos, ut in quolibet opere principaliter animi intentionem seu discrimina finium consideremus, nec tantum externi operis gestum seu simulationem spectemus. Exempli causa:

Abraham, item vidua Sareptana, et alii sancti homines dederunt eleemosynas. Iam plurimi divites inter Ethnicos vel hypocritae non minus benigne largiuntur eleemosynas. Hic viden-

tur hypocritae praestare opera similia operibus piorum, nec differunt externi gestus, imo potest fieri, ut Ethnica liberalitas longe superet magnificentia pium opus viduae Sareptanae, quae in summa penuria pauxillum farinae praebet Eliae exulanti. Sed finis facit discrimen, quia motus interiores cordis plane sunt dissimiles. Impii, id est, Ethnici et hypocritae non benefaciunt aliis propter Deum, seu, ut Deo obediant, sed vel ostentatione quadam et aucupio gloriae popularis, vel quia fingunt se sua beneficentia mereri remissionem peccatorum, et iustos esse coram Deo, sicut Mahomet et Papistae docent de satisfactionibus et compensatione delictorum.

In hoc exemplo perspicuum est, opera similia externa specie prudenter ac procul esse discernenda. Alia enim fiunt vero motu cordis agnoscentis Deum, et propter mandatum Dei, de quibus operibus hoc loco tradit Dominus generalem regulam: Quando cor est hypocriticum, tunc etiam externum opus est simulatus gestus, et fucosa hypocrisis plena peccati Deoque displicens.

Haec regula complectitur plurima exempla, scilicet, omnes externas ceremonias. Cain et Abel, Saul et David offerunt sacrificia, et multis imponit similitudo quaedam externi operis, ut nihil differre iudicent, sed corda prorsus dissimilia sunt. Porro primum et summum praeceptum dicit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Item, Rom. 10.: Corde creditur ad iustitiam etc. Et Esaiae 29. vituperat et reiicit Deus hypocrisin hac voce: Appropinquat iste populus ore suo, et labiis honorat me, cor autem eius longe est a me, ut Cain, Saul, Ethnici, et Monachi arte simulant externos gestus, sed cor in ipsis est plenum sordibus ac immunditie, non regitur luce seu vera agnitione Dei, est sine timore Dei, sine fide, plenum invidentia et odiis, imo ruit in caedes et blasphemias. Huiusmodi sacrificia et externi gestus sunt tetra peccata, et cultus horribiliter damnati ac reiecti, sicut et Salomon affirmat Proverb. 28.: Oratio eius qui avertit aures, ne audiant legem, erit exsecrabilis. Item Ecclesiast. 4.: Melior est obedientia quam victimae stultorum, qui nesciunt quantum faciant mali. Exemplum, Ethnici fuerunt sine vera agnitione Dei, pleni turpitudinum, adulteriorum, incestarumque libidinum, interim tamen cumularunt sacrificia, quibus deleri peccata putabant.

Tantam coecitatem semper in mundo confirmavit diabolus, sic impuri sacrificuli Papistici vixerunt in manifesta turpitudine, qui tamen Missas celebrantes impudenter somniarunt et iactitarunt se placare iram Dei ceremonia suae oblationis, et ipsam lectionem Missarum mereri ingentia beneficia universae Ecclesiae.

De talibus insanis et coecis hypocritis loquitur Salomon inquiens: Hi stulti nesciunt, quantum mali faciant. Aberrant enim a vero Deo ignari voluntatis divinae, ac ne sua quidem opera intelligunt, sed ipsorum cultus et sacrificia sunt superstitiosae cacozeliae et horribilia peccata. Itaque de hac coecitate Dominus hic dicit in genere et universaliter: Si oculus tuus malus fuerit, totum corpus erit tenebrae, hoc est, oportet tenere discrimen externorum operum. Ubicunque cor est pium et sincerum, ibi et externa opera sunt incorrupta et impolluta. Sed ubi cor est impurum et hypocriticum, ubi cacozelia externorum operum seu factorum quantumvis magnifica, plausibilis et speciosa, est commentitia superstitio et grave peccatum. Hic est simplex et proprius intellectus horum verborum Christi.

Quaestio.

At dicis: Quando igitur cor est sincerum? et quomodo sciri potest, utrum sint puri motus cordis?

Responsio.

Primum necesse est, ut cor norit et intelligat verbum Dei, iuxta versum Psalmi: Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lux semitis meis. Hanc lucem prius oportet accendi in nobis, eamque vera et firma fide cordis accipi et apprehendi, sed vere, dextre ac pie intellectam, ne pertrahamur speculationibus monstrosis et aberrantibus in haereses, fanatica deliria, Monastica somnia, et sophisticas perplexitates, quemadmodum diabolus incitat omnibus temporibus et impellit quosdam petulantes ac insanos homines, ut deficientes a verbo Dei implicentur corruptelis doctrinae, et amplectantur perniciosos errores ac sophismatum praestigias.

Quandocunque igitur homo regitur verbo Dei, nec deest sincerus ac verus intellectus vocis divinae seu recta sententia, quam fides firmiter amplexa retinet ac laetatur, tunc illucescit cordi, quid sit lex, quid aeterna promissio et reconcilia-

tio seu gratia, quomodo Deus sit agnoscendus et invocandus, quare missus sit filius Dei, et quae sint eius beneficia, qui sint veri cultus Dei, et quis ordo omnium operum debeat institui.

Accensa vero hac luce in mentibus humanis, necesse est existere veram atque seriam conversionem ad Deum seu poenitentiam, id est, veros pavores ortos ex agnitione irae divinae adversus peccata nostra, et veram fidem atque fiduciam acquiescentem in Deo propter filium mediatorem. Porro ubicunque lucet haec fides, ibi deinde omnes cultus, et caetera opera, divinitus instituta, praecepta et approbata, aut quaecunque observationes recte ordinari atque iudicari possunt. Hoc declaremus exemplo.

Postquam Paulus norat se recipi et placere Deo, se iustum esse gratis propter obedientiam Domini nostri Iesu Christi, et exarserant in corde verus timor Dei, vera fides, et vera invocatio, perspicue intelligebat ieiunia, ceremonias, et quaecunque opera a nobis electa nequaquam esse merita remissionis peccatorum, aut iustitiam coram Deo, sed esse externa exercitia, quae pro circumstantiis observari vel omitti possunt.

Hunc ordinem ut disceret Antonius Eremita, singulari revelatione commonefiebat, ne sua ieiunia et dulcissima solitudinis exercitia durissimae sutoris Alexandrini vitae anteferret. Recita historiam:

Ferunt S. Antonio venisse aliquando in mentem, ut cuperet scire, an vitae genus, quod ipse susceperat in durioribus illis exercitiis solitudinis, praestantius esset, ac magis Deo placeret, quam vitae communis officia, quae praestare solent patresfamilias Christiani, in quibus non haeret manifesta turpitudo, ibi Deus per somnium vel revelationem quandam volens Eremitae ostendere, quantum in hoc vitae genere proficeret, monstravit ei domum sutoris Alexandrini vicinam portae, ac iussit, ut illius exercitia et dona exploraret. Veniens igitur in urbem Alexandrinam, Antonius ingreditur domum sutoris, alloquitur patremfamilias, ac primum interrogat de doctrina, sitne Christianus, et an vera fide amplectatur Symbolum et omnia scripta Prophetarum et Apostolorum? Hic modeste de doctrina respondet, fatetur se esse Christianum, affirmat se reiicere et condemnare Ethnicas idolomanias, et invocare verum Deum in agnitione Iesu Christi mediatoris, ac in summa dicit se credere omnes articulos fidei, abhorrere denique ab omnibus haereticis, fanaticis et impiis opinionibus, pugnantibus cum quocunque articulo Symboli, ac veris gemitibus petere a Deo, ut haec initia verae fidei confirmentur in suo pectore, ne ruat in errores, haereses et fanaticos furores, sicut omnibus aetatibus contagia tristissimorum errorum late vagata sunt. At iis sane libenter auditis percontatur Antonius, quos igitur cultus praestare, quae pietatis exercitia usurpare, quibus operibus venerari Deum soleat? Tum sutor: Haec fides, inquit, qua vere credo Deo, et gratias ago pro tanta bonitate et ingentibus beneficiis, quod Deus immensa misericordia me propter filium suum Dominum Iesum Christum gratis recipit, quod iustum pronuntiat, quod vult mihi propitius esse, summus est et praecipuus cultus. Ideo quotidie cogitatione tantorum beneficiorum exsuscitor ad gratiarum actionem, atque utinam possim ardenti pectore et vera gratitudine divinam bonitatem benevolentiamque celebrare.

Nec enim praeter hanc gratiarum actionem, et beneficiorum praedicationem, quicquam reliquum fuerit, quo Deum honore afficere, quoque voluntatem gratiae referendae testari queam. Propterea singulis diebus, mane surgens e lecto brevi precatione Deo gratias ago, et peto remissionem peccatorum, vitam, consolationem, gubernationem, victum, defensionem, atque miseriarum mitigationem, mihi, coniugi, liberis et Ecclesiae. Eandem quoque gratiarum actionem, et petitionem, repeto assidens ad mensam, et iturus dormitum.

Quae cum valde probarentur Antonio, pergit interrogare de ieiuniorum et corporalium exercitiorum ordine atque modo. Respondet iste: Postquam mane paucis verbis pro familia et universa civitate oravi, laetus facio domesticas operas. Premor enim et ipse vulgari onere paupertatis, ideo mihi necessitas incumbit, opitulante Deo, parvis liberis et familiolae victum quaerere. Proinde do arti meae operam, et curo, ut filii recte doceantur, utque familia ad agnitionem et invocationem Dei invitetur ac instituatur. Praeterea quaecunque mandat legitima potestas in politicis negotiis, diligenter exsequor, et obedientiam praesto in solvendo tributo, atque communibus oneribus civium sustinendis.

Non alia, inquit Antonius, habes exercitia duriora? ut certos dies ieiuniorum, et quasdam

peculiares observationes? Parumne putas, ait alter, me laboris et ieiuniorum sustinere? cum in officina assiduis operibus exerceo artificium meum, domesticaeque familiae victum quaero, cum variis aerumnis conflictor, tolerandis cum in oeconomicis difficultatibus, tum oneribus a republica impositis, cum incidant subinde plurima, quae patremfamilias duriter excruciant. Deinde quem multiplices domesticae miseriae defatigant, quem curarum moles in civili gubernatione et politicis officiis exercet, illi non est integrum otiose circumspectare et cessare, nec unquam defuturae sunt causae, occasiones et pericula, quibus ad invocationem, ad exercendam fidem ac dilectionem exsuscitetur. Miror itaque, cur in his et publicis et privatis miseriis exercitia pii patrisfamilias non satis duram militiam, sed suave otium esse existimes, ac nescio, quae difficiliora et perfectiora requiras opera.

Magna pietas et sanctimonia est in officiis vitae communis Deum recte agnoscere, vere invocare in agnitione et fiducia Christi, deinde in coniugio caste vivere, in laboribus oeconomicis et politicis fideliter servire, et in his miseriis atque periculis quotidie fidem ac invocationem, pietatem denique in retinenda possessione doctrinae de Deo, exercere.

Hac tam gravi responsione movebatur Antonius, ut intelligeret suam monasticam vitam in solitudine non antecellere, nec anteferendam esse laboribus, officiis et exercitiis vitae politicae et oeconomicae, in quibus testimonio praesentiae Dei timor et fides confirmantur. Didicit ergo gradus, ordinem ac discrimina inter fidem et opera, inter pios motus cordis et externos gestus.

Hic etiam conferamus Davidem et Alexandrum, ut de discriminibus utriusque gubernatoris admoneamur. Alexander fuit acerrimus bellator, donatus imperio orbis terrarum, adeo florens opibus ac potentia, ut ipsius imperii possessio quinquies aut sexies magnitudine fuerit amplior Israëlitico regno Davidis. Item multa praeclara praelia fecit, plurimas gloriosas victorias consecutus est, captivis clementer pepercit.

Interim tanti principis divinitus instructi excellentia virtutum et felicitate cor plenum erat contemtu Dei, spurcitie, et aliis turpitudinibus. Ideoque donis, quibus a Deo ornatus erat, autoritate, opibus, regnis atque victoriis abutebatur ad fastum, ad voluptates, ad magnificentiam pomparum.

At in corde Davidis lucebat vera agnitio Dei, quem recte invocabat, victorias atque regna conferebat ad gloriam Dei, et propagationem salutaris doctrinae, cumque sciret se debere obedientiam Deo in hoc gradu politico, in quem collocatus erat, alacriter suscipiebat et sustinebat tantos labores, acerrime praeliabatur, ut defenderet coelestem doctrinam, nec sentiebat se mereri remissionem peccatorum his dimicationibus, et hac mole curarum atque dolorum, nec regni decus ac potentiam hoc fine tuebatur, ut ipse ingenti gloria frueretur, multo minus ut impune quidvis sibi liceret, et ut agens iniusta non posset a quoquam coërceri vel reprimi.

Horum et similium exemplorum consideratione fiet illustris ac perspicua sententia dicti: Si oculus tuus fuerit malitiosus, totum corpus erit tenebrae, id est, quando cor intus non vero iudicio nec honesto proposito movetur ac regitur, tunc certum est externi operis gestus esse peccata, nec ulla ratione cultuum divinorum nomen accipere.

Quae omnia sunt digna observatione, ut agnoscatis ordinem seu gradus verorum Dei cultuum, et ordine vos exerceatis in his gradibus. Nam sine exercitiis, veris animi doloribus, ardenti invocatione, et sensu divinae consolationis haec doctrina nequaquam potest intelligi.

At hunc textum Papistae insulsis interpretationibus foede dilacerarunt, cum ne sua quidem intelligerent aut diiudicarent opera, iuxta Salomonis gnomen, Ecclesiast. 4.: Nesciunt, quantum mali faciant. Et hypocritae ignorant, quid sint ipsorum superstitiosi cultus, et nesciunt, quid agant, dum insignibus titulis suas ceremonias ostentant ac venditant. Itaque invexerunt tetros et perniciosos errores, horribiliter perverterunt ac conturbarunt ordinem operum, praetulerunt humanas traditiones mandatis divinis, atque dixerunt, homines propriis operibus mereri remissionem.

Hi omnes et similes errores taxantur et reprehenduntur hoc brevi dicto Christi: Si oculus tuus malus fuerit, necesse erit totum corpus tenebras esse, qua regula constituitur discrimen inter hypocrisin, et legitima sive divinitus ordinata et approbata opera. Et hactenus de ista generali regula.

Sequitur iam Concio.

Nemo potest servire duobus Dominis etc.

Regimina politica seu mundi imperia suum habent ordinem, distinctum certis gradibus, singuli cives et subditi multos habent dominos, nimirum consules civitatis, praefectum, principem, veruntamen hi gradus hoc ordine constituti sunt, ut unusquilibet civis principaliter serviat et obtemperet summo capiti seu gubernatori, postea suo loco caeteris dominis inferioribus. Neque vero servientes hoc ordine potestatibus, dicuntur duobus dominis servire, quamdiu superior dominus et magistratus inferiores coniuncti sunt voluntatibus et sententiis. Sed cum illi animis et voluntatibus distracti, inter se dissident, tunc certe nemo potest utrique discordantium adhaerere pariter ac servire, sicut eadem aqua non potest simul esse fervida et frigida, quia contraria seu pugnantia inter se non possunt simul poni, nec in eodem subiecto coniungi, ac ut maxime sint simul, mox tamen alterum pellitur ab altero.

Similis ratio est in hoc casu, de quo concionatur Dominus: Nemo potest duobus dominis servire, scilicet, non consentientibus et congruentibus inter se, sed turbulentis atque discordibus. Item, quando non est imperio legitimo gradibus certo ordine distinctis, alter alteri subiectus, ut, nemo potest pariter Ferdinando regi et Turcico tyranno servire, quia hostilibus odiis inter se dissident. Rex enim Ferdinandus affirmat Hungariam esse suam, ideoque negat se passurum, ut eripiatur ea sibi. In hoc manifesto dissidio, et gravibus inimicitiis constat nullum militem posse stipendia merere apud utrumque, vel utrique servire. Huiusmodi exempla sunt illustria, plana et perspicua.

Sic et Iudas non potest aequaliter atque pariter pecuniam et Deum venerari, colere ac magnifacere. Nam vox divina dicit: Non adiuves oppressionem innocentis; at avaritia clamitat: Imo propter pecuniam confirmes et adiuves iniustam saevitiam. Hoc exemplum plurimi nunc imitantur. Quidam enim simul et amplecti doctrinam Evangelii et Episcopatus ac Sacerdotia sibi conferri volunt a Pontifice Romano, sed Evangelii vox est: Fugite idola, id est, nec estote dediti idololatricis cultibus, nec eos approbate. Reclamat autem Episcopatus, praecipiens cultum et approbationem idolorum, ut eveharis ad fastigium tantae dignitatis, et obtineas pulcrum principatum. Praeterea quam usitatum est in aulis principum, ut viri nobiles videri velint Evangelici, et interim simul aucupentur gratiam, et alludant ad affectus potentum, qui doctrinae piae infesti persequuntur Evangelium.

Ex his et similibus exemplis clare poterit intelligi sententia huius textus. Estque hoc loco discenda et servanda regula: quod *Deo* serviendum sit ante omnia, seu quod *Dei* cultus et honor praeferendus sit omnibus creaturis, iuxta primum Decalogi praeceptum: Diliges Dominum *Deum* tuum ex toto corde, ex quo verissime sequitur, nihil omnium rerum aeque colendum, pariterque diligendum esse ac Deum ipsum, nec tribuendum honorem divinum amoremve Deo debitum ulli creaturae, tantum abest, ut quicquam omnium rerum Deo sit anteferendum, magisve colendum, aut ardentius diligendum, ad contumeliam ipsius Dei, quodque repugnet et adversetur divinae bonitati.

Haec est summa salutaris istius regulae, quam in textu sequuntur haec verba: Non potestis servire Deo pariter et Mammonae, seu divitiis, quod quidem intelligetis eodem plane modo, quo superiora, quasi dicat Dominus: Vos nequaquam debetis quacunque ratione quaerere divitias, omisso Deo, nec propter divitias facere contra Deum, non debetis accipere opulentos Episcopatus et opimas praebendas, quas nominant, ut confirmetis ac stabiliatis impiam doctrinam, seu falsa dogmata. Item: Non debetis propter pecuniam violare caetera mandata divina, quemadmodum foeneratores, praedones, fures, et alii impostores faciunt, cuius generis peccata certe plurima sunt in mundo. Quid enim tam usitatum est, quam pecuniae causa violare iustitiam? Iuxta tritum Teutonica lingua Proverbium, pecuniarum gratia fieri homines nequam et improbos.

Viennae ante paucos annos quidam Pistor habuerat ministrum, cui nomen erat Paulus. Hic cum penitus perspectis ac exploratis aedibus cognovisset, quibus in arculis pecunia soleret asservari, nocte quadam se in eandem domum insinuans, ex ordine caedes quinque hominum crudelissime commisit, ac primum quidem servum dormientem in scamno trucidavit, exinde ancillam, postea patremfamilias et coniugem concubantes in eodem lecto iugulavit. Quibus interfectis cum accederet ad alium lectulum, in quo

erat filiola adhuc admodum parva, exclamavit illa eiulans: Ah Paule, obsecro parce, nec eripe mihi vitam, accipies omnes meas puppas, cum voles. Sed diabolus impulit hunc latronem, ut pergeret, et furorem in eo confirmavit, occidit igitur et miseram puellulam, compilataque domo et pecunia ablata fugiens Vienna, pervenit Ratisbonam, quae abest a Vienna ad quinquaginta milliaria Germanica. Verum Deus ipse est executor suae regulae: Quicunque gladium acceperint, gladio peribunt. Propterea latro iste, quanquam tot milliarium intervallo discesserat, divinitus tamen ad poenam retractus, et in iudicium capitis adductus, Viennam iniectis catenis remissus est, ubi et hasta seu veruto transfixus, innocentium sanguinem supplicio merito luit. Suspensus autem in veruto, seu affixus praeacuto palo, clamitabat miserabiliter, caeteros cruciatus corporis omnes, quos perferret, nequaquam sibi tam acerbum dolorem inurere, quam acrem morsum sensumque doloris efficiat recordatio vocis puellae, quae dixerat ad sicarium: Ah Paule, sinas me vivere, dabo tibi omnes meas puppas. Ita mortuus est hic fur et latro in atrocissimi supplicii tormentis et horrendis conscientiae cruciatibus. Tantis peccatis implicat, tamque tristes ac tragicos exitus affert Mammona.

Haec insignia et crassa exempla mementote, quae cogitantes videte, ne Mammona vos captos et comprehensos teneat.

Quaestio.

At hic existit quaestio, num sit quaerendus victus, et tenenda res familiaris? Respondeo. Omnino debes quaerere et retinere facultates, sed hoc ordine: Primum Deo obtemperes, ac discas ante omnia ipsum recte invocare et colere, nec contra conscientiam, seu sciens et volens violes divina mandata. Postea debes honestis laboribus, ordinate iuxta vocationem parare, collocare, tueri, et augere rem familiarem, seu facultates. Imo Deus ipse vult sua bonitate et benedictione adiuvare tuos labores, ut sint felices, vult provehere et augere tibi facultates, sicut postea circa finem capitis attexitur gnome: Primum quaerite regnum Dei, et caetera divinitus adiicientur vobis. Sic fuerunt divites Abraham, Isaac, Iosèph, David, Iob. Sed quia saepe audivistis explicationem veram et luculentam huius quaestionis, non disseram hoc loco de ea prolixius, sequitur in textu:

Non sitis soliciti de crastino, quid comedatis, aut quid bibatis etc.

Hic sapientes homines sine luce fidei cogitant, hos esse sermones otiosos et inanes, ac impossibilia praecipi. Oppono itaque brevem et perspicuam responsionem: verum est, sapientes ignaros exercitiorum fidei, iudicare hic Stoicas quasdam hyperbolas tradi, et hos esse sermones frivolos, inutiles ac similes fabulosarum narrationum. Vos vero, qui recte didicistis initia doctrinae Christianae, et in quibus est accensa scintillula fidei, scitis humanas mentes divina consolatione destitutas in paupertate, persecutionibus, et calamitatibus, in tantis periculis privatis et publicis, vehementer excruciari, et intimis animi sensibus angi, nunc hic nunc istic praesidia, coniunctiones et auxilia quaerere, communire se factionibus et variis practicis. De hac solicitudine loquitur textus, quae est ingens cruciatus et angor trepidantis animi, ortus ex diffidentia, quia cor nec erigitur nec sustentatur divina consolatione.

Quare discatis duplicem esse solicitudinem. Una est solicitudo diffidentiae seu trepidatio et cruciatus cordis, quod non regitur divina luce et consolatione, quod nec petit nec exspectat auxilium, defensionem, victum et gubernationem a Deo. Ideo saepe, proh dolor, accidit, ut aliqui homines propter detrimenta facultatum seu paupertatem adeo duriter exerceantur animi perturbationibus, angoribus et solicitudinibus, ut contabescant moerore, vel etiam ipsi mortem sibi consciscant, quemadmodum exempla meminimus.

Haec solicitudo plena diffidentiae, trepidationis, coecitatis, et expers omnis verae consolationis hic severissime prohibetur. Nam Dei voluntas immutabilis est, ut in omnibus periculis et necessitatibus confugiamus ad ipsum, speremus et petamus ab ipso auxilium, nec frangamur desperatione. Id docet pulcerrimus Psalmi versiculus, quem singuli meminisse et saepe meditari debetis: Iacta curam tuam in Dominum, et ipse te sustentabit. Quin ob hanc ipsam causam Dominus quotidianae precationi inservit et inclusit haec verba: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Ergo cum iusserit ipse peti a se cibos et bona corporis, vult sine ulla dubitatione haec etiam bona corporalia, victum, defensionem, facultates suppeditare, vult nos non ab ipso deficere nec op-

primi desperatione. Ex hac declaratione perspicuum et manifestum est, prohiberi hanc solicitudinem, quae est diffidentia, dubitatio et desperatio de auxilio divino.

Altera solicitudo est in credente cura, sedulitas et diligentia, divinitus ordinata faciendi labores sui loci et suae vocationis. Exempli causa. David est imperator seu dux exercitus. In hac vocatione obeunda necesse est ipsum adhibere iustam diligentiam, et solicitudinem copias militares ducendi, distribuendi, collocandi in insidiis. Item, dimicandi cum hoste, prospiciendi ex quibus locis exercitui commeatus commode supportari seu convehi, et res frumentaria expediri possit, explorandi denique ubi subsederint et commorentur hostes, in summa, oportet ipsum ut sedulum et acrem militem non esse ignavum, nec ebriosum aut temulentum in facienda vocatione. Sed ad hanc curam et diligentiam vocationis propriam accedit in corde consolatio, tranquillitas et laetitia, videlicet, quod retinens animi constantiam credit Deum sibi adesse, se respicere, curare, tegere, sibi opitulaturum esse, ideoque laetus invocat, imo suscipit ac sustinet eo promtius et alacrius omnes labores, quia scit se vocatum a Deo iuvari et defendi divinitus, et sperat bonos exitus.

Haec solicitudo laboris et diligentiae coniuncta cum fide, est ordinata et mandata divinitus, et haec sedulitas seu cura faciendae vocationis non admiscet negotiis et ordinatis laboribus iniusta consilia, et malas practicas, sicut prior illa solicitudo diffidentiae metu futuri incommodi in praesentia saepe utitur pravis consiliis, et quaerit inconcessa praesidia. Sed coërcet se intra metas, recte suscipit et placide tolerat labores a Deo mandatos, nec a regula discedit propter futuras incertas spes aut metus. De qua diligentia Paulus praecipit Rom. 12.: Qui servit, serviat fideliter, qui praeest, sit diligens, etc. Item, Psalmo 128.: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, et bene tibi erit.

Cognito igitur et dextre intellecto hoc discrimine solicitudinis, cruciantis animum diffidentia, et solicitudinis seu diligentiae in facienda vocatione, cui praelucet fides acquiescens in Deo, mediocriter potest intelligi hic textus, qui quidem plurimas salutares commonefactiones, doctrinas et consolationes dulcissimas proponit, quarum scilicet haec est summa.

Necesse est singulos Christianos omnibus temporibus nosse doctrinam de distinctione promissionum, sunt enim duplices promissiones.

Prima et summa promissio est, promissio gratiae seu reconciliationis et vitae aeternae gratis dandae propter mediatorem Christum.

Alia est promissio de bonis necessariis in hac vita, seu de corporali auxilio in omni genere necessitatum et periculorum, ut de victu, defensione, bona valetudine, etc.

Hic ergo scias, utrumque genus promissionis fide accipi, et consolatione, quam proponit utraque promissio, mentes erigi atque in Deo acquiescere oportere, veruntamen semper inchoandum esse a promissione gratiae et salutis aeternae. Antequam petis praesentia seu corporalia beneficia, oportet initio te cogitare, utrum statuat cor tuum se habere Deum propitium, et se placere Deo. Hic necesse est te intueri Salvatorem filium Dei, et vera cordis fiducia statuere, quod certo Deus placatus propter filium te gratis immensa bonitate recipiat, quod remittat tibi peccata, quod reconciliatus velit agnosci suam misericordiam, quod vere te vivificet ac haeredem aeternae salutis efficiat.

Haec prima promissio est praecipua vox Evangelii depromta ex sinu aeterni Patris, manetque perpetuo rata et firma, et immota credenti, sive habeat bona corporalia, sive non contingat ei liberatio corporalis in hac mortali vita. Nam fidem oportet niti hac aeterna promissione, et hoc summum bonum retinere, etiamsi amittenda sunt omnia bona temporalia, et ipsa vita corporalis profundenda, ut David excussus regno et in exilium pulsus, tamen amplectebatur et retinebat consolationem seu vocem absolutionis, qua dixerat ei Propheta Nathan: Dominus abstulit peccatum tuum. Itaque firmissime credebat se habere remissionem peccatorum, et reconciliationem, suasque preces recipi, et se esse haeredem vitae aeternae, etiamsi exutus universa sua gloria regnum amiserat, nec id poterat suis consiliis et viribus recuperare. Ideo et Iob inquit cap. 13.: Etiamsi me occiderit Deus, sperabo in eum. Hanc aeternam et immotam consolationem, quae nec ex conditione nostrae dignitatis, nec ex ullis commodis corporalibus pendet, nobis proponamus, eamque initio fide amplexi tanquam sigillum cordibus nostris imprimamus.

Aliae sunt promissiones de bonis temporalibus, necessariis ad vitae corporalis conservationem. Quanquam igitur Deus bona corporis non largitur et distribuit omnibus aequaliter, imo sinit quosdam ex Sanctis et quidem praecipua lumina Ecclesiae, ut Abelum, Ionathan, Iohannem Baptistam, Paulum et multos alios crudeliter interfici, tamen nec hae promissiones bonorum corporalium sunt inanes aut irritae, sed habent hanc verissimam et certissimam interpretationem, quod Deus etiam in hac praesenti vita semper velit colligere et conservare Ecclesiam, ideoque suo consilio assidue velit ei dare bona corpori necessaria, sed cum conditione, ut aliqui puniantur seu castigentur. Sic David regno pulsus eiicitur in exilium. Item ne crux tollatur, sed ut Ecclesia exerceatur aerumnis et afflictionibus. Interim tamen vult mitigare nobis et poenas seu castigationes, et exercitia seu crucem, agentibus poenitentiam et invocantibus ipsum.

Sic confirmat ipse Psalmo 50.: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me. Item Esaiae 1.: Convertimini, si peccata vestra fuerint ut coccinum et ut vermiculus, eritis candidi sicut nix. Hoc est, reatus et magnitudo tristissimarum seu tragicarum poenarum tolletur et auferetur a vobis.

Etsi igitur homines profani et Deum contemnentes iudicant has promissiones, de auxilio, in afflictionibus, periculis, et necessitatibus corporalibus esse inanes sonitus, tamen nos certo sciamus Deum non frustra tradidisse tam largas et dulces promissiones, quales etiam in hoc textu repetuntur: Primum quaerite regnum Dei, et Deus caetera bona cumulate vobis adiiciet. Ideo fide eas apprehendamus et amplectamur, singulique hac fiducia faciamus labores nostrae vocationi convenientes, exspectemus a Deo victum, auxilium et defensionem, petamus haec ipsa bona veris gemitibus, et agamus ei gratias, luceatque in moribus nostris gratitudo. Certissimum est enim, singulos qui hac fide exsuscitantur ad invocationem, et exspectationem divini auxilii, et gratiarum actionem, re ipsa experiri Dei beneficia, defensionem, opem et liberationem. Haec sine ulla dubitatione sunt verissima, sicut applicationem exemplorum proponit Psalm. 34.: Iste pauper clamavit et Dominus exaudivit eum, et ex omnibus tribulationibus eius salvavit eum, accurrite magna frequentia et confugite ad Deum, et facies vestrae non confundentur.

Dei voluntas est, ut nos homines diligenter et iusto ordine praestemus ac urgeamus labores vocationis proprios, ordinate quaeramus victum, defensionem et vitae praesidia, veruntamen ut interim sciamus labores humanos nullo modo sufficere, sed oportere Dei auxilium et efficacem benedictionem accedere. Itaque semper fiat coniunctio invocationis et laboris. Nam propterea Deus addidit Evangelio promissiones uberrimas et amplissimas de rebus temporalibus, et pollicetur se nobis in corporalibus quoque necessitatibus et periculis opitulaturum esse. Quae quidem divina oracula nequaqam habeamus pro inanibus et anilibus fabellis, sed vere statuamus Deum esse veracem, et velle nobis opem ferre iuxta suas promissiones. Quin et ipsius experientiae ac eventorum testimonio convincimur, Deum (cui sit gratia, laus et gloria per secula sempiterna et infinita) toties nos ipsos clementer adiuvisse, texisse ac defendisse versantes in tantis periculis, ut iniecto terrore singuli pertimesceremus omnia funditus interitura esse, quin hanc ipsam ob causam Deus tradidit promissiones de corporali auxilio, quia vult nos exercere fidem ac invocationem etiam in quotidiana necessitate, et corporalis auxilii exspectatione, iuxta versum Psalmi 50.: Invoca me in die tribulationis tuae, et eripiam te, et glorificabis me. Etenim si quis non discit invocare Deum in necessitate corporali tanquam in tyrocinio, nec in his velut in cunabulis ac rudimentis fidei vult a Deo fragmen panis exspectare, quanto magis hic fugiet Deum, quando salus aeterna et immensus ac infinitus ille spiritualium bonorum thesaurus petendus et exspectandus erit? Quare discamus in utroque genere promissionum fidei et invocationis exercitia, et crescat agnitio bonitatis ac praesentiae divinae etiam in petendis, sperandis et exspectandis beneficiis corpori necessariis. Has commonefactiones iudico sufficere ad explicationem dicti: Non sitis soliciti quid comedatis aut bibatis. De quo tamen in sequenti concione plura dicemus Deo iuvante.

Primum quaerite regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adiicientur vobis. Non sitis soliciti de crastino, nam crastinus dies erit solicitus pro sese, sufficit diei afflictio sua.

Proxime audivistis, et assidue meminisse crebroque meditari debetis, quod duo sint genera

promissionum, unum aeternarum, alterum corporalium, et quod cor prius aeternam promissionem, de remissione peccatorum, et gratuita misericordia Dei propter Christum, firma fide debeat amplecti et retinere, nec unquam a promissa reconciliatione deficere aut trepidationibus et dubitationibus opprimi, sive maneant sive eripiantur commoda vitae corporali necessaria. Nam primus gradus est quaerere aeterna bona, imo ad hoc missus est filius Dei, ut placata ira aeterni Patris, restitueret liberatis a peccato et aeterna morte, iustitiam et salutem sempiternam. Cum autem Deus hunc admirandum ordinem inenarrabili bonitate sanxerit, ut in hac mortali vita collectio fiat Ecclesiae et salvandorum, ideoque serio velit in huius fugacis vitae consuetudine initia vitae et iustitiae aeternae inchoari, largitur etiam bona corporis, ut interim tamdiu cibos, potum, hospitia, vestes etc. habeat Ecclesia, quamdiu fruitur usura huius externae et desiturae vitae. Ac eadem proxime de distinctione promissionum audivistis declarari, sed tunc illa quoque adiungebatur commonefactio, quod constet hanc esse Dei voluntatem, ut fides et invocatio simul exerceantur in utroque genere promissionum.

Quamobrem debetis et aeterna et corporalia bona petere, sed hoc ordine servato, quem Dominus in his verbis praescripsit: Primum quaerite regnum Dei et iustitiam eius, et caetera bona omnia adiicientur vobis.

Quae quidem verba quemadmodum perspicua sunt et illustria, ita proponunt et regulam de praecipuo officio, quod requirit Deus, et uberrimam dulcissimamque consolationem. Regula est, exordiendum esse ab aeternis bonis, primumque gradum esse quaerere regnum Dei et iustitiam divinam, id est, recte discere serioque amplecti verbum Dei, sic ut omnibus corporis commodis ac vitae nostrae, id ipsum anteferamus, et in vera conversione ad Deum, inseri, adiungi ac fieri membrum electae Ecclesiae. Nec enim promissiones pertinent ad impios perseverantes in Dei contemtu, sed hi praesentibus ac aeternis poenis oppressi contabescent, iuxta toties repetitas in scriptura comminationes horribiles, ut Psalm. 12.: Disperdet Dominus superbos divinae irae ac doctrinae contemtores. Imo Christus ipse Matth. 25. promulgat in extremo iudicio sententiam condemnatoriam tristissimis verbis: Discedite a me vos maledicti, in aeternum ignem, qui paratus est diabolo et angelis eius.

De temporalibus vero poenis in hac vita dicit Salomon Ecclesiast. 8.: Certo cognovi et scio quod bene erit timentibus Deum, et quod nequaquam bene erit impio, nec diuturna eius vita erit, sed sicut umbra evanescet, ac ipse punietur. Ac plena est scriptura talium testimoniorum. Praeterea singuli commonefiunt mole poenarum, quas collo et cervicibus suis sustinent, etsi conversis ad Deum seu poenitentiam agentibus mitigantur aerumnae.

Haec igitur praecipua sit et inprimis necessaria regula, rectrix omnium deliberationum et actionum universae vitae humanae, scilicet, primum discere verbum Dei, converti ad Deum, seu agere poenitentiam, et fide apprehendere redemtorem ac salvatorem Dominum nostrum Iesum Christum. Hac fide praelucente postea excitemur ad petendum, sperandum et exspectandum etiam corporale auxilium. Nam his ipsis verbis: Et haec omnia adiicientur vobis, promissa sunt omnia bona vitae necessaria in vocatione.

De cruce.

At obiiciunt humanae mentes: Audio inculcari promissiones bonorum corporis largissimas, quibus si responderent eventus, nequaquam durius premeretur ac quassaretur Ecclesia, quam reliqua pars generis humani, illa vero quantis exercetur aerumnis? quot procellis et fluctibus persecutionum concutitur? Abel, Esaias, Ieremias, Iohannes Baptista, Christus, Apostoli, et multa millia Sanctorum interficiuntur omnibus temporibus, ac oppugnantur crudelissime.

Responsio.

Utraque propositio vera est: et vult Deus suppeditare bona corporis, auxiliique corporalis exspectatione fidem exerceri: et simul vult Ecclesiam subiectam esse cruci, sed hac conditione, ut interea verissime servet omnibus temporibus coetum aliquem ac florem seu corpus Ecclesiae agnoscentis, invocantis atque celebrantis ipsum, nec sinat Ecclesiam penitus deleri ac devorari a diabolis, molientibus exitium generi humano, ut scriptum est de perpetuitate Ecclesiae et repressione diabolorum, Matth. 16.: Portae inferorum non praevalebunt adversus eam, veruntamen hoc modo servat ac tegit Ecclesiam salvator filius Dei, ut

simul oporteat eam exerceri afflictionibus et ingentibus miseriis subiici, imo oporteat excellentia membra et praecipuos duces in ministerio fieri similes ac conformes in cruce, miseriis et morte ipsi redemtori Domino nostro Iesu Christo.

Ut quando Deus Davidi promittit victoriam et incolumitatem exercitus Israëlitici, absurdum fuerit sic interpretari promissionem, quod in acie nihil laborum suscepturi, periculorum subituri, vulnerum accepturi sint, nec fore ut praeliantes interficiantur ulli milites, sed omnino necesse est dimicantes aliquot acerrimos et fortissimos viros in acie vitam et sanguinem profundere, ut incolumis reliquus exercitus gloriosam victoriam consequatur: ita Deus munit, alit, defendit ac servat corpus Ecclesiae, etiam cum praecipua lumina foede lacerantur ac interficiuntur a tyrannis. Sunt enim causae plures gravissimae et maximae, propter quas Ecclesia mirabili consilio Dei tot et tantis aerumnis est subiecta. Cumque nos ipsi etiam plurima non exigua nec levia peccata habeamus, vult Deus exempla sui iudicii conspici, et per has poenas nos commonefactos ad conversionem revocari. Interea tamen eatenus immensa misericordia propter mediatorem lenit ac mitigat praesentes poenas, ne tota Ecclesia deleatur funditus, sicut prorsus deleta sunt Sodoma et Gomorra, propterea tantisper donec sumus in hac mortali vita, dat bonam valetudinem, victum et bona caetera necessaria ad conservationem vitae corporalis.

Hanc consolationem de laboribus divinitus ordinatis ac aerumnis praesentibus proposuit Dominus in his verbis: Non sitis soliciti de crastino, nam crastinus dies curabit res suas, seu solicitus erit pro se, sufficit diei afflictio.

Brevi voce afflictionis admonet et commonefacit nos Dominus, quod subiecti simus cruci et calamitatibus, et quod unaquaelibet dies afferat suas afflictiones, quibus Deus velit nos exerceri. Brevia quidem, ut dixi, sunt haec verba, sed universam vitae historiam complectuntur, et concionantur de miseriis ingentibus impositis humano generi, monent, ne securitati et superbiae indulgeamus, sed ut hoc totum vitae curriculum intueamur, et intelligamus in hac vita singulis quotidie propositas esse aerumnas omnis generis, et cogitemus denique, nisi haec ipsa moles difficultatum et afflictionum, quam indies cumulatam collo et cervicibus nostris sustinemus, immensa Dei misericordia mitigaretur ac levaretur, futurum fuisse, ut multo atrocioribus poenis, quas coecitate duritiaque nostra mereremur, oppressi succumberemus ac periremus. Videte quantum Moisi populus Israëliticus quotidie novorum certaminum, tumultuum, seditionum excitet. Adeo ut vix ullo temporis momento frui possit hac securitate, quod placata, placida et tranquilla gubernatio futura sit.

Sic universa vita in tantis impedimentis, quae diabolus et organa diaboli obiiciunt, plena est aerumnarum humano consilio inextricabilium, et singuli certe versamur in quotidianis continuisque periculis, quod ad propria corpora, quod ad incolumitatem coniugum et liberorum, quod ad victum, quod ad regimen denique seu gubernationem attinet.

Quapropter bene consideretis ac memineritis hoc breve dictum, ut excutiatis securitatem et superbiam: Sufficit diei afflictio sua. Hoc ipsum docent omnium aetatum historiae, et exempla quotidiana sunt in conspectu.

Adiungit autem Dominus noster Iesus Christus praeceptum sapientissimum et utilissimum, tradita singulari regula de discernendis generibus afflictionum. Duplex est afflictio. Alia est crux necessaria, nec accersita nostra curiositate, sed per sese nos affligens certo Dei consilio, ut castigemur et exerceamur. Alia est afflictio accersita nostra curiositate, cum polypragmosyne seu praepostera et hallucinante sapientia, ultro nosmetipsos molestiis, angoribus et aerumnis implicamus, ut, quando quaerit et suscipit homo negotia non necessaria, quando principes movent aut attrahunt bella sine necessitate, quae vitare poterant, etc.

De hoc discrimine concionatur hic Dominus: Sinite ut unaquaelibet dies solicita sit pro sese, curet res suas, afferat suas afflictiones et difficultates. Haec impedimenta vos in praesentia recte tolerate, nec quoquo modo vobis cumulate miserias, sed tantum facite necessaria et mandata, contenti diurno labore, quem affert vocatio, nec ex humana coecitate communibus calamitatibus addite securitatem et superbiam, verum scitote diligentiam divinitus ordinatam per sese satis laborum, impedimentorum et solicitudinum habituram esse, praeterquam quod accedunt poenae et afflictiones multiplices.

Ad hanc igitur crucem praeparate vos fide, ac petite a Deo mitigationem aerumnarum. Cavete autem ne curiositate seu polypragmosyne et inquietudine animi, quaeratis negotia non necessaria, et aliena a vocatione, nec plus difficultatum, molestiarum et miseriarum vobis accersite, quam tempus et praesens occasio vobis offert, ut Iosias pius et sanctus rex, dum securitatem alens somniat se tam pium ac bene meritum principem nullas offensiones, sed successus perpetuos et placidos exitus habiturum esse, quaecunque tentet ac moliatur, movit bellum non necessarium adversus regem Aegyptium, in quo cum vulnus accepisset, aliquanto post mortuus est. Cogitet unusquisque vestrum, memoriaque repetat suae vitae curriculum, tunc deprehendet haud dubie, se ipsum quibusdam non necessariis occupationibus plurimum sibi poenarum, periculorum et tristissimorum casuum attraxisse et accersivisse, ubi si quievisset (ut loquitur in comoedia servulus) nihil evenisset mali.

Quamobrem teneatur haec quoque regula: In magnis rebus facienda sunt sola necessaria, nec unquam tentari vel suscipi debet quicquam, quod non est necessarium.

Sed hic occurritur vobis quaerentibus, quaenam sint necessaria, quaeve non necessaria.

Respondeo autem clare, simpliciter et explicate. Opera et negotia sunt necessaria, quae Deus tibi praecepit, quaeque tui officii ratio postulat, seu officia propria tuae vocationis, in quam a Deo collocatus es. E regione, non necessariae actiones et occupationes sunt, quadam curiositate vel ambitione extra tuam vocationem erumpere, et suscipere aliena contra mandatum Dei, seu, ingerere te alienis vocationibus. Exempli causa.

Quid quaeso pertinet ad vocationem seu ministerium Thomae Monetarii forma gubernatoris in regimine politico? Cur ille ingerens se administrationi alienae, extra metas suae functionis erumpit? Cur alterum pedem in curia, alterum in templo habet? Quamobrem vult regere negotia civilia, constituere novam formam imperii, ordinare novos principatus in Germania? etc.

Sanctus et sapiens Apostolus Paulus eandem admonitionem verbis insignibus et significantibus repetit, ac praecipit eruditissime, 1. Thessal. 4.: Adhortamur ut in hac re excellere singulari diligentia conemini, ac in eo sitis ambitiosi, ut agatis propria et quiescatis, nec extra metas curratis irruendo in alienas vocationes.

Ac in summa, polypragmosyne seu temeritas molientium non necessaria vel curiositate, vel metu futuri periculi, vel stulta spe perniciosa, semper et infelicissima est, sive in summis sive in infimis ordinibus existat haec vocationum confusio et officiorum conturbatio.

Haec itaque singularis sapientia vitans curiositatem, polypragmosynen et ambitionem, commendatur hoc Christi dicto: Crastinus dies pro sese solicitus erit, sufficit diei afflictio sua, quasi dicat: Facito necessaria in praesentia, quae per sese satis habebunt difficultatum, nec propria curiositate ingerens te alienis vocationibus cumulato tibi molestias, angores et aerumnas.

Rex bonus et inprimis laudatus Osias, 2. Paralip. 26. volebat officio fungi Sacerdotis, et per sese sacrificare in templo contra divinam ordinationem, sed eundem Deus, poena subita declarans iram suam, percussit lepra, ita perpetuo multiplicia incommoda et exitiales poenae sequuntur polypragmosynen, seu consilia et conatus eorum, qui vel tentant actiones extra vocationem, vel irrumpunt in alienas functiones, aut curiositate, aut ambitione propria.

Si quis igitur recte vult vivere, ut retinens bonam conscientiam possit in suis laboribus, actionibus et negotiis petere et exspectare divinum auxilium, is servet et sequatur hanc vitae regulam, quam tradit ac praescribit hoc loco Dominus. Initio quaere regnum Dei, hoc est, disce veram Dei agnitionem, et conversus ad Deum fide acquiescas in Deo propter mediatorem. Deinde fac opera tuae vocationis, et in laboribus tibi divinitus mandatis exerce invocationem Dei, atque perfer animo tranquillo difficultates, in quibus et statue iuvari te divinitus, et laetus exspecta bonos eventus, nec exstincta luce fidei vel curis ac doloribus conficiaris, vel frangaris desperatione et impatientia.

Hanc artem vitae si didiceris ac exercueris, experieris re ipsa Deum tibi affuturum et opitulaturum esse, eventusque negotiorum ac consiliorum fore placidos, faustos et salutares, iuxta Psalmi dictum: Subditus esto Deo, et spera in eum. Eandem doctrinam repetit eiusdem Psalmi dulcissima gnome: Commenda Deo viam tuam, et spera in eum, et ipse faciet. Viam nominat uniuscuiusque legitimam seu iustam vocationem.

Discedere a vocatione, aut curiositate, aut metu, aut ambitione, est aberrare tota via, ruere in tenebras, in laqueos diaboli, ac tristissimas poenas.

Etsi igitur hae regulae concionantur de tot et tantis rebus, quarum magnitudo nullius eloquentia potest exhauriri, singulis tamen hominibus utilissimum est aliquid inde discere, ut suae quisque vocationis metas intelligens consideret, quomodo gradus officii proprii a Deo sit ordinatus, ac sciat, quae norma obedientiae sit, cum in tolerandis afflictionibus, tum in laboribus, negotiis atque certaminibus suscipiendis.

Itaque primum sicut enarravimus, luceat in mente vera Dei agnitio, et serio fiat conversio ad Deum, de hoc initio docet etiam primum praeceptum.

Secundo, debes nosse metas officii tui, quas Deus tibi circumdedit, nec curiositate, metu, superbia movere non necessaria, id est, aliena a vocatione suscipere.

Tertio, oportet retineri hanc consolationem: Etsi quaelibet dies multiplices difficultates, aerumnas et afflictiones affert, ac constat Ecclesiam subiectam esse cruci, duriusque premi quam caeteros homines: tu tamen certo statuas vere Deum servientibus in vocatione velle adesse et opitulari, ideoque petas auxilium, et exspectes bonos exitus, labores quoque, quos in praesentia necessitas tuae vocationis et occasio iusta offert, alacriter hac fide et spe suscipias ac toleres.

De hac consolatione dictum est in praesenti concione: Ne sitis soliciti, id est, ne crucietis animum diffidentia, nec opprimamini desperatione, sed confidatis Deum necessaria vocationis opera suscipientibus affuturum adiutorem et liberatorem, quantacunque moles tentationum, impedimentorum, periculorum et afflictionum vobis obiecta fuerit.

Sic Psalmo 34. scriptum est: Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde, et contritos spiritu salvabit. Item Esaiae 66.: Deus affirmat se habitare in afflictis, se respicere ad miserum et contritum spiritu ac trementem sermones suos. Item Paulus inquit 1. Corinth. 15.: Non erit labur vester inanis in Domino, quasi dicat: Deus provehet ac fortunabit sua benedictione necessarios labores, quos vocatio postulat, ac gubernabit eventus, et praebebit successus, ne conatus sint irriti.

Ita traduntur in hoc textu regulae seu normae rectrices vitae, consiliorum, studiorum et actionum, monstrantur item fontes verarum et efficacium consolationum. Nec vero quisquam poterit ullo modo hunc textum intelligere, non habens initia verae fidei. Cum enim propria sapientia regatur, non potest non confidere sua potentia, sapientia, viribus et consiliis, imo necesse est illi spes pendere a fortunae bonis, hominum coniunctionibus, amicis, pecunia, opibus et similibus externis praesidiis. At in quibus est accensa scintillula fidei, hi demum aliqua ex parte sensum et usum salutaris regulae atque consolationis huius perspicere poterunt.

Quamobrem breviter concludemus hic interpretationem praesentis textus, cum rerum magnitudo superet omnem humanam eloquentiam.

Dominus noster Iesus Christus ipse donet nobis suam gratiam, nosque Spiritu suo sancto regat ac erudiat, ut et nostrae mentes hanc ipsam eius concionem recte intelligant, et universa vita nostra ad ordinem, quem nobis in hoc capite divinitus praescripsit ipse, perpetuo directa sit et congruat.

Caput VII.

Dei beneficio doctrina de utroque gradu, de discrimine ministerii Evangelii, et potestatis politicae tam copiose ac pie toties illustratur, ut non dubitem vobis notissimam esse. Scitis utrumque munus et gradum esse praecipua et summa Dei opera in genere humano. Scitis utrique gubernationi iurisdictionem seu iudicia, et executionem seu poenas autoritate divina attribui, et officium arguendi atque puniendi divinitus expresse institutum in utroque regimine necessarium, sanctum, Deoque probatum et gratum esse.

Minister Evangelii seu concionator habet mandatum ut iudicet, arguat et condemnet verbo Dei, id est, voce Legis et Evangelii, omnia peccata, et ipso sonante, seu annuntiante verbum iudicans, simul est efficax Spiritus sanctus in convertendis et iuvandis credentibus, quemadmodum dulcissime confirmat Dominus, Iohan. 16.: Spiritus sanctus arguet mundum. Sic iudicant, arguunt, reprehendunt Prophetae, Samuel regem Saulem, Nathan Davidem, Esaias regem Achas, Hieremias Sedechiam etc.

Eodem modo potestas politica habet mandatum, ut sit custos disciplinae et pacis, et contumaces poenis corporalibus, carcere, laqueis, gladio, vel aliis atrocioribus suppliciis coërceat, castiget, aut pro modo, circumstantiis, et qualitate delicti, tollat e medio et interficiat. Hanc disciplinae conservationem et executionem poenarum, in politica gubernatione Deus ipse adiuvat et provehit, imo ipse regit potestatis manus et armat gladio. Nequaquam enim magistratus praesentia et auxilio Dei destitutus, par esset huic suo muneri, nec sola autoritate sua reprimeret latrocinia, et facinorosorum audaciam. Propterea scriptum est gravissimis verbis in Daniele cap. 2.: Deus est qui constituit ac transfert regna, sed hic textus: Nolite iudicare, prorsus non loquitur de officio iudicandi et arguendi, quod vel Evangelii minister, vel magistratus politicus exercet mandato divino. Est enim hoc loco emphasis observanda verborum Christi: *Vos vos* nolite iudicare, id est, vos homines non debetis ex privata malevolentia aut curiositate extra vocationes erumpere, et officium Dei vobis arrogare. Deus est index mediate per ministros verbi et magistratum politicum, vos nequaquam constituite vos ipsos iudices absque Deo et absque vocatione. Ita intelligitis hunc textum diserte seu distincte loqui non de ministeriis vel officiis divinitus ordinatis, sed de iudiciis quae fiunt extra seu praeter vocationes et gubernationes divinas.

Haec initio volui commonefactionis causa praefari, ne textus iste detorqueatur et accommodetur ad deliria fascinatorum et furiosorum Anabaptistarum, qui politicae potestatis officium atrociter condemnant, et seditiose conturbant atque convellunt. Imo sciamus etiam politicae potestatis officium expresse a Deo institutum et confirmatum, sanctum et pium esse, Deoque placere, iuxta dictum sancti regis Iosaphat 2. Paral. 19.: Non hominum, sed Domini iudicium exercetis. Ita debetis venerari et honore afficere totum ordinem politicum, et voluntatis atque praesentiae divinae testimonia in eo agnoscere, quemadmodum saepissime solent vobis haec fideliter explicari.

Quaestio.

Cum igitur constet non prohiberi a Domino iudicia politica seu reprehensionem, quae fit per magistratus, iam quaeris, quaenam iudicia taxentur atque vetentur?

Responsio.

Prohibentur omnia iudicia privata, quae fiunt extra vel contra ordinem iudiciorum publicorum divinitus approbatorum, ut omnia ementita convicia et calumniae. Item ambiguorum sinistrae interpretationes. Item maledicta etiam vera, quae proferuntur animo nocendi et excitandi maiores turbas, discordias, dissipationes, seditiones. Iam singuli cogitent, quam late vagetur hoc peccatum, quam vulgare sit vitium maledicentia, ut omnes fere homines videantur delectari contumeliosis in alios sermonibus, sive veris, sive falsis, sive certis, sive incertis. Imo plurimi suspicaces fingunt et comminiscuntur perpetuo alias atque alias criminationes, et hoc studium suspicandi, interpretandi ambigua in deteriorem partem, atque calumniandi, existimant esse singulare artificium, non vulgaris cuiusdam sapientiae.

Talia privata, curiosa, calumniosa, et venenata, seu virulenta iudicia saepe prohibentur in verbo Dei, ut primum in octavo praecepto: Non dices falsum testimonium, etc. Item Levitici 19.: Non eris susurro in populo. Item in 7. capite Ecclesiastae Salomon inquit: Calumnia conturbat sapientem, et frangit robur cordis eius, hoc est, calumniosae depravationes consiliorum aut factorum opprimunt optime meritos tanquam homicidiales sicae, et saepe sunt faces magnarum dissensionum. Imo calumnia perniciosior est pestis ipsa morte corporali. An non enim tolerabilius est homini tantum vitam eripi, quam eidem bonam famam, valetudinem et omnia tum corporis, tum fortunae commoda simul eripi? Quoties enim innocentes propter calumniosas et virulentas obtrectationes atque delationes simul amittunt bonam existimationem seu famam, vitam et facultates? Item dolor et moestitia cordis orta ex acri sensu nocentissimae pestis calumniae, paulatim languefacit et exstinguit hominem, quod diserte affirmat Salomon cap. 7. Ecclesiastae: Calumnia sapientem conturbat, et frangit robur cordis. Imo addit amplius Ecclesiast. 10.: Calumniator occulte detrahens, clam nocet, more serpentis insidiantis morsu et habitu venenato.

Cum igitur Deus mendacia et calumnias adeo severe prohibuerit, discamus haec peccata et agnoscere et vitare, frenemus linguam, non delectemur obtrectationibus, aut maledicentia, non

quaeramus voluptatem aut relaxationem animorum vel serendis contumeliosis fabellis atque criminationibus, vel libenter et avide audiendis sermonibus, quibus aliorum fama laeditur et extenuatur. Nam S. Paulus expressis verbis inquit 1. Corinth. 6.: Neque adulteri, neque homicidae, neque conviciatores regnum Dei possidebunt. Et Ecclesiastici 21. dicitur: Obtrectator polluet animam suam et vicissim afficietur ignominia. Et hoc ipso loco Dominus addit comminationem loquens de poenis praesentibus et futuris, fore ut cumulate reddatur, ut vicissim venenati illi calumniatores iudicentur et puniantur. Cui quidem evidenter exempla quotidianae vitae et historiarum consentiunt atque respondent, ut exemplum maledici Semei testatur 2. Reg. 16. Quando mota seditione per Absolonem, rex David iam senex in fuga trepidabat, occurrebat fugienti quidam ex proceribus, qui antea floruerat in aula regis Saulis, hic clamoribus debacchabatur in exulem Davidem, et laetabatur miseria seu exilio regis, insultans ei hoc venenato sarcasmo: Egredere vir sanguinum, reddidit tibi Dominus universum sanguinem domus Saul, quoniam invasisti regnum ipso excusso, etc. Iam singulis existimandum ac perpendendum relinquo, quantopere isti sarcasmi et venenatae ironiae auxerunt Davidis ingentem dolorem, quem in fuga propter Absolonis filii scelus animo circumtulit. Idcirco viri fortes, qui antea duxerant exercitus apud Davidem, et tunc fugae comites, atque socii periculorum regis erant, adeo incandescebant, ut confodere maledicum subsannatorem cuperent et conarentur, sed prohibebantur a Davide, qui noluit hoc suo tempore exercere vindictam seu iniurias suas ulcisci, imo ne quidem postea restitutus in regnum voluit hunc conviciatorem maledicum interfici. Sed post mortem Davidis rex Salomon mandavit huic Semei, ut contineret se domi, nec quoquam pedem extra portas urbis efferret, quod cum is facere neglexisset, curavit eum Salomon ultimo supplicio affici. Ita ne quidem poenas politicas in hac corporali vita Semei maledicus effugit. Nec est quod quisquam sibi vel in praesenti vita huiusmodi peccatorum impunitatem promittat, quantumvis executio civilium poenarum, quas magistratus exercet, impediatur sophistica praestigiatrice, qua maledici calumniatores illi venenata sua et ementita convicia novis coloribus atque praetextibus fucata, adeo graviter involvunt, excusant, et, ut ita dicam, mangonizant, ut in forensibus cognitionibus atque iudiciis convinci de calumnia vix unquam posse videantur. Veruntamen ipse Deus haec perniciosa mendacia, sophisticas elusiones, et venenatas calumnias retegit, refutat, et atrocibus poenis etiam in hac corporali vita persequitur.

Aliud exemplum.

In historia Esther scriptum est de Aman hoste Iudaeorum, qui propterea quod Mardochaeus non flexis genibus adoraret ipsum Ethnico more, per calumniam impetraverat edictum de universa gente Iudaica delenda, falso criminatus, eum mandata regis Assueri contumaciter violasse. Postquam vero regem Darium Assuerum flexit coniunx Esther patefactis calumniis et sceleribus Aman, curavit rex calumniatorem Aman, Iudaici cruoris sitientem strangulari, suspensum de eodem patibulo, quod ille Mardochaeo paraverat, ac emissis contrariis edictis per provinciam, domum et possessiones Aman attribuit Mardochaeo. Sed omnium temporum et aetatum historiae satis suppeditant exemplorum, ei, qui paulo diligentius attendere voluerit. Ut enim proh dolor, vix ullum peccatum communius et vulgarius est sycophantica, seu calumniosa maledicentia: ita Deus imposturas sophisticas et sycophanticas poenis assidue per genus humanum vagantibus reprimit ac retundit, quemadmodum grassantes homicidiis, furtis, aut aliis sceleribus pollutos subinde retrahit ad poenas.

Aliud exemplum.

Rex Macedoniae Philippus pater Alexandri Magni, iusserat militem quendam navigare ad certa loca, speculandi seu explorandi causa. Interim coorta tempestate navis victa procellis et fluctuum impetu frangitur, sed Deo naufragium respiciente, accurrit agricola, cuius praedium seu villa non procul aberat a mari. Is audito clamore militis periclitanti opitulatur, et receptum ex aquis in suam cymbam, defatigatum labore natandi, confectum fame, insomnia, et animi solicito moerore, rigentem frigore, ac paene exanimem ducit in villam, recreat ad focum, lectulo impositum ac cibo potuque refectum, fovet omnibus officiis, donec animum viresque recipiat: post triduum abire cupientem etiam viatico instruit.

Miles discedens recta pergit ad regem Philippum, narrat naufragium, iactat suos labores, exaggerat pericula, petit praemium aliquod, sed hospitis beneficium tacet, cui prolixe pollicitus erat, se relaturum esse gratiam. Philippus iubet militem et propter fortitudinem, et quia bene meritus esse videbatur, ac in primis ei carus erat, nominatim petere domum et possessionem seu villam aliquam, quae nunc vacaret, et a rege pro arbitrio conferri posset. Vide quid acciderit. Nebulo iste nominatim petit domum et praedium rustici servatoris sui, eo quod naufragus ad hanc villam aegre enatasset, et locum insignitum memoria calamitatis suae, seu testem periculi singulari affectu prosequeretur. Interim nulla fit mentio beneficii seu officiorum rustici, sed dissimulat se a quoquam accolarum in tantis vitae periculis adiutum aut recreatum esse. Facile impetrat a rege liberali, et cui reliqua erant ignota de agricolae fidelibus officiis, quibus naufragum servaverat et recreaverat. Itaque curat Philippus diploma confici, quo dominium seu proprietas eius praedii confirmabatur militi. Isque in bona, quae petiverat, induci iubebatur. Haec cum fierent, occupante praedium milite, rusticus expulsus bonis non tulit iniuriam, sed accessit ad regem commemorans sua beneficia, narrat se fuisse servatorem, et ex aquis receptum naufragum toto triduo pavisse, texisse, ac quibus potuerit officiis fovisse ac recreasse, queritur iniustum esse ab ingrato alumno se pro hospitalibus beneficiis excuti ex paterna possessione. Philippus cognita nebulonis huius perfidia et ingratitudine, adeo exarsit ira, ut militem iusserit in vincula coniici, et postea cum ignominia exautorato stigmata inuri, ac fronti inscribi haec verba: Hospes ingratus. Praedium vero priori domino restituit, milite exilii causa solum vertente. Ita perfidia ingrati militis recidit in ipsius caput, et malum consilium fuit autori perniciosum. Deus enim est iustissimus iudex, puniens poenis praesentibus et aeternis omnis generis peccata, in omnibus non agentibus poenitentiam.

Quamobrem sequitur in textu haec generalis regula: Qua mensura mensi fueritis, eadem reddetur et vobis. Deus ut est sapiens ac iustus, ita docet nos exercere atque colere iustitiam inter nos, id est, aequalitatem servare in non laedendis aliis, item in contractibus, et in ordine personarum, ne cuiquam fiat iniuria. Hanc aequalitatem seu iustitiam cum nos violamus, et a norma praescripta deflectimus, ipse tamen perpetuo manet iustus, destruit quicquid est iniustum seu difforme suae iustissimae voluntati, punit et delet iniustos, ac certo servat hunc ordinem, punit suppliciis praesentibus et aeternis omnes, qui non convertuntur ad ipsum. At tu fortassis haec tecum cogitas: Ego fretus potentia mea aliquantum premam hunc imbecilliorem et inferiorem, ut geram morem animo, et pro libidine conculcabo quosvis infirmiores. Quid enim mihi periculi impenderet ab illis, quorum vana est sine viribus ira? Quis porro poenam talionis a me repeteret? Hae cogitationes sunt ludibria et imposturae perniciosissimae, quibus animi fascinantur, quaeque confirmantur a diabolo. Etsi enim poenae interdum aliquamdiu differri solent, tamen certissimum est, cumulantes scelera tandem oppressos haerere in poenis atrocibus, iuxta illud: Sera tamen tacitis poena venit pedibus. Ac nominatim de poenis corporalibus dicit Dominus, Matth. 26.: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item Esaiae 33.: Vae qui praedaris, quia vicissim spoliaberis. Et in libro sapientiae de poena talionis diserte scriptum est, cap. 11.: Per quae quis peccat, per eadem punitur. Satis multa exempla habent omnes historiae, et ut non requirantur ex libris, haec aetas plurima nobis suppeditat. Imo Ethnicis etiam fuit hoc persuasissimum. Inde sparserunt et celebrarunt huiusmodi gnomas natas ab experientia, qualis hic est Mimus: Ab alio exspectes alteri quod feceris. Et in 8. capite Ecclesiastae Salomon inquit: Homines securi furenter ac petulanter mala perpetrant, propterea quod poenae differuntur, nec cito profertur contra malos iudicium, sed sapiens intelligit tempus et iudicium, et ego certo scio poenas paulo post secuturas esse, nec fore ut diu differantur. Haec omnia debetis considerare, et quando sentitis privatas aerumnas atque miserias, aut publicas calamitates, bella, expilationes immodicas, annonae caritatem seu famem, et reliquam poenarum molem, discite timere iudicium Dei, agite poenitentiam, et emendate mores ac vitam. Nisi enim conversio et morum emendatio sequetur, accedet ad poenas corporales implacabiles, aeterna et horribilis ira Dei, abiiciens perseverantes in sceleribus in aeternum exitium: quod Deus pro immensa bonitate sua propter filium clementer a nobis avertat. Sed

agentes poenitentiam, et conversi ad Deum liberantur ab aeternis poenis, per et propter mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum. Imo his mitigantur etiam poenae temporales, etiamsi non statim prorsus auferuntur.

Hoc ipso tempore versatur vobis ob oculos et in conspectu moles poenarum publicarum sane formidabilis: videtis simul grassari multis locis famem, pestilentiam et bellum. Nam in Polonia et Belgico tanta inopia frumenti est, ut multi homines pauperes fame contabescant, eaque difficultas seu caritas annonae facit, ut etiam in vicinia Silesia et aliis locis ingravescat annona, propterea quod a vicinis frumenta inde exportantur. Ac si vicini exhausti forte egebunt, et agri nostri continuis bellis vastabuntur, in oppidis vero victus deerit familiis sustinentibus belli tempore duriora onera, cogitate obsecro, quid futurum sit, ac prospicite, quantae calamitates et pericula vobis impendeant. Quare serio vos hortor et obtestor, ut hanc severissimam regulam seu normam iudicii divini bene, multum ac saepe consideretis, quia non indiget longa declaratione: Qua mensura mensi fueritis, eadem reddetur et vobis.

Haec comminatio exsuscitet curam, ut agnoscentes magnitudinem et multitudinem vestrorum peccatorum, et fiducia mediatoris ad Deum conversi, studeatis Deum flectere vera pietate, et mitigationem poenarum serio atque veris gemitibus petatis. Cum enim palam videatis ingruere poenas horribiles ac exitiales, impendentibus conversionibus atque ruinis fatalibus omnium regnorum et rerumpublicarum ubivis terrarum, meditamini ac subinde memoria repetite dictum Domini nostri Iesu Christi Lucae 21.: Orate ut possitis effugere iram impendentem et ventura mala.

Hierosolyma non stetit diutius, quam annos quadraginta post hanc Christi vocem, cum interim omne genus turpitudinis, scelerum, et petulantiae in ea cresceret indies ac cumularetur. Et quanquam sanctorum hominum, Zachariae, Simeonis, Iohannis Baptistae, Christi, et deinceps Apostolorum querelis, admonitionibus, obtestationibus, et concionibus profana multitudo populi et principum nec afficiebatur nec emendabatur, tamen non fuerunt inanes et prorsus sine fructu hi clamores, sed multi conversi sunt ad Deum, et in hac vita servati, quos hinc evocatos ad salutem aeternam frui claro conspectu Dei nihil dubium est. Ita tunc Deus in tristissimis excidiis atque ruinis urbium et imperiorum, clementissime collegit ac servavit Ecclesiam.

Eodem modo accidit in historia Ninivitarum Iona praedicante. Rex et plurimi homines in Ninive conversi sunt, ideoque civitas Ninivitarum tunc non est deleta, sed Deus immensa bonitate mitigavit poenas. Sed anno octogesimo post vel circiter, iam sublato Sennacherib, cum itidem crescerent ac cumularentur peccata, Ninive tandem funditus eversa et destructa est. Verum cuius animus non movetur aut flectitur ad poenitentiam conspectu acerbissimarum miseriarum praesentium, quis hunc non vecordem, non furiosum, non mente captum esse perspicit? Ideo rursus vos singulos et hortor et obtestor, ut cura salutis animarum vestrarum, vestrorum liberorum, et universae Ecclesiae Christi exsuscitati, mores et vitam emendetis, ardentibus votis precantes, ut Deus placatus nobis parcat, et immensa misericordia poenas leniat propter meritum et intercessionem filii sui Domini nostri Iesu Christi, Amen.

Quid vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem in oculo tuo non animadvertis?

Scitis in hac longa concione Domini nostri Iesu Christi contineri eruditissimam explicationem atque declarationem Decalogi, ac in praesenti capite coepit enarrare Dominus octavum praeceptum: Ne dicas falsum testimonium. Cui vero vestrum obscurum est, cum sint haec communia et vulgaria peccata, mentiri, conviciari, calumniari, maledicere, obtrectare, criminari, indulgere falsis suspicionibus, et ex his temere iudicare, aliorum seu benefacta seu recte dicta depravare, aut ambigua in deteriorem partem flectere, et calumniose ac contumeliose exaggerando, traducendoque famam eorum laedere? Haec omnia peccata prohibentur in octavo praecepto: Ne dicas falsum testimonium, in quam sententiam Dominus in hoc capite praecipit: Nolite iudicare. Cui praecepto adiungendum est exemplum, quod hic sequitur de quodam hypocrita. Illustri enim parabola pingitur hypocrita, qui cum coecutiens nolit cernere insignem trabem in suo oculo, curiosis tamen oculis investigat, et diligentius contuetur festucam in oculo alieno. Ac ne huic quidem exemplo opus est prolixa declaratione.

Quotus enim quisque est, quem usus vitae communis et quotidiana experientia non convin-

cat? ut fateatur hos esse communes plurimorum hominum morbos, philautian scilicet et maledicentiam, quibus fit, ut censuram de aliis acerbiorem agentes, multa notare, carpere, reprehendere, reformare plerique consuescant, sibi vero ipsis blandiantur et ignoscant, nec opus esse reformatione vel emendatione arbitrentur. Imo plerumque accidit, ut foedissima monstra hominum, polluta sceleribus insignibus et enormibus, conentur non solum suam turpitudinem extenuare, mitigare, occultare, et ab oculis hominum removere, sed etiam nonnihil existimationis, commendationis et fucosae gloriolae consequi, invidiose et calumniose exaggerando exulcerandoque naevos aut verruculas hominum inferiorum vel tenuiorum minusve gratiosorum, qui tamen nequaquam tam enormibus, ut censores illi, flagitiis contaminati sunt: etiamsi habent suas quasdam infirmitates, sordes, atque maculas, et alicubi vel imbecillitate, vel errore, vel negligentia lapsi et hallucinati sunt, aut nonnihil etiam ab honesto deflexerunt, sicut nemo hominum est etiam sanctissimorum, qui non saepe peccet aliqua infirmitate, ignoratione, omissione, aut negligentia: imo qui non habeat multos lapsus, multa non levia delicta, errata et scandala.

Ut 2. Reg. 16. cum David pellitur in exilium, maledicus Semei exsultat gestiens animo gladiatorio in iacentem, cuius calamitate delectatur, incurrere, omnemque animi virulentiam, acerbitatem, et ἐπιχαιρεκακίαν evomere, scurratur, agit triumphos, insultat et illudit ei manifestis sarcasmis, egredere vir sanguinum, inquit, vocat hominem turbulentum, sitientem cruoris et seditiosum. Et usitatum est piis hoc accidere, quod dicit Salomon Proverb. 25.: Fons turbatus coeno, et scaturigo lutulenta est iustus cadens seu lapsus coram impio. In hoc dicto proponitur imago iudiciorum mundi de Ecclesia. Ita enim solet fieri, impii tenent imperia et opes, florent potentia, gratia et gloria; proinde conspecta aliqua infirmitate seu deformitate aut tragica calamitate piorum, gaudent sibi occasionem oblatam traducendi, et exaggerandi eorum vitia afflictisque maledicendi et insultandi: imo, tanquam sensibus summa iucunditate perfusis, et voluptate quasi titillatis, efferuntur laetitia, et subsannantes venenatis ironiis prosternunt, conculcant, atque proterunt calamitosos.

Haec omnia conspiciuntur oculis et quotidiana experientia comprobantur.

At contra piis nota sit voluntas Dei, hi sciant quomodo se gerere, qua moderatione et aequitate animi hos triumphos et sarcasmos ferre debeant, teneant item veras et firmas consolationes, ne frangantur animis propter impiorum calumnias, contumelias, convicia, et iniustas imprecationes. Porro, consideretur inprimis regula seu admonitio hic tradita de ordine iudicii. Tu debes inchoare reformationem et censuram a te ipso, prius exime trabem ex tuo oculo, postea curiosius inspice festucam in oculo alterius.

Extant autem plurima dicta etiam in Ethnicorum sapientissimorum, quos civile iudicium rationis erudiit, literis et monumentis, quibus haec curiositas, iniusta inaequalitas, et perversitas iudiciorum reprehenditur, et deploratur, videlicet, quod multi sint tales Momi et censores passim, qui conentur alios reformare, de quibus acerbe iudicant, sibi ipsis vero non solum parcant, sed etiam blandiantur, et mire placeant. Hinc illa Catonis sententia, pueris etiam familiarissime nota: Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum. Veruntamen ego unicam duntaxat Salomonis gnomen interpretabor, et proponam, quae cum singulos ad poenitentiam hortetur, debet ab unoquoque vestrum diligenter disci, penitusque memoriae mandari, et attente multumque considerari.

Sic praecipit Salomon Proverb. 18.: Iustus in principio accusator est sui, postea inquirit seu explorat proximum. Hanc regulam perpetuo circumferte animis, et ad eam subinde respicientes, tanquam hoc freno mentes et linguas regite. Initio debemus in nos ipsos inquirere: singuli suam infirmitatem, suos errores et lapsus, sua peccata agnoscant, atque deplorent, ac sese primum puniant et emendent. Nam inspiciat mihi quisque in suum sinum, et in sese descendat, ut est in Proverbio, tum suorum vitiorum ac sordium consepectu commonefiet, ne temere iudicet, ac censuram de aliis acerbiorem agat. Tuum ipsius cor plenum est caligine, carnali securitate, dubitationum fluctibus, flammis inordinati amoris, malevolentiae, odii, multiplici negligentia in functione seu vocatione tua. Et profecto pauciores sunt quam putentur, qui deducti ad inspectionem sui, non insignia et enormia vitia sint deprehen-

suri. Hoc ordine iudicandi servato, scilicet, si prius te ipsum excutias et explores, nunquam deerit, a quo possis inchoare reformationem et poenam. In hac igitur domestica censura discas agnoscere iram Dei in veris pavoribus atque doloribus, et vera humilitate cordis quaeras et petas remissionem erratorum, atque peccatorum per et propter Christum, ac deinceps mores et vitam emendes, retinens fidem et bonam conscientiam. Haec admonitio traditur in priori membro praeclarae illius sententiae Salomonis: Iustus initio accusator est sui. Huc solet accommodari apologus Aesopicus de duabus manticis, de quibus Catullus inquit: Sed non videmus manticae quod in tergo est. Finxerunt enim singulos homines binas habere manticas seu peras, alteram ante pectus, alteram a scapulis tergoque propendentem. In posteriore quae in tergo pendet, nostra vitia gerimus, in quibus coecutimus: in priorem manticam aliena vitia immittimus, in quibus Lyncei seu oculatissimi sumus, adeo ut nec modus nec finis sit reformationum et censurarum.

Hac imagine, ac multis similibus illustribus picturis veteres conati sunt exprimere, ac oculis quodammodo subiicere turpissima vitia, philautian, maledicentiam et perversitatem calumniosorum iudiciorum. Sed vobis semper in conspectu sit dictum Salomonis, et exemplum propositum in hac parabola, ut afficiantur animi vestri, cogitantes has sententias et picturas: utque vitia, quae in hoc textu vituperantur, agnoscatis et emendetis, nec frena laxetis ac indulgeatis, curiositati atque petulantiae temere iudicanti de aliis, facile et libenter convicianti, aliorumque recte facta et ambigua suspiciose atque calumniose depravandi, sed memineritis vobis linguas et mentes frenandas esse, et singulari diligentia vitandas has pestes, de quibus nunc audivistis.

Altera particula dicti Salomonis est: Post inspectionem seu accusationem sui iustus inquirit in alium. Postquam te punivisti ac emendasti, tum primum considera, quando et quo ordine debeas de aliis iudicare, tunc etiam pro vocatione alteri coneris eximere festucam, et aliorum vulneribus mederi, sed ordine servato, qui in Evangelio praescriptus est, scilicet, ut amanter et placide, non amarulenter aut virulenter lapsum vel errantem admoneas, in viam revoces, ac erudias, non in cauponis seu tabernis, non in centauricis conviviis proclames et traducas alterius vitia, ut vel morbo animi morem geras, et hac voluptatula tanquam titilleris, vel obtrectatione aliorum tuas sordes et maculas eluere sive detergere, ac naevos atque labes tegere, existimationem denique colligere et augere studeas. Haec effrenis ac petulantis linguae vitia Deus nequaquam inulta et impunita dimittit, sicut poena maledici Semei, et poena calumniatoris Aman in historia Esther evidentissime testantur. Ac sententia veteris Mimi comprobatur experientia quotidiana: Ab alio exspectes alteri quod feceris. Crede mihi non deerunt qui vicissim vitam tuam depingere, teque vivis coloribus exprimere ac illuminare poterunt, ut improbitas et turpitudo tua velut in lucem prolatae, et omnium oculis expositae, publicis exsecrationibus vituperentur ac conspuantur.

Haec brevis admonitio sufficiat hoc loco de vulgaribus illis et communibus vitiis, maledicentiae, obtrectationum et calumniarum: quibus opponite cogitationem horrendi iudicii et irae Dei, ut discatis mentes velut iniectis frenis regere, ac veris gemitibus deploretis horribilem illam in omnium hominum pectoribus caliginem ac coecitatem, quod nostras sordes, nostra vitia, aut non videmus, aut levia ducimus, sed Christianos necesse est emendationem inchoare, ut aliquo modo peccati et irae divinae magnitudinem agnoscentes expavescant, nec perseverent in tam perniciosa philautia, coeca securitate, et crassa superbia: qualis hic severe taxatur in isto hypocrita, qui habens trabem in oculo, vult alteri festucam eximere. Nam haec vitia, philautia, securitas et superbia sunt in oculis Dei tetrae et abominabiles sordes: quia cor securum et arrogans, cum nec metuat nec magnifaciat iram Dei, re ipsa detrahit Deo debitum honorem, dum somniat eum non punire peccata, sed otiosum et lentum esse.

Haec ipsa securitas et coecitas in omnium Prophetarum concionibus horribiliter accusatur, ut apud Esaiam clamitat Deus cap. 48.: Nervus ferreus cervix tua, et frons tua aenea. Item Hieremiae 8.: Non sunt confusi, et erubescere nescierunt. Imo passim repetuntur in Prophetis hae tristissimae querelae. Sed vos inprimis mementote et diligenter expendite dictum Esaiae capite 66.: Ad quem respiciam? dicit Dominus, nisi ad miserum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos. Nolite fingere aut somniare, quod superbi, arrogantes et securi qui vivunt

sine timore Dei, sine sensu irae et iudicii divini, sint filii Dei, aut haeredes vitae aeternae, imo ipsa Ecclesia vera, et Dei populus ideo tot, tam variis tantisque calamitatibus oneratur, ut discamus agnoscere iram Dei adversus nostra peccata ingentia et multiplicia: et perterrefacti confugiamus ad mediatorem, ac repugnantes peccato, vitam et mores emendemus. Poenas quidem in conspectu positas nemo est qui non videat, bella, famem, morbos, ac metuendum est, asperiores multo et atrociores poenas secuturas esse. In Lithuania iam tanta fames grassatur, ut multi parentes et sibi et suis liberis vitam suspendio abrumpant prae intoleranda famis saevitia, quae quidem difficultas seu caritas annonae ingravescentis paulatim serpere ac propius ad nostras regiones velut contagione quadam manare videtur.

Deus aeternus Pater Domini et liberatoris nostri Iesu Christi, clementer mitiget ac leniat tantas miserias et aerumnas propter meritum et intercessionem filii sui, et parcat immensa bonitate tenello gregi puerorum et puellarum, ut in familiolis nostris conservetur ac propagetur doctrina coelestis. O bone, misericors, benefice Deus, miserere nostri propter filium, et da victum ac panem quotidianum tenello gregi nostrorum liberorum. Harum et similium miseriarum consideratio debebat singulorum animos ad timorem Dei et poenitentiam, seu salutarem emendationem vitiorum hortari ac impellere. Quod si fieret, facillime animadverteremus, imo evidenter convinceremur, nobis ipsis potissimum opus esse reformatione, seu censura emendatrice: nec obtrectatione aliorum, seu acerbe iudicando, et contumeliose garriendo de aliis quaerendam esse gloriam, sed haec hactenus.

Ne detis sanctum canibus etc.

Iam sequitur alia doctrina, quae peculiariter concionatores ac ministros Evangelii erudit et consolatur: commonefacit item auditores, ut se ipsos inspicientes ac considerantes, qui sint scrutentur atque cogitent. Facit enim tria genera auditorum: quorum alii sunt canes, alii porci, nonnulli vero filii Dei.

Canes intelligit rabiosos persecutores, qui velut mordicus arreptos concionatores dilaniant.

Porci sunt homines foedi, lutulenti, spurci, perseverantes videlicet in erroribus enormibus, et peccatis contra conscientiam. Hi etsi nequaquam videri volunt persecutores, imo simulant aliquod studium verae religionis, tamen non serio cupiunt agere poenitentiam, non student emendare mores, sed perseverant in securitate et sordibus scelerum, in quibus ut in luto sues immundi assidue volutantur, polluunt se libidinibus, exercent furta, rapinas, aucupia pecuniae quaerendae iniusta, retinent contemtum Dei, non vere metuunt iram et iudicium Dei, non vera fide invocant, accedunt ad publicas cónciones et precationes in templis quadam hypocrisi, seu simulatione pietatis, etc.

Cum autem non sit exiguus numerus eiusmodi canum et porcorum, facile minister verbi seu concionator aliquis indignitate rei motus, et offensus scandalo, pertaesus item curarum, molestiarum, laborum, periculorum et certaminum, quae comitantur ministerium et professionem Evangelii, sic cogitare posset: Quid miser faciam? video me nihil proficere, meos labores irritos esse et sine fructu, video frustra spargi doctrinam in populo, cum pauci convertantur et emendent vitia, etc. Hic opus est consolatione piis: quos Dominus noster Iesus Christus ita confirmat et consolatur in hoc textu, iubens ut alacriter pergant fungi ministerio concionentur reliquo coetui, quantumvis exiguo, non deficientium: nec deserant vocationem propter multitudinem canum et porcorum, nec deterreantur aut languefiant animis, etiamsi tales bestiae nolint ipsos audire, aut perseverent in manifestis erroribus atque sceleribus, sed omittant et relinquant ea.

De tertio genere vero, videlicet, de vere credentibus et filiis Dei, postea Dominus inquit: Pauci ingrediuntur per angustam portam. Propter hos paucos, seu propter has reliquias necesse est spargi salutarem doctrinam, in his erit efficax et frugiferum ministerium, his proderunt tui labores in confessione et propagatione Evangelii, iuxta dictum Christi, Iohann. 15.: In hoc glorificatur pater meus, ut fructum copiosum feratis. Item Pauli 1. Corinth. 15.: Labor vester non erit inanis in Domino. Item Esaiae 55.: Non revertetur verbum ad me vacuum, sed faciet quaecunque volui. Sic in parabola Matth. 13. et Lucae 8. de seminante, pars seminis sparsi conculcatur, pars abripitur et consumitur rostris avium, pars inter spinas suffocatur: veruntamen reliqua pars seminis incidit in terram bonam, et fert uberri-

mos fructus. Hoc modo Deus omnibus temporibus colligit, excerpit, ac servat aliquod semen sanctum, et coetum aliquem exiguum: cui ut serviatur, oportet ministros Evangelii non deserere vocationem, sed in officio suaque functione, velut in praesidio ac statione manere, quantumvis fremat reliqua multitudo profana canum et porcorum. Porro ex auditoribus singuli secum deliberent atque constituant, quo in genere seu coetu, et quales velint esse, utrum inter canes et porcos numerari, an ad Dei filios et haeredes aeternae vitae se malint adiungere. Ah quanta et quantopere deploranda miseria est, quod in genere humano tot praestantes dignitate, gravitate, consilio, sapientia Imperatores, Reges, Principes, Pontifices, Cardinales, Episcopi, Praelati, Canonici. Item nobiles et ignobiles, patricii et plebeii, eruditi et illiterati, maxima ex parte revera sunt canes et porci, eo ipso, quod verbum Dei contemnunt, et persequuntur, ac interim studio voluptatum, ambitione, fastu, et ostentatione magnificentiae ruunt contra divinam voluntatem.

Canes et porci, bestiae sunt ignarae Dei, et promissae immortalitatis, seu secuturae vitae post corporum interitum, nec insita est eis lux discernens honesta et turpia, item distinguens naturam sapientem et bonam a bruta et mala natura, sed vivunt et feruntur coeco impetu quodam, prout incitantur aut impelluntur appetitionibus indomitis et bestialibus, quae comitantur consensum. Horum plane similes impii sunt in hac vita, cum nihil studeant aut curent discere seu cognoscere de Deo, de vita aeterna, de venturo iudicio, de poenis peccatorum, cum nec intelligant nec observent discrimen honestorum et turpium, virtutum ac vitiorum, recte ac secus factorum, cum nec invocent Deum, nec iram eius metuant, nec ad eum confugiant, sed coeco impetu pergant laxare frenos et indulgere inordinatis appetitionibus, et furiosis cupiditatibus evagantibus extra metas divinitus constitutas. Ut, tyranni delectantur fastu et ostentatione in pompis, seu apparatibus magnificis, exardescunt et inflammantur cupiditate vindictae, qua accensi movent acerrima certamina, et morsibus appetunt alios tanquam rabiosi canes. Caeteri homines barbari, belluini, Cyclopici volutantur velut in luto scelerum, indulgent helluationibus, ebrietati, luxui, polluunt sese libidinibus, adulteriis, scortationibus, exercent furta, rapinas, et aucupia pecuniae quaerendae iniusta, etc. Veruntamen post hanc vitam erit conspicuum discrimen, et insignis mutatio. Tunc demum utrique discent in aeternis cruciatibus atque suppliciis, et esse Deum, et vere iudicem esse horribiliter irascentem peccato. Tunc cogentur agnoscere ac fateri, se, priusquam opprimerentur morte, bestialiter vixisse canum et porcorum more: sed illic, videlicet inter cruciatus inferorum, non est locus auxilii vel spes ulla liberationis, adeo, ut multo tolerabilius videatur ipsis damnatis, longeque malint, si fieri possit, se prorsus in nihilum redigi, et optent in fumos dissipari animas intereuntes una cum corporibus, quemadmodum canes, porcos, et pecudes exstingui, et computrescere videmus, sed Deus coërcet eos aeternis et horrendis poenis abiectos una cum diabolis, cum quibus se coniunxerunt, et contra Deum conspirarunt.

Haec omnia debetis animo et cogitatione complecti, memoriaque subinde repetere, ut vestrae mentes exsuscitatae ad seriam precationem veris gemitibus petant se a Deo propter Dominum nostrum Iesum Christum Spiritu sancto illustrari, doceri, regi, confirmari, ne fiatis canes et porci, sed ut discatis agnoscere Deum, ut vera lux fidei, firmiter statuens de immortalitate, de secuturo iudicio Dei, de vita et salute aeterna beatorum, fulgeat in cordibus vestris: item ut intelligatis et in omni vita retineatis, ac observetis discrimen honestorum et turpium, seu virtutum atque vitiorum: ac in summa, ut sitis filii et templa seu domicilia Dei, nec abiecti in sempiternas poenas opprimamini cruciatibus, pavoribus, consternationibus atque confusionibus animi horrendis, perpetuis et infinitis. Profecto singuli homines debebant cohorrescere totis pectoribus, ac vere perterrefieri, audita hac voce divinae maiestatis, qua homines impii canibus et porcis assimulantur et conferuntur. Nos vero excitemur et flectamur ad poenitentiam atque salutarem emendationem cogitatione huius picturae seu parabolae sane terribilis, ne et ipsi maneamus porci et canes, ruentes in aeternum exitium. Nam quisquis in hac mortali vita perseverat in contemtu vel odio Dei (ut cum securi helluones superbissime pergunt deridere, aut superstitiosi tyranni non desinunt furenter odisse ac persequi Evangelium) huic multo atrociora et longe horribiliora morienti mala imminent quam canibus et porcis. Pecudes enim

et bruta, prorsus exstinguuntur interitu corporum, nec restant poenae vel supplicia, quibus fugiente vita cadaver possit excruciari. At hominum animae sunt spiritus separabiles, exstinctis corporibus superstites, et rursus copulabuntur resuscitatis corporibus, in quibus antea vixerunt: proinde mortuis hominibus et corpora restituentur, et vita reddetur in corporibus. Illi itaque, qui perseverarunt in contemtu aut odio Dei, revocati ex morte ad iudicium, audient et subibunt una cum diabolis sententiam illam damnatoriam, Matth. 25.: Discedite maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius. Si quis non movetur hac tristi et terribili concione, in eo certum est pertinaciam, amentiam, et furorem a diabolis ita confirmatum esse, ut plane captivus teneatur a blasphemis illis spiritibus.

Praeterea non ignorare oportet, quod etiam in praesenti vita canes et porci tales opprimantur tragicis et atrocibus poenis. An non rabiosi canes, Pharao, Herodes, Nero, Diocletianus, Iulianus, et similes tyranni, tandem summo cruciatu foede misereque perierunt? Nonne porci lutulenti, hoc est, gentes ac urbes impiae, Sodoma, Gomorra, Roma, Asia, Graecia, tristissimis exemplis horribiliter vastatae, direptae ac funditus deletae sunt? Quid quod ante omnium oculos versantur et in conspectu positae sunt poenae quotidianae, bella, fames, tyrannides ac dilacerationes imperiorum, expilationes immodicae, vastationes regionum, et provinciarum. Huiusmodi poenis Deus onerat, castigat, et opprimit canes atque porcos, de quibus hic dicitur, ut ab aliquibus agnoscatur et intelligatur ira divina adversus peccatum, et caeteri non sanabiles tollantur e medio. Hanc brevem commonefactionem iudico sufficere enarrationi huius dicti. Deus clementer adiuvet et accendat corda nostra, ut vere afficiantur his gravissimis Christi concionibus, et flectantur ad conversionem ac emendationem vitae salutarem, Amen.

Petite et dabitur vobis, etc.

Discrimen inter praecepta et promissiones opus est extare, et perpetuo notum esse in Ecclesia: quae quidem admonitio saepe repetitur, videlicet, quod necesse sit discerni praecepta et promissiones. Ac hactenus in proximis his duobus capitibus audivistis erudite declarari quaedam praecepta Decalogi. Nunc orditur Christus concionem de precatione, seu invocatione, quae quidem virtus pertinet etiam ad primum et secundum praeceptum Decalogi. Nam haec opera, videlicet, vera petitio seu oratio, vera gratiarum actio, sunt praecipui et summi cultus, qui Deo praestari queunt, et quibus honor ei tribui potest. Ethnici, et Mahometistae, seu Turcae, possunt etiam regere mores externos honesta disciplina, in coniugio legitimo praestare castitatem, dare eleemosynas, sobrie et temperanter vivere, etc., sed hunc eximium spiritualem et interiorem cultum, scilicet, veram invocationem, et veram gratiarum actionem, nemo potest praestare Deo, praeter solos Christianos, et vera Ecclesiae membra, quae sentiunt initia timoris Dei, fidei, et consolationis aeternae in cordibus, quaeque norunt discrimen inter vere pios et hypocritas.

Ac diligenter observetur hoc loco coniungi praecepta et promissiones: praeceptum de precando, affirmat te debere Deo reddere hunc cultum, ut invoces, ut petas, ut exspectes ab eo auxilium in periculis: Promissio proponit consolationem, et certificat nos, quod invocatio nostra non sit irrita, nec inane et inutile murmur.

Ut autem de hoc tanto tamque necessario opere, de summa virtute, de praecipuo cultu et proprio solius Ecclesiae, ordine, ac fundamentaliter erudiamur, utque veris animi motibus et serio discamus invocationem exercere: repetemus ordine capita praecipua doctrinae de invocatione Dei, quae quidem in hac Ecclesia saepe solent pro concione tractari, et quoad eius fieri potest, fideliter et copiose explicari.

Semper igitur de invocatione haec tria ordine commemoranda familiariterque tenenda sunt.

Primus locus, quid sit invocatio seu precatio.

Secundus, cur facienda, et quas ob causas necessaria sit invocatio.

Tertius, quomodo facienda sit, ut exaudiatur, recipiatur, placeat, sit efficax, rata, et Deo grata.

De primo.
Quid sit invocatio seu precatio.

De definitione invocationis seu adorationis principio scire oportet, quod vocabulum precationis, seu adorationis, seu invocationis Dei complectatur duo opera, videlicet, et petere aliquid

a Deo, et postea pro beneficiis gratias agere. Ac distinctos esse hos gradus inde satis intelligi potest, quod nihil magis est usitatum et prope quotidianum tam erga Deum quam erga homines, quam petere bona necessaria, et exspectare seu accipere velle plurima beneficia, verum pauci sunt grati, pauci gratitudinem suam veris officiis vitae, et voce declarant, sed acceptis beneficiis pro tempore necessariis, postea non magnifaciunt nec celebrant autorem bonorum, sed aut despiciunt, aut velut obliti acceptorum beneficiorum vix agnoscunt benefactorem. Id quod omnes homines bene meriti de aliis quotidie experiuntur. Propterea assuefaciamus nos ad utrumque opus seu officium, videlicet, cum ad petitionem in invocatione, tum ad gratiarum actionem erga Deum exercendam.

Primum autem de priore specie, scilicet, de petitione seu oratione dicemus.

Vix est aliud omnium operum humanorum praestantius, gravius et difficilius, quam ad Deum accedere, et ab eo propter mediatorem petere ac exspectare gratiam seu reconciliationem, corporalia et aeterna bona, auxilium et liberationem in omnibus periculis et necessitatibus.

Nam id demum est petere seu precari, quaerere bona necessaria, et certa beneficia exspectare, non demurmurare aliqua verba sine cogitatione vel attentione, sicut apud Papistas, Monachi, et Moniales seu Nonnae, mira volubilitate linguae totos dies Psalterium emurmurant, nec intelligunt quid agant, aut recitent. Sed ut dixi, petitio est motus animi cupientis aliquid accipere a Deo: ut, cum Moses stans inter undas maris rubri, vidit Pharaonem ducentem instructissimum exercitum accedere, ut opprimat multitudinem Israëlitarum inermem, et promiscuam, virorum, mulierum, ac puerorum trepidantium, et partim mari, partim montibus inclusorum, ibi exsuscitatur ingenti motu animi, ut ardenter et serio clamitet, ut veris gemitibus expetat et cupiat accipere a Deo auxilium et liberationem. Ita praecipitur in hoc textu, ut quaeramus, petamus, pulsemus, addita promissione, omnes petentes accepturos esse, unde liquet vocabulum petendi sic intelligendum esse, ut gratia et auxilium a Deo petantur ac exspectentur. Ac de nomine petendi seu petitionis hactenus. Iam de secundo loco.

De secundo loco.

Propter quos fines et cur facienda sit petitio.

Respondeo: Primum petitio referatur ad gloriam Dei, vult enim Deus hunc honorem sibi tribui postulat, ut discamus agnoscere, quis et qualis sit, quae sit ipsius voluntas, quod non sit inane nomen, non sit ignavus aut otiosus Dominus, cui non sint curae res humanae, cui nihil sit negotii seu familiaritatis et conversationis cum hominibus. Nam quisquis ad hunc modum cogitat: Nescio an Deus audiat et recipiat meas preces, sibi fortassis bonus est. Sed cur me respiceret? quamobrem curaret meum murmur? Cur erga me beneficus esset? Is vero re ipsa indicat Deum esse numen iners, ignavum et somniculosum, ac interim quaerit praesidia, et implorat auxilia hominum aut aliarum creaturarum. Quemadmodum Saul in extrema desperatione, et summo periculo, atque discrimine consulit veneficam seu Pythonissam, manes ex Orco educentem, id est, confugit ad diabolum. Talis homo, aut Epicureus, aut desperabundus, omittens invocationem, non tribuit Deo debitum et proprium honorem, quem peculiariter flagitat ipse Dominus Deus inquiens: Dominum Deum tuum vivum et verum adorabis, et illi soli servies.

Quare primo meminerimus precationem seu petitionem severissime praeceptam et ordinatam esse, principaliter, propter agnitionem Dei, ac ideo necessario faciendam, ut Deus vere agnoscatur. Nam omittentes invocationem, aut dubitantes an Deus velit invocari, et an curet nostras preces, ignorant quid sit Deus, et utrum dormiat, an vigilet.

Secundo, petitio facienda est necessario nostrae utilitatis seu necessitatis et indigentiae causa. Quantis enim singuli sumus assidue cincti, impliciti, et velut immersi difficultatibus, insidiis, miseriis ac periculis humano consilio inextricabilibus! Premimur mole peccati, oneramur poenis, castigamur morbis, bellis, fame, excidiis regnorum et urbium, in media denique morte versamur, detinemur ac haeremus. Ac si in tanto concursu calamitatum et varii generis aerumnarum non esset homini proposita divinitus consolatio, neque spes mitigationis, auxilii et liberationis: non possemus non frangi animis, imo perpetuis angoribus conficeremur, et opprimeremur desperatione. Sed ut erigerentur corda, nec

succumberent doloribus in tanta mole tristissimarum miseriarum, patefecit Deus inenarrabili bonitate immensam misericordiam suam erga genus humanum, ac prodiens ex arcana et aeterna sede sua, hanc vocem sonat: Ego verus aeternus et omnipotens Deus ipse vos exaudiam, respiciam, consolabor, sustentabo, iuvabo, eripiam et liberabo in omnibus periculis, difficultatibus, miseriis et aerumnis: sicut affirmat Psalmo 50.: Inveca me in die tribulationis, et eripiam te.

Ecce, sic secundo loco necessaria est precatio et invocatio, nostra causa, seu propter nostram salutem ac utilitatem, ut videlicet certo sciamus, quo confugere, ubi acquiescere, unde consolationem et auxilium petere, exspectare, certoque consequi et accipere possimus atque debeamus. Etenim hoc ipso fine ac consilio pluribus et durioribus calamitatibus exercetur, oneratur, ac premitur vera Ecclesia, quam reliqua pars generis humani, ut exsuscitata sensu malorum, plures habeat causas clamandi ad Deum, et implorandi auxilium Dei, utque sciat Deum praesentem adesse in afflictionibus, velle nobiscum versari, nobis opitulari, nec deserturum nos, nec permissurum esse, ut mergamur, succumbamus, obruamur.

Etsi autem tanta durities est magnae multitudinis hominum profanorum et efferatorum, ut nec domesticis ac propriis, nec publicis atque communibus miseriis afficiantur, aut perturbentur, sed secure pergant helluari, et frenos laxari coecis cupiditatibus, parum soliciti (ut apud Germanos vulgo dici solet) vel de utilitate annonae, vel de inopia et caritate rei frumentariae: tamen tanta mole poenarum, cervicibus nostris impositarum, et imminentium hoc tempore, premimur, urgemur et fatigamur, ut necesse sit multos conspectu ac sensu tot acerbissimarum calamitatum vehementer angi et commoveri animis. Bellorum et famis saevitia versatur ante oculos et ora vestra: meministis incendia, quibus intra biennium tot oppida et pagi in hac vicinia conflagrarunt. Huc accedunt confusiones regiminum, difficultates in gubernatione: quae mala indies augentur et cumulantur.

Praeterea crescit rabies hostium Evangelii et atrocioribus exemplis renovatur Ecclesiarum persecutio. Quid? quod ingeniorum petulantia et perversitate finguntur, sparguntur et defenduntur opiniones monstrosae, accenduntur dissidia venenatis calumniis? et plus quam Sinoniis artificiis animi et voluntates distrahuntur, factiones ac sectae perniciosae quotidie plures exoriuntur, foventur atque confirmantur? Quibus furoribus irritatur, et cumulatur ira Dei, laxatur publica disciplina, augetur et confirmatur barbaries Cyclopica, securitas impia, et Ethnica profanitas, praesertim in rudi vulgo et stolida iuventute. Adhaec Turci latrones paulatim longius grassantur, et quotidie propius ad nos accedunt. Denique singuli fere homines in suis familiis et aedibus exercentur multiplici genere calamitatum, oppressi iam inopia, iam morbis, iam aliis aerumnis, ut infelicitate liberorum, infamia, orbitate, iactura rei familiaris aut aliis modis.

Hanc immensam molem periculorum et miseriarum tenentes in conspectu moveamur animis, ad quaerendam ac serio petendam consolationem, opem et liberationem divinam. Ex hac igitur commonefactione potestis intelligere, et necessariam esse precationem, et quas ob causas necessaria sit.

Accedo igitur ad tertium locum, qualis debeat esse oratio seu precatio, ut Deo placeat, ut exaudiatur, ut sit efficax: ad eam rem necessaria est praecipue horum quinque locorum consideratio.

Prima commonefactio: cogitandum est quid invoces, quem Deum, et ubi patefactum velis alloqui.

Secundus locus, consideratio praecepti seu mandati divini severissimi de invocatione.

Tertia consideratio est promissionis.

Quarta consideratio est de fide.

Quinta consideratio est rerum petendarum, ne petitio sit inanis et otiosa recitatio, seu βαττολογία, sed ut cogitetur, quae bona seu beneficia, tum corporalia tum spiritualia Deus velit a se peti, et quo ordine petenda sint.

Redeo igitur ad primum locum: Quis alloquendus sit in precatione, et ad quem mens debeat esse directa, videlicet ad verum Deum distinctum a commentitiis numinibus agnitione filii missi Domini nostri Iesu Christi.

Ethnici, Mahometistae, et omnes aliae gentes extra veram Ecclesiam, tantum fundunt inanes sonos, qui mox in aërem sparsi, dissipantur, ac evanescunt. Vagantur enim cogitationibus, ignorantes, quid agant, aut quem compellent: ut

alius invocavit Iovem, alius Iunonem, hic divum Christophorum, ille S. Annam. Ita omnibus temporibus idola culta, et cumulata sunt ubique gentium, et semper in magna multitudine generis humani manent semina diabolicarum superstitionum. Adversus hoc triste et horribile peccatum clamitat Deus his ipsis verbis, Deut. 6.: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Quocirca necesse est precantem cogitare, quid, et quem Deum compellet ac alloquatur.

Et discernenda est nostra invocatio ab Ethnicorum, Iudaeorum, Turcarum, hypocritarum et haereticorum invocatione. Nec pingamus in mentibus nostris idolum Dei, quale volumus ipsi, sed cor intueatur fide hunc verum, vivum et unicum Deum, qui se patefecit per filium suum Dominum nostrum Iesum Christum: quemadmodum Dominus ipse docet, Iohann. 14.: Nemo venit ad Patrem nisi per Filium. Quare ut commonefacias te de tribus personis et earum beneficiis, saepe cogites ac recites hanc formam inter precandum.

O omnipotens, aeterne, vive, et vere Deus, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, creator coeli et terrae, et Ecclesiae angelicae et humanae, una cum dilecto filio tuo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, Paracleto, etc. Te oro et invoco supplex propter mediatorem et propitiatorem Dominum nostrum Iesum Christum, miserere mei, remitte mihi peccata, rege et sanctifica me Spiritu sancto tuo, mitiga mihi aerumnas, adsis et opituleris mihi in his miseriis et periculis, in quibus iam versor, etc. Interdum etiam tuum baptismum cogitato, et formam verborum, quam tradidit ipse filius Dei, attente considera. In tuo baptismo facta est talis invocatio, quae illustri discrimine distinguens verum Deum ab omnibus commentitiis numinibus, quasi conspicua nota te seiungit ab omnium aliarum gentium et sectarum hominibus: teque docet compellare, alloqui, et vere agnoscere hunc verum Deum, scilicet, aeternum Patrem Domini nostri Iesu Christi, et Patris coaeternum filium, qui pro te victima factus et constitutus est mediator ac interpellator assiduus, et Patri ac Filio coaeternum Spiritum sanctum, qui te regit et sanctificat ad vitam et salutem aeternam.

Haec breviter dicta sint de primo loco. Nunc vos ipsi perpendite, quam sit horrendum scelus, reiecto vero Deo, confugere ad homines mortuos, aut fingere numina, quae non sunt, et idola compellare.

Secunda commonefactio: Considerandum est praeceptum seu mandatum Dei severissimum de invocatione. Quanta haec est bonitas! quod Deus ipse non solum nos invitat, sed etiam severitate quadam cogit et impellit, ut ab ipso petamus et exspectemus auxilium in periculis: imo docet hunc esse summum cultum et honorem, qui sibi potest tribui, scilicet, si vero gemitu cordis ad ipsum confugiamus, ab ipso bona petamus, apud ipsum mitigationem, auxilium ac liberationem quaeramus.

Ah non simus adeo duri ac ferrei, sed tribuamus Deo hunc honorem, ut imploremus eius opem et misericordiam.

Hic debetis nosse ac in conspectu tenere aliquot sententias praecipientes invocationem, quae inter precandum saepe vobis in mentem veniant: ut in hoc textu, dictum: Petite, quaerite, pulsate. Item Psalmo 50.: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te. Item Lucae 18.: Dominus inquit, oportet semper orare, et non defatigari. Matth. 26.: Vigilate et orate, ne intretis in tentationem. Horum et similium dictorum cogitatione seu recitatione nosmet ipsos exhortemur, exsuscitemus, ac velut impellamus et exstimulemus ad invocationem. Nec indulgeamus trepidationi nostrae, cogitantes aut contentiose disputantes: Quid prodest invocare? aut, cur Deus curaret meos gemitus? cur reciperet meas preces, cum sim indignus et male meritus? Huic incredulitati et indignitati nostrae opponamus mandata severissima, quae iubent precari, quae affirmant Deum velle hoc modo coli. Quare sciamus hoc opus et hunc cultum maxime necessarium esse, ac ingens peccatum esse non reddere hunc cultum, nec hanc obedientiam Deo praestare.

Tertia commonefactio: Sed ut statuamus nostros clamores et gemitus non irritos, nostram invocationem non inane murmur esse, necesse est nos in omni precatione quaerere, et intueri promissiones, in quibus patefecit ac revelavit Deus suam voluntatem, in quibus asseverat et sancte promittit, se velle nos exaudire, recipere nostras preces, nobis opitulari, praestare quae petimus, nosque eripere ac liberare ex miseriis ac aerumnis. Ita in praesenti textu, seu lectione, Dominus expresse addidit universalem: Omnis, qui petit, ac-

cipit. Item, Ioh. 16: Amen, amen dico vobis: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hic ponitur promissio confirmata iureiurando filii Dei. Haec tanta asseveratio corrigat dubitationem, erigat animos, ut credant promissioni, ac firmissime statuant, quod certo velit nos Deus exaudire, quod invocatio nostra placeat ei, nec sit irrita, quod vere velit bona aeterna et temporalia dare, et quidem vult sibi tribui laudem veritatis.

Iam familiarissime nota sit, et assidue circumferatur animis doctrina de distinctione ac ordine promissionum. Initio nobis proponamus primam et summam promissionem, videlicet, promissionem gratiae seu reconciliationis et vitae aeternae gratis dandae propter mediatorem Christum: ac sciamus certo mandatum Dei esse in vera conversione seu poenitentia, primum et petamus, et fide accipiamus hoc, ut summum bonum, videlicet, remissionem peccatorum et reconciliationem seu acceptationem ad vitam aeternam promissam propter Christum: hanc statuamus certo donari nobis accedentibus ad Deum fiducia Christi mediatoris, iuxta illud Abac. 2. Rom. 1. Gal. 3.: Iustus fide sua vivet. Item Matth. 11.: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Item Luc. 11.: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Item Ezech. 33.: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Vides hanc vere esse perpetuam Evangelii vocem, ut accedamus ad Deum fiducia mediatoris, ut promissioni gratiae certo assentiamur: quae quidem et iuramento et sanguine filii Dei confirmata est: hanc vult Deus accipi et retineri etiam omnibus bonis corporalibus amissis, iuxta dictum Iob 13.: Etiamsi occidet me: tamen sperabo in eum. Veruntamen vias meas coram eo arguam, et ipse erit Salvator meus, nec intrabit coram eo ullus hypocrita. Imo non possunt alia bona seu beneficia peti, nisi praelucente promissione gratiae, iuxta dictum Christi, Iohann. 14.: Nemo potest accedere ad Patrem, nisi per Filium. Item Iohann. 16.: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et ad Hebr. 4.: Habentes Pontificem Iesum, accedamus cum fiducia ad thronum gratiae. Frustra peteret David victoriam, nisi simul peteret remissionem peccatorum.

Postquam autem de reconciliatione commonefacti sumus: deinde considerentur promissiones de bonis necessariis in hac vita, ac sciamus a Deo petenda et exspectanda esse beneficia corporis, et preces eas non irritas esse, sed semper impetrare aliqua bona, imo certo impetrare vel liberationem vel mitigationem corporalium aerumnarum: ac Deo curae esse Ecclesiam, etiamsi alia membra aliter exercet. Quia enim voce Evangelii, et non aliter Deus semper colligit Ecclesiam in hac vita, tribuit etiam aliqua vitae spatia, et politias et oeconomias, ideoque dictum est, 1. Timoth. 4.: Pietas promissionem habet praesentis vitae et futurae. Item Matth. 6.: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Item Psalmo 115.: Non mortui laudabunt te Domine etc.

Quarta consideratio est de fide petente fiducia filii Dei mediatoris aeterna bona et praesentia: ideo enim traditae sunt promissiones, ut in invocatione fides accendatur. Et, ut iam de ordine seu distinctione promissionum dixi, ita primum hic sciendum est, oportere in omni precatione praelucere hanc fidem, quae statuit te propter filium Dei recipi et exaudiri: ut Ephes. 3. dicitur: Per quem audemus accedere cum fiducia per fidem in ipsum etc. Nec tantum in hoc initio consolationis luceat fides, videlicet, ut statuat nos recipi, placere Deo, accipere remissionem peccatorum, et audiri nostros gemitus: sed etiam accedat firma spes, qua exspectemus vel mitigationem vel liberationem in hac vita, etiamsi differtur auxilium, et morae longitudo languefacit animum, sicut Abac. 2. praecipitur: Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit.

Deinde discernendae sunt res quae petuntur. Aut enim fides petit bona spiritualia, de quibus nominatim et specialiter expressa est voluntas Dei, quod haec ipsa bona nominatim sit daturus, et quod velit ea sine conditione peti, ut reconciliationem et vitam aeternam, gubernationem animae, donationem Spiritus sancti, liberationem ab impietate et morte aeterna: haec, inquam, beneficia propria Evangelii et aeterna, oportet fidem in specie ac nominatim petere et exspectare sine conditione. Quia est aeternum et immutabile mandatum Dei omni tempore, ut ad ipsum convertamur et petamus remissionem, ac statuamus nos certo recipi gratis propter filium Dei, non propter propriam dignitatem, aut ullas virtutes et actiones nostras, id qui non credunt, ma-

nent hostes Dei, eumque mendacii accusant, et contumelia afficiunt, iuxta dictum Ioh. 3.: Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum.

Aut fides petit bona corporalia, quae non eodem modo dantur omnibus, et in quibus petendis debemus offerre nos et parati esse ad obedientiam, si non liberemur in hac vita, ut vellemus: de his, inquam, corporalibus bonis, fides in genere petit mitigationem, quia scit Ecclesiam oportere subiectam esse cruci: ideo de re ipsa, quae nominatim petitur, non statuit sine conditione. Ut David 2. Reg. 15. petens se reduci in regnum petit cum conditione, si Deo placet, id est, offert Deo obedientiam suam, si eum non vult reducere, non repugnat voluntati divinae, sed vult liberari, cum Deo placebit, iuxta dictum 1. Petri ult.: Humiliamini sub potenti manu Dei. Et tamen haec fides, petens et exspectans beneficia corporis cum conditione, statuat exaudiri petitionem bonorum corporalium, et nunquam irritam esse precationem, etiamsi Ecclesia est subiecta cruci, et singuli debemus obedientiam Deo in poenis et aerumnis corporalibus iuxta illa dicta Psalm. 145.: Prope est Dominus omnibus invocantibus eum in veritate, voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet. Et Matth. 21.: Omnia quae petitis in oratione credentes accipietis. Nominatim igitur de corporalibus aerumnis petamus aut liberationem, aut mitigationem. Impetrat enim precatio, vel ut poena tollatur, vel ut mitigetur: ut Iob, David, Manasses trepidanter rogatus, sed rogatus tamen, depulit, aut mitigavit ingentia mala? Sic Prophetae de mitigatione precantur, Ier. 10.: Domine in iudicio tuo corrige me, ne ad nihilum redigas me. Et Esa. 64.: Ecce nos lutum tuum etc. ne irascaris Domine valde. Item Psalm. 78.: Non accendit totam iram suam. Item Psalm. 130.: Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? id est, si poenas omnes exsequi velles, subito omnes exstingueremur. Et quidem in tali precatione singuli non solum pro sese petant, sed primum pro toto corpore Ecclesiae: id oremus servari, etiamsi singula membra parata esse debent ad obedientiam, si quid erit tolerandum, aut si non respondeant eventus, sicut nos optaremus. David orans pro exercitu, victoriam petit, ut Ecclesia sit incolumis: interim scit aliquos venire in periculum, aut interfici, et suam obedientiam offert. Nec precatio eius irrita est, recipitur enim a Deo, et impetrat multis mitigationem mali. Ac vult Deus in precatione nos affici aliorum, et totius Ecclesiae cura: ideo scriptum est Psalm. 122.: Rogate quae ad pacem sunt Hierusalem.

Quinta et postrema commonefactio est de rebus petendis, id est, ut in petitione exprimantur aliquae res necessariae nobis, Ecclesiae, reipublicae, nostris familiis, et aliis, pro quibus petimus. Sunt autem res petendae, res non prohibitae mandatis Dei, sicut Iohannes Apostolus inquit 1. Ioh. 5.: Quicquid petieritis secundum voluntatem eius, dabit vobis, id est, non sunt res petendae prohibitae a Deo: non petat Saul tolli Davidem, non petat David interfici Uriam, sed petant res necessarias, quarum petitio congruit cum Decalogo, et cum divinis promissionibus. Loquuntur autem aliae promissiones de bonis spiritualibus, aliae de bonis corporalibus, sicut de distinctione promissionum paulo ante dictum est.

Ac vult Deus exerceri fidem et invocationem etiam petitione corporalium rerum, iuxta dictum: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: vult a se peti consilium, successus in vocatione: et caetera vitae commoda. Et quidem de vocatione dicitur Ioh. 15.: Sine me nihil potestis facere.

Suntque praecipuae causae quatuor, propter quas praecipit Deus, ut petamus corporis bona, quarum prima est: ut agnoscamus, et certo statuamus, non dominari casum in his bonis externis, nec ea temere seu fortuito spargi, et in medium diripienda abiici, sed singulari consilio Dei et singulari modo dari, distribui et servari, praesertim in Ecclesia: propter quam toti generi humano natura rerum servatur, ut Christus clare dicit Matth. 6.: Scit Pater vester coelestis vobis opus esse defensione corporum. Item, multis passeribus meliores estis.

Secunda causa est, cur ea peti Deus velit: ut sciamus ipsum servaturum esse Ecclesiam, etiam in hac vita, et cogitemus in hac mortali vita oportere inchoari Ecclesiam, iuxta dictum Psalm. 115.: Non mortui laudabunt te Domine. Itaque non solum nostra causa petantur bona corporis, sed et propter communem Ecclesiae necessitatem: singuli petamus mitigationem miseriarum, ut servire Ecclesiae possimus, et propter hanc causam sciamus, Deum haec beneficia velle largiri, sicut saepe testatur, ut cum ait Christus Matth. 6.: Pri-

mum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis.

Tertia causa est, ut fides et invocatio exerceantur in quotidiana necessitate, in petenda pace, victu, bona valetudine, successibus in gubernatione. Ita milites petant successus in praelio, senatores sapientiam in dando consilio et gubernatione, doctores et discipuli in studiis, etc. Ut Deus in his bonis innotescat, ac exerceantur fides, invocatio, et gratiarum actio pro beneficiis.

Quarta causa, quia Deus vult, in his exercitiis petendarum rerum corporalium, confirmari et accendi alteram fidem spiritualem, de promissione aeterna, seu de reconciliatione: servantur enim corpora, familiae, politiae, ut colligatur aeterna Ecclesia. Ideo semper regula tenenda est: In petitione corporalium bonorum oportere praelucere fidem, quae accipit promissionem gratiae, seu qua accipitur remissio peccatorum gratis propter Mediatorem: per quem et propter quem in hac vita quoque servatur Ecclesia, iuxta dictum Pauli 2. Corinth. 1.: In Christo omnes promissiones sunt ratae.

Ordo igitur rerum petendarum talis est: Primum petamus remissionem peccatorum et reconciliationem, et cum his bonis lucem Spiritus sancti accendentem et confirmantem in nobis agnitionem Dei, fidem, timorem, tolerantiam, dilectionem, invocationem, castitatem, etc. Denique regentem nos, in vocatione, et in omnibus consiliis, in docendo, in regenda republica. Secundo loco petamus et bona corporalia, communia et privata, pacem earum regionum, quae Ecclesiis et piis studiis hospitium praebent, fertilitatem agrorum, tempestates foecundas, bonam valetudinem, victum, successus in administratione nostra politica et oeconomica, defensionem liberorum, famae, possessionum, honestam civitatum disciplinam, et tranquillum regimen civile, ut 1. Timoth. 2. dicitur, ut tranquillam et quietam vitam agamus in omni pietate et honestate.

Huc addenda est admonitio de mora et de modo liberationis: quia fidem inprimis exercent duae circumstantiae in petendo, videlicet: modus et tempus, ut, Moses nihil minus cogitat, quam se quadraginta annis cum tanta multitudine in tantis aerumnis in deserto vagaturum esse. Sed sperat fortassis unius mensis iter fore. Sic longe aliter liberati sunt Ioseph, Ionas, et plurimi omnibus temporibus, quam ipsi cogitaverunt. Vult enim Deus suam praesentiam agnosci in Ecclesia, et a se peti et exspectari auxilium, vult exerceri fidem, invocationem et spem, nec vult consilia humana, seu cogitationes humanas dominari in gubernatione vitae: sed vult sciri, Ecclesiam divinitus regi, sicut Psalm. 4. inquit: Mirificat Dominus sanctum suum, id est, non humanis consiliis liberat Deus, sed mirandis modis, quos non potest humana ratio prospicere. Non igitur dat eventus mox: et iis modis, quas cogitat humana ratio: sed exercet nos, ut fide ab ipso pendeamus, non regamur nostris opinionibus, ut, quanquam promiserat *Deus* se servaturum esse stirpem Iuda, donec nasceretur Messias, tamen erant inanes imaginationes hostium Ieremiae, qui disputabant, non posse deleri templum et politiam eius temporis; poterat enim Deus aliter et servare, et restituere eam, quam ipsi cogitabant. Sed regula tenenda est de circumstantiis: Abacuc. 2.: Si moram fecerit, exspecta eum, quia veniens veniet, et non tardabit. Item, Lucae 18. in exemplo de iudice segni et vidua, ubi additur: Oportet semper orare et non languefieri. Non igitur nostrum est praescribere Deo modum et tempus, sed haec ipsius consilio prorsus commendanda sunt, ut oculi nostri interim non res ac eventus, sed Deum intueantur, et accendamur ad invocationem. Huius regulae exemplum illustre extat in historia Iudith cap. 8., ubi Iudith obiurgans cives, qui dies quinque Deo praefinierant, inquit: Qui estis vos, qui tentatis Dominum, posuistis tempus miserationis Domino. Huc pertinet dictum Iosaphat, 2. Paral. 20.: Cum nescimus quid agendum sit, oculi nostri respiciunt ad te Deus noster. Ac haec ipsa sententia cum dulcissimam consolationem contineat, semper in conspectu insit omnibus ambiguis, quae humanis consiliis extricari non possunt: cuiusmodi valde multa homini accidunt.

Postremo: Quoties de precatione cogitamus, adiungatur gratiarum actio, quae in genere est professio, unde sit acceptum beneficium, et obligare sese ad mutua officia. Nam duae summae virtutes comprehensae sunt in ea, quae nominatur gratitudo, videlicet, veritas et iustitia: veritas agnoscit unde profectum sit beneficium, et autorem celebrat: iustitia obligat ad mutua officia. Ergo ingratus, et mendax et iniustus est. Vult autem Deus ab hominibus intelligi gratitudi-

nem, ut eam erga ipsum praecipue exerceamus, et simus erga ipsum veraces et officiosi. Ac sicut petitionem in invocatione postulat, ut agnoscamus esse Deum, et esse omnipotentem, praesentem et opitulatorem, ut in tali agnitione se nobis communicet: ita gratiarum actionem postulat, ut perseveret haec vera agnitio, ut deinceps etiam sese nobis communicet, ideo Paulus inquit 1. Thessal. ultimo: Incessanter orate, in omnibus gratias agite.

Est ergo gratiarum actio erga Deum, veritas, quae profitetur accepta esse a Deo beneficia, et vere esse Deum, esse omnipotentem, praesentem et opitulatorem. Et est opus iustitiae, qua te obligas ad officia Deo grata. Cum igitur mendacium et iniustitia sint horribilia peccata: manifestum est ingratitudinem erga Deum esse horrendum scelus, ut, cum Alexander Macedo cogitat casu aut sua virtute partum esse regnum, nec fatetur a Deo datum esse, mendax est, et quidem contra Deum: postea fit iniustus non reddens Deo officium debitum, cum iubet sese adorari ut Deum. Magna autem et turpis ingratitudo est omnium hominum adversus Deum, accipimus a Deo vitam, ingenia, educationem, victum, literas, Evangelium, Ecclesiam, politias, et quotidie multa beneficia, saepe defendimur adversus diabolum, depulsis eius insidiis per filium Dei, quas nos prorsus ignoramus, saepe iuvamur divinitus, cum ne quidem petimus auxilium: interim securi ludimus, aut quaerimus voluptates, et casu offerri nobis bona disputamus, non agnoscimus Deum beneficii autorem esse, fingimus casu pericula depulsa esse, non studemus retinere benevolentiam Dei, non ostendimus nostram gratitudinem celebratione benefactoris et nostra obedientia, sed iram accendimus nostra petulantia. Haec mala deploremus, et nos emendemus, et cum beneficia Dei agnovimus, fateamur ea nos a Deo accepisse, nec petulanter excutiamus Deum custodem et opitulatorem: sed ei placere studeamus, et gratitudinem nostram veris officiis vitae, et voce celebremus, nominatim gratias agamus quolibet tempore pro recenti beneficio tunc accepto, narremus item apud alios, ubi sumus adiuti ac liberati, ut alii ad agnitionem Dei invitentur. Gratum Deo munus est per sese gratitudo, sed postulatur etiam exempli causa. Ideo Paulus dulcissime hortatur, ut multi pro se orent, quo plures postea pro accepto beneficio gratias agant. 1. Corinth. 1. significans gratiarum actionem praecipuum esse sacrificium et Deo gratissimum, et eo a pluribus faciendum: quia Deus a multis agnosci et celebrari se magis postulat, et cum multi celebrant acceptum beneficium, exemplum fit illustrius, et plures alii invitantur ad invocationem, timorem et fidem. Cum igitur gratiarum actio sit necessarius cultus, plerumque praecepta coniuncta sunt de petitione et gratiarum actione, quia utraque necessaria est ad agnitionem Dei, Psalm. 50.: Invoca me in die tribulationis tuae, et eripiam te, et glorificabis me. Item 1. Tim. 2.: Adhortor primum omnium, ut fiant deprecationes, vota seu petitiones, interpellationes pro aliis, et gratiarum actiones pro omnibus hominibus, etc. Certe, cum exstinguitur agnitio Dei in ingratis, Deus desinit se eis communicare. Sicut plerumque securi homines post accepta beneficia ludunt talibus cogitationibus: Fortassis casu liberatus es, etc. Ita amittunt agnitionem Dei, et praesentiae Dei, cum sequenti commemoratione, ac professione alere et confirmare agnitionem Dei, et fidem deberent.

Ingens labor est piis mentibus etiam post acceptum beneficium retinere hanc sententiam, vere nos a Deo adiutos et servatos esse. Ideo cum Dei beneficiis pericula nostra depelluntur, ut saepe fit teneamus in conspectu sententias, quae nos confirment, ut agnoscamus, nos a Deo adiutos esse ut Psalmo 34.: Iste pauper clamavit ad Dominum, et Dominus exaudivit eum. Psalmo 116.: Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Psalmo 127.: Nisi Dominus aedificaverit domum, etc. Agnoscamus igitur humanis consiliis ac praesidiis non posse pericula omnia discuti, sicut clare inquit Ieremias cap. 10.: Scio Domine, quod non est hominis via eius, neque viri dirigere gressus suos. Et Psalm. 27.: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Quam multa Moisi, Samueli, Davidi, Ezechiae, denique omnibus gubernatoribus accidunt inextricabilia humano consilio? Ergo, ut illi, regi nos ac iuvari a Deo petamus, et exitus cum sunt placidi, fateamur quod res est, a Deo nos adiutos ac defensos esse, et hac commonefactione autorem et gubernatorem beneficii celebremus.

Omnis qui petit accipit.

Audivistis proxime communem doctrinam de invocatione seu precatione, quae in hac Ecclesia

saepe repeti solet: propterea, quod singuli indigemus hac commonefactione seu repetitione, ut quotidie inter precandum capita seu locos, de quibus admonui, consideremus animo: inprimis autem intueamur dulcissimam promissionem toties a Deo repetitam, ut firmissima fide statuamus, Deum velle nos clementer exaudire propter filium, et propterea confugiamus ad ipsum, et ab ipso exspectemus auxilium.

Ac in proxima concione collegimus aliquot sententias promissionibus amplissimis invitantes ad invocationem, ut dictum Ioh. 16.: Amen, amen dico vobis: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Hanc et similes sententias crebro meditantes animis proponite, sed in primis inter precandum sint vobis in conspectu, ac cogitate Deum veracem esse, nec putate, tot clarissimas promissiones inanes sonitus esse. Sunt enim severissimae voces divinae Maiestatis, quae his ipsis verbis patefacit ac revelat nobis suam bonam voluntatem, et immensam misericordiam erga nos: toties addito iureiurando, ut certo statuamus absque ulla dubitatione recipi nostras preces, nec irritos esse gemitus atque clamores nostros, modo ut hunc honorem Deo tribuamus, videlicet, ut credamus Deum velle nos propter filium exaudire, credamus veracem et servantem esse suarum promissionum, velle nostros gemitus et clamores recipere, ac nobis opitulaturum esse. Ita in praesenti textu saepe promissio repetitur ac inculcatur: Petite et accipietis, quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis qui petit accipit.

Ac diligenter observandum est hic additam esse particulam universalem *omnis*. Quia corda singulorum obstrepunt, clamitant et anxie disputant, contra hanc universalem: Ah tot millia hominum ubique gentium omnibus temporibus recitant preces, nec tamen exaudiuntur: item textus inquit in Iohanne cap. 9.: Peccatores Deus non exaudit. Quantumvis igitur ego et alii peccatores diu multumque clamemus, tamen hoc unico responso tanquam telo repellimur: Deus peccatores non exaudit. Quaeritur ergo, quomodo congruat altera sententia Iohann. 9. cum hoc dicto: Omnis qui credit, accipit? Responsio. Primum de peccatoribus sciendum est, discernenda esse genera peccatorum. Alii enim sunt peccatores, qui securi et volentes perseverant in peccatis contra conscientiam, seu manifesta pertinacia retinent propositum peccandi, nec volunt agere poenitentiam, quales sunt Pharao, Saul et multi alii Epicurei, profani, hypocritae et contemtores Dei passim omnibus aetatibus, qui retinent propositum violandi mandata divina contra conscientiam, nec convertuntur ad Deum. De his proprie et verissime dicitur: Peccatores Deus non exaudit. Item Proverb. 28.: Qui declinat aures suas, ne audiant Legem, eius oratio est exsecrabilis abominatio. Hic audis veram et germanam interpretationem prioris dicti: Qui avertit aures, nec vult audire verbum Dei, hoc est, qui superbe et contumaciter perseverat in contemtu Dei sine poenitentia, ut qui non volunt abiicere cultus idolorum, vitare libidines et adulteria, omittere iniustas persecutiones, huiusmodi peccatores nec exaudiuntur, et precatio eorum vere est exsecrabilis abominatio. Ergo minime debemus in hoc numero reponi, vel huic generi peccatorum annumerari velle.

Alii vero sunt peccatores, qui ad Deum convertuntur, nec retinent propositum delinquendi, seu non perseverant in peccatis contra conscientiam, sed habent initia poenitentiae et salutaris emendationis, vere expavescunt agnitione iudicii et irae Dei adversus peccata, abiiciunt malum propositum, desinunt ruere contra conscientiam: ac habent in corde accensam scintillulam fidei, qua erecti quaerunt consolationem, ac petunt remissionem peccatorum, statuentes se propter mediatorem exaudiri. Tales peccatores sunt David, Petrus, emendatus latro in cruce etc. Hi reponantur in hoc numero, de quo Dominus ipse clamitat Matth. 11.: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Ecce hic quoque ponitur expresse universalis particula Omnes: veruntamen, Omnes, hoc loco non comprehendit securos, arrogantes, superbos, feroces contemtores, qui volentes indulgent omnibus furoribus, sed pavidos, et afferentes ad Deum cor contritum, deplorantes suam immunditiem, ac magna solicitudine vitantes lapsus contra conscientiam. His omnibus promittitur, offertur, atque donatur gratia seu reconciliatio gratuita, et consolatio seu vivificatio. Eodem modo debes in praesenti textu intelligere universalem particulam Omnis, de omnibus pavidis et contritis, qui habent initia poenitentiae. His omnibus proponitur, ac offertur gratia, seu remissio peccatorum, salutaris consolatio, et auxilium, atque liberatio in verbis iuramenti divini Ezech. 33.: Vivo ego: nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Alia obiectio.

Sed pergis obiicere: Attamen ego sum peccator. Id certe negandum non est: sed cum conversus ad Deum, seu agens poenitentiam credis et acquiescis in Deo fiducia Mediatoris, iam peccata tua in Dominum Iesum Christum translata sunt, et Deus vult, ut ad ipsum accedas, et confugias ducente filio, ac exspectes atque petas gratuitam remissionem, et auxilium divinum, per et propter Christum, non propter propriam dignitatem, aut tuas virtutes, aut tuas actiones.

Nec deterrearis ab invocatione propter multitudinem peccatorum et magnitudinem infirmitatis tuae: sed proponito tibi expressum, manifestum et universale mandatum Christi, Matth. 11.: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Nec mergamur in tenebras, aut perturbemur falsis speculationibus, et deliramentis imaginationum, de particularitate: quasi non pertineat ad nos haec consolatio, nec nos simus in eorum numero, quibus offert Christus misericordiam, seu gratiam, et consolationem. Sed diligenter memineris ac infigas animo particulam universalem *Omnes*, quae saepissime repetita est in concionibus Christi, Prophetarum et Apostolorum, quemadmodum eadem in Propheta Ioel capite 2. ponitur: Omnis qui invocat nomen Domini, salvus erit. Item Iohann. 3.: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, ut Omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Item Rom. 10.: Idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant eum: et paulo ante praecedit: Omnis qui credit in eum, non confundetur. Horum manifestissimorum testimoniorum magnus est numerus in Scriptura, quae quidem studiose colligere, attente considerare, et diligenter memoriae infigere decet, ut his universalibus dictis excitetur et confirmetur fides vestra, et sciatis vos esse membra huius coetus, et comprehendi in hoc ipso numero invocantium, quos Deus certo vult exaudire ac respicere.

Iam accedamus ad sequentia verba, quae continent huius promissionis explicationem seu declarationem dulcissimam et plenissimam consolationis. Dominus addit parabolam seu similitudinem.

Si filiolus petit a parentibus frustum seu fragmen panis, ecquid pater aut mater lapidem ei dabit? etc.

Scitis autem, quam sit verus et ardens amor, quam dulcis et expressa storge in parentibus erga natos, adeo ut in fame, morbis, atque calamitatibus liberorum pater ac mater sentiant ingentes, acerbissimos et inaestimabiles animi dolores, id quod experientia in plurimis hominibus testatur atque confirmat. Ac vult Deus corda nostra tam acribus dolorum stimulis excruciari propter infelicitatem liberorum, ipsasque storgas ideo naturae hominum impressit, ut sint illustres commonefactiones de immenso amore aeterni Patris erga Filium Dominum nostrum Iesum Christum, et erga nos in gratiam receptos propter Filium.

Ita Dominus hic utitur parabola sumta a singulari et ardenti amore ac benevolentia parentum erga sobolem: ut cogitemus simile incendium amoris in Deo esse erga nos homines. Sed, proh dolor, quantum absunt ab imagine dulcissima nostrae de Deo cogitationes! qui cum cernimus immunditiem, miserias, et peccata nostra, continuo ratiocinamur: nos propterea nec respici, nec esse curae Deo, sed desertos et abiectos, in aerumnis, egestate, persecutionibus, ignominia seu infamia, in ipsa denique morte perpetuo versari, haerere ac contabescere. Quod certe nequaquam videtur, ut apparet, signum seu testimonium esse veri et paterni amoris in Deo erga nos.

Etsi autem singulari consilio Deus vult suam electam Ecclesiam in hac vita subiectam esse cruci, ac vult pios exerceri afflictionibus: tamen et verissimum et utraque manu ac verius toto pectore tenendum est, quod vere ac paterne nos diligat, quemadmodum toties ipse Filius Dei testatur Iohann. 3.: Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum dederit, etc. Item Iohann. 14.: Si quis diligit me, sermones meos servabit, et Pater meus diligit eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Item Iohann. 17.: Manifestavi eis nomen tuum, et porro notum faciam, ut dilectio tua, qua me diligis, sit in eis, et ego in eis. Haec est profecto seria, ardens et admiranda precatio, quam Dominus noster Iesus Christus, in agone paulo ante crucifixionem, et sacrificium, quo placavit iram Patris aeterni, recitavit. Petit autem, ut immensa dilectio, qua Pater aeternus Filium coaeternum diligit, in nobis quoque sit. Quae potest patefactio dulcior? quae potest illustrior cogitari significatio summi amoris erga nos? quam haec commemoratio Chri-

sti, qua asseverat et promittit, Patrem aeternum eodem amore nos complexurum esse, quo filium coaeternum complectitur. Cum itaque tantum incendium sit amoris in Deo, cumque praeceptis et promissionibus divinis, velut exstimulemur et adigamur ad precandum: certe debebamus ardenter et serio in omnibus periculis, animorum et corporum, seu in omnibus necessitatibus, cum spiritualibus tum corporalibus, gratiam, seu gratuitam remissionem peccatorum, confirmationem fidei, consolationem, auxilium, mitigationem poenarum, et sempiternam salutem, vero cordis gemitu, precibus ac lacrimis suppliciter ad Deum confugientes, quaerere, petere ac exspectare, et quotidianis assiduisque clamoribus impetrare.

Haec paucula sufficiant ad explicationem dulcissimae parabolae seu similitudinis. Veruntamen volo brevem commonefactionem addere de clausula seu appendice precationis, videlicet, de particula Amen.

Quaestio.

Quam ob causam plerumque in fine precationis particula Amen, clausulae seu appendicis loco solet adiungi?

Respondeo.

Particula Amen commonefacit precantem de certitudine, seu plerophoria fidei, et firmitate assensionis. Est enim asseveratio: perinde ac si dicas: Haec ipsa veritas comprobet, sive, haec verissime ac certo fient. Ac quoties dixisti precationem, toties cogitata diligenter ac attente considerata particula Amen, te ipsum quasi scruteris et interroges, utrum tu ipse credas et firmiter statuas Deum recipere et exaudire tuas preces, nec eas inane murmur esse. Nam invocantem perseverare in hac dubitatione, nec emergere seu erigi fide ex his fluctibus animi trepidantis, atque sic ratiocinantis: Irritus labor est dicere precationes Deo, Deus non curat nec respicit te. Haec incredulitas, inquam, seu diffidentia ingens et triste peccatum est, quod corrumpit invocationem. Sic enim Dominus inquit Matth. 21.: Omnia quae petitis in oratione *Credentes* accipietis. Item 1. Timoth. 2. Orate sine ira et haesitatione, hoc est, in afflictionibus, nec impatientia fractus animus irascatur Deo, et fremat adversus iudicium Dei, nec fugiens Deum ac trepidans diffidentia, ruat in desperationem, aut perseverans in dubitatione mergatur: sed certa fiducia statuite vos Deo curae esse, vos respici, hac fide accedentes atque confugientes ad Deum exspectate auxilium et liberationem divinam, Roman. 10.: Quomodo invocabunt, si non credent? Quasi dicat: Non potest existere vera invocatio sine fide, qua cum non eriguntur et sustentantur corda, fugiunt Deum horribiliter, tantum abest ut invocent.

Iacobi 1.: Si quis indiget sapientia, petat a Deo, qui dat omnibus benigne, ac impetrabit eam, petat autem in fide nihil haesitans. Nam dubitans similis est fluctibus marinis, qui ventorum impetu iactantur et circumferuntur; nec enim indulgens diffidentiae persuadeat sibi, se quicquam accepturum a Domino. Hoc ipsum Iacobi dictum infige ac circumfer animo, ut commonefaciat te in omni invocatione necessariam esse fidem, qua cor tuum confugiens ad Deum statuat ipsum tibi placatum et propitium esse, propter filium suum velle exaudire tuos gemitus, nec irritam fore tuam precationem.

Item ad Hebraeos 4.: Habentes talem Pontificem, expertum dolores et fragilitatem nostram accedamus cum fiducia ad thronum gratiae, ut misericordiam et gratiam et auxilium opportunum inveniamus. Ephes. 3.: In Christo Iesu Domino nostro habemus consolationem, qua audemus accedere confidentes, seu in fiducia, per fidem in ipsum.

Has et similes sententias mementote, ut discatis in precatione excitare et accendere fidem. Multi consuetudine quadam preces recitant, ne quidem cogitantes quid recitent, multo minus soliciti de exauditione, sed in parvo discrimine ponunt, utcunque res cadat, sive recipiatur sive fuerit irrita precatio. Talis frigida et simulata battologia ac incogitantia non est oratio nec petitio. Et plerumque illi ipsi ignavi et incogitantes, sunt homines temulenti, seu ebrii voluptatibus, et securi, qui nullas experiuntur tentationes, adversationes, molestias, et aerumnas. Ideo vagantur otiosis animis, et preculas demurmurant sine attentione. Verum quando est ardens precatio, et retinetur attentio in veris doloribus atque sensu miseriarum, tunc necesse est, in vera cogitatione patefactionum et promissionum divinarum, et pio motu cordis, accendi atque excitari hanc fidem seu fiduciam acquiescentem in Deo, et certo exspectantem auxilium divinum, iuxta Psalm. 25. di-

ctum: Omnes qui te exspectant, non confundentur.

Obiectio.

At quomodo credam, dixerit quis, aut exspectem? cum haec infirma natura non possit exuere seu deponere pravitatem nobiscum natam, omnium hominum corda plena sunt dubitatione et trepidatione fugiente Deum? Respondeo: Verissimum est in nobis omnibus esse et manere plurimum infirmitatis et trepidationis; verum tu proponito tibi, et consideres animo vocem illius miseri patris, Marci 9. qui lacrymans agnoscit imbecillitatem fidei, et petens se confirmari clamitat: Credo Domine, sed opem ferto meae diffidentiae seu imbecillitati. Oportet enim accendi in singulis initia et scintillulas verae fidei, quantumvis languidae, sed paulatim eluctantis atque repugnantis dubitationi, diffidentiae, ac trepidationibus cordis fugientis Deum. Imo in hoc certamine et lucta discendum est, quid sit vera fides, et quomodo languida fidei initia confirmanda sint, ut crescant et augeantur; si fides est languidior, cor tuum intueatur et sibi proponat aliquot dicta seu testimonia promissionum divinarum, his conetur assentiri, ac petens auxilium, tribuat Deo hunc honorem, hanc laudem veritatis atque bonitatis, quod certo velit nos exaudire, et in hac bona spe seu consolatione acquiescat et vivificetur animus: videlicet, quod Deus opitulaturus sit, nec deserturus te, nec permissurus, ut mergaris in aeternam mortem, donec petis te adiuvari, et erigi tuum pectus fide.

Hic etiam repeti et notum esse oportet discrimen promissionum seu beneficiorum, quae petuntur; loquuntur enim aliae promissiones de bonis aeternis ac spiritualibus, aliae de corporalibus ac praesentibus bonis. De beneficiis aeternis, id est, reconciliatione et vita aeterna, sciendum est, quod sit aeternum et immutabile mandatum Dei, ut singuli haec ipsa bona nominatim petant, et firma fide statuant, ea certo sibi dari seu contingere: sicut ipse Dominus affirmat Iohann. 6.: Haec est voluntas Patris qui misit me, ut omnis qui novit Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam. Deus aeternus severissime praecipit, ut credas in Filium, et quidem postulat, ut sine conditione credas, quod haec ipsa bona nominatim tibi daturus sit, gratiam seu gratuitam remissionem peccatorum, iustitiam, id est, imputationem iustitiae, vivificationem seu donationem Spiritus sancti et vitae aeternae. Haec aeterna et spiritualia bona fidem oportet in specie seu nominatim petere et exspectare. Eodem modo sine conditione petenda sunt nominatim bona in genere coniuncta cum promissione gratiae et vitae aeternae, ut propagatio doctrinae salutaris, et conservatio Ecclesiae.

Sed de bonis corporalibus, victu, pace, bona valetudine, divitiis, verum est haec bona oportere peti, veruntamen cum hac conditione: ut nos ipsos offeramus, et parati simus ad obedientiam Deo praestandam, si nos velit diutius afflictionibus exerceri: quemadmodum saepe fieri videmus, quod Sancti non liberentur in hac vita ex praesentibus poenis aut calamitatibus, de quibus petunt, aut certe quod differatur, nec mox contingat liberatio, nec respondeat eventus humanis imaginationibus et optatis. Nam regula de omnibus beneficiis et promissionibus corporalibus, sive nominatim, sive non nominatim expressis, tenenda est quod habeant annexas vel inclusas conditiones duas: alteram castigationis, alteram crucis.

Etsi enim verissime largitur Deus etiam bona corporis, nihilominus tamen castigat et punit inobedientes. Vult item pios exerceri, et Ecclesiam subiectam esse cruci, propter plures causas: de quibus saepissime suo loco auditis. David, Manasse castigantur et puniuntur propter certa delicta sua; Ioseph, Ieremias, Daniel exercentur aerumnis, abducuntur in exilia: tametsi petant et exspectent a Deo liberationem. Verum hic scire oportet, nequaquam propterea petitiones corporalium beneficiorum irritas esse, sed certo impetrare alterutrum, videlicet: aut liberationem, ut prorsus tollantur, aut mitigationem, ut leniantur calamitates et poenae.

Sic precantur Esaias, Hieremias, et alii Prophetae, qui cum vident iam vagari poenas, nec futurum, ut statim cessent aut prorsus tollantur, petunt tamen et impetrant mitigationem. Ita enim Hieremias orat cap. 10.: Corripe me Domine, veruntamen in iudicio, non in furore, ne forte ad nihilum redigas me. Et Esaias his verbis deprecatur iram, cap. 64.: Ah Domine tu Pater et conditor seu fictor noster, ecce nos lutum tuum et opera manuum tuarum, ne irascaris Domine valde, ne effundas iram tuam. Et Abacuc 3.: Domine nos opus tuum sumus, vivifica

nos in medio annorum, cum irasceris, Domine recordare misericordiae tuae.

Hoc modo vos etiam quotidie mitigationem seu levationem poenarum praesentium et impendentium petere debetis. O aeterne Deus propter dilectum filium tuum, et ut innotescat et illustretur gloria tua, recordare immensae misericordiae tuae in ira iustissima, serva nos cum Ecclesia et in Ecclesia tua, non ferias terram anathemate, non sinas fieri infinitam vastitatem, aut Turcicam et Cyclopicam barbariem in his regionibus, serva tu bonum regimen politicum, salutarem statum Ecclesiae, publicae disciplinae sanctitatem, protege familiolas nostras, fac eas vasa misericordiae, da eis victum, successus in officiis vocationum, et caetera bona corpori necessaria, etc. Talis precatio non est inanis et irrita: quemadmodum nec Esaiae, Hieremiae et aliorum preces inutiles aut irritae fuerunt. Etsi enim non prorsus aufertur et tollitur poena, lenitur tamen ac mitigatur.

Praeterea necesse est firmissime hanc regulam tenere: Etiam cum haeremus in poenis corporalibus, oppressi quantacunque mole calamitatum, tamen interim non deficiendum esse a Deo, nec desperandum de finali seu ultima liberatione, et aeterna salute, sicut Saul praeliis aliquot victus, reflante fortuna prorsus deficit a Deo, sentit se in aeternum exitium abiectum esse, atque ita amittit et abiicit, cum promissionem gratiae, tum spem finalis, ultimae ac sempiternae liberationis. Verum David exutus regno, et universa gloria sua, offert Deo obedientiam suam, scit reconciliationem promissam esse, et hanc promissionem fide retinendam esse, etiamsi tota rerum natura adversaretur. Ideo non deficit a Deo, sed exspectat aeternam salutem et liberationem, etiamsi non reducendus ac restituendus sit in suum regnum. De hac firma spe salutis aeternae Iob dulcissime dicit cap. 13.: Etiamsi Deus occidat me, tamen sperabo in eum; hoc est: Scio voluntatem Dei esse, ut remissionem peccatorum et vitam aeternam, seu haereditatem aeternae salutis, certo credam et firmiter exspectem, sive res in hac vita sint secundae, sive adversae. Ideo hanc aeternam consolationem fide amplectar et retinebo, etiamsi amittenda sint omnia bona corporis, et mihi in his morborum cruciatibus ac egestate contabescendum sit.

Haec igitur hactenus de facienda invocatione seu petitione: ad quam sane doctrinam intelligendam, exercitiis opus est. Aut enim in miseriis, periculis, solicitudinibus et veris doloribus, aut nunquam disces nec intelliges, quid sit precari ac petere. Quapropter qui non furiosi sunt, et mente capti, proponant animis cum publicas tum privatas necessitates, atque calamitates, et afficiantur cogitatione, cura ac conspectu praesentium miseriarum multiplicium, motis bellis, distractis voluntatibus docentium per factiones atque dissidia, grassante fame, denique premente magna aliarum poenarum mole: et exsuscitent pectora ad veram et seriam invocationem, atque discant hoc modo hunc summum et praecipuum Dei cultum exercere ac praestare.

De gratiarum actione.

In superiori concione dixi, duobus generibus seu gradibus tribui appellationem invocationis, adorationis et precationis: nempe, petitioni, et gratiarum actioni. De petitione quidem iam disserui, de qua quoties mentio fit, addi debet commonefactio de gratiarum actione. Iam scitis commune seu admodum vulgare vitium esse ingratitudinem. Ut, quando decumbit aliquis oppressus morbo, saepe is quidem ac ardenter petit a Deo recuperationem valetudinis: sed idem Dei beneficio recreatus ex gravi et diuturno morbo, prorsus obliviscitur Dei, imo fingit se convaluisse, morbumque lenitum aut depulsum praecipue efficacia remediorum, et medicorum auxiliis, aut etiam naturae robore et firmitate superatam esse vim morbi, nec cogitat restitutionem valetudinis et virium corporis vere Dei donum et opus esse, imo saepe postea multo fit deterior ac petulantior. Hoc plerisque usitatum est in plurimis negotiis, ac quod deplorandum est, omnes homines ingrati sunt.

Constat autem et est manifestissimum, requiri ac praecipi a Deo gratitudinem, cum erga ipsum, tum erga homines: cuius quidem haec sunt verba Psalmo 50.: Invoca me in die tribulationis, et eripiam te, et glorificabis me, hoc est, liberatus et adiutus, agnosces meam praesentiam, statues me exaudivisse tuos gemitus, me invocanti opitulatum esse, ideoque vero motu cordis mihi gratias ages. Affirmat item Deus in eodem Psalmo, haec esse sacrificia spiritualia, hos esse praecipuos cultus, nec posse nos Deo tribuere quicquam aliud praeter hos summos hono-

res, videlicet, invocationem et gratiarum actionem: de quibus et Psalm. 9. dicitur: Qui eripis me de portis mortis, ut annunciem laudes tuas in portis filiae Sion. Ac Salomon constituit generalem regulam de omnibus ingratis. Proverb. 17.: Non recedet malum a domo ingrati.

Hoc dictum quaeso affigite animis, et expendite, quam graves, quam durabiles poenas minetur Deus, cum ait: Semper haesura mala in domo, in liberis ingratorum. Quid dici tristius poterat? In eandem sententiam loquitur Deus Oseae 2.: Non meminerunt, quod ego eis dedi frumentum, vinum et oleum, quod argento et auro locupletavi eos, idcirco rursus auferam ipsis mea dona, meum frumentum et linum, etc. et in omnium conspectu stultitiam eorum revelabo, et menifestabo. Et passim extant in dictis coelestibus similes comminationes adversus ingratos. Imo experientia et historiarum testimoniis convincimur, ingratos urgeri a Deo iustissimis et horrendis poenis.

At quaeris, quaenam virtus est gratitudo? et quid proprie nominatur ingratitudo? Respondeo: Gratitudo complectitur duas virtutes, veritatem et iustitiam. Veritas agnoscit et profitetur unde sit acceptum beneficium, ut si quis amicus tibi donet decem Ioachimicos seu Taleros, tu certe debes profiteri, hunc ipsum amicum esse autorem beneficii in te collati. Ita cum Deus adiuvit Davidem praeliantem cum Goliath, aut eripuit eum saevitiae Saulis, David gratus lingua et corde consonantibus haec vel similia verba repetit: Toto pectore credo et affirmo, quod sit Deus, quod meos gemitus exaudiat, quod ipsius bonitate, praesentia, praesidio, et auxilio tectus, ac munitus victoriam consecutus sim adversus Goliath et Saulem. Sic singuli debemus esse veraces erga Deum, debemus fateri, quod vere sit Deus, quod vere exaudiat Ecclesiam, quod certo nostras preces recipiat, et nobis opituletur. Haec vera professio seu confessio est primum opus gratitudinis.

Altera virtus comprehensa in gratitudine, seu alterum opus gratitudinis est iustitia, hoc est, aequalitas praestans mutua officia. Quando agnoscis amicum, a quo beneficium accepisti, de te bene meritum esse, iustitia obligat te ad mutuam benevolentiam, et ad officia certa, seu mutua, benefactori praestanda pro viribus, et modo facultatum. Ita cum Deus immensa bonitate largiatur nobis omnis generis bona, ut vitam, cibos, potum, bonam valetudinem, victum, pacem et mediocrem tranquillitatem: item spiritualia et aeterna beneficia, ut Salvatorem filium suum Dominum nostrum Iesum Christum, suam doctrinam salutarem, gratuitam remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, vitam aeternam, et auxilium ac liberationem in afflictionibus, debemus profecto reddere Deo mutua ac grata officia, videlicet, obedientiam iuxta Evangelium et praecepta Decalogi recte intellecta. Haec duo officia seu opera comprehendit gratitudo, quae est virtus composita ex duabus summis virtutibus, scilicet, veritate et iustitia obligante ad mutua officia.

Postremo (ut in pauca conferamus) quoties dicitis precationes, debetis haec quae dicta sunt, animo complecti ac meditari: imo saepe debetis hunc ordinem servare: primo recitetis Symbolum Apostolicum, ut cogitetis quem Deum invocetis, et inter precandum alloquamini, atque ita discernatis atque seiungatis invocationem vestram ab Ethnica invocatione. Item, ut fide intueamini promissiones datas Ecclesiae per et propter mediatorem Dominum Iesum Christum crucifixum pro nobis et resuscitatum.

Secundo, saepe recitetis expressis verbis, et certa forma verborum, gratiarum actionem, ut commonefaciatis vos ipsos de gratitudine veris animi motibus exercenda erga Deum, quae quidem et beneficiorum celebrationem et studium obedientiae complectitur.

Tertio, recitetis formam precandi a Christo propositam, et faciatis petitiones aeternorum et corporalium bonorum, petatis ut Deus vobis propter filium mediatorem donet remissionem peccatorum, Spiritum sanctum procedentem ab aeterno Patre et Filio Domino nostro Iesu Christo, et vitam aeternam. Item, veram doctrinam ab ipso patefactam, verum intellectum, pacem, salutaria regimina, postea etiam addatis petitiones singuli de privatis ac propriis necessitatibus corporalibus, et dictae precationi succedat Amen, id est, accendatur firma assensio fidei commendantis Deo pericula et eventus, et pacificantis atque consolantis corda, ut acquiescant fiducia praesentiae et spe auxilii divini. In talibus Christianis et spiritualibus exercitiis, discetis verum intellectum et usum huius doctrinae, quae tunc demum dulcescet animis, et firmam consolationem afferet. Ac re ipsa

experiemini hoc modo factam invocationem vestram, efficacem atque ratam, non inanem nec inutilem fuisse. Sit iam finis huius loci, et invocemus filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut communicet nobis ingentia sua beneficia, et nos propter gloriam suam Spiritu sancto doceat et gubernet, accendat in nobis veram invocationem et caeteras virtutes ipsi placentes.

Omnia ergo quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, sic et vos facite illis, etc.

Initio praecedentis capitis audivistis hanc concionem pertinere ad doctrinam poenitentiae, ac esse declarationem seu interpretationem legis divinae moralis, id est, Decalogi, in qua primum enarrantur praecepta posterioris tabulae, scilicet, praeceptum quintum: Non occides. Item sextum: Non moechaberis. Haec enim mandata secundae tabulae facilius intelligi possunt. Deinde additur explicatio praeceptorum prioris tabulae, de timore Dei, fide, fiducia, invocatione, etc. Ac vos quidem hoc loco debetis ipsa Decalogi mandata diligenter vobis proponere, ac meditari, vosque commonefacere de legis declaratione, quae in Catechismo fideliter tradi et subinde repeti solet. Ea enim ipsa Decalogi declaratio sumta est ex praesenti textu, unde tanquam ex uberrimo fonte rivulus exiguus deducitur.

Scitis Deum praecipere Deut. 6. cap., ut praecepta Decalogi quotidie meditemur, ac circumferamus animis assidue, sive versemur in campo ac itineribus, sive in oppidis atque domibus, sive mane surgamus e lecto, sive vesperi dormitum eamus, utque pingamus et scribamus ea in foribus atque vestibulis aedium, et liberis nostris subinde repetita diligenter inculcemus. Haec tota concio Deut. debet vos hortari, exsuscitare et impellere, ut hanc Dei sapientiam in Decalogo propositam studiose discatis, et crebro meditemini, propter multas causas. Primo, ne vivatis Ethnico more, absque frenis disciplinae, sed ut familiarissime notum sit vobis discrimen faciendorum et non faciendorum, seu honestorum et turpium, utque severe regatis disciplinam iuxta hanc ipsam normam rectricem vitae divinitus traditam.

Secundo, ut commonefiatis, quam haec misera natura humana, lapsa ex prima dignitate, nunc dissimilis atque difformis, in corde, sit ordini et regulae iustitiae in Deo, quam plena sint corda tenebrarum et contumaciae, ac ut inde aliquo modo aestimetis, atque perpendatis magnitudinem irae divinae adversus peccatum.

Tertio, ut e regione agnoscatis gratiam, seu beneficia filii Dei Domini nostri Iesu Christi, et sciatis homines non esse iustos lege, sed propter mediatorem, qui factus est victima pro nobis.

Quarto, ut excitetis animos ad petendum auxilium Christi, ut ipse sua efficacia in nobis inchoët hanc puritatem in lege descriptam, utque possitis ipso iuvante et gubernante, praestare obedientiam Deo placentem. Nam filius Dei propterea venit, ut impleret legem, sicut dicit Matth. 5.: Non veni solvere legem sed implere. Implevit autem Decalogum sua propria obedientia et passione, seu sustinendo poenam pro nobis; sed vult eundem etiam implere effective in nostris cordibus, instaurando et vivificando humanam naturam, seu restituendo in nobis iustitiam et vitam aeternam, hoc est, vult nobis opitulari, vult esse in nobis efficax dato Spiritu sancto, ut hanc obedientiam inchoare, et in ea perseverare possimus. Imo vita aeterna talis erit status, in quo salvati iam fruentes aeterna laetitia, Deum sic agnoscent, celebrabunt, glorificabunt, sic ei gratias agent, ut praecipit Decalogus, et in tota aeternitate vivent iustitia congruente ad ipsam legem sonantem in monte Sina, sicut dicitur Hierem. 31.: Dabo legem meam in corda eorum, etc.

Haec dicta sint initio commonefactionis causa, ut Decalogum studiose discatis ac diligenter meditemini. Porro Dominus adiecit sub finem declarationis Decalogi, particulam pertinentem duntaxat ad posteriorem tabulam, docens, quomodo cor debeat affectum esse erga alios homines, his verbis: Omnia quae vultis ut faciant vobis homines, eadem vos facite illis. Huic regulae magna et arcana sapientia involuta est, quam nemo hominum satis intelligit, ac etiam cum aliquid intelligitur, tamen explicare vel eloqui difficillimum est.

Congruit autem cum altero dicto: Diligas proximum tuum sicut te ipsum. Verum quia hae sententiae propter generalitatem vobis in hac infirmitate sunt obscuriores, ideo Deus ipse addidit enarrationem, scilicet: Non occides. Non furtum facies. Non dices mendacium, etc. Haec tota obedientia comprehensa in omnibus mandatis secundae tabulae, nominatur in genere, seu ge-

nerali appellatione dilectio: et qui praestat obedientiam iuxta haec praecepta, is vere praestat hominibus ea, quae vellet sibi ab ipsis praestari. Estque certissima declaratio huius dicti: Quaecunque vultis, ut faciant vobis homines, scilicet iuxta legem Dei seu Decalogum recte intellectum, eadem et vos facite illis. Tantum de sententia seu intellectu huius dicti breviter volui dicere.

Iam saepissime auditis de lege divina, nullum hominem in hac depravata natura posse integre Decalogum implere, ac obedientiam praestare, quam lex requirit. Cum igitur nec renati possint in hac mortali vita legi Dei satisfacere, quaeritur, ad quid opus sit docere ac discere legem divinam? De hac quaestione crebro auditis proponi necessariam et plenam pietatis doctrinam. Est verissime aeterna, severa et immota voluntas Dei, ut proponatur, doceatur et discatur Decalogus: suntque tres causae, id est, tria sunt officia, seu triplex est usus Decalogi.

Primum officium, seu primus usus est politicus et paedagogicus, scilicet diligentia rationis in regenda disciplina externa, seu gubernatione externorum gestuum, quam singuli homines etiam in hac imbecillitate naturalibus viribus utcunque possunt efficere. Quanquam enim haec infirma et corrupta natura hominum non potest interiore et perfecta obedientia cordis Decalogo satisfacere, ac legem implere: tamen severissime vult et praecipit Deus, ut externa membra coërceantur hoc quasi freno disciplinae, ne ruant in homicidia, adulteria, furta, vel alia externa delicta committant. Ac qui non volunt hanc obedientiam externam praestare, sed disciplinam atrociter violant, eos certum est a Deo puniri poenis atrocibus etiam in hac mortali vita, sicut affirmant haec dicta Matth. 26.: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Hebr. 13.: Scortatores et adulteros iudicabit Deus. Esa. 33.: Vae qui spolias, quia spoliaberis. Item Ecclesiastes in 8. capite inquit: Non bene erit impio, nec longi erunt dies eius. Hae regulae loquuntur de poenis corporalibus in hac vita, quas Deus vel per magistratus, vel aliis modis sumit de sontibus. Etiamsi latrones aliquamdiu fruuntur impunitate, et iudicum manus effugisse putantur, tamen suo tempore divinitus retrahuntur ad supplicia in hac vita corporali: id exempla quotidiana ostendunt.

Secundus usus Legis est: seu secunda causa est, cur Decalogum docere ac discere oporteat: scilicet, ut inde agnoscamus iram Dei adversus peccatum. Quia lex moralis est iudicium universale accusans omnia peccata in omnibus hominibus, interiora et exteriora, et totam depravationem. Ideo Deus voce Decalogi perterrefacit, iuxta dictum Pauli Rom. 4.: Lex iram efficit. Quoties audis hanc vocem divinam: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde, necesse est te fateri, quod habeas peccatum, et meritus sis iram Dei, quia cor tuum nequaquam congruit cum lege, non ardet, non plenum est dilectione Dei, sicut debebat.

Hic e regione intuearis, et agnoscas gratiam seu beneficium Christi: quod gratis, id est, per misericordiam, propter Christum habemus remissionem peccatorum, sumus reconciliati, et recepti ad haereditatem salutis aeternae, non sumus iusti, id est, accepti, ac placentes coram Deo propter legem, sed propter propitiatorem Christum.

Tertius usus, seu tertia causa Legis est, in conversis ad Deum, sive renatis, qui iam sunt recepti in gratiam, et experiuntur Dei auxilium et efficaciam: his quoque legem proponi necesse est, ut doceantur et sciant, quae opera, qui cultus Deo placeant, nec proprio consilio excogitent opera et cultus, sicut fecerunt Ethnici, Monachi, et omnibus aetatibus omnes homines, qui verbum Dei scriptum in libris Propheticis et Apostolicis aspernati sunt. Etsi autem ne renati quidem ac vere sancti possunt Decalogo satisfacere, habent tamen initia obedientiae seu conformitatis cum lege. Ut, cor tuum sentit initia timoris Dei, fidei, dilectionis erga Deum: et quanquam haec initia languida sunt et infirma, tamen scimus Deum postulare hanc inchoationem obedientiae, eamque in reconciliatis atque filiis Dei placere, ac Deo gratam esse propter Mediatorem Christum. Imo vult nobis opitulari Deus praesenti auxilio et efficacia, ut accendatur et crescat haec obedientia, vult etiam veris gemitibus a se peti praelucente fiducia Mediatoris, ut ipse propter Christum et per eum effuso in nos Spiritu sancto velit in pectoribus nostris, verum timorem Dei, firmam fidem, patientiam, castitatem, et caeteras virtutes convenientes voluntati divinae, quam in sua lege expressit Deus, accendere et confirmare. Haec ingentia dona et beneficia certo efficit in nobis Deus, cum serio et ardenter ea petimus: ut Christus clare

inquit Lucae 22.: Quanto magis Pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Videte, pii auditores, ut haec verba intimis animi sensibus infigatis et comprehendatis, exercete fidem et invocationem vestram in hoc opere, in hac meditatione et precatione. Ita clarius intelligetis, et re ipsa experiemini, haec non inania nec commentitia esse: Petite ut Deus per et propter filium suum Dominum nostrum Iesum Christum Spiritu sancto suo corda vestra illuminet, doceat, regat, sanctificet et confirmet. Caeterum ex his, quae commemorata sunt, perspicue potest intelligi, praedicationem legis non inanem aut otiosam esse, seu Decalogum non frustra proponi et explicari in Ecclesia, etiamsi corda nostra nequeunt praestare perfectam obedientiam, quam requirit Decalogus. Haec sufficiant de triplici usu Legis; sequitur in textu:

Haec est enim Lex et Prophetae.

Haec verba non tantum referenda sunt ad proxime praecedentem regulam: Quaecunque vultis ut faciant vobis homines, eadem et vos facite illis: quia Lex et Prophetae non loquuntur tantum de secunda tabula, sed potius de tota coelesti doctrina, patefacta in Lege et Evangelio, de priore et posteriore tabula Decalogi, item de promissionibus divinis. Ideo haec appendix seu clausula: Hoc quod ego doceo est Lex et Prophetae, debet intelligi de tota praecedenti concione: quasi dicat Dominus: Ego proposui vobis integram declarationem seu enarrationem utriusque tabulae Mosis, hanc meam declarationem seu interpretationem discite, quia complectitur ipsum, ut ita dicam, nucleum et nervum, id est, fundamentum ac summam totius doctrinae de lege, comprehensae in Mose et Prophetis. Ac sciatis haec verba opponi Pharisaicis persuasionibus atque corruptelis, item superstitiosis naeniis novarum traditionum humanarum: quasi diceret: Ecce ego revoco vos ad Legem et Prophetas, a quibus Pharisaei vos avocarunt et abduxerunt.

Praeterea illud inprimis est observatione memoriaque dignum, quod ipse Dominus allegat testimonium Mosis et Prophetarum, volens Ecclesiam suam alligatam esse ad scripta divinitus tradita, ne comminiscamur, eligamus et instituamus ipsi cultus, audacia propria discedentes a Dei verbo, sicut Ethnici, Pharisaei, Romani Pontifices, Monachi et Anabaptistae fecerunt.

Ac omnibus aetatibus in genere humano manent semina huius diabolicae superstitionis, qua perpetuo novi ac peculiares cultus absque mandato Dei, et extra verbum divinitus traditum, quorundam temeritate finguntur: qui quidem cultuum idololatricorum autores ac propugnatores, iudicant hanc suam superstitiosam curiositatem ingens esse decus eximiae cuiusdam ac praeclarae, cum sapientiae, tum sanctimoniae, cum re ipsa sit horribilis coecitas, ingens scelus, et audacia detestanda. Quamobrem dictum illud Christi, Matth. 15. diligenter memoriae mandetis et infigatis animo: Frustra colunt me mandatis hominum.

Utrumque vero sciendum ac tenendum est: primum, quod traditiones humanae, seu ceremoniae, et opera, quae in Ecclesia humana autoritate instituuntur, non possint esse cultus Dei.

Secundo, quod vita tua debeat regi certo Dei verbo, et institui iuxta praescriptum Decalogi hoc ordine, ut initio luceat in corde fides apprehendens Christum, et accipiens consolationem, remissionem peccatorum atque iustitiam propter filium Dei mediatorem. Deinde ut sequantur et regantur caetera bona opera iuxta omnia Dei praecepta ad nos pertinentia, sicut Propheta precatur Psalm. 119.: Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lux semitis meis. Nequaquam enim fingas licere tibi, sine legum ac disciplinae vinculis vagari ceu ferae vagantur in silvis, aut equi feroces excusso rectore. Haec Cyclopica licentia nihil minus est, quam libertas Christiana, sed cor et opus tuum gubernetur ac dirigatur certa norma mandatorum Dei: tuum coniugium, tuum opificium, tua ratio parandi victum, non debet transire fines praeceptorum divinorum, nec erumpendo extra metas divinae legis, ordinem a Deo praescriptum conturbare ac velut incisis scalarum gradibus, convellere. Haec omnia comprehensa sunt et inclusa his verbis: Hoc quod ego doceo, est Lex et Prophetae, quasi dicat: Pharisaei vos a Lege ac Prophetis, atque ita a Deo ipso abduxerunt, iidemque, vera consolatione ac remissione peccatorum penitus sublata, praecipitarunt vos in dubitationes, merserunt in tenebras, et horrendam coecitatem, postea hypocrisin inanium operum, seu exercitiorum, superstitiose praedicarunt et ostentarunt, servierunt avaritiae ac ventri cumulandis sacrificiis, etc. Perinde ut nostra aetate Papistae Missas ad quaestum confe-

runt. E regione, inquit Dominus, mea doctrina est veritas divina, expressa in Lege et concionibus Prophetarum, qua Deus vult populum suum regi, sanctificari ac salvari. Hanc esse propriam et germanam sententiam horum verborum Domini, minime dubium est. Porro commonefacti estis, quae sit summa doctrinae comprehensae in Lege et Propheticis scriptis.

Ac semper sit vobis in conspectu communis admonitio, quod universa doctrina statim initio, post receptos in gratiam primos parentes, Adamum et Evam, in populo Dei seu Ecclesia, distributa fuerit in duo summa seu praecipua capita, quorum prius est Lex, seu doctrina praeceptorum, id est, Decalogus ubicunque propositus, enarratus, ac repetitus, qui quidem est aeterna et immota sapientia, et regula iustitiae in Deo, patefacta hominibus in creatione, praecipiens, quales nos homines esse, et quae facere, quae omittere oporteat, et promittens bona praestantibus integram obedientiam, condemnans vero, hoc est, pronuntians puniri aeternis poenis omnes non praestantes perfectam obedientiam, ac destruens Legi non conformes corde et opere, nisi fiat remissio et reconciliatio propter Christum mediatorem. Ac qui sint usus Legis, et quas ob causas necesse sit Decalogum in Ecclesia docere, paulo ante dictum est.

Alterum itaque doctrinae Christianae ac praecipuum caput est Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod est praedicatio poenitentiae seu conversionis ad Deum, et promissio gratuita, ex arcano consilio divinitatis per filium prolata, qua Deus exhibet remissionem peccatorum, imputationem iustitiae, seu reconciliationem, donationem Spiritus sancti, ac restitutionem iustitiae et vitae aeternae propter Christum mediatorem, et per eum gratis, id est, non propter ulla nostra merita, omnibus fide accipientibus promissionem.

Haec est illa summa et propria Evangelii consolatio, quam Deus aeternus immensa bonitate nobis per filium et propter eum clementissime revelavit ac patefecit.

Omnino autem necesse est singulos Christianos utrumque doctrinae genus familiarissime cognitum habere, ac utriusque dextre intellecti discrimen tenere. Ac utraque concio legis et promissionis gratiae expresse tradita ac repetita est in singulis Prophetis: ut statim initio patefactionum Gen. 3. Cum primi parentes Adam et Heva post lapsum recipiuntur in gratiam, ipse filius Dei λόγος tunc palam trepidantes alloquens, inchoat ministerium praedicationis poenitentiae, qua sonans tristissimam accusationem arguit peccata, et postea consolatur expavescentes edita seu promulgata promissione Evangelii, id est, absolutione, comprehensa in hoc dicto: Semen mulieris conteret caput Serpentis. Haec fuit prima promulgatio seu revelatio promissionis Evangelii, et initium Ecclesiae receptae in Paradiso. Deinde sequuntur plurimae conciones legis, ut illa 4. capite Gen. de homicidio, antequam Cain fratrem Abelum interficit. Item postea de poenis libidinum Genesis 19.: Quando conflagrarunt Sodoma propter nefariam impuritatem. Sequuntur paulatim illustriores patefactiones de venturo redemtore ac liberatore, ut cum Deus renovat promissionem Gen. 22. ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Ita deinde in omnibus Prophetis extant similes conciones de Lege ac de Evangelio.

Ac facile perspiciet quilibet sanus, doctrinam Domini nostri Iesu Christi esse unam, eandem, et consentientem vocem cum Prophetarum concionibus: imo omnes Prophetae divinitus missi, per hunc filium vocati, delecti, missi, excitati et illuminati sunt, sicut Iohannes affirmat inquiens: Ex plenitudine eius omnes accepimus, id est, ex Christi perfectissima sapientia et iustitia omnes accepimus veritatem, seu veram lucem notitiamque spiritualem, novam iustitiam et vitam aeternam.

Praeterea sicut Prophetae fidem suam exercuerunt agnitione et invocatione Messiae, ad quem confugientes et clamantes petiverunt ac impetrarunt lucem, seu illuminationem, et iustitiam divinam, ita nos quoque debemus ab hoc filio Salvatore intellectum verum seu veram Dei notitiam, iustitiam et vitam petere et exspectare. Quid? quod ne accendi quidem potest nova lux, confirmari verus intellectus, et inchoari conversio salutaris, donec corda retinent hoc frigus et hunc stuporem, ut tantum otiose audiant has commonefactiones, nec accedit serius animi motus, qui veris gemitibus clamans ad filium Dei, petat illustrem et vivificam agnitionem Dei, verum intellectum verbi, et gratiam seu reconciliationem, quae sint initium salutis et aeternae vitae.

Caeterum etsi Ecclesia perpetuo continuis periculis obiecta, et velut undique cincta, sub-

inde oppugnatur a Diabolo conante pios coetus hinc caedibus, illinc sectarum furoribus, et impiae doctrinae venenis funditus exstinguere ac delere: tamen his quidem temporibus, adeo turbulentis atque difficillimis, multo tristiores confusiones, asperiora certamina, et magis horrenda pericula videntur impendere. An non enim corporum caedes in oculis omnium fiunt? Turcici certe latrones atrociter grassantur in Ungaria: id proh dolor negari non potest. Nec somniemus clades et vastationes in vicina Pannonia nihil ad nos pertinere. Nam paulo post, quod Deus prohibeat, longius grassante rabie Turcica hae regiones opinione omnium celerius et immanius vastari facile poterunt. Praeter id periculum, impendens a crudelissima gente Turcica, ditiones hae civilibus bellis, annonae difficultatibus, aliarumque miseriarum mole tantopere laborant, urgentur ac premuntur, ut Ecclesiarum dissipatio et barbarica vastitas admodum metuenda sit. Accedunt errorum contagia multiplicia, et doctrinae coelestis corruptelae, ut insidiosissimae, ita perniciosissimae: quae passim sparguntur his moribus atque temporibus audacissime. Patroni tyrannidis Pontificiae seu dignitatis Romanae sedis, didicerunt iam pingere fucatis coloribus manifestos errores suos, quos confirmant, et aperta vi, seu crudelitate, et dolis vaferrime consutis. Fanatici Anabaptistae denuo quasi refectis viribus, exoriuntur, nec verentur adeo tetros et insignes errores comminisci ac circumferre, ut blasphemus ille Spiritus, quo agitatur et impellitur secta plus quam delira, tantum petulanter illudere ac insultare videatur humano generi. Haec tanta pericula debetis omnia proponere animis, tantoque ardentius et magis serio implorare auxilium Christi, cuius haec est dulcissima vox Iohann. 10.: Oves meae vocem meam audiunt, et nemo rapiet eas ex manibus meis.

Videtis hanc ipsam vocem Domini prorsus congruere cum perpetua sententia Evangelii: definit Ecclesiae membra oviculas audientes vocem divinam, hoc est, amplectentes coelestem doctrinam, de qua loquimur in praesentia, comprehensam in scriptis Propheticis: ideo postea addit: Nemo rapiet oves meas de manibus meis; ac quia utitur verbo rapiendi, significat ingens certamen et acerrimam luctam esse. Diabolus impellit Turcas, Papam, Anabaptistas, et varia genera sectarum ad nos omnes funditus exstirpandos, et ad vastandas has Ecclesiolas, in quibus pascuntur oviculae Christi, in quibus tu et tenellus grex liberorum tuorum versatur. Sed adstat nobis opitulator, et protector filius Dei, clamitans: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Equidem obtestor vos, ut hac ipsa consolatione corda vestra et erigatis ac muniatis, ac saepissime memoria repetatis, et ante oculos ponatis hoc dictum: Imo, quoties dormitum itis, quoties e lecto surgitis, quoties carissimos infantulos vestros, aut in cunas vesperi deponitis, aut mane experrectos ex iisdem depromitis, cogitate et recitate haec aut similia verba: Ah Domine Iesu Christe, hic tenellus infans seu pusio etiam est ovicula de tuo misello grege, ego et familiola mea sumus in tuis manibus, tua manu subiecta consistimus, nec habemus ulla certa visibilia et humana praesidia, nullam firmam defensionem, sed tu nos clementer protege, tuere ac rege, depelle a nobis Diabolos, Turcas, Papam, Anabaptistas, et caeteros hostes tuos grassantes mendaciis et homicidiis. Assere tu gloriam divini nominis tui, nec permitte, ut hostes blasphemi et sitientes cruoris funditus evertant ac penitus deleant has aerumnosas Ecclesiolas. Huiusmodi precationes saepe repetite: quia certe tantus est hoc tempore instantium et ingruentium malorum metus, ut in hac moestitia publica, si unquam alias, iam summopere sit necessarium nos veris animorum motibus atque gemitibus, ad propitiatorem Dominum nostrum Iesum Christum suspirare, confugere, clamare, et ardentissimas preces effundere.

Tantum breviter de praesenti textu: in quo paucis verbis doctrinae maximi momenti, et omnino gravissimae perstringuntur mentione Legis et Prophetarum. Sed nequaquam possunt in hac temporis angustia simul tot materiae in hac concione comprehensae, satis et quantum fuerit opus, explicari ac declarari. Veruntamen vos ipsi repetite, ac in memoriam reducite ea, de quibus quotidie diligenter ac luculenter erudimini, nempe, quae sit summa, quae sint praecipua capita, qui principales loci doctrinae Prophetarum et universae Ecclesiae a principio usque ad finem. Ad hanc meditationem addite exercitia verae invocationis et bonorum spiritualium. Ita futurum est, ut filius Dei Dominus noster Iesus Christus ipse vos erudiat et illuminet, ut in sincero intellectu, seu in recta sententia persistatis, corroboremini, et confirmemini, atque ita maneatis ovi-

culae Christi, vasa misericordiae, et haeredes aeternae salutis, Amen.

Intrate per portam angustam, quia lata est porta, quae ducit ad perditionem, et multi sunt qui ingrediuntur per eam, etc.

De scandalo quod oritur in mentibus multorum hominum, propterea quod maxima multitudo est impiorum, et quod in mundo et in Ecclesia magnae sunt opinionum varietates.

Haec duo summa scandala in genere humano ingentem ruinam trahunt, et confirmant impietatem seu incredulitatem atque Epicureum Dei contemtum in plurimis hominibus. Alterum scilicet, quod tanta multitudo, tot mille myriades profanorum hominum palam vivunt et perseverant in manifesto et Cyclopico Dei contemtu, quorum non pauci interim omnis generis voluptatibus affluunt, florent successibus, potentia, divitiis, honoribus in terra. Alterum vero non minus perniciosum, quod tot et tantae dissimilitudines, varietates, et distractiones opinionum ac iudiciorum existunt, atque conspiciuntur in hoc ipso coetu, qui usurpat titulum populi Dei seu Ecclesiae.

Scitis in toto orbe terrarum, et maxima parte generis humani, plurimos homines amplecti Mahometistarum deliria plus quam fanatica. In tota Africa prorsus deletae sunt Ecclesiae: in Asia perexiguae sunt reliquiae: caetera multitudo, longe numerosior, et opibus, imperiis, exercitibus, armis terribilior est Turcorum et Tartarorum, qui palam deridet et contumeliis insectantur filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum. Postea in hoc ipso coetu, qui nominatur Christianus, nonne multis partibus plures vivunt in manifesto et Cycloplico Dei contemtu? Nonne multi oppugnant et persequuntur veritatem? An non ubique plurimum est temulentiae, superstitionis, sophistices, ambitionis, Pharisaicorum odiorum, venenatissimarum calumniarum, et aliorum insignium vitiorum? Hanc promiscuam colluviem maximae multitudinis in genere humano, quando intuentur anxiae mentes, quid aliud cogitent? quam non esse consentaneum, ut tot hominum millia, quot ab initio mundi usque ad mortuorum resuscitationem fuerunt, sunt, et erunt impia, atque neglecto Dei verbo laxaverunt, laxant, et laxabunt frenos cupiditatibus quibuscunque futura sint post hanc vitam in sempiternis cruciatibus. Itaque tantos hae cogitationes in animis multorum tumultus cient, ut dilapsi a vera doctrina ad exempla multitudinis, ita ratiocinentur: Ecce quid attinet tantopere discruciari de vita secutura post mortem corporum? An recusarem communem tot millies mille hominum fortunam? ac praecipuam aliquam propriamque postularem? Imo quicquid de tot mille myriadibus est futurum, idem ne mihi accidat, qua fronte deprecari ausim? Nam si Deo curae forent res humanae, nequaquam sineret tantam hominum multitudinem tam horribiliter labi, et erroribus adeo tristibus implicari? Quid, quod citissime manant contagia prava opinionum, morum et exemplorum? praesertim inter eos, quorum est interior familiaritas et assidua conversatio.

Quemadmodum constat unumquemque opinionibus et moribus eiusmodi, sive bonis sive malis, velut imbui ac conformari, quales conspiciuntur et eminent in iis, quorum consuetudine delectatur: sic facilius et vitia imitamur, et falsas opiniones amplectimur, cum propter naturae depravationem, tum quia teneri et imbecilles animi consensu ac consuetudine multitudinis impiae citius moventur ac attrahuntur.

De tam variis offensionibus, scandalis, et contagiis perniciosis inquit Salomon Proverb. 5.: Paene fui in omni malo in medio congregationis seu multitudinis, ubi varia genera corruptelarum, in ritibus, et moribus, seu exempla nocentia, et falsas opiniones conspexi ac didici.

Scitis innumerabiles ex iuventute, bonis ingeniis praeditos, et ad virtutem idoneos, depravari et seduci malis sodalitiis, quae exemplis invitant alioqui bonos ad societatem, vel imitationem scelerum.

Adversus tot scandala et contagia adeo multiplicia, crebro praemonemur et praemunimur severis mandatis atque comminationibus divinis: ut Exodi 23. dicit Deus expresse: Nequaquam sequaris turbam seu multitudinem ad faciendum malum, nec respondeas in iudicio declinans ad multitudinem declinantem. Sit regula vitae verbum Dei, quo tanquam norma divinitus tradita regantur opiniones et mores, non exemplis et ritibus discedentibus a scriptura Prophetica et Apostolica. Meministis enim hoc praeceptum subinde in sacris literis inculcari et repeti, ut Matth. 17.: Hic est filius meus dilectus, quo delector, hunc audite, Galat. 1.: Si quis aliud Evange-

lium docuerit, Anathema sit. Psalm. 119.: Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lux semitis meis. Item Psalmo 1.: Beatus vir qui non abiit in consilio impiorum, neque stat in via peccatorum, nec sedet in cathedra derisorum, sed in Lege Domini voluntas eius. Psalmo 119.: Maledicti qui declinant a mandatis tuis. Denique plurima passim extant in hanc sententiam divinitus dicta. Ita saepe revocat nos Deus a iudiciis, moribus, opinionibus et exemplis varie hallucinantibus, maximae videlicet in mundo multitudinis, ad sese, et ad verbum suum, expresse in monumentis Propheticis et Apostolicis traditum.

Hanc necessariam doctrinam debent scire atque crebro meditari homines, et cogitationes ac mores suos ad normam seu praescriptum verbi divini dirigere, nec relicta regula circumspectare, ac sequi vel exempla vel multitudinem, et modo hanc, modo illam opinionem amplecti. Sicut hodie multi faciunt, qui videri volunt non tam omnium horarum, quam omnium sectarum homines, apud Papistas simulant Papisticam religionem, apud Evangelicos Evangelicam, apud Iudaeos applaudunt superstitionibus Iudaicis, apud Turcos Turcicis seu Mahometicis, cum tamen nihil horum credant aut probent, sed superbe derideant Deum et religiones omnes. De quibus omnibus hic inquit Dominus: Lata est porta et spatiosa via ducens ad perditionem, et multi sunt, qui ingrediuntur per eam.

Haec late patens porta est, sumere sibi licentiam vagandi opinionibus, et in operibus non circumdari, nec alligatum esse certis metis divinitus constitutis, id est, petulanter sentire ac comminisci quicquid libet, item laxatis disciplinae frenis, morumque vinculis, quidlibet indulgere sibi: quemadmodum Ethnici finxerunt idola, seu numina pro libidine: et sicut hoc tempore multa distorta et rabiosa ingenia comminiscuntur opiniones pro coecis et rapidis affectibus. Multa millia hominum in operibus atque moribus vagantur et ruunt temere, nullis coërcita frenis, ceu feroces equi excusso rectore, exercent adulteria, indulgent helluationibus, libidinibus, dant operam rebus illicitis, fraudibus et imposturis, ubicunque facultas et occasiones suppetunt.

Haec vagabunda licentia morum et opinionum est illa patula seu lata porta, ad quam manifestum est quasi confluere et agminatim concurrere maximam turbam seu multitudinem hominum: verum finis ac exitus admodum est miserabilis, et catastrophe plus quam tragica. Proinde Dominus etiam dicit in hoc textu: Latam portam ducere ad perditionem seu interitum. Idem affirmat Psalmus 119.: Maledicti omnes, qui declinant a mandatis tuis. E regione vero aeterna et angusta porta est ipsum verbum Dei, quod alligat cum fidem, tum opera nostra ad unam certam doctrinae normam, et ad unicum verum Deum, qui certis et illustribus testimoniis, et essentiam suam et voluntatem patefecit.

Iam res ipsa loquitur et experientia testatur, cor humanum aegre pati se velut in angustias redactum alligari, et circumdatis quasi metis includi, vinculisque constringi. Indulget enim curiositati prorsus ultra modum et absque fine, adeo, ut quemadmodum volucres iam huc iam illuc in aëre passim ac libere volitant, ita cor humanum fluctuans gestiat cum opinionibus tum appetitionibus circumvagari, gestiat petulantiae quasi venti modo huc modo illuc ferri, rapi, ac ruere, gestiat frenos laxare contumaciae errantium cupiditatum. Ut, David, etsi domi habebat plures coniuges honestissimas, et ingeniis ac forma praestantes, tamen indulgens vagantibus oculis et appetitionibus, rapit viri sancti, et excellentis omnium virtutum laude coniugem. Adversus huiusmodi vagabundas cogitationes, et appetitiones sine ordine, ad alia atque alia obiecta ruentes, in hac Domini concione dictum est: Intrate per angustam portam, hoc est, tantum in verbo Dei seu iuxta normam traditam divinitus, ambulate.

Cavete vobis a Pseudoprophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, etc.

Quemadmodum periti ac fidelis est medici, aegrotos utrumque monere, videlicet, et quibus cibis atque remediis utendum sit, et a quo genere cibi ac potionis abstinendum, veluti, si quis febricitans, seu febri laborans, magnos aestus caloresque sentiat, ei solet interdici, ut omnino vinum nec bibat nec adhibeat: ita necesse est pium, fidelem ac eruditum Ecclesiae doctorem utrumque praestare, id est, non tantum veram doctrinam simpliciter ac fideliter proponere, repetere, et illustrare, ut auditores eam perspicue intelligant, et gratis animis amplectantur, sed adiungere etiam reprehensiones atque refutatio-

nes falsorum dogmatum et corruptelarum, ut auditor admonitus errores cum pia doctrina pugnantes possit agnitos, tanquam venena perniciosa vitare, fugere, et exsecrari. Postquam igitur Dominus proposuit in praecedentibus concionibus doctrinam integram et incorruptam de Lege ac Evangelio, addit nunc hanc praemonitionem, seu commonefactionem necessariam de fugiendis doctrinae corruptelis, de vitandis ac detestandis falsis et impiis dogmatibus, de deserendis atque cavendis Pseudoprophetis, seu fanaticis et perversis doctoribus.

Ut autem hoc mandatum passim in scriptura repetitur, ita vobis etiam saepe multumque proponi solet et inculcari, quemadmodum res loquitur ipsa, prorsus id necessario fieri. Nec enim cessat, interquiescit, aut languet otio Diabolus, sed intentus in occasiones, subinde incitat inquieta, curiosa et petulantia ingenia, ad conturbandos cavillationibus et sophismatum praestigiis limpidos fontes verae ac salutaris doctrinae, ad corruptelas vaferrime admiscendas recte traditis, ad accendenda nova et infinita dissidia, ad quaerenda bella domestica, ad movendas seditiones, ad Ecclesiae vulnera magis magisque crudelissime dilaceranda, et odiis, et sophistica: sicut vidistis ipsi, inde usque ab initio doctrinae scriptis et voce Lutheri renovatae, quotannis fere novos sectarum et factionum furores extitisse, perinde ut resecta hydrae Lerneae capita suppullulasse finguntur in poetarum fabulis. Primum exortus est furor seditionis rusticanae, in qua hominum supra centum millia passim trucidata, misere perierunt; hoc enim expetebat et machinabatur Satanas. Non longo intervallo post exarsit funestum bellum inter pagos Helveticos. Secutus est furor Anabaptisticae sectae, et Monasteriensis tragoedia plena horribilium, immanium et tristissimorum exemplorum. Iam iidem fanatici Anabaptistae velut instauratis copiis ad redintegrandum praelium concurrentes, non solum veteres perniciosos errores denuo spargunt, sed addunt denuo nova deliria, magis prodigiosa, et tetriores blasphemias: serunt factiones et discordias in populo, denique sunt faces ac tubae seditionum, cupientes horribile incendium excitare, quo paulo post conflagrare Germaniam laetentur.

Ex huiusmodi crassis et insignibus exemplis cuivis perspicuum fuerit, quam necessarium sit hanc praemonitionem publice crebro repeti, de cavendis contagiis errorum, seu falsorum dogmatum, et omnibus corruptelis doctrinae coelestis. Quocirca debebant homines adeo gravem et necessariam commonefactionem non oscitanter audire, sed assidua meditatione mentibus affigere, ut ea cogitatione exsuscitati tanto studiosius et attentius veram doctrinam discerent, tantoque diligentius et circumspectius falsae doctrinae contagia pestifera vitarent.

Porro generales illae ac universales gnomae singulis familiariter notae sint, Galat. 1.: Si quis aliud Evangelium docuerit, Anathema sit. Item 2. Iohannis 1.: Si quis venerit ad vos non afferens hanc doctrinam, eum nec recipiatis in domum, nec salvere iubeatis: nam qui salutem dicit ei, communicat operibus eius malis. Denique passim ac subinde mandatum de fugienda falsa doctrina, atque deserendis Pseudoprophetis in scriptura divina repetitum est.

Sed hic agitatur prima quaestio: Si necesse est vitare falsam doctrinam et impia dogmata, certe prius oportet praescriptam seu constitutam esse certam regulam, et normam immotam, iuxta quam diiudicentur dogmata, ut possit agnosci vera doctrina et illustre discrimen retineri. Ad hanc obiectionem perspicua, certa et firma responsio est: Deus praescripsit ac tradidit tibi planam, certam, et immotam regulam, quando Pater aeternus sonat hanc vocem de coelo Matthaei 17.: Hic est Filius meus dilectus, quo delector, hunc audite. At constat Christi doctrinam verissime ac clarissime in scriptis Prophetarum ac Apostolorum comprehensam esse. Quod enim Papa Romanus, et tota factio Pontificia clamitat, Scripturam, id est, sermonem divinum esse similem foliis Sibyllae, obscurum, incertum, et ambiguum: manifesta et non toleranda blasphemia est. Amantes enim et quaerentes veritatem, modo sani sint, et mediocriter instituti in Ecclesia, manifestissime ac explicatissime reperient, perspicient, atque deprehendent eam in libris Propheticis et Apostolicis. Sed qui cavillationes, rixas, et sophismata quaerunt, hi magis magisque fascinantur, excoecantur, et volentes ruunt atque merguntur in tenebras. Etenim summam universae scripturae sacrae de locis, seu articulis necessariis complectitur, et continet communis doctrina Catechismi vestri. Quandocunque igitur auditis doctrinam pugnantem cum aliquo articulorum Catechismi, eam certo sciatis

esse falsam, nec congruere cum doctrina clare et certo in scriptura a Prophetis, Christo et Apostolis tradita, proinde serio debetis et ingenti impetu animi, seu ardenti zelo fugere hoc dogma et exsecrari.

Exempli causa: Iudaei negant Messiam fore natura Deum, sed contendunt tantum habiturum humanam naturam. Idem proclamat Mahometus: ac saepe blasphemus hic error late sparsus, atque magnam partem orbis terrarum pervagatus est, ut cum Hebion, Cerinthus, Samosatenus et alii fanatici furenter ac impudenter Christo detraxerunt divinam naturam, quem finxerunt tantum fuisse hominem.

Huic tetrae blasphemiae vos opponite Catechismi doctrinam, quae asseverat, in Christo, nato ex virgine Maria, duas esse naturas, divinam et humanam. Quia Symbolum Nicenum expresse dicit, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, genitum, non factum, consubstantialem Patri, et quidem huius articuli firmum ac evidens testimonium atque fundamentum est narratio Iohannis Apostoli, qui descripturus naturas in Christo, orditur a divina Iohann. 1.; sed adiungi possunt similia manifestissima et certissima testimonia, quae passim extant in Prophetarum et Apostolorum scriptis.

Aliud exemplum.

Papa Romanus vociferatur, te consequi remissionem peccatorum, reconciliationem et acceptationem ad vitam aeternam propter sacrificium Missae, et observationem cultuum Monasticorum. Contra haec Papistica deliramenta docet Catechismus, remissionem peccatorum nequaquam dari propter ulla merita nostra, vel rituum et ceremoniarum observationes, sed accipi fide gratis, propter filium Dei mediatorem Dominum nostrum Iesum Christum, remissionem peccatorum, reconciliationem seu iustificationem, donationem Spiritus sancti, et haereditatem salutis ac vitae sempiternae. Iam quanta contumelia est adversus filium Dei Iesum Christum, honorem et cultum soli ipsi debitum, attribuere sordidis operibus humanarum traditionum, seu transferre causam remissionis in opus Monachi Missatoris. Verum satis haec perspicue et luculenter explicantur in Catechesi: quam puerilem doctrinam Catechismi vestri nostis firmissime constitutam, fultam, fixam, et fundatam esse plurimis testimoniis coelestium et divinarum concionum sacrae scripturae.

Tertium exemplum.

Anabaptistae et Antinomi furenter clamitant: Iustos esse omnino a Lege liberatos, ideoque licere renatis facere quicquid libet, committere caedes, adulteria, etc. Postea hos Diabolicos impetus affirmant esse motus Spiritus sancti, etc. Adversus huiusmodi fanatica deliramenta munit et confirmat te vox Decalogi in Catechismo, expresse recitans has severissimas prohibitiones divinas: Non occides, Non moechaberis, etc. Nam haec ipsa lex moralis est aeterna et immota, cum sit in aeterno Deo sapientia, et norma iustitiae prorsus immutabilis: cum qua lege, seu cum quibus praeceptis Decalogi, quicquid non congruit, sed pugnat, verissime peccatum est. Nec liberatio a lege intelligatur licentia violandi legem Dei contra conscientiam. Non enim potest exstingui Decalogus, aut ita abrogari, ut peccatum non amplius sit peccatum: sed credentes ideo liberati sunt a maledictione legis, ut fide vincente tentationes, caveant lapsus contra conscientiam, imo, ut deposito et abiecto peccato, vestiantur nova luce, iustitia, castitate et caeteris virtutibus congruentibus ad ipsam legem sonantem in monte Sina.

Ut enim commode valentes tunc dicuntur a morbis liberi, quando convaluerunt recuperata sanitate: ita liberati a lege ac peccato dicuntur, qui repugnantes peccati reliquiis paulatim prorsus abolendis, iam fide vivificati sunt, et habent novam lucem, consolationem, ac novos motus in corde conformes seu congruentes legi divinae, etc. Quemadmodum in hanc sententiam saepe alias copiosius proponi necessarias commonefactiones meministis.

Quartum exemplum.

Si quis contendat, te iustum esse propter Deum inhabitantem, seu, ut fingit Osiander, propter iustitiam essentialem in Deo, quae efficit te iusta facere. Hunc modum iustificationis enthusiasticum refutat itidem doctrina Catechismi tui, in articulo fidei de remissione peccatorum, et reconciliatione gratuita propter obedientiam mediatoris Christi. Docet enim Catechesis, quod etiamsi verissimum sit, Deum habitare ac effica-

cem esse in universis, tamen quia cor tuum sentit adhuc plurimum infirmitatis, sordium, et peccatorum, ideoque cogeris fateri te non habere iustitiam essentialem, seu integram conformitatem cum Deo absque ullo peccato, sed propter naturam immundam, oppressam mole peccatorum et ream, te meritum esse poenas, iuxta confessionem Psalmi 143.: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens: ideo in hoc agone, seu angore, et sensu irae Dei debeat ostendi Mediator Deus et homo, id est, cordi tuo debeat esse nota, et infixa, atque praelucere haec consolatio promissionis ac vocis Evangelii: quod affirmat te propter obedientiam filii Dei certo habere remissionem peccatorum, ac iustum, id est, reconciliatum et acceptum esse, atque ita placere Deo vestitum iustitia Mediatoris. Quemadmodum haec Pauli verba Rom. 5. clare testantur: Iustificati fide pacem habemus apud Deum, etc. Nec in lucta nititur fides inhabitatione, seu iustitia essentiali efficiente nos iusta facere, id est, non quaerit nec intuetur novitatem accensam in agnitione Christi, sed confugiens ad Christum propitiatorem nititur merito et intercessione Mediatoris.

Ita proposuimus aliquot exempla, in quibus liquido apparet, Catechesin, seu doctrinam Catechismi, esse compendiariam, immotam, et certam regulam seu normam, secundum quam et possunt et debent diiudicari dogmata. Quare cum primis necessarium est diligenter discere, et assidue meditari, ac circumferre animo elementa pietatis, quae proponi solent in Catechesi, ut vulgo vocant. Et quidem de regula, iuxta quam iudicia fieri debent, hactenus.

Ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Adiungit etiam Dominus noster Iesus Christus perspicuam notam, seu regulam, qua doctores seu dogmatistae debent deprehendi, discerni, iudicari, iubens falsos Prophetas ex ipsorum fructibus agnosci. Quae verba intelligantur, ut modo dictum est, de manifeste falsis dogmatibus; fructus enim significant impiam seu falsam doctrinam, sive de uno, sive de pluribus articulis, pugnantem cum fundamento, id est, cum necessariis articulis, seu locis, seu partibus Christianae doctrinae. Si quis igitur dogmatista pie admonitus, pertinaciter defendit insignes aliquos errores, cum fundamento, id est, Lege divina et Evangelio pugnantes, is doctor ut hostis Dei et fascinatus a Diabolo, deserendus atque cavendus, eiusque dogma ceu praesentissimum venenum fugiendum ac exsecrandum est. De hoc fructuum genere loquitur Dominus.

Ac si quando accidit, quod saepe solet usu venire, ut aliquis praestigiator subtilius proponat, et fucis pingat errorem in articulo quopiam minus conspicuum ac difficilem deprehensu: tu tamen circumspice, et considera universum corpus doctrinae, quod profitetur, in quo si alios manifeste impios errores deprehenderis, quos admonitus dogmatista pertinaciter defendit, tunc sane deprehendes signa et indicia non fallacia fanaticae mentis et agitatae malo spiritu.

Exempli gratia.

Anabaptistae conantes labefactare articulum de Baptismo infantium, sua hypocrisi et auctoritate non paucorum conscientias exercebant et perturbabant, cum sic ratiocinentur: Infantes nondum intelligunt verbum, nec, quid Baptismus, nec, quid Christiana professio seu doctrina sit, suspicari possunt. Ergo non prodest eis Baptismus, sed est otiosa ceremonia.

Si quis igitur in hoc articulo haeret aut dubitat, sicut multi turbantur his praestigiis disputationum, is interim dispiciat caeteros articulos manifestiores, et minus obscuros: tunc consideratis fundamentis, seu hypothesibus totius corporis doctrinae Anabaptisticae, deprehendet plurimum teterrimi veneni, prodigiosarum superstitionum, et Diabolicorum deliramentorum in Anabaptistico dogmate confuso ex multarum veterum sectarum furoribus, tanquam in multiplici et monstrosa Chimaera, misceri atque contineri. Ut, ad defensionem huius articuli, quo negant infantes baptizandos esse, assumunt Anabaptistae alias hypotheses, seu plures errores insigniores, ac manifeste falsos atque fanaticos, videlicet, quod in universum negant totam doctrinam de peccato originis. Fingunt omnes infantes, sive apud Turcos, sive blasphemos Iudaeos, sive Ethnicos, sive Tartaros, sive Mahometistas, sive ubicunque gentium extra Ecclesiam, nascantur, nec afferre nec habere peccatum, sed simpliciter, etiam sine regeneratione, haeredes esse salutis aeternae. Praeterea manifesti furores sunt, quod contendunt Anabaptistae, non licere Christianis tenere

proprium, habere divitias, exercere iudicia, gerere magistratus, etc. id est, damnant omnia civilia et politica officia. Addunt et hunc horribilem ac perniciosissimum errorem, quod in semel conversis post baptismum nullae actiones, quantumvis sceleratae ac nefariae, sint peccata, quod ruentes contra conscientiam, tamen sint iusti, et retineant Spiritum sanctum, quod concessum sit cuivis baptizato indulgere quibuslibet furoribus, rapere coniugem, liberos, facultates alterius, etc.

Haec prodigiosa et diabolica deliria admiscent et adiungunt Anabaptistae suo dogmati de baptismo parvulorum.

Cum autem unusquilibet sanus, et mediocriter intelligens doctrinam Ecclesiae possit, Dei beneficio, perspicue iudicare ac deprehendere hos manifestos furores Anabaptistarum: idem facile hinc colligere poterit, imo certissime statuet, hos ipsos dogmatistas esse Pseudoprophetas, nec ad Ecclesiam pertinere, sed agitari a Diabolis, et propter haec manifesta signa fugiendum et exsecrandum esse contagium Anabaptisticum: ideoque de caeteris articulis obscurioribus, aut subtilioribus, de quibus adhuc dubitat, desertis fanaticis Anabaptistis, audiat aliorum piorum recte docentium explicationes atque iudicia.

Hoc modo praecipit Apostolus 1. Iohann. 4.: Dilecti, ne credatis omni Spiritui, sed explorate spiritus, an ex Deo sint, etc.

Certissimum est autem, eos, qui fideliter admoniti a piis et eruditis, contumaciter perseverant in defensione unius aut plurium articulorum pugnantium cum fundamento, seu cum praecipuis capitibus Christianae doctrinae, id est, cum Lege divina seu Decalogo, et Symbolo sive articulis fidei, eos, inquam, pertinaces defensores errorum, verissime Dei hostes et excoecatos esse, agitari a Diabolis, ac impelli ex aliis deliriis in alia. Quam miseriam talium fanaticorum textus Iohann. 8. describit tristissimis verbis, cum dicitur hostibus Christi: Vos ex patre Diabolo estis. Manet enim in omnem aeternitatem vera Pauli regula 1. Corinth. 3.: Fundamentum aliud ponere nemo potest, praeter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. Quicquid igitur pugnat cum hoc fundamento, id ducatur esse tetrum mendacium et perniciosum venenum, quod in mundum propterea spargunt et evomunt furentes ac frementes Diaboli, cum ut Deum contumelia afficiant, tum ut plurimos homines avulsos a Deo tandem praecipitent in aeternum exitium, denique in hac vita fugaci et aerumnosa turbationes assiduas, continua parricidia, et infinitas miserias excitent. Quemadmodum palpando fere deprehendere potestis Papae et Anabaptistarum impia mendacia spectare et intenta esse etiam ad caedes corporum, et dilacerationes atque eversiones rerumpublicarum moliendas ac efficiendas.

Hactenus audivistis, quae sit regula, secundum quam universaliter iudicium de dogmatibus fieri debeat, ut quomodo Pseudoprophetae seu falsi doctores agnoscendi sint, ex fructibus videlicet, ex manifesto aliquo impio dogmate, quod impossibile est cadere in Ecclesiam. Sed falsam doctrinam Pseudoprophetarum, postea comitantur alii fructus, in vita et moribus: cum adduntur erroribus manifesta peccata seu scelera, ut seditiones, et homicidia, quae etiam sunt perspicuae ac peculiares notae mentis fanaticae et agitatae a Diabolis. Quia fanatici haec quantumvis manifesta scelera defendunt, et palliant praetextu doctrinae suae, imo iactitant se divinitus armari, et exstimulari singulari quodam zelo et impetu ad hos nefarios conatus.

Tantum de dicto: Ex fructibus ipsorum agnoscetis eos.

Porro in textu pinguntur Pseudoprobetae imagine luporum rapacium, qui tamen in caulas irrepant tecti vestimentis ovium, id est, per hypocrisin et sophisticam, tanquam singulares commendationes, insinuent sese in animos populi. Est enim duplex hic vestitus: impostura videlicet, et hypocrisis, in simulatione insignis probitatis, humilitatis, sanctimoniaeque fictae, et sophistica, fallens imperitos male detortis scripturis, id est, testimoniis Prophetarum, Apostolorum, et eruditorum patrum, seu doctorum Ecclesiae, vel mutilatis truncatisque, vel calumniose, nec bona fide citatis, et inconcinne, a nativa sententia ad peregrinam et alienam translatis: item citatis aliorum exemplis, vel impertinentibus atque dissimilibus, vel non congruentibus cum regula, seu vitiosis. Ac hypocrisis quidem illa, simulatioque humilitatis, patientiae, ac sanctimoniae omnibus aetatibus cepit atque decepit plurimorum hominum animos. Ut Manichaei iactitabant singulares illuminationes, revelationes et afflatus, seu peculiaria colloquia cum Deo. Et nos ipsi audi-

vimus huiusmodi impostorem, Nicolaum Storch, seu Pelargum, autorem sectae Anabaptisticae, falso gloriantem, sibi apparuisse Angelos visibili specie, qui vaticinati essent, ipsum fore instauratorem ac reformatorem Ecclesiarum. Addebat, repurgationem doctrinae a Luthero institutam nondum penetrasse ad vivos fontes, nec ex veris fundamentis exstructam esse: sicut hoc etiam tempore multi clamose ac tumultuose contendunt.

Hic Enthusiasta, Nicolaus Storch, tandem Monaci in hospitali, seu nosocomio miserabiliter mortuus est. Infelix vero discipulus Nicolai, Thomas Monetarius, concitabat in Thuringia seditionem rusticorum, propter quod scelus capite cervicibus abscisso supplicium magistratui solvit.

Sanctus Paulus ad Colossenses capite 2. iubet cavere, ne decipiamur his artificiis, ac imposturis hypocritarum, iactantium singulares revelationes, peculiares illuminationes, et afflatus divinos in movendis non necessariis. Sed tanta est hominum curiositas atque perversitas, ut vagabundis animis circumspectent, ac desiderent praestigias gestuum Enthusiasticorum, de industria simulatorum, et facile fidem habeant, atque volentes sibi fucum fieri patiantur eiusmodi manifestis mendaciis.

Altera pellis Pseudoprophetarum, qua velut ovium villis contextis vestiri solent, est sophistica, calumniose citans, et violenter detorquens, vel dicta scripturae, vel exempla veterum. Quemadmodum insani Monachi praetexunt suis observationibus superstitiosis exempla divi Antonii, Hilarionis, et aliorum Eremitarum. Item allegant dictum Christi Matth. 19. inepte detortum: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, ac sequere me. Ac constat usitatissimum esse in plurimis negotiis et controversiis, ut impostores varie ludant citandis dictis impertinentibus, et exemplis alienis ac inconvenientibus: quo quidem praetextu, et artificio multi homines decepti abducuntur a vero, et maximis erroribus implicantur. Veruntamen, si quis recte didicit, intelligit, ac meminit doctrinam Catechismi, ne ille satis, aut mediocriter profecto, confirmare poterit et munire animum adversus haec duo genera insidiarum et imposturarum.

Quantopere Papistici urgent, inculcant, ostentant vocabulum sacrificii? arreptum ex scriptis veterum, qui frequenter usurparunt nomen sacrificii de Missa, id est, de tota ceremonia, seu de tota actione interiore et exteriore pie utentium coena Domini: sed illi postea, affingentes sua somnia, conantur praetextu unius vocabuli (perinde quasi sacrificium significet quidquid ipsis libet) confirmare ac stabilire omnes suos teterrimos errores de Missa. Itaque sic argumentantur: Sacrificium est opus a sacerdote faciendum seu offerendum pro aliis, quibus applicatum meretur reconciliationem seu gratiam, confert item fortunam prosperam, et felices successus in omnibus rebus.

Ac vetus Ecclesia utitur nomine sacrificii de Missa.

Ergo Missa sit singularis, proprius ac peculiaris sacrificulorum cultus, meritorius, et applicabilis pro aliis: et conducantur plurimi Missatores, qui quotidianis et innumerabilibus sacrificiis privatarum Missarum promereantur ac conferant aliis gratiam Dei, fortunae prosperitatem, et bonos successus, amoliantur item mala et pericula impendentia, etc.

Huiusmodi confictis praestigiis, ac fucatis ineptiis sese venditant et magnifice efferunt Papistici. Sed si tu iecisti fideliter in animo fundamenta doctrinae Catechismi, tenes hoc firmum et perspicuum fundamentum: quod necesse sit te accipere, consequi, et applicari tibi gratiam, seu reconciliationem, seu meritum oblationis ac sacrificii Christi, propria fide, intuente et apprehendente filium Dei unicum deprecatorem ac propitiatorem, qui universa obedientia, et humiliatione sua usque ad resurrectionem satisfecit iustitiae Dei, et placavit iram maiestatis divinae, persoluta poena pro nobis in tota sua passione ac morte: de quo unico sacrificio propitiatorio dictum est ad Ebraeos 10.: Unico sacrificio Christus consummavit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Ergo manifestissimum est, te nequaquam reconciliari et sanctificari, per et propter externum sacrificium seu opus Monachi vel sacrificuli Missatoris.

Huiusmodi exempla vel sexcenta proferri possent, ex disputationibus atque controversiis, quae nostra aetate de religione exstiterunt, ac hoc ipso tempore vehementius agitantur et incitantur: unde possit evidenter conspici, ac demonstrari, sycophantas, et sophisticos illos Rhetores, atque scriptores Romani Pontificis, in excusatione, seu defensione abusuum et errorum Papisticorum,

tantum usurpare vetustate detritas, viles, rancidas atque laceras ovium pelles, aut potius, ut in proverbio est, lanas caprinas male contextas et consutas: quarum laciniarum coagmentatio, seu sutela, non est firmior, nec magis cohaeret, quam si necterent funiculos ex arena, aut fracta ovi putamina glutino sarcire ac compingere conarentur.

Haec breviter iam dicta sufficiant hoc loco ad enarrationem textus praesentis. Quibus tamen adhuc duae commonefactiones necessario sunt addendae. Prior, de cura discendi, seu studio doctrinae; altera, de seiunctione, et desertione ordinariae congregationis, aut potestatis, quam nominant Schisma.

Dixi priorem commonefactionem esse de cognoscenda doctrina, seu cura discendi. Auditis enim Dominum praecipere, ut caveamus Pseudoprophetas. Vult igitur et mandat cognosci doctrinam divinitus traditam, legi, disci et attente considerari scripta Prophetica et Apostolica, iudicium fieri de dogmatibus, improbari, reiici, vitari falsam doctrinam et impios doctores. Haec enim ut necessario coniuncta sunt, ita hic omnia comprehendi intelligantur. Nam qui vitandus, fugiendus, improbandus, ac deserendus est, de eo certe iudicium fieri oportet. Constat autem, nec ordine, nec legitime, nec recte iudicari posse, multo minus pie, vel autoritate divina, pronunciari ab iis, qui nec norunt, nec intelligunt, nec didicerunt doctrinam coelestem. Propterea omnes leges, cum divinae tum humanae, severissime mandant, ut constituti iudices controversiarum servent ordinem legitimum in cognitione causae, seu inquisitione veritatis, ut prius audiant attente, diligenter investigent, accurate cognoscant, et probe discant fundamenta causae, seu controversiarum momenta.

Sic expresse praecipitur Deuter. 1.: Audite eos, et quod iustum est iudicate. Et cap. 17.: Si hoc tibi fuerit denunciatum, audiensque inquisieris diligenter, et verum esse compereris, tunc convictum tanti sceleris punies, etc. Ita in his gravissimis, difficillimis, periculosissimis, maximique momenti controversiis religionis, atque in iudiciis de doctrina, pertinente ad gloriam Dei, ad singulorum hominum salutem, ad universae Ecclesiae incolumitatem, propagationem et incrementa, ad tranquillitatem status publici, quis non videt, quantopere necessarium sit, et quanti referat, ut instituatur legitima cognitio, ut ordine discantur, placide audiantur, diligenter inquirantur, et recte intelligantur fontes controversiarum, atque fundamenta negotiorum, de quibus iudicare, seu statuere singulos opus est? Itaque, ut iudicium de doctrina pertinet ad universam Ecclesiam, et singulos pios, ita unicuique vestrum, peculiariter etiam sua causa, plane necessaria est vera cognitio et diligens inquisitio, in qua capita, seu summam doctrinae coelestis, ordine, pie, ac integre singuli discant. Accedat autem assidua et ardens invocatio Dei, qua lectioni et studio misceantur veri gemitus, et petatur, ut Deus regat iudicium, accendat veram lucem, intellectum verbi sui, et pios affectus in mentibus: quemadmodum Propheta serio animi motu clamitat Psalmo 119.: Ah Domine fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, et iustificationes tuas doce me.

Iam scitis proh dolor usitatissimum esse, ut plurimi scioli sibi sumant iudicium de dogmatibus, controversiis ac negotiis difficillimis, sive intelligant, sive ignorent quid agatur, sive sint periti et idonei ad diiudicationem, sive rudes et asini ad lyram: quorum vanitas, impudentia, et arrogantia reprehenditur huiusmodi proverbialibus dictis: Quam quisque novit artem, in hac se exerceat. Item: Remum ducat qui didicit. Item: Aliud est sceptrum, aliud plectrum. Item: Ne sutor ultra crepidam. Et vulgari rhythmo Germanico: Können wir nicht alle dichten, so wöllen wir doch alle richten. Ita hoc tempore congregati sunt in Synodo Tridentina multi Pontifices, Episcopi, Monachi, Sacrificuli, quorum singuli de doctrina Ecclesiae profitentur se iudices atque censores fore, cum nec fundamenta, nec fontes verae pietatis et Christianae religionis unquam didicerint, investigarint aut cognoverint. Talis coecitas, praecipitantia et perversitas iudiciorum in mundo, ut dixi, usitatissima est. At nos debemus et diligentes esse in studio, et in doctrina certi, sicut praecipit Paulus Roman. 14.: Unusquisque sit certus de sua sententia, habeat πληροφορίαν, id est, certitudinem, seu, ut sic loquar, plenam ac firmam assensionem. Et quidem haec ipsa Pauli verba liquet esse sumta ex Moise Deuteron. 17.: Sit veritas certa, firma, explorata, de qua pronuntiaturus es. Sed de priore commonefactione hactenus.

Nunc addemus alteram de seiunctione, dissidiis et schismate.

Meministis saepe repeti mandata divina, de fovenda et tuenda Ecclesiae concordia, de vitandis dissidiis, discessionibus, et disiunctionibus a reliquo corpore, de non faciendis divulsionibus et distractionibus, iuxta praeceptum Pauli, 1. Corinth. 1.: Non sint inter vos schismata, id est, non sitis autores et faces dissidiorum et discordiarum in Ecclesia. Iam cum negari non possit, ipsos Romanos Pontifices, et caeteros Episcopos adiunctos sedi Romanae tot seculis retinuisse successionem in ordinaria gubernatione Ecclesiarum (de qua ordinaria successione Episcoporum, et perpetua certorum collegiorum electione, item inveteratis longoque usu confirmatis consuetudinibus inflatis buccis tantopere gloriantur) certe nos, qui genus doctrinae diversum sumus amplexi, plurimis videmur a communi consensu temere discedentes, turbasse ac labefactasse non necessariis disputationibus coniunctionem et concordiam tot Ecclesiarum Europae. Imo manifestum est, nos non solum dissentire a Pontificiis, sed etiam ipsorum doctrinam reprehendere, taxare et violare traditiones, ritus atque statuta. Inde schisma, dissidium, ac discors certamen exstitit, quod quantum publicarum calamitatum attraxerit, in conspectu quidem et ante oculos positum est. Hic igitur quaestio agitatur: Utrum nos, qui fuimus homines privati, et olim regno Pontificio subiecti, pio consilio, et iustis atque necessariis moti causis, discesserimus ab ordinaria potestate, mutaverimus doctrinam et ritus in Ecclesia, dilaceraverimus consensum et regimen Pontificium: unde tanta populi principumque distractio, tantum ubique dissidiorum, tumultuum et schismatum videtur exstitisse? Hoc ipso scandalo multi sapientes, ac inprimis politici viri adeo moventur et offenduntur, ut nostras Ecclesias acerrime oderint, pertinacissime mutationi doctrinae et rituum adversentur, vocent nos Schismaticos et Haereticos, criminentur nos petulanter accendere atrocissima dissidia, et infinitas distractiones atque seiunctiones moliri, etc. Quibus sane clamoribus atque calumniis atrociter et invidiosissime praegravamur, deformamur, traducimur, ac in odium crimenque vocamur apud summos gubernatores, et autoritate sapientiaque praestantes homines. Adversus has gravissimas querelas, et atrocissimas criminationes hypocritarum, necesse est veram, perspicuam et firmam responsionem exstare. Quamobrem scire debetis, omnino verissimum esse, quod petulantia discordias excitans, distractiones faciens, et accendens dissidia, sit horrendum ac triste peccatum, sicut textus Proverb. 6. expresse dicit: Rixatorem, qui serit discordias inter fratres, abominatur ac detestatur Deus. Hanc gnomen Salomonis diligenter meditemini, memoriaeque mandetis. Nec existimate ludum aut iocum, seu rem parvi momenti, nec reprehensione magnopere dignam esse, turbare, distrahere ac lacerare Ecclesias non necessariis et petulantibus rixis, dissidiis, tumultibus atque discordiis, ortis vel ex curiositate seu *πολυπραγμοσύνη*, vel ex superbia et ambitione, vel ex malevolentia, aemulatione, odiis et invidentia, vel ex cupiditate vindictae: ut nostra aetas, proh dolor, multa vidit et videt exempla.

Quoties enim accidit, ut ingentia certamina moveantur, sine necessariis causis, in quibus *φιλόνικος* aliquis accensus aemulatione, tantum odio sui antagonistae, seu ut aegre faciat et molestus alteri sit, novam aut peregrinam opinionem aliquam fucis sophismatum defendit et ornat, quam non ignorat ipse a veritate alienam, nec fundatam esse, aut niti ullis evidentibus atque certis scripturae testimoniis, vel perspicuis firmis verationibus! Quoties fit, ut Diabolus ex ipso corpore Ecclesiae pulcre consentientis excitet aliquos, qui propter privatas cupiditates, aut similes causas, ab animorum et voluntatum alienatione ad dissensiones de doctrina provecti, arripiunt aliquod dogma plausibile, seu gratum vulgo, quod ideo tantum omnis generis artibus atque machinis pertinaciter tuentur, non quia verum esse iudicant, sed quia voluptati est, dissentientes odiosissime traducere, insectari et criminari? Proinde decurrunt ad partes atque factiones, quibus latissime vagantibus communiti, tandem quicquid possunt veneni in antagonistas evomunt, et privata quaedam odia ulciscuntur publica Ecclesiarum calamitate. Plena exemplorum est historia omnium aetatum, sed non est opus procul exempla repetere, cum sint ob oculos praesentia. Quanta enim proximis annis sparserunt pestilentis discordiae ac implacabilium dissidiorum semina, rixosi quidam clamatores et sycophantici scriptores, dum de linea veste, ac similibus rebus atque ritibus (suo genere non vitiosis, et adhuc usitatis magna ex parte in nostris Ecclesiis) tan-

quam de asini umbra, ut in proverbio dicitur, aut de lana caprina, tumultuose ac plus quam tragice contendentes atque digladiantes, et crudeliter omnia miscere conantes, his adeo saevis distractionibus opinionum et voluntatum, et turbulentissimis tempestatibus, quibus paene obruimur, occasionem suis amarulentis criminationibus atque calumniis praebuerunt.

Etsi autem, ut dixi, non leve scelus est, petulanter ordinaria potestate deserta, non necessarii schismatis autorem esse: tamen politicis sermonibus, exaggerantibus atrocitatem cuiuscunque schismatis, et pericula labefactatae concordiae quacunque de causa, pii opponant regulam verissimam, perspicuam et immotam, quae docet, quod sit severissima Dei voluntas et immutabile mandatum, ut omnem idololatriam, omnes impios cultus, omnem doctrinam dissentientem ab Evangelio fugiamus, improbemus et exsecremur. Haec regula sumitur ex primo praecepto Decalogi, et aliis firmissimis testimoniis divinis. Nam Decalogus praecipit: Non habebis Deos alienos. Et de doctrinae corruptelis Paulus inquit Gal. 1.: Si quis aliud Evangelium docebit, Anathema sit. Item Apostoli in Actis capit. 4. respondent: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.

Haec et similia generalia mandata pertinent ad omnes absque ullo discrimine. Ergo non dubium est huiusmodi dicta omnibus hominibus, singulis Regibus, Principibus, Episcopis, et privatis civibus praecipere, ut discant, amplectantur et confiteantur veram doctrinam quocunque tempore, ac fugiant toto pectore, publica professione reiiciant, et improbent omnes idololatricos cultus et quamcunque impiam doctrinam, seu quaecunque falsa dogmata. Sed illa commonefactio, quam supra inculcavi, repetita hoc loco, praesenti regulae adiungatur, scilicet, quod oporteat dissentientes ab ordinaria potestate certos esse de veritate doctrinae, quam profitentur et amplectuntur, sicut antea citavimus verba Deut. 17.: Sit veritas certa, etc. id est, prius doctrinam studeas ex veris fontibus atque fundamentis recte ac ordine discere, pie, dextre, perspicueque intelligere, quam postquam, convictus et confirmatus testimoniis scripturae, agnoscis et intelligis esse veritatem divinitus traditam, tunc, inquam, agnita et intellecta veritate, debes hanc obedientiam Deo (in quocunque genere vitae versaris, sive magistratum geris, aliorumve consilia gubernas, sive plebeius civis es) ut piam doctrinam et veras sententias amplectaris, celebres, et confitearis propter gloriam Dei, propriae salutis tuae causa, et ad propagationem ac incrementa Catholicae Ecclesiae Christi. Si propter hoc studium veritatis, et piam confessionem, Papa, Episcopi, Reges ac Principes expellent te ex suis coetibus, et hostiliter adversus te grassabuntur, atque ita distractiones, dissidia, schismata et ingentes discordiae orientur: viderint illi, quorum est culpa, scilicet, tyranni, hypocritae et alii autores tam horribilium dissensionum et seiunctionum, seque ad reddendam Deo rationem praeparent; tu quidem nec ideo ab Ecclesia Catholica seiunctus, nec turbatae concordiae, dilacerative consensus publici crimine condemnandus es, quod veritatis coelestis lucem omnibus vitae commodis, et publicae privataeque tranquillitati non dubitas anteferre, sed ob id alienissimus ab hac culpa, potiusque laude dignus, et officio recte functus esse iudicari debes. Quemadmodum testatur Eliae Prophetae exemplum, cui cum impius rex Achab obiiceret crimen turbatae concordiae, et convulsi status publici, 3. Regum. 18. inquiens: Tune es ille, qui conturbat Israël? ipse tyranno graviter respondet: Imo non ego turbavi Israël, sed tu ipse autor es turbationum, colendis ac stabiliendis Idolis, etc.

Porro res ipsa loquitur, ac vos scitis, Papam, Episcopos atque doctrinam Pontificiam, seu Papisticam, a nobis taxari, improbari, ac refutari in controversiis plane perspicuis, illustribus, necessariis, et maximi sane momenti. In qua quidem necessaria reprehensione studuimus intra iustas metas manere, fideliter universa Ecclesiae doctrina, inquisitis fontibus, explicata, tantumque docendo, non seditionibus et armis propagata. Lucet igitur in nostris Ecclesiis, Dei beneficio, certa et perspicua veritas, adversus Papam, Episcopos, Monachos, omnesque factionis Pontificiae manipulares ac satellites: quorum multi tetri errores, et multi abusus adeo manifesti sunt, ut facillime agnosci et iudicari ab omnibus communi sensu praeditis possint.

Exempli gratia.

Certa et immota veritas est: manifesta mendacia, et contumeliosa adversus filium Dei doceri ab iis, qui dicunt, homines mereri remissionem peccatorum, propriis operibus, cultu Missarum, exercitiis vitae Monasticae, peregrinationibus ad

loca Sanctorum, et concursationibus ad certas statuas, etc. Item, manifestum mendacium est, et horribilis idololatria, quod sancti homines, qui ex hac vita discesserunt, invocandi sint. Item, quantus furor est! quam manifesta impietas! quam tetra idololatria seu idolomania! quod in theatricis pompis circumfertur, ostentatur, adoratur, et invocatur hostia, seu panis ille consecratus, loco Christi, quem alligant ibi Papistae, contra rationem Sacramenti, seu extra et praeter verbum Dei, loquens expresse de sumtione, non de ullis spectaculis rei extra usum divinitus institutum. Item, quantum manifestae turpitudinis, et insignium mendaciorum continetur in lege Pontificia de coelibatu! qua sacerdotibus et aliis idoneis ad coniugium praecipitur, ne in legitimo coniugio caste vivant. Item, manifestum mendacium et horribilis error est, quod Papistae iubent homines perpetuo dubitare, an habeant remissionem peccatorum, et an placeant Deo. Item, crassum et manifestum mendacium est, quod flagitant in confessione, apud administrantes Sacramenta, enumerationem singulorum delictorum, tanquam necessariam, seu mandatam iure divino. Denique superstitio et manifestum mendacium est, quod affirmant Papistae, discrimina ciborum, et similium rituum, autoritate humana in Ecclesia institutorum, observationes, esse peculiares Dei cultus, et opera necessaria, nec omitti posse sine peccato, etiam extra casum scandali, etc.

Haec ideo prolixius enumeravi, primum, ut in publicis dissensionibus de doctrina, consideretis attente, de quibus articulis exoriantur controversiae, et moveantur ac maneant certamina; deinde, ut hac consolatione animos confirmetis et muniatis, quod sit immotum et severissimum Dei mandatum, ut singuli veritatem seu coelestem doctrinam cognoscamus, amplectamur, et confiteamur, quodque necesse sit, idola, et impia seu falsa dogmata taxari, improbari, refutari, ac vitari, iuxta vocem primi praecepti: Non habebis Deos alienos. Hoc primum et summum mandatum prorsus est immutabile, et indispensabile, ac longe anteferendum potentiae, autoritati, sapientiae, legibus et traditionibus omnium hominum.

Filius Dei, Dominus ac Salvator noster Iesus Christus, perpetuo nobis adsit impertiens suam gratiam Spiritu sancto in pectora effuso, ut lucem ac veritatem incorruptae doctrinae firma fide conservemus atque retineamus, ipsumque vera pietate et gratitudine, veris officiis et honoribus in omni aeternitate colamus: quemadmodum paulo ante agonem precatus est ipse aeternum Patrem, Iohann. 17.: Pater, sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas, Amen.

Non omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum coelorum, sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in coelis est, ipse intrabit in regnum coelorum, etc.

Carissimi auditores: Ad hanc satis prolixam concionem ab Evangelista Matthaeo luculenter hic descriptam, et a Domino haud dubie crebro repetitam, circa finem, loco perorationis, attexitur, velut epiphonema quoddam, insignis commonefactio seu doctrina, de discrimine inter hypocrisin et veram poenitentiam seu conversionem ad Deum. Ac de utrisque scilicet, hypocritis, et vere conversis, seu renatis, pronuntiat atque decernit Dominus hoc modo et in hanc sententiam: Hypocritas nequaquam placere Deo, sed acceptos esse vere pios, id est, incorrupta fide Deum invocantes, quales sunt omnes, qui reverenter audiunt verbum Dei, idque veris animi motibus amplectuntur, et iuxta eam normam Deo student obedire.

Haec commonefactio comprehenditur et in primo praecepto Decalogi, et in sacris literis repetita subinde, concionibus Propheticis et Apostolicis passim vel adiungitur, vel interponitur, ut Deuteron. 6.: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: etc. Item Iob 13.: Non intrabit coram Deo ullus hypocrita. Constituta autem hac regula, quod reiecti sint hypocritae, quod Deus requirat ac postulet interiores motus voluntatis et cordis, quod coli et invocari velit, non externa simulatione gestuum et ceremoniarum, sed ardenti et vera fide, qua cor in poenitentia credit se recipi et exaudiri propter Mediatorem: iam necessario explicare nos hanc quaestionem oportet. Quinam sint hypocritae, ac e regione, qui vere sint pii, credentes ac sancti. Caeterum quo facilius, et planius hanc quaestionem diiudicet unusquisque vestrum, operae pretium fuerit haec, quae sequentur, assidua meditatione, velut intimis animi sensibus infigere.

Itaque primum memineris, singulos homines non exiguam partem hypocriticae simulationis et securitatis circumferre; ac si quando vel quaerere, vel coram intueri libebit hypocritam, con-

templeris te ipsum, velut in Socratico speculo, et, ut vulgo loquimur, in temet ipsum descendas, seu in tuum ipsius sinum inspuas: hinc et quidnam sit hypocrisis, et tuam hanc esse propriam virtutem cognosces. Scriptum est enim Psalmo 116.: Omnis homo est mendax, id est, hypocrita, scilicet, non vere timens Deum, seu non satis metuens iram Dei nec ardens fide, seu non satis confidens misericordiae, sicut debebat. Verum hoc loco proprie quaeritur de contumacibus et pertinacibus hypocritis, qui nec ad agnitionem sui deduci, nec ad Deum converti, hoc est, nec rudimenta poenitentiae, nec verae fidei initia experiri aut degustare volunt. De hoc genere hypocritarum non nihil nobis hic necessario erit dicendum.

Tales enim sine ulla dubitatione sunt reiecti: ideoque discernendi ab altero genere hypocritarum, misero quidem illo, et multiplici infirmitate ac immunditie deformi, veruntamen docili et sanabili, incipientium scilicet in agnitione imbecillitatis propriae Deo sese subiicere, et ad ipsum converti. Nam pertinaces, atque contumaces hypocritae, intelligantur homines magni ac sapientes, qui sibimet ipsis comminiscuntur religiones, sanctitatem, cultus, quia tument persuasione propriae sapientiae, ac iustitiae, quarum utramque sibi prolixe tribuunt, imo prae se ferunt multiplex decus virtutum, et honestarum actionum in exteriore vita: sed interim cor aut est Epicureum, plenum securitate carnali et contemtu Dei, quales hypocritae fuerunt Cain et Iudas, item quales hoc tempore sunt Papa Romanus, et plerique ex Collegio Cardinalium: aut oppressum fluctibus dubitationum de Deo, ut in Saule ruente in impatientiam et desperationem: denique cor hypocriticum universaliter effertur fiducia sui, nec expavescit coram Deo, donec castigatio seu poena differtur, et antequam calamitatibus opprimitur, quemadmodum Achitopheli et Absolonis exempla testantur.

Ex his igitur et similibus exemplis atque descriptionibus potestis aliquo modo intelligere, vel saltem imaginatione concipere, quinam dicantur praefracti et pertinaces hypocritae: quorum proh dolor in genere humano semper est ingens et horribilis multitudo, etiam inter eos qui nominantur Ecclesia, et populus Dei, ubi sonat vera doctrina sicut Matth. 13. parabola de semine significat.

E regione homines vere pii, vere credentes, vere renati sunt, in quibus et initia sunt verae ac seriae poenitentiae seu conversionis ad Deum, coniunctae cum veris animi pavoribus atque terroribus (quos revera sentiunt ac experiuntur mentes, quando considerantes iram Dei vere deprimuntur, abiiciuntur, humiliantur excussa securitate) et initia verae consolationis, qua per vocem Evangelii sustentantur, eriguntur ac vivificantur corda trepidantia et doloribus oppressa, ut rursus acquiescant in Deo propter Mediatorem, et hac fide inchoënt obedientiam et spem vitae aeternae.

Quod autem singuli qui experiuntur hos veros poenitentiae atque fidei motus, vere placeant, et sint vere filii Dei, comprobant et convincunt haec testimonia. Esaiae ultimo: Ad quem respiciam, nisi ad miserum et contritum spiritu, et trementem sermones meos. Item Psalmo 34.: Prope est Dominus his qui tribulato sunt corde, et contritos spiritu salvabit. Item Psalmo 51.: Sacrificium Deo spiritus afflictus, cor contritum et humiliatum Deus non despiciet. Esaiae 42.: Calamum quassatum non confringet, linum fumigans non exstinguet.

Haec dicta, prorsus perspicua et explicata, monstrant discrimen inter filios Dei et hypocritas. Ubicunque est cor dolens, et expavescens cogitatione irae Dei, quod tamen confugiens ad Deum rursus erigitur consolatione Evangelii, et acquiescit in agnitione Christi: ibi sunt initia verae poenitentiae seu conversionis ad Deum, nec in talibus est hypocrisis impia et divinitus reiecta seu condemnata.

Caeterum secundo loco causa consideretur, quare Dominus hic, per antithesin, mentionem faciat utriusque coetus, scilicet hypocritarum et vere credentium. Ac prior quidem causa concionis huius est, ut hoc ipsum discrimen nobis in conspectu ac familiariter notum sit, nec in hypocrisi perseveremus, et velut impliciti constrictique detineamur. Requirit enim Deus cultores atque ministros, vero motu cordis spontanea seu spiritualia officia praestantes, non fucatos hypocritas, ut Cain, Saulem, Achitophel, et id genus viperarum, quod foris glabrum videtur ac nitidum, sed intus plenum est teterrimi veneni, plenum diffidentiae, ac dubitationum de Deo, plenum contemtus Dei, aut certe plenum horribili

indignatione et fremitu adversus Deum. Proinde primum mandatum sic praecipit: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Item Sanctus Paulus ait Rom. 10.: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem, etc. Et Ioel 2. scriptum est: Convertimini ad me toto corde vestro, et scindite corda vestra, non vestimenta vestra.

Denique haec gravissima doctrina de veris et ardentibus motibus cordis, improbans ac damnans hypocrisin, ubique in verbo Dei proponitur, et assidue repetitur.

Sed dicat aliquis: Ah quomodo potero cor meum mutare seu refingere? quomodo potero exuere et abiicere conatam hypocrisin? optarem equidem et summopere velim penitus ardere cor meum fulgentissima luce fidei, et incendio quodam dilectionis erga Deum.

Huius quaestionis et obiectionis explicatio necessaria est. Etenim quia nemo hominum in hac mortali vita vacat hypocrisi, et singuli sumus infirmi ac immundi, nec sentimus satis acres pavores, satis excitatos et ardentes motus timoris, fidei, dilectionis, spei, laetitiae in Deo, ut sentire debebamus et optaremus: certe plurimum refert, imo necesse est, doceri nos, qua ratione, quo ordine, quibus gradibus et incrementis debeamus proficere, correcta et emendata, quantum fieri potest, interiore pravitate. Necesse est autem expetentes salutarem emendationem, seu volentes proficere, primum agnoscere, quod hypocrisis triste sit peccatum, ac Deo vere displicens, quodque serio Deus irascatur coecitati et ignavo frigori nostrorum cordium, velut in tenebris, ruentium et aversorum ab ipso.

Et quanquam haec ipsa agnitio, unde oriri exercitia poenitentiae oportet, non illustris, initio praesertim, sed subobscura et valde languida est, tamen est initium et quoddam quasi tyrocinium ad salutarem emendationem. Quia necesse est singulos audire, cogitare ac firma assensione amplecti verbum Dei, sic, ut simul accendatur invocatio confugiens ad Deum, et petens auxilium, robur, incrementum, propter filium Mediatorem, Dominum nostrum Iesum Christum. Ita Dominus inquit Matth. 7.: Petite et dabitur vobis, omnis qui petit, accipit. Item Lucae 11.: Quanto magis Pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Haec omnia in nobis initio valde sunt infirma et languida, agnitio nostri, verus dolor et pavor intuens iram Dei adversus peccatum, invocatio, fides, et conversio ad Deum, seu poenitentia inchoans novitatem spiritualem: sed oportet ea magis magisque crescere, confirmari, augeri et corroborari, sicut Marci 9. trepidans Pater veris gemitibus et lacrymis orat se confirmari, clamitans: Credo Domine, sed opem fer imbecillitati meae. Item S. Paulus Philipp. 3. fatetur se nondum penitus comprehendisse, nec perfectum esse, sed persequi se ac sectari, ut consequatur et comprehendat illa ingentia seu coelestia bona, quemadmodum ipse comprehensus et explorate cognitus sit a Christo. Nec Deus haec languida et tenuia initia vult reiicere, sicut affirmat Psalm. 8.: Ex ore infantium et lactentium se laudes suas perfecturum. Item Paulus dicit expresse, Roman. 14.: Infirmum in fide assumite seu recipite, Deus enim illum recepit. Item, Philipp. 2.: Deus est qui efficit in vobis, ut velitis et ut perficiatis, ut ipsi grata fiant.

Hanc dulcissimam consolationem perpetuo mementote, et animis infixam circumferte: quandocunque cor tuum affert haec salutaria initia pietatis, seu boni propositi, tantum ut velit, et cupiat obsequi, et praestare veros honores atque cultus Deo, ac doctrinam coelestem reverenter amplecti, et assentiri promissionibus divinis, nec ut hostis Dei repugnare Deo trahenti, tunc verissime Deus adest tibi, ac ipse vult efficaciter te confirmare, regere, provehere, ut perficiatur inchoata in te salus, ut facias ipsi grata, ut ipsius agnitio et lux spiritualis in mente tua magis magisque accendatur, crescat et augeatur. Nec irrita est invocatio petentis confirmari et augeri initia lucis divinae, et languidae fidei scintillulas.

Hactenus audivistis de priore causa, propter quam Dominus hic mentionem facit discriminis inter hypocritas, et vere pios seu vere credentes, videlicet, ne in securitate carnali, in hypocrisi, in Cyclopico Dei contemtu, et in simulatis duntaxat gestibus operum externorum perseveremus, sed ut veros, et interiores cultus inchoëmus: ac etiamsi manet infirmitas multiplex atque plurimum imperfectionis, ne tamen simus elati, superbi, praefracti, pertinaces atque contumaces hypocritae.

Posterior causa concionis huius adiecta a Domino circa finem capitis, est, ut commonefiamus

et erudiamur, quod semper in eo coetu seu populo, qui nominatur Ecclesia, sint duo genera hominum: alterum, magnae multitudinis hypocritarum: alterum, exigui agminis vere credentium, verosque cultus Deo pie praestantium. Porro haec dissimilitudo, et hoc scandalum paucitatis vere credentium mirifice exercet, conturbat, et offendit singulorum animos, ut manifestum est in Ecclesia hoc tempore plurimum esse tristissimarum confusionum, plurimum dilacerationum, dissidiorum, factionum, schismatum, cum alii videri velint Papistici, alii simulent se amplecti Sphingem Augustanam, cuius titulus est *Interim*, alii numerentur inter Evangelicos, alii probent fanaticorum Anabaptistarum deliria: breviter (ne plura genera sectarum atque partium distractarum enumerem) hi, quos modo dixi, omnes quantumvis graviter inter se de doctrina dissentientes, tamen arrogant sibi titulum Ecclesiae et populi Dei.

Hanc deplorandam dissimilitudinem, et saevam dilacerationem huius corporis, quod nominatur Ecclesia, cum homines intuentur, plurimi certe horribiliter offenduntur, adeoque perturbantur, ut fluctibus dubitationum oppressi nequeant diiudicare seu statuere, ad quam harum partium sive sectarum adiungere se debeant, seu quod genus doctrinae debeant amplecti. Multi prorsus a Deo deficiunt, propterea, quod cogitant, omnes de religione controversias pariter incertas, ambiguas, perplexas, et inextricabiles esse, proinde fiunt insigniter profani, efferi, Cyclopici contemtores Dei, et palam Epicurei, seu Athei.

Quid? quod Pontificii seu Papistae accommodant sibi plausibiles et gloriosos titulos atque praetextus? iactitant se tenere ordinariam potestatem in successione continua seu perpetua multorum seculorum, ostentant concinnitatem ceremoniarum, distinctionem graduum et sacrorum ordinum, pulcram denique speciem spectaculorum, supplicationum, seu pomparum religiosarum, et aliarum constitutionum ecclesiasticarum.

At Anabaptistae multo inflatius praedicant enthusiasmos et afflatus divinos, capiuntque animos hominum prodigiosa simulatione sanctitatis, humilitatis et patientiae.

Hic necesse est veris fundamentis innixos, fultos et sustentatos piorum, seu Christianorum animos tenere hanc firmam consolationem, et firmissima assensione statuere: quod, quanquam multae dilacerationes factae sunt, et nunc quoque dissidiis docentium, populus in diversas factiones distrahitur, tamen Deus in tanta confusione opinionum, ac turbatione pii consensus, perpetuo sibi colligat et servet in genere humano aliquam veram et aeternam Ecclesiam. Propterea necesse est, Christianos circumspicere ac scire, quaenam, qualis, et ubi sit Ecclesia, in quo coetu, in qua societate, colligatur aeterna haereditas filio Dei, in quo corpore sint vera et viva membra Christi et Ecclesiae, videlicet, in eo coetu, seu corpore (quantumvis squalido et lacero) in quo sonat vox verae doctrinae incorrupta, nec defenduntur pertinaciter idola, et errores pugnantes cum voce filii Dei, quemadmodum Dominus affirmat, Iohann. 10.: Oves meae vocem meam audiunt, etc. Ac sine ulla dubitatione persecutores verae doctrinae atque defensores Idolorum, quantumvis venditent se plausibili et bella specie successionis ordinariae, elegantium ceremoniarum, distinctionis graduum et exercitiorum, quantumvis etiam simulent pietatem gestibus externis, clamitantes: Ah Domine Deus, o Domine Domine, etc. tamen nequaquam sunt membra populi Dei et cives Ecclesiae Christi.

Quamobrem nec elegantia ceremoniarum, nec autoritas loci ordinarii, nec splendor pomparum, spectaculorum, supplicationum, quemquam conturbet aut moveat, ut adversariis piae doctrinae, pertinaciter idola tuentibus, vel assentiatur vel applaudat. Sed singuli veram doctrinam, sine corruptelis amplexi, fideliter atque constanter custodiant, confiteantur, et utraque manu, seu potius toto pectore, retineant.

Caeterum non exiguus est numerus hypocritarum etiam in nostris Ecclesiis, in quibus tamen Dei beneficio vox Evangelii sonat incorrupta: sed notum sit discrimen. Singuli enim, quorum corda sentiunt veros pavores ac dolores, agnita ira Dei adversus peccatum, et rursus eriguntur, conceptaque consolatione liberantur ex doloribus inferorum acquiescentes fiducia Christi Mediatoris, atque ita habent initia poenitentiae seu conversionis ad Deum, hi universi (inquam) certo sunt filii Dei, haeredes aeternae salutis, et viva membra verae Ecclesiae Christi, qui, quanquam suas habent infirmitates nec exiguas, et multiplices, tamen nullo modo sunt in societate aut numero non renatorum seu reiectorum hypocrita-

rum. Illud tamen unusquisque sciat et meminerit, oportere se paulatim proficere sic, ut timor Dei, fides, humilitas, castitas, caeteraeque virtutes Deo placentes in anima sua crescant, augeantur et confirmentur. Imo certo scias, quantumvis languida sunt initia conversionis, Deum ipsum (modo luceant aliquae scintillulae fidei in tuo corde) velle tibi adesse, te feliciter provehere, salutariter gubernare, tibi efficaciter opitulari: ut gnome Pauli, quam ex 2. capite ad Philippenses antea citavimus, expresse affirmat, Deus facit ut velitis et perficiatis, etc. Quamobrem tale cor, quod habet initia spiritualium exercitiorum, verissime fundatum, exstructum et aedificatum est supra firmissimam rupem seu petram Christum: is suppeditat ei vigorem, robur et vires, ut et adversus impetus insultusque furentium Diabolorum, et contra insidiosissimas omnis generis tentationes firmiter subsistere possit, nec se deiici de gradu (ut aiunt) dimoverique loco patiatur.

Ut autem apprehendamus hanc petram, in eaque consistentes permaneamus immoti, id hac tantummodo ratione consequemur: si cor in vera poenitentia, fide Dominum Iesum Christum apprehendet, assiduisque gemitibus petet, ut ipse velit opitulari nostrae imbecillitati, velit nos regere sua luce, suis consiliis, nec sinat mentes nostras ruere in errores, scelera, scandala, blasphemias, etc. Estque in hoc ipso textu, utraque commonefactio comprehensa: altera de ingenti periculo, et infirmitate hominum: altera de consolatione, quae imbecillitati nostrae, et magnitudini periculorum opponit firmissimam petram, et opitulatorem omnipotentem Dominum nostrum Iesum Christum.

De periculis et horribili tyrannide insidiatoris Diaboli dicitur 1. Petri ultimo: Adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circumit, quaerens quem devoret. Quam multos enim Diabolus implicat, atque fascinat furoribus sectarum, ac opinionum impiarum! Quantam praeterea multitudinem hominum passim impellit ad alia tristissima scelera, adulteria, furta, homicidia, etc.! Quid? quod ruentes in haec flagitia tantasque turpitudines, plerumque tandem opprimuntur desperatione? Hoc igitur est illud miserrimum genus hominum, de quo concionatur Christus in hac parabola, quando dicit, hypocritas similes esse fatuis aedificantibus domos super arenam. Iactis enim huiusmodi fundamentis, quam facile fieri poterit, ut coortis tempestatibus, et pluviis impetuosis, arena propellatur, et disturbatis hoc modo convulsisque fundamentis, universum aedificium corruat? Quemadmodum videmus hoc tempore multos a Deo deficere, velut eversos, vel irruentium aquarum copia et impetu, vel violentis flatibus atque turbinibus ventorum: imo singulis aetatibus (proh dolor) varia defectionum et insignium levitatum conspiciuntur exempla.

Haec horrenda pericula, et ingentem infirmitatem nostram considerantes, sciamus aedificandum nobis esse super immotum fundamentum, ac firmissimam petram filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum. Huic petrae, seu fundamento si quis in exercitiis verae poenitentiae, vera fide ac invocatione ardenti insistit atque innititur, eum nequaquam Diabolus evertere, praecipitemve deiicere poterit, quantumvis undique hostiliter irruat, et excitatis ingentibus procellis concutere seu labefactare petram frustra conetur: sicut Davidem, acerrime quidem, sed frustra oppugnavit.

Ac ut tota res fiat illustrior, proponite animis exemplum utriusque, videlicet, Saulis et Davidis: ex qua antithesi, seu comparatione dissimilium exemplorum, spero futurum, ut interpretatio textus huius multo facilior intellectu sit, et magis perspicua.

Saul rex sapiens, et in gubernatione difficili, bene meritus de patria, gestis initio rebus magnis et utilibus, cogitabat de transferendo regno ad suos posteros iure successionis haereditariae: cogitabat de constituenda forma politiae, seu imperii suo arbitrio. Idem, ambitione et livore motus, persequebatur Davidem, et tanquam ipse successus haberet in manibus, sperabat sua consilia non infeliciter casura, suos conatus non fore irritos, sed se perfecturum esse ex animi sententia quod cogitarat, concupiverat et constituerat.

Verum sanctitas eius universa, et omnis consiliorum, in speciem prudenter susceptorum, accurata pensitatio fuit aedificata super arenam instabilem, et fluctuantem. Ideo tandem, eversus a Diabolo, funditus periit, horribili desperatione et aeternis poenis oppressus. Sciens enim et volens repugnabat voluntati divinae, ac interim tamen confidebat, se suis consiliis, machinationibus, et viribus, etiam invito Deo, ea, quae sibi proposuerat, quae meditabatur, atque susceperat, expedire, ad

exitum perducere ac obtinere posse. Haec quid aliud sunt, quam vanissima somnia, fallaces imposturae, ac mera mendacia?

David vero, quanquam horribili scelere lapsus, rapuerat alienam coniugem, interfecto marito, tamen non fuit pertinax hypocrita: non enim perseveravit in contemtu Dei, seu malo proposito, sed cum a Propheta Nathan argueretur, agnita ira Dei, vere dolebat, quod offendisset Deum, et apprehendens auditam absolutionem fide, rursus convertebatur ad Deum: postea, etsi Diabolus instituta longa tragoedia, et, ut sperabat, inextricabili Davidi, non destitit oppugnare sustinentem magnas calamitates multos annos, ut adigeret ad desperationem (impulit enim Absolonem filium, ut adversus patrem arma caperet, coëgit ingenti seditione concitata regno expulsum fugere, denique multis tristibus, et plus quam tragicis, scandalis atque sceleribus, quae seditio peperit, excitatis, ita exercuit et excruciavit Davidem Diabolus, ut speraret et hunc prorsus periturum esse, sicut Saul perierat), tamen, cum David firmiter insisteret, ac inniteretur arduae et immotae petrae, id est, Mediatori filio Dei, vere affuit ipsi Christus, et confirmatum Spiritu sancto sustentavit, erexit, servavit ac protexit: quia tunc conversus ad Deum, ac fide intuens misericordiam promissam propter Mediatorem, accipiebat remissionem peccatorum, et acquiescebat in hac vera, vivifica et aeterna consolatione, quam reliquit ipse scriptam Psalmo 2. his verbis: Osculamini filium, beati omnes qui confidunt in eo.

Caeterum in consideratione horum insignium, illustrium, et pulcerrimorum exemplorum, illud inprimis et ante omnia discamus, quomodo sit aedificandum super hanc petram: scilicet, hoc modo, ut in vera poenitentia, seu conversione, proponamus animo verbum, seu vocem Evangelii, ac vera fide acquiescentes in filio Dei Mediatore Domino nostro Iesu Christo, et repugnantes dubitationi atque diffidentiae, per ac propter Christum misericordiam et auxilium Dei veris gemitibus imploremus.

In hac nostra lucta, et divina consolatione, re ipsa experimur, nec fidem, nec invocationem hanc inanem aut irritam esse: ac tunc quidem revera sanctitas atque pietas nostra non est inanis et fucosa hypocrisis, nec innititur arenae nunquam cohaerescenti, instabili, et fluctuanti, sed insistit arduae, firmae, immotae ac nunquam corruiturae petrae, ipsi filio Dei Domino nostro Iesu Christo, qui verissime est lapis angularis (iuxta versum Psalmi 118.: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes hic factus est in caput anguli) super quo sumus exstructi: quemadmodum sanctus Paulus ad Ephes. hanc metaphoram enarrans dulcissimam gnomen Psalmi 118. (modo citati) declarat et interpretatur.

Sumus autem aedificati, et exstructi super Dominum nostrum Iesum Christum, petram et lapidem angularem, ita ut nos ipse sibi impositos gestet, fulciat atque sustentet: primum verbo suo ac voce doctrinae; deinde merito, seu sacrificio suo et assidua intercessione, seu assidua applicatione meriti sui pro nobis (sunt enim coniuncta meritum Christi, id est, obedientia, qua factus pro nobis victima, derivatis in se peccatis nostris, satisfecit iustitiae Dei ad iram placandam: et intercessio perpetua, qua coram aeterno Patre interpellat, ac deprecatur pro nobis, offerens sua merita, perferens nostros gemitus ad Patrem, petens recipi nos, et tegens applicatione meriti sui, ne effundatur in nos ingens ira divina); postremo sua potentia, et efficacia, qua nobis adest, qua simul est efficax in nobis, qua ipse immediate vivificat nos voce Evangelii, et Spiritu sancto, effuso in nostra pectora, qua protegit nos, repressis atque depulsis Diabolis, qua perpetuo colligit et servat sibi aeternam Ecclesiam, sicut inquit Iohann. 10.: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis: qua ipse potenter et efficaciter regnans aufert, abolet, ac destruit peccatum et mortem, ac e regione reddit integram novitatem seu conformitatem cum ipso, restituit iustitiam, et vitam aeternam, in qua Deus erit omnia in omnibus beatis.

Hoc modo discamus agnoscere hanc immotam, vivam, et sempiternam petram, ut discernamus hunc Dominum, ab omnibus aliis doctoribus, et Prophetis, quorum ministeria, benefacta, virtutes, et dona non merentur aliis, nec (etiamsi forent ipsis meritoria) possent applicari pro aliis, quorum denique personae non sunt efficaces in nobis, nec vivificant. Ideoque fides nitatur non persona Prophetae aut Ministri externae vocis, sed persona Christi Redemtoris ac Mediatoris, quae est vivificatrix, etc.

Haec omnia multum, diligenter et attente cogitentur in quotidiana precatione, ut vera poe-

nitentia, fides, spes, vera invocatio, et reliquarum virtutum necessariarum initia crescant in nobis, augeantur, confirmentur et perficiantur: quod ut fiat, gubernet, erudiat, sanctificet, et adiuvet nos ipse filius Dei propitiator, vivificator, lapis angularis, et petra salutis, Dominus noster Iesus Christus, Amen.

Caput VIII.

Si vis potens me mundare.

Post concionem in monte habitam, sequitur recitatio, aliquot miraculorum. Vult enim Christus testimonia doctrinae suae ostendere, ut certo sciamus, hanc suam doctrinam immotam voluntatem et decretum divinitatis esse, et se veracem et a Deo missum esse: denique hanc suam vocem non esse quiddam commentitium aut ab hominibus excogitatum, sicut Ethnici, cultus ac numina sibi ipsi finxerunt. Ac multa sunt huius triennii miracula, quae brevibus intervallis facta sunt. Initio primi anni duo ex mortuis resuscitati sunt, filius viduae in Naim, et Iairi filia. Post tertio anno Lazarus resuscitatus est. Haec et multa alia miracula recitantur in scriptis Evangelicis. Nec dubium est, multos sapientes mirari, cur tot miracula recitata sint, cum conciones minus frequentes commemorentur. Sed recte instituti intelligunt utraque scriptis Apostolicis comprehendi: recitari miracula, et conciones. Cumque antea a Prophetis, et post a Iohanne et Paulo doctrina copiose explicata et illustrata sit, caeteri libri testimonia miraculorum universo generi humano proponunt.

Quare ut teneatis perpetuam de miraculis commonefactionem, cogitandam in omnibus exemplis, primum sint in conspectu hae tres causae, propter quas facta et recitata sunt miracula.

Prima causa est, ut omnibus hominibus testimonia sint de Deo, et ostendant, hanc vocem Christi vere divinam esse, et hunc doctorem Christum veracem et a Deo missum esse. Sic enim omnibus temporibus sese Deus patefecit, ut testimonia miranda subinde verbo addiderit, ne genus humanum in his dubitationibus maneret, quis sit Deus, et quod sit verbum Dei, ac vult Deus ita agnosci et invocari, ut mens fide intuens et invocans Deum, agnoscat et invocet hunc Deum, qui se editis certis et admirandis testimoniis patefecit, qualia omnibus temporibus edita sunt, ut quod initio Adam et Hevam coram alloquitur, et edita promissione statim in corde consolationem eis ipse dicit, qua senserunt se liberari ex morte, et denuo vivificari. Postea addita sunt patribus alia testimonia: sacrificium Abeli incendit et absumit ignis de coelo, et fuit hoc testimonium usitatum usque ad tempora Noah.

Post secuta sunt alia, incolumitas paucorum in diluvio, eductio populi ex Aegypto, etc. Haec omnia eo proposita sunt, quia voluit Deus de se et de verbo suo testimonia extare, ut sciretur, agnoscendum et invocandum esse hunc verum Deum, qui se immensa bonitate sic patefecisset, et verbum cum his testimoniis traditum vere vocem divinam et veracem esse. Haec testimonia patefactionis vult Deus nunc quoque nostras mentes in omni invocatione intueri, ut hunc Deum alloquamur, qui haec de se testimonia edidit. Ita quotiescunque ordiris invocationem, hunc Deum compelles et alloquaris, qui se misso filio Domino nostro Iesu Christo patefecit. Et hunc ipsum filium simul agnoscas et invoces, et a caeteris numinibus commentitiis hoc ipso testimonio discernas, quod Lazaro vitam restituit, et ipse paulo post, divina potentia a morte resurrexit.

Secunda causa, propter quam miracula facta et recitata sunt, haec est: Ut sint exempla et testimonia promissionum. Testantur Prophetae Messiam venturum esse, et daturum remissionem peccatorum his, qui fide ad ipsum confugiunt, et opitulaturum ipsis in omnibus consiliis ac periculis, ut dicitur Esaiae 61.: Spiritus Domini super me, eo quod unxeris me, ad annuntiandum afflictis misit me, ut mederer contritis corde, et annuntiarem captivis libertatem. Et Dominus ipse inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Ut igitur in conspectu omnibus sit, has promissiones non esse commentitias aut irritas, exempla harum promissionum in miraculis proponuntur, in quibus dat remissionem peccatorum et alia beneficia, ut dicit de peccatrice Lucae 7.: Remissa sunt ei peccata multa, etc. Et ad paralyticum: Fili remissa sunt tibi peccata tua, etc. Addit et beneficia corporalia restituta valetudine, reddit mortuis vitam, ut sciamus ipsum et esse Messiam, et esse datorem vitae, et victorem ac Dominum mortis, denique ut sciamus ipsum posse

ac velle nobis opitulari. Quis nostrum peteret haec bona, aut quis eum invocaret, nisi exempla essent proposita? Etiam cum legimus et audimus haec exempla, ac testimonia oculis subiecta coram intuemur, tamen tanta est infirmitas nostra, ut trepidemus ac dubitemus, an invocare Deum et petere auxilium ab ipso debeamus. Quanto maior et tristior futura esset dubitatio, nisi tam illustribus exemplis propositis nostram invocationem Deus ipse flagitaret? Sunt igitur recitata miracula, et quidem illustria, ut his exemplis confirmati et excitati confidenter ad hunc Dominum per fidem ipsius accedamus, et auxilium ab ipso in omnibus consiliis et periculis, spiritualibus et corporalibus, petamus et exspectemus. Suntque haec bona omnia petenda, comprehensa in hac una regula filii Dei: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos.

Obiectio.

In hac ipsa consolatione mens languida interpellat invocationem, inquiens: Nulla est dignitas mea, nulla merita. Hic leprosus et caeteri, quibus opitulatur Christus, sua pietate tantam benignitatem impetrarunt. Ego indignus nec invocare nec accedere ad Deum possum. Hic conspectus peccatorum ac sordium nostrarum, praecipuum impedimentum est verae invocationis. Et sola Evangelii sapientia docet, qua fiducia et consolatione filius Dei Dominus noster Iesus Christus compellandus sit. Ac fuerunt tunc quoque multa millia aegrotorum, quos eaedem cogitationes impediverunt, quo minus ad Christum accederent, quae nobis miseris hominibus obstrepunt, videlicet: Cur accedo ad hunc doctorem? cur peto auxilium? Cum tantae sint meae sordes, et peccata tam atrocia, dimittet invocantem cum ignominia, aut obiurgatum depellet, sicuti discipulos obiurgat aliquoties, frustra conatos imitari miracula, quibus erant impares etc. Talibus impedimentis fidei et invocationis opponamus vocem Evangelii, et haec ipsa testimonia, quae veram et indubitatam consolationem monstrant.

Sequitur ergo tertia causa miraculorum, quod videlicet sunt exempla applicationis promissionum, quae docent, quomodo apprehendenda sit promissio, et quomodo excitanda ac confirmanda mens, accedens ad hunc Dominum et petens auxilium. Obstrepit omnibus nobis indignitas nostra. Contra vero docent haec exempla, ne vel fiducia tuae dignitatis, munditiei et sanctitatis ad Deum accedas, vel metu peccatorum tuorum Deum fugias: sed ut in vera conversione agnoscas tuas sordes et peccata, et credas ac certo statuas, hunc Messiam propter hanc ipsam causam venisse, ut vocet peccatores ad poenitentiam, recipiat ipsos et eis opituletur, sicuti voce sua testatur: Non veni vocare iustos, sed peccatores, ut convertantur.

Haec lucta fidei et victoria in tam periculoso certamine proponitur in his testimoniis. Non facit Christus discrimen miserorum, qui auxilium ab ipso petunt, sed aequaliter omnes recipit, quotquot ad ipsum confugiunt, Iudaeos, Samaritanos, Ethnicos, viros honestos et mulieres meretrices. Afferunt hi omnes ad ipsum peccata vel publice nota, vel manifesta suae cuiusque conscientiae. Nec postulat a talibus aliud quam conversionem, ac fidem, qua statuant hunc doctorem a Deo missum, et Messiam esse, qui genus humanum recipiat ac salvet, quique possit ac velit opitulari in omnibus periculis. Haec initia necesse est afferre omnes, qui Messiae auxilium quaerunt. Ac sunt haec expressissime significata in imagine Syrophoenissae Matth. 15.: Venit Cananaea eiulans ac clamans: Miserere mei Domine fili David, filia mea male vexatur a Daemonio. Sed considera quae merita afferat? Ethnica est et cultibus idololatricis assueta, sed sunt in ea initia fidei, qua hunc Christum agnoscit et invocat. Dominus primum nihil respondet, et postea duriter obiurgatam prorsus videtur a se repellere, cum caniculae eam comparat.

Hic sine ulla dubitatione initia fidei, quae adfert, nova trepidatione concuti coeperunt: sed Spiritus sanctus, qui initia illa fidei primum accendit, nunc quoque in hac nova lucta eam adiuvat, sicuti inquit Paulus: Spiritus opitulatur infirmitati nostrae. Item: Intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ita sunt in hac Syrophoenissa agnitio et confessio propriae indignitatis, et fides constanter petens et exspectans auxilium. Fatetur se esse caniculam, ac micas, quae debentur catellis, sibi quoque dari postulat. In hac fide quia perseverat, recipitur tandem, et vocem Evangelii laetam a Christo accipit: O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis. Hoc illustre exemplum fidei omnibus sit notissimum, ut cum hac Cananaea filium Dei Dominum no-

strum Iesum Christum invocemus, et fide ac spe immota auxilium ab ipso petamus et exspectemus.

Ita videtis in his tribus causis comprehendi communem doctrinam miraculorum in omnibus exemplis cogitandam. Primum quod sunt testimonia de Deo et de doctrina divinitus tradita. Secundo, quod sunt exempla promissionum, quae docent et nos petere et exspectare auxilium et consolationem a Christo. Tertio docent, quid ad filium Dei afferendum sit, ut agnitio peccati seu conversio ad Deum, et fides petens et exspectans auxilium.

Iam leprosum intueamur afferentem ad Christum lucem fidei non exiguam. Agnoscit enim ac certo secum statuit, hunc doctorem posse sanare ac tollere lepram. Quare recte intelligit et agnoscit Messiam, et scit eum omnipotentem esse, et filium Dei. Eodem modo sciamus oportere et nos ad Christum accedere, et adferre lucem fidei, recte ipsum agnoscentem, et certo statuentem, quod remittat peccata, et accipiat et exaudiat invocantes. Ita sequitur huius leprosi curatio.

Obiectio.

Quaeritur hic iterum de huius leprosi fide. Fatetur leprosus hunc virum, quem alloquitur, posse morbum illum tollere, et hunc summum honorem ei tribuit, quod afferat doctrinam veram et salutarem, non mendacem, aut commentitiam, ideo petit et exspectat auxilium. Nam sine hac fide nunquam ad eum accessisset, sed tamen petitioni haec verba interserit: Si vis, potes me mundare. Videtur igitur de voluntate Domini subdubitare, etsi non negat eum posse opitulari. Ita scimus omnes Deum omnipotentem esse, et posse vel in momento auxiliari in omnibus consiliis et periculis, sed de eo dubitamus, utrum nostra vota aut gemitus recipiat, utrum nobis opitulari velit. Hic quae consolatio opponenda sit consideremus, est enim doctrina necessaria omnibus.

Quare sciatis duplices esse promissiones, aeternas seu spirituales, et corporales.

Promissio aeterna seu spiritualis, est, quae remissionem peccatorum, iustificationem propter et per filium Dei, Spiritum sanctum et vitam aeternam pollicetur, repetita in his et aliis scripturae testimoniis: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Iohann. 3.: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Haec dicta et alia similia sunt conciones de bonis aeternis, propter quae principaliter filius Dei missus est: suntque omnibus pariter necessaria. Quare in omni invocatione hanc summam et primam promissionem mens primum omnium intueatur et fide apprehendat. Nec addat in petitione horum aeternorum bonorum ullam conditionem, seu dubitationem: Si vis Domine. Ita enim de his bonis voluntatem suam Deus expressit, quod velit remittere peccata, et certo dare iustitiam et vitam aeternam omnibus fide petentibus. Non vult Deus, ut peccatis oppressi, ruamus in aeternum exitium, ideo non addes ad hanc promissionem ullam conditionem, sed certo et sine ulla dubitatione statuas, Deum certo tibi remittere peccata, recipere te per et propter filium suum Dominum Iesum Christum, et per eum ex abysso inferorum, et aeterno exitio te liberare, et donare tibi iustitiam et vitam aeternam. Haec fide te oportet ita accipere, ac certo statuere.

Promissiones vero bonorum corporalium, quales sunt, de bona valetudine, robore, vita, victu, pace, ac defensione corporum, etiam immensa bonitate Dei propositae sunt. Cum enim velit Deus in hac vita aeternam Ecclesiam sibi colligere, vult etiam dare bona corporalia necessaria vitae, sicut victum, etc. Nec simus tam agrestes, ut haec bona aspernemur, sed intelligamus multiplicibus bonis ad hanc aerumnosam et languidam corporum vitam opus esse. Cogitemus quae adminicula, et quam multiplicia liberorum educatio postulet. Ut aviculis sui niduli necessarii sunt, ita necessaria sunt infantulis aliqua qualiacunque tuguriola. Necessarius est et victus frugum cibi ac potus conveniens infantibus et caeteris. Necessaria sunt imperia, et defensio pacis ac tranquillitatis publicae. Cogitemus, si perpetua sint bella ac latrocinia, quae futura sit liberorum educatio? quae verbi aut vocis divinae praedicatio aut propagatio? qui futuri sint ac quales congressus publici?

Haec bona omnia necessaria omnibus consideremus, et sciamus Deum etiam haec ipsa bona dare, et velle, ut ab ipso haec bona petamus, sicut ipse in forma precationis nobis praescribit: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Sciamus in hac ipsa petitione bonorum corporalium oportere exerceri fidem et invocationem.

Prorsus exsecranda est haec stulta hypocritarum persuasio, qui has promissiones aspernantur, et existimant Christiano homine indignum esse petere bona corporalia. Imo hac ipsa petitione Deo honorem debitum tribuis, cum in periculis corporalibus, ab ipso auxilium petis et exspectas, et agnoscis ab ipso hanc vitam propter Ecclesiam defendi ac servari.

Simul autem et hoc statuas, quanquam vult Deus colligere et servare Ecclesiam, tamen eam mirando consilio cruci subiectam esse. In ea vult singulos accipere et intelligere promissiones cum exceptione castigationis et crucis, vult unumquemque sese offerre ad obedientiam in cruce, iuxta voluntatem Dei, sicut ipse Christus voluntati divinae se subiicit, inquiens: Pater, si possibile est, transeat a me calix iste, sed fiat voluntas tua. Ita et David reditum petit et exspectat cum hac exceptione, ut fiat voluntas Domini. Eodem modo nos quoque fide petamus bona corporalia necessaria nobis et aliis, ut in hac ipsa petitione ad obedientiam sese quilibet iuxta voluntatem Dei offerat, sicuti leprosus in hac concione inquit: Domine, si vis, potes me mundare. Addit conditionem pertinentem ad petitionem boni corporalis, et tamen est ac fulget in ipso vera lux fidei, qua certo statuit: Hic doctor a Deo Abrahae missus, qui benedictionem Abrahae promissam nobis afferat, qui remittat mihi peccata, qui Deum mihi placabit, me recipiet ac salvabit, scio Messiam esse filium Dei, qui peccatum ac mortem tollet ac abolebit, statuo igitur et hanc meam lepram ab ipso curari posse, et hac fide scio accedendum ad hunc doctorem, et auxilium in valetudine corporis quaerendum et petendum esse, non dubito intelligere hunc Dominum meas in tam saevo morbo aerumnas, quare et mitigationem ab ipso exspecto. Offero autem me ad obedientiam, quia et hoc statuo, hunc doctorem pro admirando suo consilio intelligere, utrum diutius in hoc morbo exerceri me oporteat. Ita videmus non pugnare haec duo, petere auxilium, et ad obedientiam se offerre. Nec est irrita talis invocatio, sed semper aut mitigationem aut liberationem iuxta consilium Dei impetrat.

Sit igitur omnibus notissima doctrina de discrimine promissionum, de exercitiis fidei et invocationis in petendis bonis corporalibus: et in invocatione quotidiana haec exercitia cogitentur. Nam qui non exercent aut discunt haec in invocatione, hi nec intelligunt vim huius consolationis, et manent in perpetua caligine ac dubitatione, nec consolationem ullam in certaminibus conscientiae sentiunt.

Necesse est et hoc sciri in his ipsis promissionibus, etiamsi non sequitur liberatio in periculis corporum, tamen promissio bonorum aeternorum non est abiicienda aut repudianda, propterea quod necesse est ad obedientiam se offerre. Nam cum promissio spiritualis abiicitur, manet in corde horribilis fremitus irascens Deo, et contumelia eum afficiens, et ruit cor in desperationem et iram aeternam. Fide igitur intuente et accipiente bona aeterna ita sese erigat ac sustentet: Quod si consilio sapientissimo Deus vult me cruci subiectum esse, tamen scio ac certo statuo me per et propter filium Dei certo iustum esse, certo recipi et salvari animam meam, hunc honorem scio me debere Deo, ut credam filio, et statuam per ipsum mihi iustitiam et vitam aeternam donari, huius filii meritum non aspernabor aut abiiciam, etiamsi morbis, paupertate et similibus aerumnis duriter exerceor. Ita Iob sese erigit ac sustentat inquiens: Etiamsi occidet me, tamen sperabo in eum. Scio restare aliam vitam, quam non amittam, etiamsi haec aerumnosa corporis vita amittenda ac deserenda est. Sit igitur infixum animis dictum Iob capite 13.: Etiamsi occidet me, tamen sperabo in eum. Nam statim post haec verba doctrina de peccato subiungitur, cum inquit: Coram ipso vias meas arguam: quasi diceret: Fateor me coram ipso horribiliter reum ac pollutum esse, sed ipse erit Salvator meus. Recipit me immensa bonitate propter Mediatorem, hac me consolatione erigo ac sustento, quam scio certam et immotam esse, Deus est et erit in tota aeternitate Salvator meus.

Quare, ut dixi in omni invocatione haec cogitanda sunt: Consideremus utraque pericula spiritualia ac corporalia, et discamus, quid et quomodo petendum sit. In talibus exercitiis crescet lux fidei in cordibus, et rectius intelligi omnia poterunt. Sciamus et hoc, requiri in moribus modestiam, ut fieri invocatio et accendi cogitatio de tantis rebus possit.

Multae sunt causae, quae accendere invocationem in omnibus debebant: haeret peccatum in omnibus, et poenae peccatorum cernuntur in miseriis vitae multiplicibus, sunt in conspectu bella

horribilia, ruinae et lacerationes Ecclesiarum et imperiorum. Item onera in imperiis, et difficultas annonae, morbi vestri, et liberorum vestrorum.

His tantis malis aliquando afficiamini, quae multo sunt tristiora, quam huius leprosi morbus, et clamate ad filium Dei, sicuti clamat Syrophoenissa: Domine Iesu Christe fili David miserere nostri, remitte nobis peccata, et adsis nobis, effunde in nos Spiritum tuum sanctum, rege et serva Ecclesiam tuam, protege nos et infantulos nostros, ne in furores Ethnicos, Epicureos aut fanaticos ruamus, serva et defende hospitia Ecclesiae, ne barbaricis furoribus vastentur et turbentur omnia, tu sis protector et adiutor noster.

Haec vota et hi gemitus vestri non erunt irriti aut inanes. Quare simul scitote in tali invocatione statuendum vobis esse, propter filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum haec vota vestra vere recipi et exaudiri. Et quanquam initia fidei languida et imbecilla sunt, tamen hac ipsa voce fidem exsuscitate: Credo Domine, sed opem fer diffidentiae meae. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus immensa bonitate suam in nobis lucem accendat ac confirmet, ut doctrinam salutarem recte discamus, intelligamus, et in exercitiis verae pietatis colamus, Amen.

Vade, ostende te Sacerdoti, et offer ei donum, quod constituit Moises in testimonium ipsis, etc.

Proxima concione recitata est communis doctrina de miraculis, in qua audivistis haec testimonia magna diligentia intuenda esse, ut his commonefacti et in nobis fidem et invocationem excitemus. Nam qui horum exemplorum usum in vera invocatione ipsi discunt, hi intelligere doctrinam paulatim incipiunt, non potest magnitudo rei ulla quantumvis evidenti oratione exprimi, nisi accedat invocatio, in qua corda exercere et intelligere doctrinam incipiunt. Estque utilissimum aliqua insignia exempla in conspectu habere, qualia sunt Syrophoenissae, centurionis, aut huius leprosi, ut tam illustribus testimoniis excitata ac confirmata mens petat auxilium, et fide ac spe indubitata exspectet.

Sunt autem in hoc exemplo reliqui duo: Sanat Dominus leprosum, sicuti petivit, et testatur invocationem non esse inanem aut irritam. Postea interdicit ei, ne cuiquam dicat. Hic multa quaeri possunt, an prohibetur confessio fidei? An displicet tanti beneficii celebratio? Apud Sacerdotes necesse est huic sanato fateri se fuisse leprosum, et petere ut pronuntient se iam sanatum esse, necesse est offerre sacrificium in lege constitutum, agnum anniculum et reliqua quae lex postulat. Quomodo igitur caelari sanatio Christi miraculosa potest? Respondeo. Non moveo disputationes, nec subtilitates quaero. Non prohibetur confessio aut grata celebratio. (Necesse enim est sanatum fateri sacerdotibus veritatem.) Sed proponit Dominus exemplum, in quo prohibet cupiditatem gloriae in operibus, quae a Deo per nos fiunt. Ac docet frenare animos, ne efferri ac superbire incipiant, cum peculiari aliquo beneficio divinitus ornantur, ut superbiebat et efferebatur Saul post victorias, flagrans ira et odio adversus Deum, et cupiditate iniusta accensus, Davidem innocentem persequens, et miseros sacerdotes tyrannice interficiens.

Ac manifestum est, innumerabiles homines abuti donis divinitus attributis. Quam pauci sunt, qui non efferuntur, cum fortunae benevolentioris aura aliquantulum foventur? Quot millia hominum luce doctrinae coelestis ad suas cupiditates abutuntur, ad superbiam, ignaviam, stultam securitatem, aut gloriae cupiditatem, qua constantiam, labores, et pericula sua praedicant, et caeteros damnant ac persequuntur, cum pleni sint horribilium peccatorum, errorum, libidinum, ἀσωτίας et similium. Illa vanitas et superbia propter dona divina quaecunque, prohibetur hic a Christo, cum inquit: Cave ne cui dixeris. Nec ero in hac quaestione prolixior. Celebremus dona Dei vera fide, pietate, ac timore Dei, nec his praetextibus cupiditati nostrae et petulantiae indulgeamus.

Secunda quaestio est: Cur hunc sanatum Christus ad Sacerdotes ablegat, et iubet offerre munus, quod constituit Moses in testimonium ipsis, ut Lucae 17. dicitur: Ite, ostendite vos sacerdotibus. Ac notum est, Pontificios hunc ipsum locum ad confessionem detorsisse. De hac quaestione breviter dicemus. Quanquam non potest ullius creaturae sapientia exhaurire magnitudinem mysteriorum, quae in concionibus et miraculis Christi recitantur, tamen initia discenda sunt, quantum et patefecit ipse, et immensa bonitate in discentibus adiuvat. Quare duas causas

recitabo, propter quas Christus ad sacerdotes istos sanatos ablegat.

Prima causa est, vult ipsos et universum genus humanum commonefacere hoc mandato, ut et ipsi et nos omnes ministerio Sacerdotum legitimo, et a se constituto, reverenter et ad sui nominis gloriam utantur. Ac sicuti hos sanatos ad Sacerdotes remittit, ita intelligas nos omnes, et singulos omnibus temporibus ad ministerium in Ecclesia deduci: ibi vocem Evangelii audias, et usu Sacramentorum fidem confirmes, hoc ministerio scias velle Deum Ecclesiam aeternam sibi colligere, et cum voce huius ministerii et usu Sacramentorum velle efficacem esse, et hoc modo et non aliter homines convertere et salvare, remittere peccata, et initia vitae aeternae in nobis accendere. Haec esse vera certissimum est, ita enim ipse Dominus inquit: Sicut misit me Pater, ita ego mitto vos. Et alibi: Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. Rom. 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Hunc ordinem Deus ipse immensa bonitate ita sancivit, sic vult esse efficax, et Ecclesiam aeternam colligere, et ad hoc ministerium a se sancitum omnes deducit, vultque intelligere omnes, ita se, et non aliter, efficacem fore, vult igitur vocem Evangelii et usum Sacramentorum magnifieri. Ac diserte ac severe prohibet, ne quis se ipsum aut suo exemplo alios ab hoc ministerio abducat. Sicuti proh dolor contemtus Evangelii et Sacramentorum ingens in multitudine promiscua cernitur, et crescit in dies barbaries, ac multis tetris furoribus contemtus Evangelii in animis hominum confirmatur. Nec dubium est, maximam partem tristissimarum calamitatum, bellorum, famis, crudelitatis Turcicae, et aliarum miseriarum, huius contemtus poenas esse.

Ita primum considerate Dominum deducere nos ad ministerium Sacerdotum, hoc est, ad vocem Evangelii et ad usum Sacramentorum. Ex his prorsus non sequitur, confessionem Papisticam a Domino sancitam esse, quae quidem multos tetros furores pugnantas cum voce Evangelii continet. Sed non ero in hac commemoratione prolixior, nos exemplum intueamur, quod propositum est ideo, ut revereri, amare et ornare ministerium Evangelii studeamus.

Secunda causa, quod istos sanatos ad Leviticos Sacerdotes Dominus remittit, haec est: Vult hoc miraculo et aliis eos convincere, ut credant se esse Messiam, et in hac legatione commonefacit eos, ut ipsum agnoscant et recipiant, vult ipsos et nuntios et testes esse praesentis Messiae ac Redemtoris. Fuit enim Sacerdotium veteris Testamenti propter hunc ultimum ac summum finem sancitum ac constitutum, ut doceret venturum esse Messiam, qui ipse futurus sit victima et propitiatio vera pro peccatis generis humani, et hanc venturam victimam umbris illis ac figuris Leviticorum sacrificiorum significari. Ita docet Baptista, inquiens: Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi, ac sine agnitione et fide huius Messiae, mactationes victimarum et conciones Sacerdotum horribiles tenebrae et Idolomaniae fuerunt.

Resuscitat igitur mortuos, et editis aliis miraculis conspiciendum se praebet hic ipse Dominus noster Iesus Christus verus Messias natus ex virgine Maria, et Sacerdotes his ipsis miraculis alloquitur, ut ipsum agnoscant, vera de ipso doceant, et testes sint suae praesentiae, de hoc ipso per hos sanatos leprosos commonefacit Sacerdotes. Sed quantum profecerit Dominus, omnibus notissimum est.

Ac ne conqueri possint, Dominum abolere legem, ministeria eorum appetere, et stipendia divinitus ipsis attributa imminuere, expresse praecipit Dominus, ut offerant Sacerdotibus munera a Mose constituta. Et exstant alibi similia praecepta de decimis: Haec oportuit facere, et illa non omittere, Matth. 23. Ita testatur, se nihil illis velle eripere. Ac cum nondum abolitum sit Sacerdotium, et ipse huius Ecclesiae civis esse velit, et cum ipsis ritus institutos observet, vult et hac in re officiosus erga ipsos esse, cum mandat stipendia debita Sacerdotibus persolvi. Vicissim et Sacerdotes sui ministerii propria intelligere et exequi oportebat. Debebat enim docere, sacrificia sua non esse merita remissionis peccatorum, sed Messiae victimam veram propitiationem peccatorum, et irae Dei futuram esse. Et hunc verum Messiam iam praesentem esse, et in oculis universi populi versari, videlicet, hunc natum ex Maria virgine, tot miraculis sese ostendentem etc. Ad hunc doctorem deducere auditores, et de eo testificari debebant. Hic est unus ille aeternus et summus Pontifex ac doctor Ecclesiae, qui Adae et Evae hanc promis-

sionem tradidit: Semen mulieris conteret caput serpentis. Hic Messias est, quem vidit Moses facie ad faciem, hic Dominus est, qui fuit custos Ecclesiae in deserto, hic nunc assumta humana natura accedit ad nos, ut victima sit, et sacrificium suum offerat pro nobis etc. Hoc inquam vicissim Sacerdotes facere decebat, et fuerunt tunc aliqui tales, sed paucissimi, qui vere hunc Dominum agnoverunt, et ad ipsum conversi sunt.

In nostro autem textu additur de munere, quod praecipit Moses in testimonium ipsis. Horum verborum simplicissima sententia est: Munus, quod est ius ipsorum, seu quod debetur ipsis. Saepissime enim vox Testimonium legem ipsam significat. Nec sine gravi consilio ita sancitum est, ut decimae et victimae sacerdotibus attribuerentur, necesse est enim aliquos esse ministros, qui legitime vocati ad ministerium, serviant Ecclesiae in propagatione verbi et usu Sacramentorum. Non possunt autem tales vivere, nisi victus eis necessarius tribuatur. Ideo omnibus temporibus ali eos Deus ab Ecclesia voluit, et singulari consilio reditus certos eis constituit. Ac verissimum est debere Ecclesiam piis doctoribus victum et necessaria vitae adiumenta, sicut inquit Dominus: Dignus est operarius mercede sua. Ita hoc in loco dicitur, Mosen praecepisse hoc in testimonium ipsis, hoc est, ut esset ius ipsorum, seu quod debetur ipsis. Hac simplici expositione ego contentus sum. Sed tamen vera est et altera, quam quidam hoc in loco usurpant, legem esse testimonium de utraque re, de peccatis nostris et de liberatore Christo, et legem ipsam testificari, non tolli peccata per legem, sed tantum esse testimonium contrarium nobis, iudicans ac damnans nos. Estque haec enarratio comprehensa in doctrina de discrimine Legis et Evangelii seu gratiae Christi, quae alibi recitatur copiosius. Adiiciam autem pauca.

Notissimum est duo esse praecipua capita doctrinae coelestis, Legem et Evangelium de filio Dei Domino nostro Iesu Christo. Doctrina Legis comprehenditur communissima appellatione Decalogi, et est aeterna et immota norma sapientiae in Deo, docens quod sit Deus et qualis sit, videlicet, sapiens, iustus, castus et verax, et postulat lex, ut creaturae rationales, Angeli et homines, huic normae sapientiae et iustitiae divinae conformes sint, et denuntiat iram horribilem, et non simulatam omnibus, qui non sunt conformes.

Scitis autem duplicem esse usum Legis. Primum, quoad disciplinam et regendam locomotivam. Est enim voluntas Dei aeterna et immutabilis, ut sit aliqua honesta vitae gubernatio externa. Et est manifesta ratio, quia nulla esset futura societas durabilis, si singulis liceret aliorum bona, coniuges aut liberos pro arbitrio rapere. Ac qualis vita esset, si caedes promiscue concederentur? Et quamquam multi a Diabolis ad eiusmodi furores impelluntur, multi etiam ad caedes, libidines et omnium scelerum licentiam se ipsos invitant, tamen manifestum est, Deum ipsum vindicem esse, et poenas atroces etiam in hac vita immutabiliter sequi delicta atrocia, sicut affirmat Christus: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Ita Deus ipse aliquos ad honestam vitae gubernationem praestandam adigit. Sed hic necesse est scire, hanc gubernationem disciplinae procul abesse a perfecta legis impletione, nec esse meritum remissionis peccatorum, et manere in corde multas tristes dubitationes de Deo, multas pravas inclinationes, et sordes alias infinitas: sicuti omnes fateri necesse est.

Alter vero usus legis est, iram Dei adversus peccatum in nobis monstrare, et comminatione irae Dei corda perterrefacere, sicut inquit Paulus: Lex iram operatur, hoc est, iudicio legis perterrefacta corda demerguntur in mortem et doloribus inferorum opprimuntur, sicuti Ezechias affirmat de hoc iudicio: Tanquam leo contrivit omnia ossa mea. Hi dolores multis hominibus noti sunt, et sentiunt alii maiores, alii minores. Et quanta res sit iudicium Legis, saepe in his conspicitur, qui capitalibus suppliciis afficiendi sunt. Ac sentiunt tales, peccatum, iram Dei et dolores inferorum non tolli per legem, sed esse legem iudicium ac testimonium accusans et damnans nos: primum hoc modo, cum testificatur Deum iustum iudicare et damnare peccatum: deinde, quia hoc testimonio legis convicta conscientia cogitur fateri, nos esse reos, et iram Dei et poenas horribiles promeritos esse, et iuste Deum facere, quod suae iustitiae exempla in nobis statuit, quod abolet ac destruit naturam inquinatam tantis sordibus.

Has tabulas legis qui recitari contra se in veris doloribus audiunt, hi sciunt non esse hos dolores inania aut ridicula terriculamenta, et cum Davide hanc querelam tristissimam considerare

discunt: Dolores mortis circumdederunt me, et pericula inferni invenerunt me. Multi oppressi his doloribus in aeternum exitium ruunt. Ut Saul, Iudas, Achitophel, et alii innumerabiles, testimonium ac iudicium Legis sentientes doloribus inferorum prorsus opprimuntur, et in his in tota aeternitate haerent.

Sed contra hoc terribile iudicium Legis quaerenda est et altera vox Evangelii de Filio Dei, qui iram aeterni Patris placavit, et victima pro nobis factus est, ut certo det remissionem peccatorum, iustitiam et vitam aeternam gratis, non propter nostra aliqua merita aut opera. Hunc filium aeterni Patris Dominum nostrum Iesum Christum salvatorem ac liberatorem nostrum, necesse est agnosci, sicuti in promissionibus quas dedit patribus, et in visibili consuetudine assumta humana natura se ipsum patefecit. Ac firmissime tenendum est, hunc Iesum Christum Deum et hominem longe supra Moisen extollendum et efferendum esse. Nam hic unus Christus Iesus Dominus et salvator noster, veram ac certam consolationem in hoc terribili iudicio legis profert, inquiens Iohann. 3.: Sic Deus dilexit mundum, ut filium unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam aeternam. Haec consolatio vox est Evangelii propria, praedicans in nomine et efficacia Domini nostri Iesu Christi poenitentiam et remissionem peccatorum. Et auditis saepissime, hunc Dominum Iesum Christum, et hanc gratiam eius inenarrabilem, fide accipiendam et amplectendam esse, sicut dicitur: Qui credit in eum, habet vitam aeternam. Et ipsa oratio quomodo intelligenda sit, alibi copiosius exponitur,

Estque primum omnium hoc certissimum et sine ulla dubitatione verum, non oportere hominem in peccatis contra conscientiam, in furoribus Ethnicis et Epicureis, aut in proposito sceleris secure manere, sed oportere agnitione irae Dei expavescere, sicut inquit Dominus: Spiritus sanctus arguet mundum de peccato. Et in iuramento, quod Deus ipse in Ezechiele proponit, copulativa oratio est, complectens utrumque, conversionem et consolationem: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Hoc iuramentum de nostra conversione consideremus, et sciamus velle Deum, ut ad ipsum convertamur. Et eodem modo in Esaia ultimo capite dicitur: Ad quem respiciam? nisi ad pauperculum et contritum spiritu et trementem sermones meos. Omnino enim necesse est etiam hanc terribilem sententiam legis adversus nos audire, ut sciamus nos esse reos et poenas promeritos esse. Harum poenarum et huius irae conspectu necesse est nos perterrefieri.

Postquam vero cor coepit his doloribus opprimi, addenda est et consolatio, quam immensa bonitate ex sinu aeterni Patris Dominus noster Iesus Christus protulit. Nam non vult Deus ideo voce legis perterrefieri, ut in tota aeternitate in fremitibus inferorum contumeliosis adversus Deum maneamus, sed ut ad ipsum convertamur, et remissionem peccatorum, iustitiam et vitam aeternam consequamur: quod fit in hunc modum: Certo credat ac statuat cor tuum, Deum propter filium Dominum Iesum Christum certo tibi dare remissionem peccatorum, et hac ipsa fide in corde tuo habitare et efficacem esse, et potenter ex doloribus inferorum te eripere, et vitam aeternam tibi restituere. Et quanquam in hac tristissima et squalidissima vita manet ingens infirmitas et inquinatio nostra: tamen statuas certo te a Deo hac ipsa fide receptum, et iustitiam filii Dei tibi imputatam esse, et hac ipsa filii iustitia te vestiri ac tegi. Ita enim inquit Paulus 2. Corinth. 5.: Eum qui non novit peccatum, Deus fecit peccatum, ut nos fieremus iustitia Dei in ipso. Comprehendit Paulus utrumque, mortem et passionem, et immensam filii gratiam.

Primum inquit: *Deus* fecit filium peccatum pro nobis, hoc est, etsi erat sine peccato, tamen iram adversus peccatum pro nobis hunc filium gestare voluit. Atque ita hic filius victima pro peccato innocens et purissima fuit, et nunc in arcano consilio aeterni Patris impervestigabili omnibus creaturis pro nobis intercedit, et ipso deprecante aeternus Pater nobiscum reconciliatur, imputans nobis filii iustitiam, et remittens peccata nostra omnia: et effundunt Pater et Filius Spiritum sanctum in corda nostra, ut et aeterna iustitia et vita per hunc ipsum Dominum nostrum Iesum Christum in nobis inchoetur. Et quanquam manet infirmitas in nobis valde tristis, et inclinationes pravae innumerabiles, tamen iustitia filii nobis imputatur, et hoc umbraculo sordes nostrae teguntur.

Hanc consolationem in omni invocatione consideremus, et sciamus oportere utrumque in nobis in perpetuis exercitiis poenitentiae crescere,

pavores agnoscentes ac metuentes iram Dei, et consolationem, qua se mens petens et exspectans remissionem peccatorum fide erigat, et certo statuat sic nos adiungi filio Dei tanquam membra, sic nos haeredes esse vitae et salutis aeternae.

Auditis igitur sine ambiguitate et sine involucris verborum, quae sit fides et sententia nostra de remissione peccatorum et iustitia per et propter filium *Dei*, et diserte auditis nominari etiam efficaciam totius divinitatis in cordibus credentium, et adiungi inseparabiliter hanc perpetuam consolationem, quam necesse est scire: Etiamsi divinitas in nobis efficax est, et aliqua est inchoata obedientia, tamen credendum ac statuendum est, nos placere Deo, et acceptos esse ad vitam aeternam, propter Dominum nostrum Iesum Christum, non propter sequentem novitatem aut efficaciam.

Novus in Prussia scriptor accusat nos, nihil dici a nobis de efficacia divinitatis in credentium cordibus. Sed vos contra testes eritis, nos etiam hac de re fideliter vos erudiisse, ut sonat dictum Iohannis: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Et scitis, quam saepe repetatur haec vox filii Dei: Nemo rapiet oves meas de manibus meis. Ipse Dominus Iesus Christus adest tibi, est in te efficax, dans iustitiam et vitam novam, et potenter adversus diabolorum insidias et furores te servans ac protegens. Et quanquam sunt haec omnia verissima, tamen etiam in sanctis omnibus in hac vita (uno Christo excepto) ingens ac tristis infirmitas et sordes peccatorum reliquae sunt. Et necesse est confiteri omnes cum Davide: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Et sentiunt singuli vehementer angi animos, et terroribus praeteritorum peccatorum, et conspectu praesentium sordium, quae haerent in nobis, quasque assiduo circumferimus. Hic necesse est teneri hanc consolationem, de qua Psalmi concionantur: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata, Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum. Intelligas autem quomodo tecta sint, videlicet iustitia Domini nostri Iesu Christi, qui in arcano concilio divinitatis pro te assidue deprecatur, ut scriptum est ad Ebraeos 7.: Semper vivit hic Pontifex ad interpellandum pro nobis, estque hic summus Pontifex Dominus noster Iesus Christus Deus et homo, ac propter huius summi Pontificis intercessionem, aeternus Pater nobis propitius est.

Ac necessariam hanc consolationem non patiaris tibi eripi nova illa speculatione, quae fingit hominem iustum esse, ideo, quia iustitia essentialis Patris et Filii et Spiritus sancti in ipso habitet. Discite autem hunc aeternum et summum Pontificem Dominum Iesum Christum mediatorem et propitiatorem perpetuo agnoscere, et fide ac fiducia vera eum invocate, et ad thronum misericordiae in omnibus doloribus per hunc ipsum Pontificem subinde accedite: sicut Daniel orat, neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis propter Dominum: Exaudi Domine, placare Domine, attende et fac.

Ad haec ipsa verba Danielis vos assuefacite, et imitari ea in vestra invocatione discite, et in cogitatione eorum immoramini, dicentes: Omnipotens, aeterne, vive et vere Deus, aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, Angelorum et hominum, et omnium creaturarum, una cum filio tuo coaeterno Domino nostro Iesu Christo et Spiritu sancto, invoco te veris gemitibus, et pectore toto confiteor, me horribiliter peccatis et erroribus multis te offendisse, ac vere doleo, te offensum esse, et iram tuam metuo, ac prosterno preces ante faciem tuam, non in iustitia mea, sed in misericordia tua magna propter filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, et oro te, miserere mei et iustifica me, et per filium me serva ac protege, doce, rege ac iuva me Spiritu tuo sancto, qui a te et filio tuo, Domino nostro Iesu Christo procedit etc.

In tali forma precationis, qua Prophetae utuntur, simul et doctrina praecipua recitata est et commonefactiones multae et utiles inde peti possunt. Et est in Prophetarum invocatione singularis emphasis verborum, quae infixa mentibus multa docent ac commonent. Quare iterum moneo, ut prophetarum invocationem imitari et exprimere studeatis.

Haec sufficiant nunc de verbis Christi: Offerte munera quae praecipit illis Moses in testimonium ipsis. Dominus noster Iesus Christus adsit nobis et regat nos, Amen.

Accessit ad eum centurio, orans eum, et dicens etc.

In recitatione omnium miraculorum, primum omnium consideranda est communissima doctrina de miraculis. Postea singula miracula habent peculiares commonefactiones utiles, quae, quantum a Deo conceditur, simul considerandae sunt. Ac communem miraculorum doctrinam saepe auditis in haec tria membra distribui.

Primum sunt testimonia, hanc doctrinam, quam profitetur ac sonat Christus, vere divinam vocem esse, et hunc Christum veracem doctorem esse, missum a Deo, et haec ipsa testimonia ostendere, et hoc modo sese patefacere, ut certi simus, vocem Evangelii veram esse, non esse commentitiam aut fabulosam, quales sunt fabulae et religiones Ethnicae. Fidem igitur nostram testimoniis talibus confirmandam esse sciamus.

Secundo sunt exempla ac testimonia divinarum promissionum, quae docent certo filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum velle nos exaudire et iuvare, sicuti promissiones eius sonant, et haec ipsa exempla testificantur. Ac in his eodem modo nos alloquitur, quo spectatores talium miraculorum invitat: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos.

Tertio, sunt exempla applicationis, et docent, quomodo Christi auxilium accipiendum sit, videlicet fide intuente hunc filium. Ac in varietate hominum, quibus opitulatur Christus, vult nos considerare regulam alias saepe repetitam, Deum non esse προςωπολήπτην, sed esse aequalem erga omnes ipsum invocantes, ut expresse affirmat dictum: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Vides Christum opitulari sine discrimine gentibus et Iudaeis, Samaritanis, publicanis et mulierculis publica turpitudine pollutis: Vides omnes agentes poenitentiam et fide ad hunc Dominum confugientes impetrare auxilium. Scias igitur nobis omnibus, in omnibus consiliis ac periculis, spiritualibus ac corporalibus, eodem modo ad hunc Dominum confugiendum esse, hunc Dominum fide invocandum esse, et certo statuendum, hos summos et veros cultus esse, ita ad Deum et Dominum Iesum Christum fide confugere, et certo auxilium ab ipso petere et exspectare.

Notissima igitur sit haec communis doctrina omnibus in omni invocatione, in omnibus consiliis et periculis vitae: et cogitatione eius invocatio et fides exsuscitetur: et sciamus omnes nos eodem modo ad filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum vocari, sicuti vocatur hic centurio, aut Syrophoenissa, aut Samaritanus, aut leprosus, aut mulier adultera Samaritana. Tantum alacriter per fidem ad hunc Dominum accedas, ita experimento proprio edoctus intelliges, nunquam hanc fidem esse irritam.

Et haec quidem brevis commonefactio initio sufficiat. Nunc peculiaria quaedam admodum insignia praesentis historiae documenta consideranda sunt.

Centurio accedens ad Dominum fuit homo Ethnicus, et tamen testificatur de ipso Christus, ipsum sanctum et vere haeredem esse vitae aeternae, et membrum verae Ecclesiae. Quare hic primum considerandum est, quomodo Deus omnibus temporibus aeternam Ecclesiam collegerit, et qui sint veri cultus, Ecclesiam veram a falsa discernentes. Qua de re hoc ipso in loco Dominus concionatur: Multi venient ab oriente et occidente, et recumbent cum Abraham, Isaac et Iacob in regno coelorum, filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores, ibi erit fletus et stridor dentium. Hoc dicto Christi expressissime veram Ecclesiam ab hypocritis discerni auditis. Quare primum de vera Ecclesia breviter dicemus.

Patefecit se Deus immensa bonitate, et statim post tristissimum Adae et Evae lapsum edita promissione, de Messia et Salvatore generis humani sese ostendit, inquiens: Semen mulieris conteret caput serpentis. In hac concione promittit Deus, se missurum esse filium ad assumendam humanam naturam, ut per hunc filium suum peccatum et mors aboleatur, et iustitia ac vita aeterna reparetur omnibus, qui fide hunc filium agnoscerent, et fiducia huius filii iustitiam et vitam aeternam peterent et exspectarent. Cum hac voce promissionis coepit Ecclesia in Adam et Eva denuo instaurari: et ipsi, cum hanc consolationem fide acciperent, senserunt, se cum efficacia huius vocis rursus ex morte et doloribus inferorum eripi. Ac per ipsos ministerium huius promissionis de filio, et veris Dei cultibus coepit, ac posteri omnes, qui hanc vocem promissionis de filio fide amplexi sunt, simul etiam remissionem peccatorum et iustitiam et vitam aeternam acceperunt, et membra fuerunt verae Ecclesiae Dei, quales multi post

Adam et Evam recitantur, Abel, Seth, Enoch, Noah, Sem, Abraham etc. Multi abiecta hac promissione ac fide, ab Ecclesia se seiunxerunt, ut Cain et alii post ipsum innumerabiles, ac multitudo Ethnica tetros furores idololatricos comminisci coepit, et in vita turpitudinem tetram palam exercuit.

Postquam vero politiam Israël Deus immensa bonitate constituit, simul hoc severissime praecepit, ut de venturo liberatore humani generis doceretur. Et quanquam sacrificia et ritus multos instituit, tamen sua voce declaravit, omnia illa tantum signa esse externa venturae liberationis per filium. Nec imaginandum est peccatum aut mortem illis ritibus abolita esse. Ac in toto illo regno Israël, tantum hi fuerunt haeredes vitae aeternae, et verae Ecclesiae membra, qui promissionem de venturo liberatore fide amplexi sunt. Et hic ipse liberator cum voce huius promissionis in cordibus credentium habitavit, et agnitionem Dei, et invocationem veram accendit. Tales erant Zachariae tempore ipse Zacharias, Simeon, Ioseph, Maria, Elizabeth, Anna, et multi alii Zachariae et Simeonis auditores, qui doctrinam et vocem eorum amplectebantur.

Praeter hanc veram Ecclesiam multa millia Pharisaeorum, Sadducaeorum et aliorum erant, qui fingebant se remissionem peccatorum consequi suis sacrificiis, et fidem promissi liberatoris abiiciebant, et addebant alia etiam somnia, habiturum Messiam regnum corporale tantum, in quo ipsi opibus et potentia florentes regnaturi essent. In his tenebris impossibile fuit tales invocare Deum, qui remissionem peccatorum nondum haberent. Fuit igitur magna multitudo regni ac populi Israël non sancta, sed tantum hypocritica, et tamen cum hac ipsa multitudine impia semen sanctum divinitus servabatur, de quo inquit Esaias: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus.

Saepissime vero accidit, ut etiam ex Ethnicis quidam doctrinam promissionum ex sanctis populi Israël discerent et amplecterentur, et verum Deum illius populi et liberatorem generis humani agnoscerent, et vera fide et invocatione et cultibus veris colerent, qualis fuit Naaman, Cyrus, et multi alii. Tales Ecclesiae membra fuerunt et haeredes vitae aeternae, etiamsi ritus ac ceremonias populi Israël non observabant. Et fulsit in talibus magna illa et arcana sapientia, quod remissio peccatorum tantum propter hunc liberatorem populo Israël promissum contingeret, quodque ad hunc redemtorem fide confugiendum, et hic unus Deus, populo Israël patefactus, cognoscendus et invocandus, et voluntas huius veri Dei ex Prophetarum voce discenda et quaerenda sit, et non alibi etc. Talis fuit et hic centurio, qui promissionem recte intellexit ac didicit, vel a Iairo Archisynagogo sui oppidi, vel a Iosepho, vel ab horum auditoribus, viris sanctis et recte institutis. Ac intelligit centurio, Messiam esse filium Dei, quem scit venturum ad hoc, ut peccatum et mortem destruat, et iustitiam ac vitam aeternam restituat. Nec dubium est hunc ipsum centurionem multas Christi conciones audivisse, et recte Deum coluisse et invocasse.

Discetis igitur hoc in loco verae Ecclesiae cives a coetibus idololatricis discernere, quales sunt Pontificis Romani, Monachorum et similium porcorum agmina, qui existimant missas idololatricas aut ritus Monasticos esse merita remissionis peccatorum et vitae aeternae etc.

Hic contra constanter ac firmiter statuetis, haeredes vitae aeternae et cives verae Ecclesiae tantum hos esse, qui obtemperant dicto ac regulae Christi: Agite poenitentiam et credite Evangelio. Ubicunque ergo mentes vere expavescunt agnitione ac metu irae Dei, et fide Mediatorem Christum intuentes consolationem ab ipso exspectant, et in hac consolatione acquiescunt: in talibus immutabiliter etiam vera invocatio et iustitia bonae conscientiae lucet. Hi etiam certo reputantur pro filiis Dei, et sunt verae Ecclesiae membra, non mortua aut commentitia, sed vera et viva. Ac tales, si in hac conversione ad Deum perseverent, et fidem retineant, vere etiam vitae et salutis aeternae haeredes sunt.

Hoc discrimen verae et falsae Ecclesiae diligenter observabitis, et simul considerare discetis, qui sint veri et necessarii cultus, qui commentitii et prohibiti ac damnati. Necesse enim est singulos scire, quae sit vera Ecclesia, et unumquemque adiungere se ad societatem eius oportet, et cum ea Deum agnoscere et invocare. Sicut in diluvio extra arcam Noae nemo servabatur, ita sciamus verissimam esse regulam: extra Ecclesiam non est salus. Ac beneficium est non mediocre, te intelligere, quae sit vera Ecclesia, et civem huius agminis esse, ut in hac societate ac coetu filiorum Dei verum Deum agnoscas, invoces ac celebres.

Et de hoc beneficio inquit David Psalm. 27.: Unum hoc petii a Domino, hoc requiram, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae, hoc est, ut sim membrum ac civis verae Ecclesiae, et a numero filiorum Dei nunquam excludar. Et vos agite Deo gratias toto pectore, etiamsi tristes sint aerumnae huius vitae, quod tamen in tali coetu vivitis, qui vere est Ecclesia Dei, quae Deum recte invocat ac colit. Et orate filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut perpetuo aeternam Ecclesiam inter nos colligat, servet, ac regat, sicut ipse precatur aeternum Patrem: Pater, serva eos in nomine tuo, sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas, Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum, sicut et nos, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, et ego in te, et ut ipsi in nobis unum sint. Idem nos quoque cum Domino nostro Iesu Christo precemur, et veris gemitibus ac votis petamus, ut aeternam in nobis Ecclesiam ipse servet ac regat.

Quaestio.

Sed dices: Quomodo scio ubi aut quae sit Ecclesia vera, video infinitas esse sectas, et unamquamque gloriose praedicare, se esse Ecclesiam et populum Dei?

Responsio.

Fuerunt proh dolor omnibus temporibus tristes et horribiles confusiones; ut tempore, quo Zacharias, Simeon, Elizabeth et Maria vivebant, erant simul ingentia agmina Pharisaeorum et Sadducaeorum. Post Apostolos exoriebantur Ebionitae, Marcionitae, Arriani, Manichaei et alii. Nostro tempore ingentia agmina sunt Papistarum, Anabaptistarum, Interimistarum. Quaerat ergo pia mens, ad quos accedendum sit. Respondeo, discrimen supra ostensum quaerendum ac retinendum esse. Certissimum enim est, ubicunque vox Evangelii incorrupta sonat, et usus Sacramentorum legitimus et a Christo institutus retinetur, nec defenduntur pertinaciter idola aut alii tetri furores, talis coetus vere est Ecclesia Dei. Ideo ad hunc coetum accedas, et ei te adiungas, iuxta dictum filii Dei: Oves meae vocem meam audiunt.

Obiicies hic denuo: Clamant omnes sectae, se retinere vocem Evangelii incorruptam: quis igitur iudex est, quaenam recte doceat? Respondeo: Ipse filius Dei, in voce Evangelii et scriptis Apostolorum et in Symbolis iudex est. Ac si fideliter quaeris veritatem, vox divina nequaquam est obscura aut ambigua, et potes intelligere, utrum nostrae Ecclesiae aut Pontificiae aut Anabaptistarum cum voce divina incorrupta consentiant. Tantum retineto in hac investigatione mandatum immutabile aeterni Patris sonans de coelo: Hic est filius meus, dilectus, quo delector, hunc audite. Vox est sicuti vides Patris aeterni nec obscura, nec ambigua, deducens te ad unum doctorem et iudicem, filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, quem debes audire. Eodem modo et Paulus diserte inquit: Si quis aliud Evangelium docet, Anathema sit. Hae regulae normae sint, quas in iudicando sequaris, quae sit vera vel falsa Dei Ecclesia. Cum pugnat doctrina cum expressa voce Evangelii, vel cum uno pluribusve articulis fidei, vel cum Decalogo, certo statuas talem coetum non esse Ecclesiam Dei. Ut scelerati nebulones Anabaptistae affirmant, adulteria non esse peccata. Talis asseveratio manifestum et diabolicum mendacium est contra Decalogum.

Papistae inquiunt: Nostra opera merita esse remissionis peccatorum, et nominant opera Missas idololatricas, ritus Monasticos, satisfactiones et similes superstitiones, postea affirmant perpetuo dubitandum esse de remissione peccatorum. Hae asseverationes omnes pugnant cum voce Evangelii manifestissima, quae diserte et sine ambiguitate de Domino nostro Iesu Christo affirmat, per hunc Dominum Iesum Christum filium Dei, nos habere remissionem peccatorum per fidem in ipsum, non nostris meritis, non Missis idololatricis, non ritibus Monasticis, aut aliis quibuscunque operibus.

Ac intelligunt piae mentes, hanc ipsam Evangelii vocem non esse incertam aut obscuram. Et est manifestissimum, praecipi nobis, ut huic Domino nostro Iesu Christo credamus, et certo statuamus, Deum per et propter hunc dilectum filium certo remittere peccata, et dare vitam aeternam. Ita in recitatione Symboli asseveras: Credo remissionem peccatorum: et nominatim hoc credo, remissionem non solum aliis, sed mihi quoque dari. Asseverat idem et Iohannes inquiens: Qui non credit Deo, mendacem eum fecit.

Manifestum igitur est ac certissime verum: Pontificium articulum, in quo dubitatio confir-

matur, vocem Evangelii horribili contumelia afficere, ac prorsus delere.

Docent Pontificii etiam homines mortuos invocandos esse, Annam, Georgium et alios. Id directe pugnat cum primo praecepto Decalogi: Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies. Prohibent Pontificii et coniugia sacerdotum. Id cum sexto praecepto pugnat expressissime. Potes igitur ex tali recitatione iudicare et certo asseverare, utrum vera Ecclesia vel falsa sint, qui talia docent, ac pertinaciter defendunt.

Scitis igitur mandatum Dei esse, ut ad veram Ecclesiam te adiungas, et civis eius esse velis, et veris cultibus Deo servias, in vera conversione ad Deum, in fide, invocatione, et militia bonae conscientiae, sicut vides hunc centurionem non adiungere se ad Ecclesiam Pharisaeorum aut Sadducaeorum, sed cernis eum civem esse Ecclesiae Christi et eius auditorum et amicorum, qui voce Prophetarum ipsum erudierunt, et ad *Christum* primi deduxerunt. Est in eo admiranda et ardens lux fidei, agnoscens Christum, et fiducia magna in ipso acquiescens. Intelligit hunc *Christum* omnipotentem esse, et cum verbo suo efficacem esse, sicut fatetur: Tantum dic verbum unum, et sanabitur puer meus. Profecto singularis et ingens lux fidei est, lucens in hoc milite, quae erudit ipsum, ut intelligat Messiam esse Deum et hominem, et esse *λόγον* aeternum aeterni Patris, per quem condita sunt omnia, per quem nunc quoque sustentantur et vivificantur omnia. Sicut inquit Iohann. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Cum tali fide necesse est coniunctas esse multas alias virtutes. Et Luc. 7.: de hoc milite dicitur, Seniores oppidi solicite pro ipso Dominum orasse, ac testes fuisse ipsius integritatis et beneficentiae in gubernatione. Inquiunt enim: Dignus est ut hoc illi praestes, quia diligit gentem nostram, et Synagogam ipse aedificavit nobis. Haec omnia satis testantur, hunc militem fuisse discipulum vocis Prophetarum, et doctrinam eorum amplexum esse. Atque ita est civis et membrum verae Ecclesiae, quia per fidem Domino nostro Iesu Christo insitus est, intelligit ac credit promissiones de Messia veras esse, et veris cultibus Deum celebrat: et quanquam non est circumcisus, et ceremonias ac ritus populi Israël non observet, tamen lucet in eo haec sapientia, quod per et propter Messiam habeat remissionem peccatorum, iustitiam, ac vitam aeternam, non per aut propter observationes legis Mosaicae aut sua aliqua opera bona. Ac promissionem datam Abrahae recte intelligit, et quidem hunc in modum, quod et gentes extra politiam populi Israël per hoc semen Abrahae promissum futuri sint haeredes vitae et salutis aeternae. Et *τὸ ῥητὸν* promissionis retinet: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Haec verba rectius intelligit miles quam multi in populo Israël, videlicet, etiam gentes extra politiam Moisi benedicendas esse, non unum illum populum Israël, et scit benedictionem hanc non esse beneficium corporale, ut multi fingebant, sed esse liberationem a peccato, ab ira Dei et potentia diaboli, cum quo beneficio agnoscit restitui nobis iustitiam et vitam aeternam.

Modestia vero huius militis, qua se Christo humiliter subiicit, ostendit quam reverenter et honorifice de Christo senserit, cum quidem homo Romanus esset, et miles urbis praefectus seu capitaneus. Id genus hominum raro modestiam aut beneficentiam erga inferiores ac subditos exercet. Sed hic praefectus est vir sanctus, habens singulare lumen fidei. Quare et ab ipso domino honorifice commendatur: Amen dico vobis, nec in Israël fidem tantam inveni. Quanquam autem exemplum ad omnes pertinet, tamen praecipue gubernatores in ipsum tanquam in exemplum plurimarum virtutum intueri decet. Primum enim discent, quantam reverentiam et quae officia Christo et ministerio eius debeant. Deinde, quomodo ad gloriam Dei et subditorum salutem instituere gubernationem ipsos oporteat. Docet exemplum et hoc, quod homini Christiano concessum sit gerere magistratus, et exercere officia politica, et quod hoc vitae genus suo genere bonum sit, et Deo placeat. Qua de re alibi uberiores commonefactiones proponuntur. Ac necesse est, interdum moneri auditores, ne Anabaptistarum superstitionibus fascinari aut decipi se patiantur, qui damnant ordinem politicum, et negant concessum esse Christianis, gerere aut exercere officia politica, ac seditiones, caedes et confusiones ordinis divini quaerunt et adiuvant.

Considerate igitur auditores carissimi, quam copiosa doctrina, in historia huius militis quantumvis brevi proponatur, de plurimis rebus, de Ecclesia, de fide, de bonis operibus, de officiis ac magistratibus politicis, et de aliis. Utinam

omnes, et inprimis principes et gubernatores, exemplum huius militis attente et reverenter cogitarent.

Reliqua sunt multa alia, quae brevitas et angustia temporis explicare non patitur, et tanta est magnitudo rerum, ut instituere enarrationem non ausim. Non possum tamen omittere appendicem, quae et consolationem dulcem, et comminationem tristem complectitur. Consolatio est dulcis, cum inquit Dominus, recipiendas esse gentes ad societatem Ecclesiae. Comminatio terribilis est, cum inquit: Filii regni, qui hoc gloriosum nomen habent, quod sint Ecclesia et populus Dei, eiicientur foras. De primo igitur, quoties dicitur etiam gentes a Deo ad agnitionem filii Dei, et societatis vitae et salutis aeternae, recipi, meminerimus hanc magnam et inenarrabilem consolationem tradi, quod immensa et ineffabili misericordia genus humanum a Deo recipitur, et remissionem peccatorum gratis propter filium Dei sine ullis nostris meritis consequitur etc.

De socru Petri.

Veniens Iesus in domum Petri, vidit socrum eius iacentem et febri laborantem, et tetigit manum eius, et dimisit eam febris, et surrexit et ministrabat eis, etc.

Recitata sunt aliquot miracula in hoc capite octavo, brevissime ac simplicissime, quia in immensum crevisset librorum moles, si singula miracula prolixe Apostoli commemorassent. Ideo in hoc loco primum breviter dicitur, quod socrum Petri languentem, et ut ait textus, *πυρέσσουσαν*, Dominus curarit. Postea dicitur: Obtulerunt ei multos Daemonia habentes, et eiiciebat spiritus verbo, et omnes male habentes curavit, ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetam Esaiam dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et aegrotationes nostras portavit.

Hic iterum moneo, ut communem doctrinam miraculorum animo repetatis, et quae in recitatione eorum praecipue cogitanda sint, attente et reverenter consideretis. Scitis primum testimonia esse doctrinae, vult enim Deus ita ostendere, se hanc vocem tradere, quam tantis miraculis ipse ornet ac confirmet. Intuentes igitur haec admiranda exempla, cogitent vocem sonantem per Christum, Prophetas et Apostolos vere esse ipsius Dei immotam sententiam ac voluntatem, quam velit audiri ac recipi. Nam resuscitare mortuos et vitam eis reddere, opus est solius divinitatis proprium, inimitabile diabolis et omnibus creaturis.

Secundo, miracula quanquam sunt corporalia bona, tamen sunt exempla ac testimonia promissionum omnium tam spiritualium quam corporalium. Et ostendunt haec exempla, Deum et in spiritualibus et in corporalibus periculis velle invocantibus opitulari.

Tertio, sunt doctrina de applicatione, quae omnes et singulos commonefacit de petendo et exspectando auxilio Dei, accedendum scilicet esse ad Dominum nostrum Iesum Christum fide et fiducia promissionis, sicut accedit fide mulier Syrophoenissa, nulla sua merita adferens aut ostentans. Eodem modo voluntas Dei immutabilis est, et mandatum severissimum ad omnes pertinens, ut fide ad Dominum Iesum Christum accedant, et ita ea Deum invocent. Talis invocatio nunquam irrita est, sed vere efficax est, et impetrat quae petiit. Ac pertinent ad doctrinam de applicatione dicta communissima: Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos. Nemo rapiet oves meas de manibus meis. Estque ut dixi, mandatum severissimum, ut fide Deum invoces, et exempla fidei in miraculis dulcissimis et innumerabilibus proposita imiteris.

Haec saepe auditis inculcari, ac necesse est saepe haec communia et catechetica elementa repeti, ut sint in conspectu omnium, et in invocatione assidua et lectione seu recitatione talium miraculorum ab omnibus cogitentur.

Sed dices, haec miracula cum istis facta sunt, quibus Dominus opitulatus est, nunc desierunt miracula, et video me et alios haerere in aerumnis, nec iuvari a Deo. Quae igitur utilitas est huius recitationis? Respondeo: Diligenter praemuniendi sunt animi adversus tam blasphemas cogitationes ac voces. Est enim certissimum nunc quoque ingentia miracula quotidie fieri, de quibus commonefacit nos dictum in Actis: In ipso vivimus, sumus et movemur. Quod enim tu vivis, quod infantuli tui servantur, quod impeditur Diabolus, ne suis furoribus omnia evertat, tantum fit beneficio filii Dei Domini nostri Iesu Christi protegentis ac servantis te mirabilissime. Hic Dominus, ut inquit Esaias, in sinu suo et

brachiis suis te gestat, sicut Pastor agnum tenellum recens editum gestat, ac sustentat: Hic Dominus vocat te in Psalm. inquiens: Invoca me in die tribulationis, et ego eripiam te. Ac liberationes istae omnes ingentia et stupenda miracula sunt, etiamsi oculi hominum occoecati haec miraculosa facta non intuentur aut agnoscunt. Quare mendacia ista blasphema et contumeliosa adversus Deum procul ex animo eiicias, Deum non ostendere tibi miracula. Sunt enim ut dixi tales cogitationes contumeliosae in Deum, et verae invocationis impedimenta. Contra autem certo credas, Deum miraculis quotidianis apud nos praesentem et efficacem esse, et benignissime opitulari invocantibus in omnibus consiliis ac periculis, spiritualibus et corporalibus. Scias hunc honorem te Deo debere, ut hoc confitearis, credas, et ita Deum invoces. Et hi sunt summi et praecipui cultus, qui in invocatione vera discendi et exercendi sunt. Atque haec brevis commemoratio de miraculis hoc in loco sufficiat. Nunc ad dictum Esaiae accedimus, de quo itidem pauca monebimus.

Non solum loquitur Esaias de infirmitatibus aut morbis corporum, sed utraque comprehendit: peccatum seu morbum animae interiorem et caetera mala, et onera omnia, quae per peccatum orta sunt, et stipendia eius fuerunt. Suntque in dicto Esaiae duae distinctae voces, Gestare et Auferre, et discrimen est dignum observatu. Nam distincta officia sunt miserias nostras gestare, et easdem postea auferre ac tollere. Primum gestat Christus infirmitates et miserias nostras, hoc est, ipse in passione, in morte et doloribus horribilibus, quos nostra causa subiit, ut iustitiae divinae satisfaceret, sensit inenarrabilem et horribilem iram aeterni Patris, nec fuit in tantis doloribus sua aliqua vel culpa, vel causa, sed propter nos et propter salutem nostram omnia haec in se derivavit, et hac obedientia sua et reverentia erga aeternum Patrem nobis remissionem peccatorum, et reconciliationem cum Deo peperit. Sicut de hac obedientia filii dicitur Psalm. 40.: In principio libri scriptum est de me, voluntatem tuam Domine facio libenter, et lex tua in medio cordis mei semper. Et in illo ipso capite Esaiae, ex quo praesentia verba depromta sunt, scribitur: Cum posuerit animam suam peccatum, videbit semen longaevum. Sunt et alia similia testimonia multa, quorum aliqua in conspectu esse debent, ut sciamus obedientiam Christi in passione et morte esse propitiationem pro nobis, et propter huius victimae obedientiam accepisse remissionem peccatorum et placuisse Deo, quotquot ab initio Ecclesiae sanctificati sunt, et fide huius victimae merita apprehenderunt.

Sit igitur una et summa consolatio adversus conspectum omnium peccatorum ac sordium tuarum hoc ipsum meritum filii Dei, et propitiatio per ipsum facta. Ac praemonemus pias mentes, ne se tragicis clamoribus ac minis Osiandri turbari, aut ab hac consolatione deterreri patiantur, qui vociferatur, non placere te Deo propter obedientiam aut meritum filii Dei, sed propter iustitiam essentialem seu divinitatem in te habitantem et moventem ut iusta facias. Hae speculationes Osiandri vide ne consolationem veram tibi excutiant, sed verba Iohannis 1. capite 1. firmissime retineo: Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omnibus peccatis: et quidem imis pectoribus haec ipsa verba inscribito, et in omni invocatione intuere ac considera, quod affirmat Iohann.: Sanguis Iesu Christi emundat nos ab omnibus peccatis. Attende autem quomodo loquatur, vult te fide hanc consolationem apprehendere, quod obedientia Christi sit propitiatio pro nobis, et quod certo aeternus pater sit nobis propitius, remittat peccata, et recipiat nos, quia filius dilectus, in quo ipsi complacuit, in quo laetatur et acquiescit, factus est pro nobis victima. Et haec omnia cogita complecti Isaiam in voce gestandi, cum inquit: Ipse infirmitates nostras accepit, hoc est, propter nos et propter salutem nostram subiit mortem tristissimam, et iram aeterni Patris in se derivavit.

Altera vox habet significationem auferendi: Aegrotationes nostras ipse sustulit, hoc est, peccatum et caetera mala omnia, quae peccatum secuta sunt. Utrumque enim beneficium Christi est, placare iram aeterni Patris, et sustinere poenam pro nobis. Et eo ipso aufert ac tollit peccatum a nobis. Primum, quia immensa bonitate remittuntur nobis peccata et recipimur ad vitam aeternam: deinde, quia verissime in omni conversione massam peccati haerentem in nobis ille ipse Dominus noster Iesus Christus incipit abolere, et in resuscitatione mortuorum novam et mundam massam sine peccato redditurus est, deleta morte et omnibus doloribus. Et ille ipse Dominus Iesus Christus reddet nobis vitam, sa-

pientiam, iustitiam et laetitiam aeternam, sicuti inquit: Ego vitam aeternam do eis. Et omnia haec Baptista una voce complexus inquit: Ecce agnus Dei qui tollit peccata mundi. Nominat Baptista Christum agnum eo, quod victima futurus esset, qualis erat apud Iudaeos consuetudo, ut agnos quotidie mane et vesperi mactarent et offerrent. Sed nominat hanc victimam agnum Dei, ut discernat ab agno Aaronis et victima Levitica. Vultque significare, non esse victimam hominum mandato aut iussu offerendam, sed admirabilem illam et magnam victimam, ordinatam et sanctificatam divinitus, immensa bonitate nobis et saluti nostrae a Deo donatam.

Quod vero addit Baptista: Qui tollit peccata mundi, utrumque comprehendit: sustinet haec victima poenam pro nobis, et peccatum ac mortem prorsus abolet, restituta vita, iustitia et laetitia aeterna. Et fiunt ista omnia hoc modo, cum fide merita huius victimae intuemur, et consolationem propositam apprehendimus, certo et nominatim hoc statuentes, nos accipere remissionem peccatorum propter obedientiam et merita Domini nostri Iesu Christi, qui victima pro nobis factus est, etc. Haec de dicto Isaiae hoc in loco sufficiant.

Quod vero Matthaeus de morbis corporum citat, non pugnat cum nostra expositione: tollit enim Christus utrumque, peccatum et caetera mala omnia, quae sunt peccati stipendium, morbos, mortem, poenas aeternas, bella et reliquas calamitates. Estque firmissime statuendum, velle eum etiam in periculis huius vitae invocari, et peti atque exspectari ab ipso corporalium calamitatum mitigationem. Nam etsi Ecclesia subiecta est cruci, tamen vult eam servare Filius Dei, et propterea mitigat poenas et aerumnas huius vitae, dans hospitia et victum necessarium, et necessitas horum bonorum evidens ac manifesta est. Nam in procreatione et educatione liberorum necesse est aliquos esse nidulos convenientes, et alia adiumenta mediocria, ut videmus etiam aviculis suos nidulos necessarios esse: postea ut provehi idonei homines ad docendum possint, plurimorum usus atque operae requiruntur. Propter has et multas alias similes causas, vult Deus etiam corporum bona suo sapientissimo consilio tribuere, ut vivere homines possint, qui docendo et aliis laboribus generi humano et inprimis Ecclesiae serviant. Et imago horum omnium pulcerrima in socru Petri proposita est: sanat Dominus periclitantem febri ardentissima, ut ipsi et caeteris hospitibus in apparatu cibi et hospitii serviat. Nos vero haec ipsa exempla intueri ac considerare decet, ut intelligamus, cur pacem, victum, valetudinem commodam, et caetera bona corporis petamus et exspectemus. Quoties intueris infantulos tuos, considera, quibus ac quantis bonis isti indigeant, quae officia utriusque parentis, tam patris quam matris, requirant. Propter hos infantulos scito te petere oportere, ut vita tibi prorogetur, ut victus necessarius tribuatur, ut salutaris sit publica gubernatio. Ita vides Ezechiae regi annos vitae prorogari, ut toti regno eius gubernatio ac vita serviat et salutaris sit. In tali invocatione et exspectatione bonorum corporalium fidem nostram exerceamus, et cogitemus quantis periculis et miseriis haec aerumnosa vita exposita sit. Sunt in conspectu bella, fames et poenae aliae innumerabiles, quibus profecto duriter premimur, ideo vult nos Deus cura aliqua talium periculorum affici, non vult nos ferreos esse, et furenter nobis cumulare mala, sed in conversione vera vult nos auxilium et mitigationem poenarum ab ipso petere, sicuti sua ipsius voce nos alloquitur et vocat: Convertimini ad me, et ego convertar vos. Vult nos agere poenitentiam et mores emendare, sic promittit ac pollicetur suum auxilium, sic bona aeterna et corporalia sese daturum affirmat.

Hi gemitus nostri in vera conversione nequaquam erunt inanes aut irriti, sed impetrabunt certo quod petimus, sicut in imagine viduae toties iniustum iudicem interpellantis dulcissime Dominus pingit et affirmat, quae ut assiduis interpellationibus et quadam pertinacia tandem extorquet auxilium, ita et nos iubet pertinaciter petere et sperare bona aeterna et corporalia.

Hanc commonefactionem de praesenti miraculo, etiam in caeteris subinde pia meditatione prosequi vos decet, ut sit poenitentiae et invocationis exercitium. Nam et te invocantem et accedentem fide, eadem benignitate Deus auditurus est, qua istis invocantibus opem tulit. Aequalis est Deus erga omnes, qui et caeteros vocat. Et hanc ipsam ob causam invitat ac vocat, ut omnium misereatur, qui fide ad ipsum confugiunt. Ac memento vocationem universalem propositam in dicto dulcissimo: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos.

De scriba, qui secuturus est Christum, si sciat ubi tandem ei consistendum sit, etc.

Sequuntur exempla aliquot continentia doctrinam utilem. Ac praecipuum est scribae, qui secuturus est Christum, si sciat ubi Dominus tandem velit consistere. Imago proponitur communissimae tentationis, digna consideratione accurata.

Omnium hominum animi duabus rebus vehementer cruciantur: primum quae opera praecepta ac mandata sint, deinde qui sint horum operum eventus. Sed discrimen est illustre. Mandata necesse est scire ac sequi, quicunque sint eventus, seu tristes seu placidi. Ut, Moses debet Deo iubenti obtemperare in eductione populi ex Aegypto, etiamsi molem periculorum, quae secutura sunt, non prospicit. Eventus autem fide exspectandi sunt, nec curiose nostris speculationibus quaerendum est, qui et quales futuri sint, suaves aut insuaves. Quia cum necessaria et mandata in vocatione facimus, certo scimus eventus salutares tandem secuturos esse. Interea vero exspectandi et fide vincendi sunt casus adversi, qui singulari consilio Dei etiam sanctis in vocatione frequentes accidunt, ut dicitur in Psalmo: Multae sunt tribulationes iustorum, sed ex illis omnibus liberabit eos Dominus. Quare, ut dixi, necessaria est sanctis fides, quae vocanti Deo obediat, et eventus salutares exspectet, etiamsi quid interea adversi interveniat, ut exspectat Moses in eductione populi plena laborum et periculorum. Sed haec infirma ac fragilis natura hominum difficulter vocanti Deo obtemperat, ac praemetiri omnes eventus suis consiliis conatur. Saepe etiam cum bona consilia in rebus bonis ac mandatis fuerunt, interveniente casu aliquo adverso, multi homines deserto Deo fremere et indignari incipiunt. Ut multi, qui primum recto consilio coniugium appetiverunt, postea accedentibus coniugii aerumnis fiunt aut desertores, aut res illegitimas ac prohibitas deserto Deo tentant. Ita multi qui paulo ante laetis animis praedicationem Evangelii acceperunt, et alacriter professi sunt, nunc imminentibus periculis persecutionum fiunt timidiores, et professionem Evangelii abiiciunt.

Sed opponit Dominus regulam severissimam: Qui perseveraverit usque in finem, salvus erit. Ac ut exspectari finis possit, fides necessaria est, quae confirmet animum, ne deserto Deo ante frangatur, quam spes salutaris eventus effulgeat, sicut frangitur hic doctor Legis, qui antequam sequatur Dominum, constitui sibi locum hospitii certum petit. Ita innumerabiles alii peccant horribiliter, qui vel impatientia vel aliis aerumnis fracti, deserunt vocationem: quia eventus extra se certos ac definitos anxie quaerunt, ac iniustum esse putant, quasi in caligine ac nocte coeca vocantem Deum confidenter sequi, et pericula sibi aut vitae et suavitati suae temere accersere. Exempla sunt innumerabilia in bellis, quae cum non essent necessaria, tantum ideo mota sunt, quia suo consilio autores tranquillitatem sibi ac rebus suis constituere voluerunt. Huic audaciae temere moventi res non necessarias opponit Psalmus regulam utilem: Commenda Deo viam tuam, et ora eum, et ipse faciet. Viam nominat officia vocationis propria ac necessaria, haec praecipit Psalmus sancte et solicite cogitari ac fieri. Postea iubet: Pete et exspecta etiam auxilium et bonos eventus a Deo, ita ipse faciet, hoc est, dabit eventus salutares tibi, et vocationi tuae utiles.

Haec regula vitae omnibus hominibus admodum necessaria est, quam inprimis patresfamilias diligenter et attente cogitare convenit. Hi etiamsi periculis et aerumnis paupertatis, bellorum et aliorum malorum aliquamdiu conflictantur, tamen serviant vocationi in educatione liberorum, et aliis officiis a Deo mandatis, et simul invocent Deum, et bonos eventus exspectent. Nemo unquam egens aut miser exspectans Dominum auxilium eius non expertus est.

Tota haec sapientia eruditissime hic a Christo isti doctori legis proponitur, cum inquit: Vulpes habent foveas, et volucres coeli nidos: Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet. Quod de se affirmat Filius Dei, idem et de Ecclesia intelligatur. Non habet Ecclesia ullam sedem certam aut durabilem in genere humano, et tamen curae est Deo, ut aliquos nidulos mediocres alicubi habeat. Ita singuli de se quoque statuant, habituros se aliqua alicubi tuguriola, etiamsi nondum prospiciunt, ubi gentium aut locorum ea futura sint. Ac singuli sciamus, vocanti Deo alacriter, bona cum spe ac fiducia obediendum esse, atque ipsi commendandos eventus qualescunque futuri sint. Magna est haec sapientia, sed insuavis nostrae fragilitati, et ingrata sapientiae carnis, quam tamen hi, qui sunt inserti Ecclesiae, in vera invocatione intelligere et exercere perpetuo opor-

tet. Sit vero in conspectu dictum Psalmi communissimum, quod citavimus: Commenda Deo viam tuam, et ora eum, et ipse faciet. Non ero in hac commemoratione prolixior, sed moneo auditores, ut usitatissimae tentationi, quae deserta vocatione suo consilio certa tranquillitatis praesidia quaerit, opponere discant mandatum de retinenda vocatione, et fide petente et exspectante eventus, ut diximus.

Alius autem de discipulis eius ait: Domine, permitte me primum abire, et sepelire patrem meum. Iesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos, etc.

Praecipuum, quod in hac commemoratione proponitur, hoc est: Ut vocationem et officia seu opera vocationis propria anteferas omnibus aliis operibus quantumvis splendidis ac speciosis, ad vocationem non pertinentibus. Ac summa huius commonefactionis traditur in regula notissima: Tantum necessaria facienda sunt, non necessaria prorsus omittenda sunt, ac non necessaria nequaquam impedire res necessarias debent. Sed aulae principum, et singulae privatorum familiae abunde testantur, maiorem esse curam rerum non necessariarum, quam earum, quae sunt valde necessariae, ac plerumque fieri, quod dicitur: *πλείω πάρεργα τῶν ἔργων*. Ut prima ac summa cura principum esse debebat haec solicitudo, ut vox Evangelii incorrupta in Ecclesiis et scholis ab idoneis et fidelibus ministris et doctoribus traderetur; postea ut et cancellaria seu gubernatio politica sic constituta esset, quae causas ac querimonias subditorum fideliter cognosceret ac iudicaret; deinde ut esset pax publica, prohibens ac severiter puniens latrocinia in itineribus, ut essent rapinarum, furtorum, caedium ac similium scelerum poenae publicae et severae: sed haec magna et necessaria officia pertinentia ad principum et subditorum incolumitatem, multo levius ac frigidius curantur, quam stulti et non necessarii apparatus in pompis inanibus, in helluationibus, in gesticulationibus histrionicis aut gladiatoriis, in quibus apparandis nullis sumtibus, nullis laboribus aut curis parcitur. Quod in aulis fit, idem in tua vita et familia considera. Plurimorum solicitudo ac cura in stultis et non necessariis aedificationibus splendidis, in deliciis ac delectu equorum, et similium rerum frivolarum, multo maior est quam in pia educatione et institutione necessaria miserorum infantium, de quibus tamen Paulus ad Ephesios 6. capite severissime praecipit parentibus: Educate liberos in disciplina et correctione Domini.

Christus vero hoc in loco principaliter ac primum loquitur de vocatione ministrorum Evangelii, quorum officia propria ac necessaria sunt: vocem Evangelii incorruptam sonare, et sacramenta divinitus instituta administrare, et in usu instituto usurpare ac conservare. Haec officia vult Dominus ita a ministris fieri, ut maiore cura, solicitudine ac fide ea exsequantur, quam ulla alia, quantumcunque splendida aut speciosa videantur. Ac quomodo Episcopi mandato Christi multis annis obtemperaverint, et nunc quoque obediant, in conspectu est omnium. Negari enim non potest magis fuisse et nunc esse solicitos de negotiis politicae gubernationis, et magis angi rerum levicularum cura, quam ministerii difficillimi ac maximi solicitudine. Manifestissimum est multos ministerii curam prorsus abiecisse, vel hostes ac persecutores Evangelii factos esse. Etiam inter nos idem accidit, nam innumerabiles Evangelio apud nos servientes vehementius anguntur de suis bonis, aut provehendis suis liberis ac domesticis, quam anguntur de officiis sui ministerii, ad quod praecipue vocati sunt.

Sciamus igitur in hac narratione praecipi omnibus et singulis, ut prima et praecipua sit cura vocationis recte et fideliter administrandae, quae rebus aliis omnibus non necessariis longe anteferenda est, sicut hac ipsa de re gravissime monet Paulus 1. Thessal. 4.: Adhortamur autem fratres, ut in eo excellere studeatis, et hoc ambitiose agatis, ut quieti sitis et faciatis propria. Et Petrus 1. Petri 4. inquit: Nemo vestrum patiatur quasi homicida, aut fur, aut maleficus, aut *ἀλλοτριοεπίσκοπος*. Monet Petrus singulos, ut suae vocationis propria officia fideliter ac constanter faciant, nec se alienis negotiis immisceant, et affirmat poenas sequi divinitus audaciam irrumpentem in aliorum vocationem.

Et ascendente eo in naviculam secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus. Ipse vero dormiebat, etc.

Exemplum et imago est pingens nobis faciem Ecclesiae, donec in hoc aerumnoso curriculo vitae corporalis colligitur. Ac significat utrumque, quantis periculis et doloribus in hac vita Ecclesia

conflictetur. Deinde quomodo ac per quem liberetur.

Est autem Ecclesiae status omnibus temporibus propemodum talis, ut motibus horribilibus subinde concutiatur, et in his diabolorum furores, et tyrannorum saevitiam, et hominum fanaticorum deliria metuere et experiri cogatur, qui omnes opprimere et delere Ecclesiam totis viribus conantur. Estque praesentis periculi narratio, in quo caput Ecclesiae ipse Dominus Iesus Christus cum discipulis versatur, expressissima imago furorum diaboli, quibus et Christum et Apostolos totos immergere et absorbere fluctibus voluit. Ac dum geruntur ista, et Apostoli periclitantur, dormit Christus, perinde ac si Ecclesiae curam nullam agat, et grassantes diabolos reprimere, et caeteros hostes coërcere, nec possit nec cogitet, sicut et secundi Psalmi narratio prorsus cum hac imagine convenit: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Adstiterunt Reges terrae, et Principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius. Disrumpamus vincula eorum, et proiiciamus a nobis iugum ipsorum. Qui habitat in coelis irridebit eos, et Dominus subsannabit eos etc.

Has imagines et narrationes necesse est sciri, ut intelligamus in his periculis fidem et invocationem necessariam esse, sicut hoc in loco audimus reprehendi a Domino discipulorum metum, et fidei imbecillitatem. Sciamus igitur oportere in omnibus illis periculis confessionem Evangelii constanter retineri, et communiri animos, ut a Filio Dei Domino nostro Iesu Christo alacriter ac confidenter petant auxilium, et constanter exspectent. Sicut videmus Apostolos, quanquam trepidantes, tamen petere auxilium, et confessionem Evangelii et Domini sui Iesu Christi non abiicere. Eadem a nobis quoque requiri statuamus, ut monent haec dicta, Psalmo 37.: Subditus esto Deo et spera in eo, et ipse faciet. Exspecta Dominum, et custodi viam eius, et exaltabit te, ut haereditate capias terram: cum perierint peccatores videbis.

Haec exercitia fidei discamus, et in praesentium temporum periculis cogitemus. Et hanc sapientiam Ecclesiae propriam in vera invocatione et confessione Evangelii, et in aliis officiis pertinentibus ad Ecclesiam exprimere conemur. Sciamus autem et fructum ac dulcedinem horum exercitiorum: quia cum accenditur invocatio, ostendit se tandem, quae dicitur hic dulcis tranquillitas. Suscitato enim Domino gemitibus ac votis invocantium, certissimum est eum praesto esse, et furores ac fremitus contra Evangelium gloriose compescere repressis ac deletis diabolis, tyrannis et hominibus fanaticis, ut appareat Ecclesiae gloria, praesentia et benignitas custodis et Domini sui salutaris et omnipotens. Proponitur haec consolatio etiam Psalmi 44.: Exsurge, quare obdormis Domine? Exsurge et ne repellas in finem, quare faciem tuam avertis, oblivisceris inopiae nostrae et tribulationis nostrae? Et Psalmo 12.: Propter miseriam inopum et gemitum pauperum, nunc exsurgam, dicit Dominus, ponam salutare in quo cum fiducia docebitur.

Et cum venisset Iesus trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes Daemonia, etc.

Gerasa trans Iordanem est versus Arabiam, de qua scribit Strabo, esse eo in loco stagnum foetidum vehens aquas mortiferas animantibus, quae inde bibant. Ac verisimile est stagnum a Diabolis infectum ac corruptum esse, quos hic adfirmat textus immissos in porcos, praecipites in stagnum proruisse.

Etsi autem imago gentis, cuius itidem in textu mentio fit, et omnium eorum, qui vocem Evangelii contemnunt, aut cupiditatibus stultis praetexunt spreto ac repudiato Christo. Iubet Christum excedere suis finibus gens Gerasenorum, ne porcos amittant. Tales sunt Canonici magis foedi ac sordidi, quam ulli porci, qui quocunque proruunt veneno abominabili complent omnia. Sunt et caeteri his Gerasenis similes, qui postquam vocem Evangelii audiverunt, furenter indulgent omnibus suis cupiditatibus, ac libidinibus, sic ut foeditate, veneno ac scelerum contagio proxima quaeque prae caeteris infestent ac compleant, ut sunt exempla (proh dolor) innumerabilia. Tales omnes significat imago Gerasenorum, et lacus eius gentis foetidus ac venenatus. Ipsa vox Gerasa seu גיארשע significat vallem seditiosorum nebulonum, fortassis nomen inde factum est, quod seditiosa multitudo Arabum latrunculorum seu aliorum, qui certam sedem nullam habuerunt, eo profugerit atque receptum ibi habuerit.

De exemplo.

Exemplum ipsum significat, primum, quod Dominus Iesus Christus eiicit Diabolos, et regnum

eius destruit, ut dicitur 1. Iohann. 3.: In hoc apparuit filius Dei, ut destruat opera diaboli. Et Genesis 3.: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Qua de re alibi dicitur copiosius. Deinde poena proponitur ingratitudinis. Videt Christus gentem ingratam esse pro summo beneficio, ideo hac poena eos afficit, quod Diabolus in porcos immittit, ut totus grex praeceps in mare rueret ac moreretur. Existimo etiam multos Iudaeos apostatas ac desertores rituum gentis Israëliticae in hac Gerasa delituisse, qui contra gentis consuetudinem ac Dei mandatum carnem suillam comederint. Hos quoque punire Christus voluit.

Sed in hac ipsa poena hoc observetur. Iactura porcorum per se non est magna, sed quod significatur, hoc triste ac deplorandum est: homines scilicet ingratos Evangelio in porcos terribili metamorphosi converti, et domicilia diabolorum fieri, hoc inquam, triste ac deplorandum est, idque in hac imagine significatur. Et vidit aetas nostra exempla horribilia Anabaptistarum, qui quam tetris furoribus, et sceleribus diabolicis sese polluerint, et nunc sese polluant, res ipsae et historiae nostri temporis evidenter ostendunt, etc.

Caput IX.

Venit in propriam civitatem.

Quae fuit propria civitas Christi? Capernaum.

Quare? Quia fuit municipium Romanum, fuit ergo ibi civis, ut esset tutior.

Iam cogita, quam pulcer status fuerit in illo oppido, ubi fuerunt, pastor Iairus, et Centurio capitaneus, et hi fuerunt amici Christo, et multa fecerunt de eius consilio. Ita vere fuit urbs Capernaum, id est Schönborff, amoena villa. Optimus status est, quando pastor et capitaneus sunt amici Christi, etc.

De paralytico.

Fides aliena prodest ad multa bona corporalia aliis impetranda. Sed remissionem peccatorum oportet quemlibet accipere propria fide.

Hic paralyticus et aliena fide adfertur ad Christum, et ipse habet propriam fidem, cum dicitur ei: Remittuntur tibi peccata tua.

Sequitur disputatio

de remissione peccatorum.

Pharisaei indocti nihil sciverunt de promissionis intellectu, non cogitarunt etiam Davidi dictum esse: Dominus abstulit peccatum tuum, et Danielem dicere ad regem: Erit sanatio delictorum tuorum, etc.

Semper Levitae simul debuerunt declarare promissionem de Messia, sed non intellexerunt amplius officium suum. Hanc ignorantiam taxat Christus, et adfirmat, quod velit instituere ministerium remittendi peccata, sicut dicit: Quorum remiseritis peccata.

Addit Christus miraculum, ut sit huius doctrinae testimonium.

Iubet Christus, ut tollat grabbatum, id est, accepta remissione mitigantur poenae, possumus gestare grabbatum.

De vocatione Matthaei.

Et cum transiret inde Iesus, vidit hominem sedentem in telonio, Matthaeum nomine etc.

In exemplo Matthaei Christus ipse ostendit applicationem, quod sit testimonium communis doctrinae Evangelii, quod omnibus praedicat poenitentiam, arguit peccata in omnibus, et annuntiat remissionem peccatorum omnibus agentibus poenitentiam, et credentibus remittit gratis propter Christum, iuxta dictum: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Sit igitur Matthaeus exemplum, quod filius Dei vere recipiat omnes agentes poenitentiam, et gratis recipiat.

Et regula sit nota:

Non veni vocare iustos, sed peccatores ad poenitentiam. Et diserte dicit: Ad poenitentiam, vult nos Deus ad se converti, non vult nos manere in delictis contra conscientiam.

Haec est summa exempli. Nunc videamus partes.

Prima Pars.

I. Status populi Iudaeorum fuit miserabilis, multi Levitae facti sunt scribae et ministri publicanorum, et publicani plerique fuerunt Ethnici, et valde onerarunt homines usuris, et eorum scribae vixerunt Ethnico more apud eos etc. Hoc magnum dolorem attulit sanctis.

II. Evangelium arguit omnes homines, quod habeant peccata, sed ostendit discrimina.

Primo sunt multi, qui habent manifesta peccata externa, ut in hac historia publicani, seu ut semper sunt multi palam scortatores, et mala conscientia viventes.

Secundo sunt hypocritae, qui habent externam disciplinam, et putant se iustos esse; interea in corde sunt pleni idololatria, erroribus, non recte invocant Deum, sunt sine timore Dei et sine vera fide, sunt pleni odiis et invidia, etc. Sicut Pharisaei in hac historia, hi sunt superbi et alios iudicant, et sese anteferunt, et fingunt se esse sine peccato, et se sanctos esse; tales semper multi fuerunt, sunt et erunt, etiam cum desinent esse Cuculli et Monachi, tamen Monachorum natura non cessabit.

Hi iudicant in hac historia Christum, et reprehendunt eum, quod comedit apud publicanos, nec intelligunt se ipsos immundiores esse publicanis.

Utrosque vocat Christus ad poenitentiam, sed Pharisaei minus audiunt quam publicani.

Tertio sunt peccatores, qui convertuntur, sive habuerint manifesta peccata, sive arcana. Hi habent contritionem, fatentur se esse peccatores, et vere dolent, et desinunt facere contra conscientiam, et credunt remissionem peccatorum propter Christum. Tales homines quanquam conversi sunt, adhuc tamen habent peccata, sed non contra conscientiam, et tales homines fiunt salvi.

De aliis peccatoribus, non agentibus poenitentiam, omnibus dictum est 1. Corinth. 6.: Nolite errare, scortatores, idololatrae, adulteri etc. regnum Dei non possidebunt. Item: Qui non credit in Filium, ira Dei manebit super eum.

De dicto Esaiae.

Misericordiam volo, non sacrificium, et scientiam Domini magis quam holocausta.

Regula communis est, saepe repetita in Prophetis, quae ordinat opera.

Tres sunt gradus operum.

Primus est, notitia Dei, id est, vera agnitio, vera fides, verus timor Dei, opera primi et secundi praecepti immediate cum Deo agentia. Haec omnia nominat hic notitiam Dei. Haec sunt prorsus et simpliciter necessaria, sicut manifestum est ex primo praecepto et secundo.

Secundus gradus est dilectio proximi, id est, opera secundae tabulae erga proximum, haec omnia nominat hic misericordiam. Haec opera etiam sunt necessaria, sicut ex secunda tabula Decalogi manifestum est.

Tertius gradus est ceremoniarum. Eusserliche geberden, mit Opffer, Speiss, Kleider vnd Menschen satzung. Haec opera sunt longe infra duos gradus priores, de his dicit regula: Non sacrificium, etc.

Quare hoc dictum citat Christus?

Quia reprehendit omnem superstitionem in toto genere humano, praeferentem externos ritus mandatis summis primi praecepti et secundi, et secundae tabulae. Apud Papistas maius peccatum est comedere carnes die sexta, quam adulterium.

Ita tunc Iudaei damnabant Christum, quod non servabat traditionem, quae prohibebat comedere apud publicanos. Christus contra opponit praeceptum de dilectione, ait se misericordiam erga eos exercere, quia ideo ad eos accedat, ut convertantur.

Et bene observanda et discenda est haec regula, quae ostendit gradus operum, et taxat superstitionem negligentium necessaria opera.

Quare discipuli tui non ieiunant?

Sequitur doctrina de libertate Christiana.

Quandocunque Deus renovat Evangelium, tunc taxantur falsi cultus et traditiones humanae, et cum alii retinent traditiones, alii non retinent, tunc fit dissimilitudo, quae parit certamina. Aliqui retinentes dolent laxari leges, et vident sequi in aliis licentiam maiorem, quam esse deberet. Inter alios, qui non retinent, sunt boni recte intelligentes libertatem, et recte ea utentes. Multi etiam mali sunt, qui fiunt magis feri et negligunt divinas et humanas leges, sicut (proh dolor) nostro tempore, videmus, valde multos abusos esse et abuti doctrina de libertate Christiana.

In hac historia Apostoli non retinent traditiones Pharisaeorum, et recte utuntur libertate, et excusantur a Christo, sed Dominus simul monet, quales esse debeant, qui libertate recte utuntur.

Discatis igitur quid sit libertas Christiana, de qua dicit Dominus: Si vos filius liberaverit, vere liberi eritis.

Sciendum est autem quatuor gradus esse libertatis Christianae, quos ordine considerate, et bene mementote.

Prima gratuita remissio et reconciliatio propter Christum per fidem, et iustificatio non propter Legem, sed propter Mediatorem. De hoc gradu ait Paulus: Non estis sub lege, sed sub gratia.

Secundus gradus est ipsa in corde liberatio a doloribus inferorum, et inchoatio iustitiae et vitae aeternae per Christum dato Spiritu sancto, iuxta dictum: Ubi est Spiritus Domini, ibi est libertas. Hic gradus est viva et vera consolatio, in qua sentitur auxilium et praesentia Dei, sicut David in exilio sentit consolationem, Laurentius laetatur in ipsa torrefactione, etc.

Hi duo gradus sunt proprie et principalis libertas Christiana, scilicet liberari a peccato, ab ira Dei, a morte aeterna, habere consolationem et laetitiam in omnibus aerumnis, et sentire praesentiam et auxilium Dei. Et haec libertas in hac vita inchoatur in his, qui vere convertuntur ad Deum, et intelligunt Evangelium. Postea consummabitur in vita aeterna, ubi prorsus erimus liberi a peccato, a morte, et omnibus miseriis, et erit Deus omnia in omnibus, communicans sese nobis et suam sapientiam, iustitiam, vitam aeternam.

Hi duo sunt principales gradus, de his proprie loquitur Dominus, cum ait: Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis. Cogitate quanta res sit liberari a peccato, ab ira Dei, a morte aeterna, et habere praesentem filium Dei in omnibus periculis, consolantem et iuvantem, et haec omnia in vera poenitentia per fidem accipiuntur. Sic David habebat libertatem in fuga. Sic tres viri in Babylone in fornace habebant libertatem, cum palam apud eos esset filius Dei. Sic Daniel habebat libertatem inter leones, etc. Hanc libertatem discatis intelligere et eam in vera conversione et quotidiana invocatione considerare.

Postea sunt alii gradus de rebus externis. Est igitur tertius gradus, quod homini Christiano non necesse sit uti politia Mosi, sed potest vivere secundum honestas politias earum gentium, in quibus vivit, ubicunque est, ut Cyrus potuit uti legibus Persicis, Constantinus Romanis. Et tamen fides et invocatio in corde eadem est ad verum Deum, propter filium etc.

Quartus gradus est, scire quod nullae traditiones ab hominibus factae in Ecclesia, sint cultus Dei. Item, quod non sint necessariae, et quod possint omitti sine peccato. Et de hoc gradu libertatis hic ostendunt exemplum Apostoli, sciunt haec ieiunia instituta a Pharisaeis neque cultus Dei esse, neque opera necessaria esse. Et suo exemplo docent alios, ne putent esse cultus Dei, et ne putent esse opera necessaria.

Sciamus autem regulam, ante hunc quartum gradum oportere esse in nobis duos primos gradus, liberationem a peccato, et fidem quae apprehendit consolationem et praesentiam Dei in nobis. Ubi hi gradus non sunt, multi abutuntur libertate.

Christus igitur docet complectendos esse simul priores gradus et postremum: Non possunt filii sponsi lugere, donec apud eos sponsus est.

Significat tunc homines recte uti libertate, quando apud eos est sponsus Christus. Tunc sunt liberi a peccato, tunc laetantur, laeti invocant et agunt gratias, et non sunt occupati illis stultis ceremoniis humanis. Ista Pharisaica ieiunia non sunt cultus Dei, sed mei discipuli habebunt longe alia ieiunia, scilicet, obedientiam in cruce a Deo praeceptam.

Postea addit admonitionem, quod multi sine prioribus gradibus non recte intelligant libertatem, nec recte ea utantur. Nemo adsuit veteri vesti novum pannum, nemo novum mustum infundit in utres veteres, id est, doctrina de libertate non intelligitur ab hominibus, qui non sunt conversi ad Deum, sed sunt adhuc impii et efferi, non perterrefacti lege Dei. Tales audito nomine libertatis, magis contemnunt divinas et humanas leges, et fiunt efferi, sicut ursi et aliae bestiae in silvis, sicut manifeste videmus nostro tempore, multos homines prorsus fieri bestiales, abusu libertatis. Et Deus punit hunc tristem abusum multis calamitatibus, bello et expilationibus et aliis malis, quia helluamur et sumus negligentiores in nobis regendis, ideo veniunt plura peccata, et postea bella et aliae poenae.

Haec diligenter consideremus, et discamus recte intelligere libertatem, et recte ea uti.

Haec illo loquente ad eos, ecce princeps unus accessit et adorabat eum, dicens: Domine, filia mea modo defuncta est, etc.

Primum recitetur doctrina de causis miraculorum.

Deus initio patefecit se ordinariis operibus. Et semper ordinaria opera sunt testimonium de Deo singulis hominibus, nunc quoque et omni tempore.

Praeter haec patefecit se extraordinariis operibus propter has quatuor causas.

I. Ut miracula sint testimonia, quod Deus sit essentia libera non alligata naturae, omnipotens, quae potest servare etiam contra naturae ordinem.

II. Ut sint testimonia de doctrina, quod haec doctrina in Ecclesia verissime sit a Deo.

III. Sunt exempla promissionum spiritualium et corporalium, et sicut Deus nos audito verbo, iubet petere et accipere per fidem spiritualia et corporalia bona, ita iubet ipsis exemplis, ut petamus et credamus nos iuvari, quia exempla sunt illustria testimonia verbi.

IIII. Causa, ut doceant nos de applicatione, quod fide fiat applicatio, non propter nostra merita, et quod in Deo non sit acceptio personarum, sed quod recipiat Iudaeos et Ethnicos, et postulet fidem, non recipiat propter nostra merita.

Hae causae sunt notae, et semper sciamus, quod Ecclesia habet miracula non imitabilia Diabolis, scilicet resuscitationem mortuorum.

Christus tres mortuos resuscitavit.

Primo anno viduae filium.

Secundo anno filiam Iairi.

Tertio anno Lazarum.

Haec exempla sunt testimonia doctrinae, et simul docent, quod Messias sit Dominus vitae, et possit et velit restituere vitam, et sit missus ut restituat vitam aeternam, iuxta dictum: O mors ero mors tua, o inferne, ero pestis tua.

In Luca describuntur tentationes Iairi, veniunt ad eum domestici, et dicunt puellam mortuam esse, sed Dominus iubet eum credere. Ita nos non frangamur impedimentis.

Postremo etiam hoc considerate, quam pulcrum regimen fuerit in Capernaam illo tempore.

Christus fuit ibi civis, et fuerunt eius amici capitaneus Romanus, et pastor Iairus, et haud dubie hi de multis magnis rebus usi sunt consilio Christi. Sic erat illud oppidum vere Capernaum, id est, Schönborff. Ita cogitate a Deo petendum esse, ut sit tale regimen inter nos, ut pastores et principes et capitanei sint amici Christi.

Sequuntur mox et alia miracula in eodem capite, de quibus eadem doctrina semper consideretur, quam de miraculis proxime audivistis, et possunt breviter repeti.

In fine est dictum generale de ministerio Evangelii.

Et ponuntur tria dicta: Primum de miseria Ecclesiae, quod Ecclesia sit languida, et similis ovibus, quae non habent pastorem.

II. Dictum, quod messis magna sit, haec est dulcis consolatio, quod tamen multi sint electi, et non sit irritus labor docentium.

III. De precatione, ut Deus mittat doctores salutares.

Haec tota doctrina de ministerio saepe et multum cogitanda est, et agendae Deo gratiae, quod immensa bonitate misit filium, et instituit et servat ministerium, quia sic et non aliter colligit et servat Ecclesiam, videlicet voce Evangelii.

Nec est cogitandum: Quid est infirmius his miseris hominibus, qui docent Evangelium? sed sciendum est, ipsum filium Dei potentem esse, qui inchoavit hoc ministerium, et semper in eo est efficax. Et sic dicit: Sicut misit me pater, sic ego mitto vos. Item: Ego ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Item: Sedet ad dextram aeterni Patris, dans dona hominibus, Apostolos, Prophetas, Evangelistas, Pastores, Doctores etc.

Sciamus ergo nos debere credere voci Evangelii, et sciamus ipsum Deum vere efficacem esse per Evangelium, sicut dictum est: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Contra haec furenter clamitat Stenckefeld et Anabaptistae, qui sunt ingrati Deo, dicunt *nihil* prodesse verbum vocale, aut cogitationem verbi scripti, etc.

Iam de tribus illis membris.

Ecclesia est sicut oves sine pastore, querela est, saepissime et in multis locis desunt idonei pastores et tyranni pellunt idoneos pastores, et doctores ipsi certant ambitionibus et odiis, turbant Ecclesias, etc. Haec mala sunt in conspectu, nec opus est longa declaratione.

II. Consolatio quod multa messis sit, id est, multi electi, profecto hac consolatione nobis opus est, quia in hac tanta malitia humana, paucissimi videntur esse electi, sicut Elias queritur, et Esaias inquit: Nisi Dominus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma et Gomorra essemus.

Sed Deus consolatur Eliam, et Paulus inquit: Labor vester non erit inanis in Domino. Et Dominus inquit: Copiosum fructum feretis, Iohann. 15.

Et fructus vester manebit etc.

Hanc consolationem diligenter cogitemus omnes, in hac tristi confusione mundi et regnorum.

III. Precatio, videtis mandatum divinum esse, ut petamus, ut Deus colligat Ecclesiam, det idoneos ministros, et servet Ecclesiam, sic filius Dei ipse petit assidue. Repetatur precatio filii Dei ante agonem dicta Iohann. 17.

Caput X.

Et vocans duodecim discipulos suos, etc.

Hic et post resurrectionem describitur vocatio Apostolorum, quia Deus vult nos certos esse de doctrina, vult nos scire per quos et quomodo propagata sit, sicut inde usque ab initio vocavit Prophetas, et diximus saepe alias, quid sint Prophetae, Apostoli, Pastores et Doctores.

Et primum bene notandum est, quod scriptum est, Lucae 6. quod tota nocte ante hanc electionem Apostolorum Christus manserit in monte, in precatione.

Iam cogitemus, quantum opus esse ipse Dominus iudicaverit, mittere certos doctores, petivit ab aeterno Patre, ut ipse eos gubernet, sicut etiam in agone suo precatur: Sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas etc. Sic nos petamus dari idoneos ministros.

II. Consideremus autem ingentia beneficia Dei, et agamus Deo gratias.

Deus dupliciter vocat Ministros, immediate, et mediate.

Immediate Prophetas et Apostolos, et addit eis testimonia, ut simus certi.

Mediate per Ecclesiam alios Pastores et Doctores, qui debent doctrinam traditam per Prophetas et Apostolos sine ulla mutatione tradere.

In utraque vocatione Filius Dei est efficax, ut ad Ephesios 4. dicitur, et Rom. 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

III. Postquam eos vocavit et addidit potestatem faciendi miracula, ut doctrina habeat testimonia, tradidit etiam mandata, ubi et quid debeant docere.

Non inter gentes, quia Deus prius voluit colligere Ecclesiam in Israël. Postea tamen inter gentes post triennium, interea tamen etiam multi ex gentibus conversi sunt.

Quid debebant docere? Sicut alibi dicit: Agite poenitentiam et credite Evangelio, et hic inquit: Venit regnum coelorum. Quid nominat regnum coelorum? Regnum promissum propter Filium Dei, in quo delebitur peccatum et mors, et restituetur iustitia et vita aeterna. Hoc regnum in hac vita inchoatur praedicatione Evangelii, poenitentia et fide, post resurrectionem erit consummata iustitia et vita aeterna, in qua Deus erit omnia in omnibus, et erimus sine peccato et morte.

Sic alibi dicit: Ite praedicantes poenitentiam et remissionem in nomine meo.

IV. De defensione. Quando aliquid novi instituitur, quando legati mittuntur, necesse est eos habere viaticum et defensionem. Et in toto orbe velle mutationem facere per Apostolos, et quidem florente imperio Romano, videtur res impossibilis esse. Ideo prius hic confirmat Apostolos Christus, promittit eis defensionem et viaticum, sicut alibi inquit: Ego ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Item, Iohann. 15.: Ego elegi vos, ut eatis et fructum feratis, et fructus vester maneat. Et hic inquit: Mitto vos sicut oves in medio luporum, sed omnes capilli capitis vestri numerati sunt.

Ac primum de viatico dicit: Non possidete aurum in zonis, neque calceos etc.

Hic aliqui fanatici homines disputaverunt, Pastores et alios concionatores nihil debere habere proprium, et faciunt singularem cultum Dei ex non habendo proprium.

Christus non hoc dicit, quod non liceat habere, sed loquitur de facto, quod ita fit. Non habent pii doctores divitias et defensionem. Et addit consolationem, ne relinquant officium, propterea quod non habent defensionem et divitias, et promittit se curaturum, ut tamen habeant ho-

spitia et victum. Talis est Ecclesia, ubicunque est in mundo, habet hospitium, quod Deus protegit, et non habet humanam defensionem. Ideo dicitur in Esaia: Dabo vobis doctorem et panem et aquam, cum tribulatione.

Hic simul promittit conservationem ministerii, et Ecclesiae, et hospitia, sed cum tribulatione, id est, promittit defensionem, quam ipse tribuet, etiamsi reges et principes persequentur Ecclesiam.

Sitis prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.

Hic incipit doctrina de persecutione. Prius dedit mandata expressa, misit eos, iussit docere, et dixit, quid debeant docere, scilicet Evangelium, et dixit eos habituros esse viaticum et defensionem, etiamsi non habeant aes in zonis, et non habeant arma et praesidia et exercitus. Nunc sequitur expressa praedictio de hostibus.

Ideo autem opus est praemoneri nos in novo Testamento de hostibus, et de modo defensionis, quia postquam Lex est data, et constituta politia Moisi, scivit populus se habere certam sedem regni, et defensores duces et reges, ut Iosue, Gedeon, Samuelem, Davidem, Iosaphat, et semper deinceps aliquos tales, et habuerunt certum regnum.

Quid autem simile est in Ecclesia? Non est certa sedes, non certum regnum, nulla certa defensio. Ideo necesse est Apostolos et nos omnes praemoneri, praesertim cum Apostoli haberent hanc opinionem, quod Messias esset habiturus mundanum regnum.

Primum autem ponit mirabile dictum.

Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbae.

De columbis facilius est intelligere quid velit. Columbae sunt sine felle, haben keine Gallen, id est, non habent iras et odia, et cupiditatem vindictae. Sic nos debemus esse sine privata ira, sine odiis, sine cupiditate vindictae.

Hic consideretur quanti motus in imperiis oriantur ex privatis odiis.

Pompeius et Iulius evertunt imperium Romanum propter privatum odium etc.

Sic Arius movet suam haeresin cupiditate vindictae, quia non est factus Episcopus.

Sic nos vidimus Carolostadium movere tumultus odio Lutheri etc. Et multa hoc tempore fiunt talia.

Haec prohibentur, cum ait: Estote simplices sicut columbae, id est, sine privatis odiis, sine invidentia, sine cupiditate vindictae.

Sunt et aliae proprietates bonae columbarum, quae huc congruunt. Columbae saepe pariunt, et diligenter fovent pullos, et non norunt adulteria, et non discedunt ex suis locis.

Talis est bonus concionator, multos docet. Non docet adulterinam doctrinam. Non vagatur per varias sectas, etc.

Estote prudentes sicut serpentes.

Dicitur haec natura esse serpentis, quando pugnat cum aliis serpentibus, vel hostibus, tunc praecipue laborat viribus capitis, sed ne laedatur, diligenter et arte circumdat gyris colli, et curat, ne laedatur caput.

Sic Christianus concionator laborat capite, id est, doctrina, et circumdat caput, id est, cavet, ne amittat doctrinam.

Serpentes non amittunt vitam, etiamsi aliae partes corporis sint dissectae. Sic Ecclesia et anima non perit, etiamsi membra et facultates pereunt, modo doctrina sit salva.

Item, serpens novit eum a quo est laesus, etiamsi est in magna turba hominum, et hunc petit, non alios. Sic debet concionator nosse inimicos, hostes Evangelii, et hos reprimere, non irritare alios.

Item, serpens novit remedia sua, in senecta purgat oculos faeniculo, et inde didicerunt homines faeniculum prodesse oculis. Sic debet concionator nosse remedia oculorum, verbum Dei, et debet procul prospicere, ne mala dogmata recipiat.

Sequitur praemonitio expressa de persecutione. Cavete ab hominibus, tradent vos, etc. Et saepe repetita est eadem praemonitio de persecutione.

Tradet frater fratrem, pater filium.

Eritis odio omnibus propter nomen meum. Certe haec dura sunt.

Consolatio.

Post hanc praemonitionem sequitur consolatio, quae etiam saepe repetita est.

Non sitis soliciti, quid sitis dicturi.

Non vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri loquens in vobis.

Non timete eos, qui occidunt corpus.

Duo passeres asse veneunt. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.

Omnia haec dicta sunt dulcissimae promissiones, qui affirmant, quod certo Deus adsit in Ecclesia, et iuvet suos in confessione, et in docendo.

Hae consolationes sint in conspectu. Est et generale testimonium, quod Deus curet nos: Duo passeres asse veneunt, et unus non cadit super terram sine patre vestro, vos multis passeribus meliores estis.

Huc addantur aliae promissiones, Matthaei ultimo.

Ego vobiscum sum, usque ad consummationem seculi.

Esaiae 51.

Posui verba mea in ore tuo, et umbra manus meae protegam te, ut plantes coelos.

Declara.

Esaiae 46.

Etiam in senecta ego gestabo vos. etc.

Esaiae 40.

Sicut pastor gestat agnos recens editos, sic ego gestabo vos.

Tales promissiones debent nobis omnibus notae esse, ut sciamus Deum servaturum esse Ecclesiam, et petamus, ut nobis adsit, et nos protegat, ideo istae promissiones toties repetitae sunt, ut fides confirmetur, et sciamus certo mansuram esse Ecclesiam, et hac fide laboremus, et petamus auxilium, defensionem et omnia necessaria a Deo.

Repetit mandatum de confessione, et promissionem: Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor eum coram patre meo coelesti, et qui negaverit me, negabo eum.

Haec dicta confirment nos contra iudicia sapientum, qui clamant: Cur movetis dissensiones? Cur estis causae discordiae? Respondeamus: Est mandatum immutabile, quod oportet confiteri.

Non putate, quod venerim mittere pacem.

Praedictio est, quod crux sequatur praedicationem Evangelii et confessionem, et quod Ecclesia sit subiecta cruci. Hoc saepe praedicitur, ut Genes. 3. Quia si homines non essent praemoniti, ratio iudicaret istos a Deo abiectos esse, qui tam horribiliter interficiuntur a tyrannis.

Ponam inimicitias inter semen mulieris et serpentem etc.

Item: Qui vult me sequi, tollat crucem suam et sequatur me.

Item 2. Timoth. 3. Omnes qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur.

Addatur declaratio.

Non veni mittere pacem, sed gladium.
Veni separare hominem a patre, etc.
Hic Ethnici et sapientes sic argumentantur.
Hoc quod est causa discordiae, est malum.
Evangelium est causa discordiae.
Ergo Evangelium est malum.

Respondeo.

Evangelium non est causa discordiae, sed mala voluntas hominum adversantium Deo. Tota creatura debet obedire Deo, et est dolendum, quod homines non volunt accipere oblatam medicinam et salutem, etc.

Sed quia homines mali non obediunt Deo, ipsi sunt causa discordiae. Profecto tristis concio est, quod filia a matre sit dissensura, etc.

Addita est consolatio et promissio recipiendae vitae: Qui perdit animam suam propter me, inveniet eam.

Secunda pars.

Qui vos recipit, me recipit.

Mandatum de audiendis ministris. Et hoc complectitur, quod Deus velit esse efficax per ministerium. Sicut Pater me misit, sic ego mitto vos.

Haec est necessaria consolatio, quod velit esse certo efficax Deus per vocem ministrorum Evangelii. Rom. 1. Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Rom. 10. Quam speciosi pedes Evangelizantium pacem.

Addatur declaratio.

Haec dicta sunt mandata de ministerio Evangelii, non de traditionibus Episcoporum extra Evangelium.

Non constituunt regna extra Evangelium, sed praecipiunt, ut Christo obediatur, ut verbum Dei audiatur. Ut Psalm. 2.: Osculamini filium.

Mandatum est immutabile, ut audiamus Evangelium.

Tertia pars.

Promissio addita de praemiis eorum, qui recipiunt docentes, qui iuvant propagationem doctrinae, qui iuvant docentes et discentes.

Qui recipit Prophetam propter doctrinam, mercedem Prophetae accipiet.

Qui dederit potum aquae etc.

Amen dico vobis etc.

Dominus iurat se daturum mercedem talibus, qui iuvant Evangelii propagationem. Ideo non dubitemus, quin Deus sit protecturus Ecclesiam et hospitia Ecclesiae.

Et exempla recitentur.

Vidua Sareptana alitur, et excitatur Filius.

Hospita Elisaei servatur, et resuscitatur Filius.

Deus benefacit obstetricibus in Aegypto.

Ieremiae amicus in aula Sedechiae servatur in excidio urbis Ierosolymae.

Et hoc nostro tempore videtis, quod Deus mitigavit poenas principibus, qui Evangelio hospitium praebuerunt.

Caput XI.

Iohannes mittit discipulos suos, ut interrogent, non quod ipse dubitet, sed ut discipuli ex ipso Christo audiant, quod non alius Messias exspectandus sit, et ut ipsi coram visis miraculis confirmentur. Haec est summa huius legationis.

II. Ratio autem dubitandi discipulis fuit haec, quia in populo fuit haec vulgaris persuasio, Messiam instauraturum esse regnum politicum, et habiturum exercitus, ac domitis gentibus occupaturum esse provincias, sicut fecerunt Monarchae, Cyrus, Alexander et alii.

Cum igitur viderent hunc Iesum tantum esse pauperem concionatorem, hac specie humili movebantur, ut dubitarent, an hic esset Messias.

III. Respondet autem Christus ad hanc rationem dubitandi, et docet, quale sit regnum Messiae futurum, cum ait: Pauperibus Evangelizatur. Item: Beatus, qui non offensus fuerit in me, id est, regnum Messiae non erit politicum, instructum divitiis, exercitu, et simile imperiis mundi: sed erit tale, quale videtis, praedicatio Evangelii, qua Messias erit efficax, colliget aeternam Ecclesiam voce Evangelii ex omnibus gentibus, et per Evangelium dabit remissionem peccatorum, et ipse filius vivificabit credentes et agentes poenitentiam, et dabit eis spiritum et vitam aeternam. Ideo est promissus Messias, non ut constituat imperium mundi.

Hanc responsionem Christus postea magis declarat, ubi dicit: A diebus Iohannis Baptistae regnum coelorum vi erumpit, dringet mit gewalt erfür. Item: Lex et Prophetae usque ad Iohannem, id est, vos habetis stultam imaginationem, iam legem Mosi inter gentes regnaturam esse, et totum mundum fore Iudaicam politiam.

Hunc errorem abiicite, finis iam est huius politiae, aliud regnum venit, scilicet regnum coelorum, et venit vi. Haec verba non sic intelligantur, quod Christus vi occupet imperia, sicut Alexander. Sed potentia divina erumpit contra furores Diabolorum et tyrannorum, procedit etiam nolentibus Diabolis et tyrannis.

Et violenti rapiunt, scilicet, non timidi, non fugientes pericula, sed constantes, et anteferentes gloriam Dei et confessionem suae vitae et omnibus voluptatibus.

Hic fiat declaratio dicti: Lex usque ad Iohannem, et dicatur, quod multi quaerant subtiles expositiones, sed nos velimus esse contenti hac simpliciore, quia Christus loquitur de fine politiae. Loquitur ergo hic de Lege, in quantum est politica, scilicet de ceremoniis et forensibus, vom Kirchen gepreng, vnd von Bürgerlicher regierung, etiam de Lege morali, in quantum est externa disciplina, coërcens civiliter. Et recitetur populo crasse distinctio trium partium legis, ut est in examine Megalburgensi.

Alia concio.

Christus dat testimonium Iohanni, quod sit constans doctor, et testis de Christo.

Et dicit eum non esse similem aulicis, qui assentantur dominis, etc.

Postea commoratur in descriptione officii ipsius.

Quid fuit Propheta in populo? praedicens de Christo, et regens aliqua consilia politica, et retinens legem Moisi. Ideo Iohannes ait: Non sum Propheta.

Et Christus ait: Plus quam Propheta.

Quia et praesentem Christum monstrat, et inchoat novam Ecclesiam, baptizat, recipit gentes et Iudaeos, aliis Prophetis non fuit concessum instituere novum ritum.

Ideo dicit: Non surrexit maior, scilicet, in officio. Quia nullius officium est maius, quam Iohannis, post Christum.

Ideo Christus sese excipit, cum ait: Qui minimus est in regno coelorum, est maior, id est, Christus, qui est maxime humiliatus prae omnibus hominibus, hic est maior Iohanne. Hic baptizat Spiritu sancto, est redemtor et salvator, sicut Iohannes inquit: Ex eius plenitudine omnes accepimus.

Cecinimus vobis et non saltastis.

Tota haec sequens pars est querela de contemtu Evangelii in mundo. Et est tristis comminatio poenarum: Vae Corazin, vae Capernaum. Cecinimus vobis, id est, praedicavimus Evangelium et promissiones. Ploravimus, id est, praedicavimus legem et poenas, et neutrum curastis.

Huc addatur dictum in Luca: Servus qui scit voluntatem Domini, et non facit, accipiet plures plagas.

Metuendum est et nobis ipsis, pauci emendantur, et multi praetextu Evangelicae libertatis plus sibi licentiae sumunt. Ideo fiet hoc, quod dixit Dominus de ficu, Lucae 13.

Dominus concedit tempus, ut plures convertantur, sed quando nimis pauci convertuntur, tunc tandem delet tota regna, et totas gentes, sicut delevit Sodoma.

Nunc sunt parvae castigationes in Germania, ut moniti simus ardentiores in conversione, invocatione, et omnibus exercitiis pietatis. Sed quia nimis pauci emendantur, et plurimi fiunt furiosiores, ideo crescunt poenae, sicut hoc anno urbes multae incendiis perierunt, ut in bello, Schweinfurt, Culmbach, Newstadt. Item extra bellum, Lauben, Goldberg, etc. Et aliquanto post venient Turci, et totam Germaniam vastabunt, sicut iam combusserunt Novum Solium, Newen Solen. Et Monachus Isennacensis Iohannes Hilten praedixit, Turcos anno 1600. fore dominos Italiae et Germaniae.

Quaestio.

Scio hic obiici ab aliquibus: Cur dicis de poenis, cum tamen debeamus Deum gratis diligere? Item poenitentia debet inchoari ab amore iustitiae, et non a timore poenae?

Responsio.

Deus ideo punit, ut ira ipsius agnoscatur, et vult iram intelligi et metui.

Econtra ideo promittit et dat bona, ut eius bonitas et misericordia agnoscatur, vult utrumque cognosci, iram et misericordiam, ideo vult praedicari poenas et beneficia, et ipse utrumque facit, punit et liberat, ergo necesse est haec praedicari. Non vult nos esse ferreos, ut non moveamur poenis. Imo hanc duritiem taxat, ut cum apud Esaiam dicit capite 48.: Scio quod durus es, frons tua aenea est.

Item Esaiae 28. obiurgat duros: Cogitatis vos habere foedus cum morte, fingitis securi nihil fore mali, ego vero puniam vos. Et ideo puniam, ut aliqui convertantur, quia vexatio dat intellectum, etc.

Reputemus ergo singuli nostras poenas proprias et publicas, et nos ad poenitentiam exsuscitemus, sicut filius prodigus, et deinde proficiamus, timeamus iram Dei et ipsum Deum. Rursus etiam agnoscamus misericordiam Dei et bona, et petamus et exspectemus a Deo bona, laudemus eius misericordiam, et ipsum diligamus, sicut ipse nos docet, dicens se facere alienum opus, ut faciat proprium, id est, dicit se punire et mortificare, ut rursus vivificet, et det bona.

Confiteor tibi Pater.

Tria membra sunt huius pulcerrimae et dulcissimae concionis Christi.

I. Primum est gratiarum actio Christi, qua agit gratias aeterno patri, quod aliquam colligat Ecclesiam, et simul docet, qualem colligat.

II. Secundum membrum est, quis sit ipse Christus, et quare missus sit, et quis sit modus colligendae Ecclesiae.

III. Membrum est mandatum, ut hunc filium agnoscamus, et ad eum confugiamus, et addita est promissio, quae est summa Evangelii: Ego reficiam vos. Item: Invenietis requiem animabus vestris, etc.

De primo membro.

Sicut hic Christus agit gratias aeterno patri, pro hoc immenso beneficio, quod colligit Ecclesiam, ita sciamus eum semper precatum esse pro genere humano, et precari, ut Ecclesia colligatur et servetur, sicut Psalm. 2. dicitur: Postula

a me, et dabo tibi gentes. Et Iohann. 17. longa et expressa est precatio: Oro non pro eis tantum, sed pro omnibus credituris per verbum eorum. Item, 1. Iohannis 3.

Hic discamus haec miranda consilia, quod genus humanum non sit frustra conditum, sed quod Deus per misericordiam inde colligat aeternam Ecclesiam, sed intercedente filio.

Et haec semper debent coniungi: precatio et gratiarum actio pro re impetrata.

Est omnino iniquum, multa petere, et accipere, et postea ingratum esse.

Cogitemus autem, quid sit gratitudo. Est composita ex duabus virtutibus: est veritas, quae fatetur unde sit acceptum beneficium, et est iustitia obligans se vicissim ad aliqua officia.

Danckbarkeit fast in sich zwo die höchsten tügenden, Warheit vnd Gerechtigkeit. Warheit ist sie darin, das sie bekent, von wem die gabe herkomet, Darnach weiter ist sie Gerechtigkeit, das sie sich verpflicht, dagegen auch zu etlichen freundlichen diensten.

Ita hic Christus fatetur, quod collectio Ecclesiae sit beneficium aeterni patris, et tribuit patri hanc laudem misericordiae, quod ab ipso sit hoc ingens bonum, quod velit colligere aeternam Ecclesiam, cui se communicet in tota aeternitate. Has tantas res debemus et nos cogitare, et simul cum Christo gratias agere, et precari, ut colligatur Ecclesia inter nos sicut Psalmus praecipit: Rogate pacem Ierusalem. Item ibi dicitur: Propter fratres meos rogavi pro te. Hoc praecipue facit Christus noster summus Sacerdos, sed nos quoque hoc facere debemus, sicut et precatio quotidiana docet: Adveniat regnum tuum.

Deinde cogita, qualem hic dicat colligi Ecclesiam: Abscondisti a sapientibus, et revelasti ea parvulis. Hic discimus quod Ecclesia sit congregatio parvulorum et miserorum, pauci sapientes, pauci potentes amplectuntur Evangelium, ut 1. Corinth. 1. et deinceps dicitur.

Haec testimonia teneamus, ut nos confirmemus contra hoc scandalum, quo valde excruciantur humanae mentes, quod vident Ecclesiam esse tam lacerum et imbecille corpus, collectum ex pauperibus, et dispersum sine imperiis.

Cogita, quam pulcer consessus fuerit Romae, Senatus Augusti, Augusto praesidente. Quid erant collati ad hos, miseri homines in Iudaea, tanquam vermiculi, Zacharias, Simeon, Anna, Ioseph, Elizabeth, Maria? etc.

Hoc scandalo certe moventur homines, sed sciamus praedictum esse, quod talis sit Ecclesia, congregatio imbecillium et pauperum, et credamus verbo Dei, sive potentes et sapientes credant, sive non credant. Scriptum est: Potentes potenter tormenta patientur.

De secundo membro.

I. Quid sit Christus, et quare missus sit, et de modo colligendae Ecclesiae.

II. Hic Christus aperte nominat se filium Dei, sicut et alias saepe. Et addit, talem hunc esse filium, qui perfecte noverit patrem, et qui ostendat aliis patrem.

Haec est sublimis doctrina de filio.

Nulla creatura perfecte novit aeternum patrem. Ergo hic filius est supra creaturas. Et nulla creatura potuisset videre hoc consilium, quod genus humanum esset hoc modo redimendum, scilicet filio assumente humanam naturam. Sed solus filius hoc decretum profert, ut Iohann. 1. dicitur: Filius qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis.

Ideoque dicitur Verbum aeterni patris, quia est illa persona, quae immediate Ecclesiam alloquitur et profert Evangelium ex arcano consilio divinitatis, inde usque ab initio, quando Hevam alloquitur. Genes. 3.

Hic simul discis modum colligendae Ecclesiae, scilicet per Verbum. Nemo novit patrem, nisi cui *Filius* revelat. Ergo necesse est audire Evangelium, et ipse filius cum Evangelio est efficax, et nusquam est Ecclesia, ubi non est vox Evangelii. Auditores Mahometi et Papae, et sectarum pugnantium cum Evangelio, sunt extra Ecclesiam Dei.

Huc pertinet mandatum: Hunc audite. Et in Psalmo 2. Osculamini filium.

Et in Deuteron. Suscitabo Prophetam de fratribus tuis. Qui non audierit, ego ultor ero.

Et bene consideres. Filius revelat patrem dupliciter, scilicet et voce Evangelii, et illuminans corda tunc, quando per Evangelium est efficax, quia simul est cum Evangelio. Quando in vera consolatione credis, tunc filius vere adest, et tibi ostendit misericordiam patris, et est efficax, et simul effundit Spiritum sanctum in cor tuum: Ipse dat dona hominibus, Ephes. 4.

Quando ad Hevam loquebatur, simul foris et intus loquebatur, cum voce externa, movebat et consolabatur cor eius. Ita discatis agnoscere Christum, et sciatis cum Ministerio vere efficacem esse. Ipse sua persona colligit et sustentat Ecclesiam, sicut ait: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis. Ideo mox sequitur mandatum: Venite ad me.

Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Antea dixit, quis sit Christus, et quomodo colligatur Ecclesia. Nunc addit mandatum, ut confugiamus ad ipsum.

Haec doctrina omnibus debet esse notissima, et est saepissime repetita, scilicet, quod sit mandatum aeternum et immutabile, et quod sit universale, das allen geboten ist, ut convertamur ad Deum, et hunc filium audiamus, et credamus ei, et consolationem ab eo accipiamus, et acquiescamus in eo, das wir in diesem HErrn Christo, den gewissen trost suchen, vnd dabey bleiben, vnd also zu frieden sein, vnd wissen, das dieser der einige trost ist bey Gott, vnd kein anderer, vnd also durch jn allein gnad vnd seligkeit erwarten. Hanc summam Evangelii saepe auditis, et saepe repetita est, ut Psalmo 2.: Osculamini filium.

Et pater ipse de coelo inquit: Hunc audite, Matthaei 17.

Et ipse toties idem repetit Iohann. 6.: Haec est voluntas Patris, qui misit me, ut omnis qui videt filium, et credit in eum, habeat vitam aeternam. Et hanc doctrinam discamus in vera conversione et invocatione, ibi disci possunt. Securi et perseverantes in sceleribus contra conscientiam, non intelligunt neque curant.

Nec opus est longa declaratione, verba per sese sunt manifesta, his qui sunt in doloribus, et hanc consolationem quaerunt.

De particula universali.

Nota autem diligenter, quod dicit *omnes*, et hic repetenda est admonitio quam saepe citamus.

Duae sunt tentationes in veris doloribus.

Prior est de dignitate. Semper hoc cogitamus: Scio Deum esse bonum et misericordem, sed erga iustos, et non habentes tam multa et tam magna peccata, sicut ego.

Haec est vox legis in omnium hominum animis, propter hanc tentationem fugiunt homines Deum, et non accedunt ad eum, non audent invocare. Haec fuga, dieses zappeln, vnd vor Gott fliehen, sind grosse sünd, etsi homines non considerant, et non cogitant hanc fugam esse magna peccata, etc.

Sed huic tentationi debemus opponere vocem Evangelii, quae dicit *gratis*, id est, one vnsern verdienst, sed propter meritum Christi. Et meritum Christi pluris faciendum est quam totum regnum peccati, ideo dictum est: Gratia exuberat supra delictum.

Non dicamus sicut Cain: Maior est iniquitas mea, quam ut remitti possit.

Teneamus igitur hanc consolationem contra primam tentationem, et simus memores dicti: Sanguis Christi purificavit nos ab omnibus peccatis.

II. Altera tentatio est de particularitate, ob auch alle die zu Christo zuflucht haben, angenomen werden, quia sic cogitamus: Vielleicht hat Gott ein Register etlicher, die er wölle selig machen, wer nicht im selbigen Register stehet, der wird nicht selig, er hab gute oder böse werck, er suche Christum oder nicht. Diese anfechtung ist auch gemein, vnd dencket mancher also, Dauid hat grösser Sünd, denn Achitophel, vnd ist dennoch Achitophel verworffen, Aber Dauid ist selig, Wie kan ich nu wissen, ob ich auch in Gottes Register gehöre?

Contra hanc malam tentationem, haec consolatio opponenda est, quod utraque praedicatio est universalis, begreifft alle, die Buspredig, vnd die verheissung der gnaden, Vnd also spricht Christus in diesem Spruch, Matthaei 11.: Venite ad me omnes. Item: Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit, Actor. 2. Rom. 10.

Item: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Rom. 11. Gal. 3.

Item: Posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, Esaiae 33.

In diesem alle soltu dich auch einschliessen, vnd nicht gedencken, das du nicht darein gehörest. Du solt nicht ein ander Register Gottes suchen, denn dieses, das er dir in seinem Wort geoffenbaret hat. Du solt richten nach seinem geoffenbarten Wort, vnd nicht andere Register suchen.

Diese Regel soltu wol lernen, das dein Hertz vnd Gedancken, das geoffenbarte Wort anschawen,

da Gottes willen lernen, vnd nicht durch andere weg in Himel steigen. Darümb ist zuuor gesagt, Diesen Son hat Gott gesand, vnd gesprochen, Diesen solt jr hören. Wer sich nu tröst mit sölchen Sprüchen, der gehört gewisslich in die zal derselbigen, die Gott wil erhören vnd annemen.

Diese Lere solt jr bey euch offt vnd mit grossem ernst betrachten. Vnd ist diese Lere lieblich furgemalet im Cananeischen Frewlein, da Christus sie hart anspricht, gleich als gehöre sie nicht in der Heiligen zal, vnd sey verworffen wie ein Hund, lesst sie sich nicht verwerffen, sondern spricht mit grosser weisheit vnd höfflikeit, Die Hündlin essen auch mit den Kindlin, die brösamlin, die vnter den Tisch fallen, etc.

Haec dixi de dicto: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, ego reficiam vos. Et bene mementote hanc totam consolationem. Et certum est hoc dicto multos omni tempore servatos esse. Sic Dux Fridericus Elector Saxoniae et alii multi assidue in agone repetiverunt hoc dictum.

Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.
Tollite iugum meum super vos.

Prius dixit, quare Filius missus sit, et addita est promissio, et mandatum est, ut omnes credant filio, et ad eum confugiant.

Nunc addit doctrinam de cruce, quia nos in Ecclesia necesse est scire, quod Ecclesia singulari consilio Dei subiecta sit cruci, et oportet scire causas a Deo revelatas, quare velit Ecclesiam subiectam esse cruci.

Nisi enim simus praemoniti, moventur homines hoc rationis argumento:

Magna prosperitas, gloria, opulentia, pax, sunt Dei dona.

Ergo ubi sunt illa bona, illi potius videntur esse populus Dei. Videmus autem Turcos et alios dominari, et Ecclesiam esse miseram, et adflictam. Ideo non cogitandum est, hunc coetum miserum esse populum Dei, aut placere Deo.

Valde moventur hominum animi hoc argumento, et multi deficiunt a Deo propter splendorem imperiorum.

Ideo saepe scriptura repetit hanc doctrinam de cruce, adfirmat Ecclesiam subiectam esse cruci, et exponit causas, et simul addit consolationes, quod Deus in hac vita tamen nobis etiam opem ferat, et mirabiliter servet Ecclesiam, et quod post hanc vitam Ecclesia sit habitura aeternam laetitiam, sapientiam, iustitiam, et quod Deus tunc velit esse omnia in omnibus. 1. Corinth. 15.

Haec doctrina repetita est in Psalmo 37. Noli aemulari, et saepe alias: et Christus alibi inquit: Si quis vult me sequi, tollat crucem suam. Et Paulus inquit: Oportet omnes fieri similes filii Dei, Rom. 8.

Sic praecipit hoc loco, ut tollamus iugum ipsius, id est, doctrinae confessionem, quae semper adfert in mundo crucem. Haec est simplicissima enarratio.

Sed vide quomodo loquatur. Mundus iudicat crucem esse amarissimam. Dominus contrarium docet: Iugum meum suave est.

Haec contraria considerentur. Verum est, corpori crucem amaram esse, ut interfici, comburi, sunt amara corpori.

Sed cum corda sunt erecta fide, intus est consolatio et laetitia in Deo, sicut Laurentius consolationem sentit, cum uritur in craticula, sicut dictum est: Cum ipso sum in tribulatione. Item: Tristitia vestra vertetur in gaudium. Item: Qui perdet agrum etc. recipiet centuplum in hac vita, et vitam aeternam postea.

Utrumque promittitur, consolatio in hac vita, sed tamen cum tribulatione, et postea vita aeterna.

Haec tota concio tunc intelligitur, quando adfligimur, et quaerimus consolationem. Sed securi et profani homines derident hanc concionem, ita brevius de ea dico.

Postquam autem de cruce dixit, sese proponit tanquam exemplum: Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.

Hic primum haec commonefactio necessaria est.

Christus dupliciter agnoscendus est, primum ut salvator et causa salutis, secundo, ut exemplum.

Primum, causa salutis est, ut redemtor suo merito, item effectione, quia ipse vivificat nos Evangelio et Spiritu sancto.

Haec est principalis agnitio Christi, in qua discernimus eum ab omnibus Sanctis.

Secundo vult tamen Christus etiam se considerari ut exemplum, ut et Paulus ad Philippenses capite 2. proponit Christum ut exemplum.

Hoc sentite in vobis, quod et in Christo, qui cum esset in forma Dei etc.

Et Petrus 1. Petri 4.: Communicate passionibus Christi.

Nominat autem hic duas virtutes, quas in gubernatoribus et doctoribus esse oportet, et praecipue hic Christus concionatur gubernatoribus et doctoribus.

Et virtutes hae melius intelligentur, consideratis oppositis vitiis. Duae virtutes nominantur, Sanfftmütigkeit vnd Demuth. Wider diese streiten Rachgyrigkeit vnd Hoffart.

Rachgyrigkeit ist, so einer ein zorn wider einen hat, vnd sucht darnach vnbilliche mittel, denselbigen nider zu drücken, vnd zu nichten zu machen. Als, Saul wil den Dauid ausrotten, Cain tödtet den Abel, Pompeius wil den Julium ausrotten, etc.

Haec sunt usitatissima in maxima parte hominum, sed praecipue inter principes et doctores, die wetzen einander, vnd brinnen voll Rachgyrigkeit wider Gottes gebot, der wil, das wir nicht rach vnordentlich suchen.

Saepe etiam accidit nostro tempore, ut aliquis moverit falsum dogma odio alterius, Carolostadius odio Lutheri, et Osiander etc.

Est igitur mansuetudo, non habere iniusta odia, et non quaerere vindictam vnordentlich.

Sanfftmütigkeit ist diese Tugend, nicht vnrechten hass tragen, auch nicht vnordentlich Rach suchen, vnd den zorn nach Gottes willen messigen vnd innen halten.

Hoffart streit wider Demuth, vnd ist der Brun, daraus fliessen rachgyrigkeit vnd viel vntugend, wie Syrach spricht: Hoffart ist der anfang aller Sünd.

Vnd ist nemlich Hoffart, one Gottes forcht in sicherheit leben, vnd eigene schwacheit nicht erkennen, vnd darumb sich selb gros achten, vnd ehre vber andere haben wöllen, vnd sich ausser seinem beruff wöllen erhöhen, vnd murren wider Gott vnd Menschen die solchs vorhindern.

Als exempel, Saul ist vnsinnig von hoffart, vnd acht sich selb gros, vnd kan nicht leiden, das Dauid neben jm auch ehre habe, vnd betracht nicht, das seine vnd Dauids glück, Gottes gabe war, etc.

Nu betrachte ein jeglicher, was schaden in aller regierung diese zwey kreutlein thun, Hoffart vnd Rachgyrigkeit, etc.

Dagegen ist Demuth, in Gottes forcht eigene schwacheit erkennen, vnd sich nicht gros achten, vnd nicht ausser seinen beruff tretten.

Humilitas est, timere Deum, et agnitione propriae infirmitatis et voluntatis Dei, maiora vocatione non appetere, et fiducia Dei suae vocationi servire, nec alios despicere, sed ita iudicare, quod et alii sint organa Dei, per quos Deus plura bona facere possit.

Caput XII.

Prima historia continet:

I. Doctrinam de reprehensione humanarum traditionum, quae pluris fiebant quam lex Dei, ut in consuetudine proximi temporis, maius peccatum fuit carnes die sexto edere, quam alterius coniugi insidiari.

II. Discrimen de operibus. Moralia anteferantur ceremonialibus. Et hic tractetur eruditissima sententia Oseae: Misericordiam volo, non sacrificium, et agnitionem Dei plus quam holocausta.

Fuit haud dubie generalis sententia, tradita contra superstitionem.

Quia usitatissimum est homines amissa luce fidei, amplecti ceremonias, imo traditiones humanas, et in his collocare totum cultum Dei.

Huic errori opposita est haec sententia, quae praecipit de veris cultibus, agnitione Dei, et de misericordia.

Agnitio Dei est verus timor Dei, et vera fides. Nosse quod Deus vere irascatur peccato, et vere remittat propter filium, exaudiat etc.

Misericordia est dilectio proximi etc.

Haec potiora sunt ceremoniis, et multo potiora traditionibus humanis.

Hunc intellectum vult Deus in Ecclesia extare, et de hac re ante annos 28. mota sunt certamina. Potius est mandatum Dei, esse maritum, quam esse coelibem, iuxta traditionem humanam.

Dominus est filius hominis etiam Sabbati.

Simplicissima sententia est, quod Messias sit supra legem.

Reprehendit autem stultam opinionem Pharisaeorum, qui nec observationem Sabbati recte intelligebant, nec norant Messiam, sed putabant tempore Messiae mansuras esse ceremonias Moisi,

et has esse iustitiam, quam Messias allaturus esset, nec intelligebant iustitiam fidei.

Horum errorum magnus erat cumulus, hunc totum cumulum reprehendit hoc dicto, quasi dicat: Vos coeci, nec legem intelligitis, nec nostis Messiam, putatis hanc observationem ceremoniae esse iustitiam, et somniatis Messiam nihil aliud allaturum esse, nisi talem legis observationem. Imo propter aliam causam lex de Sabbato tradita est, scilicet, ut sit dies destinatus ministerio doctrinae legis et promissionum.

Messias vero adfert aeternam iustitiam et vitam, non has ceremonias, quarum finis erit in vita aeterna, ubi erit verum Sabbatum in adsiduo conspectu Dei. Sicut Esaias inquit: Erit Sabbatum ex Sabbato.

Extende manum.

Secunda disputatio, quae proxime sequitur, est eiusdem doctrinae de Sabbato repetitio et exemplum.

Hic Christus reprehendit malum intellectum Sabbati, et postea facit opus, quod vere est opus Sabbati, quia est testimonium doctrinae.

Hic igitur breviter rursus dicatur, quare Sabbatum est institutum. Nominatim dicitur de sanctificatione: Sanctum sanctifica. Non dicit: Sis otiosus. Sed in eo die facias opera sancta, id est, proprie tribuas eum diem ministerio doctrinae, doctores doceant, populus audiat, omnes conveniant ad discendum et ad publicam praedicationem. Haec est summa mandati, et hic finis est.

Christus igitur iam vere sanctificat Sabbatum, docet, et edit testimonia doctrinae.

Sed coeca superstitio fingit otium esse cultum, sicut et tunc traditiones conditae sunt, et adhuc Iudaei traditiones habent. In Sabbato conducunt Christianos, qui coquant, qui decerpant mucos a lychnis etc. Sic et Papistae festos dies instituerunt, sed nos discamus verum intellectum Sabbati.

Iesus iratus circumspexit.

Hic discamus non omnem iram peccatum esse. Quia Deus sic condidit angelos et homines, ut habeant appetitiones, gute begirden vnd neigung, lieb, furcht, hoffnung, schrecken, zorn, freud. Haec sic condita sunt, sed post lapsum fiunt inordinata. Sed tamen in sanctis frenantur et ad ordinem retrahuntur. Sic Abraham diligit uxorem et filios, et recte facit. Sed David diligit alienam, et non recte facit, quia discedit ab ordine.

Est autem ille ordo iustus, qui congruit cum lege Dei.

Sic in Christo sunt ordinati motus. Ira est bona, quae est dolor pro gloria Dei, et ubi non est talis ira, quae vocatur zelus, ibi frigidus amor *Dei* est, et nimis pigrum pectus. Sicut fortis miles non pugnat sine ira: sic fortis et acer doctor non potest non irasci mendaciis.

Haec ira praecipitur in primo praecepto: Diligas Dominum Deum tuum. Item laudatur in Psalmo: Zelus domus tuae comedit me.

Haec brevia sufficiant de affectibus.

Locus Esaiae XXII.

Citat Matthaeus locum Esaiae, qui continet doctrinam et consolationes dulcissimas.

I. Docet quale regnum Messiae futurum sit.

II. Quod recepturus sit omnes peccatores agentes poenitentiam, et ad eum confugientes, etiamsi sint imbecilles in donis et virtutibus, et sint aerumnosi.

Et sic orditur: Primum nominat Messiam: Ecce servus meus, quem elegi, in quo complacitum est mihi.

Quando nominat hunc Messiam servum electum, discernit eum ab aliis servis, ut ab Abraham, Davide, Prophetis et aliis. Et significat hunc peculiariter promissum, propter quem caeteri placent. Ideo sic eum describit, quod anima eius delectetur hoc servo, sicut dicitur Matth. 17: Hic est filius meus dilectus. Daran ich mein wonn vnd freud habe.

Et diligenter consideranda et cogitanda est haec descriptio in Esaia, congruens cum voce coelesti? In quo mihi complacitum est, ut inde discamus hunc filium principaliter diligi a Deo, et propter eum caeteros recipi, non diligi alios sine eo. Et additur in textu, quale sit regnum eis futurum.

De regno huius filii.

Non erit rex mundanus, ideo dicitur: Dedi spiritum meum super eum: iudicium gentibus proferet, id est, reget praedicatione Evangelii, et dando spiritum sanctum.

Non clamabit.

Id est, non habebit pompam regiam, nec personam accipiet.

Haec est dulcis consolatio, quod omnes recipiat confugientes ad ipsum, sine acceptatione personarum, id est, Er ist gleich gegen allen gleichen, Er strafft Sünd in allen, vnd verdampt alle die nicht zu jm fliehen, sie sind weiss, mechtig, grosser tugend wie sie wöllen.

Dagegen nimpt er auch an zu gleich alle die zu jm fliehen, sie haben grosse tugend oder nicht, sie sind klein oder gros, schwach oder mechtich.

Et hoc bene inculcandum est cordi, quod Deus sit aequalis, quod sit sine acceptatione personarum, sicut Paulus inquit: Dives Deus in omnes, qui invocant eum.

Calamum quassatum non confringet, et linum fumigans non extinguet.

Hic clare dicit, quod recipiat infirmos et perterrefactos, sicut Esaias etiam alibi docet, ubi ait, quod Deus habitet in perterrefactis et adflictis.

Utrumque discendum est, quod Deus damnet securitatem carnalem, et postulet contritionem, id est, poenitentiam seu conversionem, ut, damnat securum Pharaonem, securos Pharisaeos, qui Christo adversabantur.

Secundum est, quod discitur. Sicut damnat securos, ita vere vult recipere perterrefactos, si ad ipsum confugiunt. Ideo dicit: Linum fumigans. Non sit prorsus nihil caloris seu ignis in lino, sed sit aliquid, id est, sit agnitio filii Dei, et petitio, ut recipiat nos, ut sanet nos etc.

Exemplum.

Quid est David in exilio et in fuga? Nonne tunc vere est calamus quassatus, est omnium hominum miserrimus, et horribiliter prostratus?

Et est linum, non quidem iam habens pulcram lucem, ut antea, cum floreret gloria et victoriis, sed est linum fumigans, aliquid adhuc ignis habet, non irascitur Deo, non desperat, sed adhuc accedit ad Deum, et petit, ut recipiatur et servetur.

Hoc exemplum conferte ad hunc textum. Et haec verba diligentissime singuli infigant cordibus: Calamum quassatum non confringet, et linum fumigans non extinguet.

In nomine eius gentes sperabunt.

Hic docet de modo, quomodo hic Messias sit alios salvaturus. Gentes sperabunt, id est, fide et spe amplectentur hunc Dominum, et ita erunt salvi fide et spe. In nomine eius, id est, in agnitione vel invocatione eius. Sicut in Esaia alibi dicitur: Notitia eius iustificabit multos. Oportet praedicari, agnosci, fide adprehendi beneficia per hunc filium data, remissionem peccatorum, reconciliationem, iustitiam, Spiritum sanctum, et vitam aeternam.

Sequitur textus:

Pharisaei autem audientes dixerunt.

Contra haec manifesta testimonia Dei de filio, furenter clamitant Pharisaei, quod eiiciat Daemones, in Beelzebub.

Hoc est triste malum, quod etiam in populo Dei sunt tales blasphemi. Isti viderunt resuscitari mortuos, et viderunt alia manifesta miracula, et habebant scripturas testificantes de hoc Messia, quod eo tempore fuerit venturus, quod non fuerit habiturus imperium mundanum, quod fuerit praedicaturus et facturus miracula, et passurus.

Adversus haec testimonia scripturae et miracula congruentia, tamen ipsi dementati suis opinionibus de regno mundano, audacissime pugnant, et hunc Messiam damnant.

Non igitur iam miremur pertinaciam et furorem nunc persequentium Evangelium.

Tunc oblatus est ei Daemonium habens.

Rursus ostendit testimonium doctrinae, et dicatur breviter hic de miraculis communis doctrina:

I. Quod sint testimonia doctrinae.

II. Quod sint testimonia, quod hic Iesus sit Messias.

III. Quod sint exempla promissionum et applicationis.

Sequitur novum et magnum certamen.

Impii contra haec manifesta opera Dei clamant, eiici daemonia per imposturam a Diabolis.

Christus refutat eos, et hic tradit gravissimam doctrinam de tribus materiis.

I. Primum de discrimine miraculorum, quae sint vera, quae sint falsa.

II. De neutralibus, qui nolunt esse in confessione Evangelii, aut nolunt esse socii crucis, et simulant se dubitare, et exspectare iudicium synodi. Die Mitler die keins teils sein wöllen.

III. De aperte blasphemis.

De primo articulo.

De discrimine miraculorum quaeri potest, cum etiam Ethnici habeant miracula, quae sint vera, quae falsa? Item: Vidimus multa miracula facta in invocatione sanctorum.

De his respondeo.

Tribus modis discernuntur miracula.

Primo substantia. Quia quaedam sunt inimitabilia Diabolis, ut resuscitatio mortuorum, sistere solem etc. Haec manifeste testantur, quod faciens sit a Deo, et quod fiant sola divina potentia. Et talia habuit Ecclesia inde usque a principio multa, quae cogitanda sunt, ut confirment nos, quod doctrina Ecclesiae vera sit.

Ethnici etiam habuerunt miracula, ut, rex Tarquinius secuit lapidem cultro.

Aspasia habuit somnium, ut ungeret se in facie rosis detractis a corona Veneris. Et ita curata est, cum medici curationem ulcerum in facie desperassent.

Talia multa facta sunt in cultu Sanctorum, et Diabolus facile potest talia facere. Sed mortuos resuscitare non potest, etc.

Secunda differentia. Miracula, quae fiunt a Deo, non sunt coniuncta cum aliquo mandato manifeste impio, nec stabiliunt manifeste cultum impium, ut quando Ethnici vates praedixerunt aliquem eventum, iusserunt mactari humanas hostias. Vel stabilierunt manifestam idololatriam et libidines, ut Bacchi miracula. Talia non sunt miracula filii Dei, nihil praecipiunt, quod pugnet cum mandatis Dei.

Et quanquam miracula multum movent animos hominum, tamen Deus iussit ea conferri ad legem. Si pugnant cum lege Dei et expresso verbo, tunc iubet Deus ea reiici.

Sic spectra mortuorum, quando petiverunt Missas vel talia, reiicienda sunt, quia Diabolus per has fraudes quaerit confirmationem Idolorum. Ut ego scio honestam matronam, quae mortuo viro erat gravida, venit ad eam maritus sedentem ad focum ante coenam, et marito comes erat longus monachus. Ibi maritus iussit uxorem tranquillo animo esse, quia secum bene ageretur, sed iubebat quaedam debita solvi, et tres Missas celebrari. Et postea abiens dedit uxori manum, et ussit eam, ut tota fieret atra sicut carbo. Sic tantum vexavit Diabolus piam matronam, cui etiam postea mandatum est, ne huic spectro crederet, sed iudicaret fuisse Daemones. Et scriptura clare dicit: Non a mortuis veritatem.

Tertia differentia est. Vera miracula fiunt ad stabiliendam agnitionem veram filii Dei, et fiunt in nomine filii Dei, et aperte maledicunt Diabolo, et pellunt Diabolos invitos et repugnantes.

Sed falsa miracula fiunt sine mentione filii Dei, et non maledicunt Diabolis, nec semper eos pellunt. Hae regulae de miraculis hic continentur, quando Christus dicit, pugnare se cum Diabolis. Diabolus non destruit ipse suum regnum. Sed filius Dei destruit regnum Diaboli. Miracula vera fiunt, non ad confirmationem falsae doctrinae, ut diabolica, sed fiunt cum praedicatione verae doctrinae. Sic inquit: Ego facio miracula, quae non potest imitari Diabolus, et expello eum repugnantem, et facio ad stabiliendam veram doctrinam. Ergo scitote mea miracula vera esse.

Postquam de doctrina miraculorum dictum est, iam etiam addatur consolatio.

Petrus inquit: Diabolus circumit, quaerens quem devoret. Ergo semper insidiatur nobis. Ideo hic discamus filium Dei custodem nostrum esse, et petamus, ut depellat Diabolos, sicut dictum est: Filius Dei venit, ut destruat opera Diaboli.

De neutralibus et de blasphemis.

Multi putant sapientiam esse iam tacere, aut gerere se neutrales. Sed Christus hic damnat eos: Qui non congregat mecum, dissipat. Item alio loco praecipit confessionem: Qui confitetur me coram hominibus, confitebor eum coram patre meo coelesti. Ideo neutrales sciant, non satis esse tacere, sed necessariam esse confessionem.

De blasphemis.

Hic clare discernit textus blasphemias ab aliis peccatis. Triplicia sunt peccata.

Primo, sunt infirmitates haerentes in sanctis, quae sunt mali adfectus, böse neigung, quibus repugnant sancti, et non indulgent contra conscientiam. Haec agnoscenda sunt. Et sunt in omni-

bus sanctis in hac vita multa talia: sed tamen non exstinguunt fidem, ut Rom. 7. et 8. dicitur: Nulla est damnatio in his, qui sunt in Christo etc.

Secundo sunt lapsus contra conscientiam, ut quando David factus est adulter, et Petrus negavit se nosse Christum. Haec talia sunt, ut non stent simul cum fide, et si quis in eis perseverat, damnatur aeternis poenis: sed si convertitur, rursus recipitur, iuxta illud: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Et haec peccata sunt delicta contra secundam tabulam, vel sunt contra primam ex ignorantia vel ex infirmitate, ut Ethnici coluerunt Idola contra primam tabulam ex ignorantia. Petrus est lapsus ex infirmitate.

Sed blasphemiae sunt peccata contra primam tabulam, cum homines scientes et volentes agnitam veritatem damnant et persequuntur, ut pertinaces Epicurei, item pertinaces Idololatrae, ut nunc Papistae, qui scientes defendunt Idola, et contra conscientiam dicunt Idola Deum esse, suos Sanctos invocandos esse, tanquam Deum, et occidunt homines, qui nolunt id adprobare. Haec descriptio satis clara est.

Sed dicis: Quare inquit, non remitti?

Respondeo.

Sic dicit, et verum esse non dubitemus. Sententia Dei iam lata est super omnes blasphemos. Interea tamen nos debemus omnibus praedicare poenitentiam. Et si qui convertuntur, hi tamen non fuerunt blasphemi contra conscientiam, sed vel ex ignorantia vel ex infirmitate peccaverunt. Sic Christus et Apostoli praedicant Iudaeis, quorum multi persequebantur Evangelium, sed errore vel infirmitate, qui postea convertebantur. Multi autem aperte blasphemi, non convertebantur.

Magister, volumus a te signum videre.

Summa.

Primum quaerendum est de doctrina, et videndum an consentiat cum scripturis antea traditis. Postea iudicandum est de signis.

Hanc regulam nos nunc oportere sequi non dubium est. Et debebant tunc quoque tempore Christi et Apostolorum videre omnes, qui audiebant doctrinam Christi, an congrueret cum Prophetica. Sed ipsi omissa collatione doctrinae postulant signa, et quanquam fiebant multa signa, tamen credere nolebant, quia tenebant in mente contrariam opinionem de Messia, pugnantem cum Prophetica descriptione. Talem Messiam volebant, qui eos ditaret, et opibus et voluptatibus eos cumularet.

Talia etiam signa petebant, ut expulsis Romanis traderet ipsis imperium. Duo sunt igitur crassa peccata Iudaeorum.

Primum, quod doctrinam Propheticam negligunt.

Secundum, quod petunt signa, qualia ipsis placebant, et non volebant moveri signis, quae antea facta erant, et quotidie fiebant.

Non vult autem Deus nos sibi modum et formam signorum proponere, ut si quis nunc dicat: Nolo credere, nisi Deus hoc signum faciat, ut mihi det regnum Turcicum.

Tales imaginationes sunt impiae, et sunt tentare Deum, quia nos debemus petere iusta, non prohibita a Deo. Petere autem res alienas, est prohibitum a Deo. Item petere non necessaria, sed curiosa.

Ideo inquit Iohannes: Quidquid petiveritis secundum voluntatem eius, id est, res non prohibitas, et non curiositate petitas, sed ex necessitate, hic Deus opitulatur. Quia est adiutor, in opportunitate, id est, in vera necessitate, non cupiditatibus illicitis, aut curiosis.

Tota autem petitio Iudaeorum est cupiditas regni, et non necessariarum rerum curiositas. Sicut semper multa talia omnes homines petunt.

Haec de peccato Iudaeorum bene consideranda sunt, ut haec duo discamus.

Primum, iudicare doctrinam ex collatione Scripturae.

Secundum, ut discamus, non esse petendum, ut cupiditatibus aut curiositati nostrae Deus morem gerat, sed necessaria petenda esse.

Responsio Christi.

Propter haec peccata obiurgat Christus Iudaeos, et duriter respondet. Nominat eos genus adulterum et pravum, id est, genus quod non servat Deo fidem, sed deficit a Deo, sicut adultera a viro, et tantum petulanter ludit gloria tituli, quod sit populus Dei. Sicut nunc Papa et Cardinales vere sunt adulteri, defecerunt a Deo, et tantum ludunt petulanter gloria tituli Ecclesiae.

Deinde de signis respondet. Non dicit se nulla signa daturum esse. Imo promittit signum omnium summum de resurrectione et excidio huius populi. Hoc significat, cum ait: Dabitur eis signum Ionae Prophetae. Habebunt signum, sicut tunc Ninive. Ego post mortem reviviscam, sicut Ionas, etc. Deinde hic populus propter incredulitatem delebitur, etc.

Sed quare dicit: Non dabitur aliud signum? Cur sic dicit, cum multa alia signa maiora fecerit?

Respondeo.

Prima potest esse facilis responsio, quod hoc sit principale signum et omnium summum, resurrectio ex morte, et hoc praecipue confirmat omnes credentes, quia hoc signum manifeste ostendit omnipotentiam Christi. Item inchoat vitam aeternam coram Ecclesia, quae tunc fuit, coram Maria et Apostolis, etc.

Sed est et altera responsio, quare dicat: Non aliud signum dabitur, scilicet, quanquam multa facio, tamen non aliud pertinebit ad istos incredulos, nisi signum Ionae, id est, nisi deletio huius regni, quae erit testimonium, quod non fuerim Pseudopropheta.

Ionas fuit signum Ninivitis, quia praedicavit, et allegavit testimonium vocationis suae liberationem ex coeto. Et praedicatio fuit efficax, hoc quoque est signum.

Item, minatus est eis exitium. Et quanquam dilatum est excidium propter poenitentiam, tamen post aliquot annos recepta Idololatria, periit Ninive, 60. annis post Ionam.

Historia Ionae continet imaginem praedicationis, passionis, et resurrectionis Christi.

Adplicate.

Et adiiciatur utilis admonitio, quod propter poenitentiam Deus etiam suas proprias praedictiones revocat, et non exsequitur. Sicut Ieremias 38. dicit ad Sedechiam: Si egeris poenitentiam, non capietur Ierusalem.

Viri Ninivitae surgent in iudicio.
Regina Austri surget, etc.

Comminatio est ab exemplis sumta. Alii egerunt poenitentiam, qui non viderunt tanta miracula, nec tantam revelationem habuerunt. Vos non agitis poenitentiam, cum audiatis ipsum filium Dei, cum videatis assidua miracula.

Ergo magnae vobis poenae impendent, sicut videmus. Germania habuit magna dona, magnam lucem, maiorem, quam antea, ut fateri necesse est. Coepit abuti illis donis ad luxum, ad superbiam, ad crapulam, et ad alia vitia.

Ideo tanta poena secuta est, quanta etiam nunquam fuit in Germania.

Cum autem immundus spiritus exierit.

Tria sunt genera auditorum.

I. Primum sunt prorsus non agentes poenitentiam, qui sunt persecutores et hostes.

II. Secundo sunt alii, qui incipiunt agere poenitentiam, sed redeunt ad priora vitia.

III. Tertio sunt pauci agentes poenitentiam, et perseverantes in fide et timore.

Hic dicit de secundo genere. Et est terribilis concio: Fiunt *novissima peiora* prioribus. Sicut accidit Ierosolymae post crucifixionem Christi, tota Iudaea fuit plena impietatis, seditionum, caedium et omnium horribilium malorum. Et talia sunt iam principia apud nos, quae utinam Deus emendet. Quia certe magna et horribilia et inaudita mala sequentur, nisi Deus sua misericordia poenas mitigabit.

Causa.

Sed quae causa est tantorum malorum post auditam praedicationem? Otium et securitas in his, qui coeperunt agere poenitentiam, et postea fiunt negligentiores et securi, quaerunt voluptates, opes, potentiam. Hoc otium et hanc securitatem cum videt Diabolus, irrumpit tanquam per portam patefactam.

De hac securitate saepe alias dicitur, ut Matth. 24.: Vigilate, quia nescitis qua hora venturus sit Dominus. Item, in parabola de ficu, quae eradicatur, cum post culturam non fert fructum etc. Et Ieremias: Erubescere nescierunt, sed si nunc hae tantae calamitates non faciunt nos modestiores, tunc profecto multo tristiores poenae venient. Erunt nova bella intestina, venient Turci, et hanc pulcerrimam partem totius generis humani, videlicet Ecclesias in Germania, redigent in vastitatem et solitudinem, sicut Asia, sicut Graecia nunc sunt solitudines.

Non opus est in hoc textu alia declaratione subtiliore. Sed opus est consideratione irae Dei et exemplorum, et talibus auditorum cordibus,

quae expavescant et moveantur tam terribili comminatione, et agant poenitentiam, et clament ad Deum, ut poenas mitiget.

Adhuc eo loquente.

Cum tam duriter respondeat interpellantibus de matre et fratribus, satis adparet magna eum ira tunc flagrasse, cum illam priorem terribilem concionem habuit. Et in ista ira durius respondet. Sed doctrina utilis est, quod ipse fratres et membra sua esse dicit omnes, qui audiunt verbum Dei, et verbo Dei obediunt. Et qui non sunt tales, etiamsi essent natura fratres, hoc nihil eis prodesset.

Hanc consolationem teneamus, et saepe cogitemus haec duo: Alterum de ira adversus peccatum, quod tanta sit, ut non potuerit tolli, nisi per filium Dei.

Alterum de misericordia. Necesse est valde diligi genus humanum a Deo, quod filium suum nobis donavit, et hunc voluit assumere naturam humanam, ut sciremus vere diligi ab eo genus humanum, cum sit frater noster, et os ex ossibus nostris.

Ideo autem oportuit filium Dei adsumere humanam naturam, quia oportuit hominem sustinere poenam pro genere humano. Et tamen nemo erat aequale pretium, et nemo potuisset sustinere poenam, nisi simul esset Deus. Haec saepe cogitanda sunt, ut nos ad poenitentiam exsuscitemus, et ut consolatio accendat invocationem.

Caput XIII.

De Ecclesia.

Sequuntur multae imagines Ecclesiae, in quibus doctrina et consolatio necessaria proposita est.

Primum autem sciendum est, quare haec Christus dixerit. Quia Iudaei sperabant regnum Christi fore imperium mundanum. Ipse contra hic et saepe alias docet, Ecclesiam suam non esse imperium mundanum.

Nos quoque semper cogitavimus et cogitamus fore pulcra imperia, et statum politicum speciosum. Sed eventus non congruit cum hac imaginatione. Discamus igitur aliud esse imperia, aliud Ecclesiam, et propter mutationem imperiorum, non amittamus aeterna. Deus varie transfert regna, propter peccata principum et populi. Sed interea manet Ecclesia ubicunque recte sonat vox Evangelii.

Doctrina igitur ex hac similitudine sumenda est haec.

I. Quod aliud sint imperia, aliud Ecclesia.

II. Quod Ecclesia per verbum Dei colligatur, et quod Deus per hanc vocem ministrorum sit efficax.

Quid sit Ecclesia Dei.

Sumi autem potest optima et vera definitio ex hoc textu, quam omnes Christiani scire debent.

Ecclesia est coetus amplectentium Evangelium, et utentium Sacramentis iuxta institutionem Evangelii, in quo coetu Deus est efficax per ministerium Evangelii, et multos regenerat ad vitam aeternam, etsi multi sunt in eodem coetu in hac vita, qui non sunt renati, sed tamen de doctrina consentientes.

Hanc definitionem sciri necesse est, ut quae sit Ecclesia, et ubi sit, sciamus, quia oportet homines intelligere articulum fidei: Credo esse Ecclesiam Catholicam, et oportet singulos scire, an sint membra Ecclesiae, et cur sint membra Ecclesiae, quia verum est dictum: Extra Ecclesiam Dei non est salus.

Discatis ergo haec tria necessaria esse ad hoc, ut homo sit membrum Ecclesiae, videlicet, amplecti Evangelii doctrinam, uti Sacramentis iuxta institutionem, obedire ministerio, in his, quae proprie ad ministerium pertinent.

Haec si invenit homo in sua mente et voluntate, certo est membrum Ecclesiae. Et cum vere agit poenitentiam et credit Evangelio, est vivum membrum, et Deus eum exaudit, et est in eo efficax.

Caeterum non requiritur similitudo in legibus humanis, ut in esu carnium, aut similibus mediis rebus, ut Paulus clare dicit: Nemo vos iudicet in cibo et in potu.

Item, nemo est membrum Ecclesiae Dei, qui pertinaciter defendit articulum haereticum, aut legem praecipientem opus contra mandata divina, ut Synodus nunc tradit articulos manifeste haereticos, quod oporteat semper dubitare de remissione peccatorum. Item, quod satisfactio humana pro peccatis necessaria sit. Item leges impiae sunt, quae prohibent coniugium.

Talia pertinaciter defendentes manifeste pugnant cum verbo Dei, ideo non sunt membra Ecclesiae Dei.

Sed tu videas veras et fundamentales causas, quae faciunt membrum Ecclesiae, et certo scias, te esse membrum Ecclesiae *Dei*, cum illas causas in tua mente et voluntate invenies, ut dixi, doctrinae purae receptionem et confessionem, usum legitimum Sacramentorum, et obedientiam erga ministerium in his, quae ad ministerium pertinent.

Haec si invenis in tua mente et voluntate, scito te esse membrum verae Ecclesiae, et Deum hac fide invocato, et si habes fidem et bonam conscientiam, scias vere exaudiri tuam invocationem.

Hoc est regnum Messiae, et hic est coetus, qui nascitur, seminante hoc agricola.

Haec est summa consolatio, scire etiam ruentibus imperiis, tamen aliud esse Ecclesiam, et nos a Deo exaudiri, et habituros aliud regnum aeternum.

Deinde et hanc consolationem haec parabola tradit, consolatur nos contra multitudinem impiorum. Non ideo nulla est Ecclesia, etiamsi multi sunt impii, hostes veritatis, aut Apostatae, etc.

Conclusio.

Hanc summam discamus ex hoc textu, et diligentissime nos ipsos erudiamus de Ecclesia, ut sciamus quae sit et ubi sit. Et non cogitemus Ecclesiam esse invisibilem. Imo tu et ego et omnes veram doctrinam confitentes sunt Ecclesia, quae oculis cernitur, et auribus auditur, sicut scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum. Et studeamus esse in hac vera Ecclesia, fugiamus impium coetum, sicut Paulus inquit: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

Econtra nos exaudiet Deus, sicut scriptum est: Ubicunque erunt duo aut tres in nomine meo, id est, me vere agnoscentes et invocantes, in medio eorum sum.

Sic describitur Ecclesia, et in hoc dicto: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus, id est, si quis est custos verae doctrinae. Si quis veram doctrinam amplectitur, hic est vere membrum Ecclesiae, et templum Dei.

Haec est summa huius primae similitudinis. Proxime de partibus dicetur.

I. De parvitate Ecclesiae verae. Multis audientibus, et non persequentibus, tamen pauci sunt bona terra.

II. De excoecatione impiorum. Videntes non videant. Haec est poena contemnentium, sicut Sodoma facta est coecior, contemto Sem, qui erat in vicinia, et ibi saepe praedicavit, item Loth.

Differentiae hominum in Ecclesia.

Primus gradus seminis secus viam iacti.

Hi sunt sapientes, quibus excutitur verbum Dei non propter vulgares infirmitates, persecutionem, voluptates, divitias, paupertatem. Hae non movent sapientes usque adeo, sed est singulare malum, quod hic describitur, quod per Diabolum eripitur eis verbum, fiunt Epicurei, sicut iam praecipui homines fere ubique, sed maxime in Italia. Quando diu cogitant de religione, tandem eam prorsus amittunt, quia ratio offenditur, quod quaedam traduntur in Evangelio incomprehensibilia. Item vident Ecclesiae parvitatem, infirmitatem, potentiam Turcorum, imperiorum, etc.

Secundus gradus: supra saxa.

Hi sunt principio ferventes, postea in persecutione discedentes, Apostoli cum crucifigeretur Christus.

Tertius gradus, inter spinas.

Qui otio, avaritia, ambitione fiunt negligentiores, sicut proprie hic depinguntur omnes Lutheranae civitates. Deus dedit pacem, dedit alia bona, ideo crevit ambitio, pompa, avaritia, in populo et doctoribus. Si vis scire qualis sit status nostrarum civitatum ubique, vide hanc descriptionem, et bene expende verbum suffocantur. Aulae suffocantur curis aulicis de sua pompa, de suis reditibus, aedificiis.

Doctores suffocantur otio, avaritia, ambitione, populus etiam. Ita exstinguitur Evangelium paulatim, et ex talibus initiis sequitur coecitas et contemtus. Postea veniunt poenae, Turci et alia mala.

Quartus gradus, de semine iacto in bonam terram.

Pii facientes fructus cum patientia. Addit notam, quae discernit eos a superioribus. Ubi est patientia, ibi est persecutio, periculum, in-

vocatio, exercitium fidei, non est otio locus, non avaritiae, non ambitioni. Sic durat Ecclesia, sic conservatur Evangelium in talibus exercitiis, ut in Babylone erat maior gloria Ecclesiae adflictae, Danielis et aliorum, qui nolebant adorare statuam, antea fuerat in otio Ierosolymis.

Concluduntur cum adhortatione, ut metuamus poenas hic positas: Videntes non videant, etc.

Omni habenti dabitur, etc.

Haec sententia est utilis consolatio pro infirmis et incipientibus, qui tamen non sunt ignavi, et habent studium discendi et proficiendi in vita et doctrina.

Et econtra est tristis comminatio adversus contemtores doctrinae et persecutores. Etiam id quod habent, auferetur.

Fiat adplicatio.

Multi homines anguntur et cogitant: Ego sentio meam infirmitatem, non habeo tantas virtutes, quantas habere debebam, nescio an Deo placeam, et incidunt in magnam dubitationem, quae impedit aliquorum invocationem. Et aliqui ex hac tentatione ruunt in desperationem, vel in contemtum Dei.

Hic simus vigilantes, et muniamus nos contra hanc tentationem, et teneatur haec regula firmissima: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Si habes aliquam contritionem et non retines peccata contra conscientiam, tunc mandatum divinum est, ut tibi credas remitti peccata propter Dominum nostrum Iesum Christum, et quod tunc placeas Deo, non propter tuam munditiem, sed propter intercessorem filium Dei.

Et postquam es talis, iam scito te in hoc numero esse, de quo dicitur: Habenti dabitur.

Tu habes initia fidei, ergo pete incrementum, tunc Deus haud dubie te exaudiet et iuvabit. Haec est doctrina valde utilis ad consolationem contra conspectum nostrae infirmitatis.

Idem docetur in hoc dicto: Deus est qui facit, ut velitis, et ut perficiatis, ut aliqua bona fiant ipsi grata. Id est, Ne desperes propter tuam infirmitatem, sicut iam certe species Ecclesiarum nostrarum valde est infirma, multi putant fore, ut paulo post deleatur tota doctrina Evangelii, sicut nuper dixit Episcopus Lebusianus, ut audio: Circa Pentecosten nullum fore Lutheranum in his terris.

Sed tamen Deus promisit nobis auxilium, etiamsi sumus infirmi, Deus aderit tamen, et iuvabit nos, ut proficiamus, et servabit lucem doctrinae.

Talis est et in Marco ille qui dicit: Credo Domine, sed adiuva incredulitatem meam. Habes initia, si non es contemtor Dei, et angeris, et optas proficere. Haec initia cum habeas, scito te certo placere Deo, et eum invoca, ut tibi vires augeat, iuxta promissionem: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Petentibus dicit, non porcis contemnentibus, non lupis persequentibus, sed tibi petenti, clamanti cum isto apud Marcum: Credo Domine, sed opem fer meae imbecillitati.

Hanc consolationem in hoc textu bene considerate. Prodest enim singulis et in commune.

Deus te non vult negligere, sicut supra dictum est: Linum fumigans non exstinguet.

Sic etiam nostram totam Ecclesiam gementem et clamantem, quanquam iam est adflicta, vult servare etc.

Econtra Epicurei et persecutores, qui iam nolunt audire Evangelium, amittent totam doctrinae lucem, et cito delabuntur, etiamsi nos aliquamdiu sustinere crucem oportebit. Tamen Deus servabit nos et liberabit et consolabitur nos.

Alia parabola.

Cum dormient homines etc.

In priore parabola dixit qualis sit Ecclesia, et iam plantavit Ecclesiam. Nunc de plantata dicit, quas habeat tentationes, et monet, semper in Ecclesia bonos et malos mixtos esse.

Haec doctrina necessaria est, quia saepe accidit, sicut in regno Monasteriensi, ubi volebant facere Ecclesiam, in qua nulli essent peccatores. Sed tales postea eo delabuntur, ut nullos recipiant, nisi suos adulatores, et hos fingunt sanctos esse, etiamsi sunt pessimi nebulones.

Sit ergo haec doctrina ex hac similitudine, quod in hac vita, usque ad resurrectionem mansura sit Ecclesia Dei, et quod semper in ea sint mixti boni et mali.

Quid igitur dicis de excommunicatione? An non sunt excommunicandi mali? Respondeo:

Illi qui vivunt in manifestis delictis, si non velint agere poenitentiam, sunt excommunicandi.

Sed praeter hos tamen adhuc multi manent hypocritae, et variis vitiis laborantes, qui tolerandi sunt, sed assidue praedicamus poenitentiam, ut aliqui convertantur.

Quare igitur dicit?

Sinite utraque crescere.

Primum refutat opinionem Apostolorum de mundano regno Messiae. Nam et Apostoli sperabant talem pulcrum statum fore, ut domitis et deletis omnibus impiis, soli una viverent sancti, in hac mortali vita etc.

Reprehendit ergo eos, et docet Ecclesiam non fore regnum mundanum, et non vult, ut Apostoli gerant gladium, aut gladio puniant delinquentes.

Sed contra manifesta delicta tradit alibi excommunicationem. Postea tamen multa vitia manent. Hic sciamus non propterea nullam esse Ecclesiam, etiam permixti sunt bonis multi mali.

Haec doctrina consolatio utilis est, quia multi nunc quoque propter multa scandala clamitant: Si Lutherani essent Ecclesia, nulli essent inter eos adulteri, ebriosi, fures, etc. Adversus hoc scandalum scias, Ecclesiam quaerendam esse ibi, ubi sonat vox Evangelii, et nusquam alibi. Nec deterreat te, etiamsi non omnes convertuntur, etc. quia nusquam est Ecclesia Dei, nisi in coetu vocatorum, id est, ubi sonat vera vox Evangelii. Rom. 8.: Quos elegit, hos et vocavit etc.

Tertia parabola.

Simile est regnum coelorum grano sinapis.

Summa est concionis, et similitudinis, de ministerio Evangelii et eius effectibus.

Sicut granum sinapis est parvum, et tamen gignit magnum corpus et folia, et acrem vim habet ad purgandum, sic vox Evangelii est quiddam spretum coram mundo, et tamen est res efficacissima, colligit Deo aeternam Ecclesiam, et est instrumentum, quo in nobis inchoatur vita aeterna.

Hic fiat antithesis.

Iudaei intelligebant promissiones de regno politico.

Christus contra dicit, hoc regnum verbo colligendum esse.

Et hic discamus contra Enthusiastas doctrinam de efficacia verbi. Primum discamus quod vox Evangelii non sit inanis, sed semper aliqui per eam convertantur, imo omnes, qui ei assentiuntur. Secundo discamus acquiescere in promissionibus, et teneamus hanc regulam, quod Deus nec cerni, nec adprehendi aliter possit, nisi cogitatione huius verbi.

Quandocunque invocamus, quaerunt mentes ubi sit Deus, et quis sit Deus, et libenter vellent compellare verum Deum, non aberrare a vero Deo, non alloqui aliud, quod non est Deus.

In hac cogitatione et tentatione mens intueatur verbum et testimonia, per quae Deus se patefecit, et cogites hunc esse verum Deum, qui hoc Evangelium Ecclesiae tradidit, qui resuscitatione mortuorum testatus est, se edere hanc vocem et has promissiones, hunc Deum alloqui te cogites.

Tertio, similitudo etiam consideretur. Sicut sinapi est mordax, et purgat cerebrum, ita Evangelium mordet falsas opiniones, et pravas cupiditates.

Simile est regnum coelorum fermento.

Idem argumentum est de ministerio Evangelii, et de efficacia eius.

Et rursus consideretur antithesis. Iudaei exspectant regnum politicum, sed Christus opponit aliam formam. Imo, inquit, erit regnum tale, in quo per verbum corda hominum mutabuntur.

Hic quoque haec duo considerentur, primum quod vox Evangelii non sit inane quiddam, sed vere sit efficax, et quod per eam semper aliqui convertantur. Imo omnes qui ei adsentiuntur. Secundo quales sint effectus discamus.

Evangelium hoc loco significatur per fermentum. Et sicut fermentum miscetur farinae, et inflat panem, sic verbum miscetur cordibus hominum, et simul datur Spiritus sanctus, ut illo mota corda incitentur ad Deum.

Quales sint affectus.

Sunt autem sata tria, id est, drey scheffel. Certum est in genere significari humanam naturam. Et quanquam de numero non est opus subtili quaestione, tamen cum tres sint in homine praecipuae vires, mens, voluntas et cor, Ver=

stand, Will vnd Hertz, ad hunc numerum tria sata bene congruunt.

Evangelium in mente accendit novam lucem, et notitiam Dei, firmam adsensionem et fidem.

In voluntate timorem Dei, fiduciam, spem, dilectionem Dei, et firmum propositum obediendi Deo.

In corde reprimit malas cupiditates, et accendit ibi amorem Dei, et castitatem, et patientiam, et alias virtutes, quia cor est instrumentum voluntatis, et in actionibus seriis simul agit cor cum voluntate, wenn es recht ernst ist, ut quando iuvenis serio amat puellam, tunc simul agunt voluntas et cor.

Ita quando per Evangelium renascitur homo, et repurgatur, tunc rursus emendatur hypocrisis, et incipit verus timor Dei, vera invocatio, vera dilectio etc. et simul agunt voluntas et cor.

Haec de tribus satis expositio ostendit, quales sint effectus Spiritus sancti in nobis.

Et in summa, utraque similitudo docet, quale sit regnum Christi. Et quod ministerium verbi sit efficax.

De zizaniis.

Quod in hac vita in congregatione, quae vocatur Ecclesia, multi sint hypocritae et mali.

Simile est thesauro.
Simile quaerenti margaritas.

Evangelium thesaurus est et margaritum.

Margaritum, ein Perlein, ist ein edel weis gewechs in einer Indischen Meer schnecken, wie ein Fisch aug, schön, weis, durchsichtig, vnd hat grosse krafft wider alle Gifft, vnd gibet dem Hertzen sonderliche sterckung, mehr denn alle andere Artzney.

Dieses schön Körnlein wechst also. Im Lentzen wird die Schneck sehr dürstig vnd geil, vnd thut sich morgens herfur, vnd thut das maul vff, schnapt nach dem Thaw.

Nu ist der Schnecken leib ein besonder rein subtil fleisch, dasselbig ziehet den Thaw an sich, vnd wird also aus demselbigen Fleisch vnd Thaw dieses köstlich Körnlein, wie Gold oder Silber, vnd so der Thaw reiner ist, wird das Perlein edler vnd krefftiger, vnd schöner von farb.

Vnd besonder wird es köstlich, wenn hernach grosse Vngewitter komen, das die lufft gereinigt wird. Vnd so man das Perlein wil ausnemen, mus mans mit besonderer kunst thun. Denn so die Schneck die finger der Menschen ergreifft, beist sie dieselbigen ab.

Bedeutung.

Das Euangelium ist der Himlische Thaw, daraus wird ein Perlein im hertzen, das hefftigen durst vnd lust darzu hat, vnd wird also im Hertzen ein newes Körnlein, newe geburt, das ist, freud in Gott. Vnd dieses Perlein wechst vnd wird reiner im Vngewitter, das ist, in der Verfolgung.

Vnd die Schneck, das ist, das Volk oder Kirch, darin das Perlein ist, lest es jr nicht nemen, Aber mit listen wird es jr genomen.

גרית	בר
Garith	Bar
crustula	*γνήσιον*
Küchlein	purum.

Christus est purissima crustula.
Evangelium est pura crustula doctrinae.
Ecclesia etiam fit pura crustula.

גרית	מר
Garith	Mar
crustula	amara, moesta.

Christus est amarissima, id est, moestissima crustula.
Evangelium est amara crustula, id est, doctrina crucis.
Ecclesia est amara crustula, id est, sub cruce.

Sic scribit Theophrastus nasci in conchis margaritum: Initio veris sua quadam natura mirabili siti conchae appetunt rorem coelestem. Hunc cum in littus repentes, et hiantes hauserunt, nascitur ex eo rore et conchae carne, cuius odor optimus est, gemma pellucida, alias aurei, alias argentei coloris, et mirificam vim habens in pellendis venenis, et medicatione cordis humani. Fit autem generosior, cum crebrae sunt magnae tempestates, donec conchae sunt gravidae. Haec pulcre congruunt. Evangelium est ros coelestis, quem cum sitientes animi hauriunt, gemma in eis nascitur, id est, renascuntur corda, filio Dei reddente eis vitam et lucem.

Aiunt etiam conchas ducem habere, ut apes, id congruit ad Ecclesiam, quae ducem habet filium Dei. Cum autem hoc margaritum emi vult Filius Dei, studia doctrinae coelestis nobis commendat, quae pie et constanter colamus, nec abiiciamus ea propter aerumnas, quae docentibus et confitentibus tolerandae sunt. Ut purior fit gemma in tem-

pestatibus, ita doctrina in difficultatibus et periculis salubrior est.

Simile est sagenae missae in mare.

Praefatio.

Omnes hae similitudines continent generaliter hanc doctrinam, quod novum hoc regnum Messiae, non sit politicum, nec sit futura in hac mortali vita, illa societas hominum iusta sine peccatis etc. sicut fingebant auream aetatem Iudaei. Ita hic dicit de sagena, et continet tria membra.

I. Quod Ecclesia colligenda sit voce Evangelii, et Evangelium est illud rete, quod colligit et coniungit homines.

Et hic teneatur illa necessaria doctrina: Quos elegit, hos et vocavit.

Nulla sunt Ecclesiae membra sine vocatione, id est, etsi est magna virtus Socratis, Xenophontis aut similium, tamen quia non sunt vocati, non sunt membra Ecclesiae Dei, quia oportet nosse promissionem de Filio: Nemo pervenit ad Patrem, nisi per Filium.

II. In hac congregatione in hac vita sunt boni et mali. Et haec doctrina et consolatio necessaria est. Donatistae negabant valere administrationem Sacramentorum, quae fit per malos, et fuerunt magni tumultus de hac re.

Item, singuli homines saepe turbantur hoc scandalo. Cum videant plurimos esse malos, cogitant non respici nos a Deo, non exaudiri, nihil esse Ecclesiam.

Contra has tentationes omnes tenenda sunt dicta multa in hoc capite, ut supra de semine, et hic de bonis et malis piscibus, quod revera in hac vita sint in coetu Ecclesiae Dei, renati et non renati, et saepe non renati sint in administratione Sacramentorum etc.

Ideo non turbemur multitudine malorum in nostra congregatione, sed sciamus talem esse speciem externam Ecclesiae Dei, et interea in hoc coetu vocatorum tamen semper aliquos bonos pisces esse, et sciant omnes agentes poenitentiam, certo se recipi fide, certo Deum exaudire, et velle praestare promissa, etiamsi plurimi sint mali, sicut consolatur Deus Eliam: Adhuc septem millia virorum non curvarunt genua ad Baal. Item, Nisi Deus reliquisset nobis semen, sicut Sodoma et Gomorra essemus.

Haec consolatio saepe cogitanda est, quia valde multi sunt, qui propter hoc scandalum fiunt languidiores, vel omnino a Deo deficiunt, quia valde magnam esse multitudinem impiorum ubique vident. Contra hoc scandalum fide erigamur, et eo ardentius Deum invocemus, ne inducamur in tentationem, sicut in Psalmis saepe dicitur: Ne perdas cum impiis animam meam. Psalm. 26. 28. Item, in Proverb. 5. Pene fui in omni malo in medio Ecclesiae et Synagogae, id est, cum viderem exempla maximae multitudinis, pene et ego mores et opiniones eorum imitatus essem. Nec leve certamen est, huic tentationi resistere.

III. Tandem fit separatio. Deus in hac vita repurgat Ecclesiam, ut quando Iudaeos delevit, quando delevit Arianos et alios haereticos, ita et nunc erit iudex inter nos et Papistas.

Postea sequetur et alterum iudicium universale, ubi glorificabitur Ecclesia et conspicientur poenae damnatorum etc.

Alia concio.

Sic erit omnis scriba doctus.

Haec concio proprie instituit concionatores seu doctores in Ecclesia. Et est utilis commonefactio pro omnibus hominibus, et primo docet, quod necesse sit discere. Hic discrimen consideretur inter Ethnicas religiones et Christianam.

Ethnicae sciuntur sine doctrina, quia sunt particula legis, et deinde qualecunque numen quilibet finxerat, hoc putabatur vere esse numen, et quo plures Deos fingebant, eo maior sanctitas esse putabatur, etc.

Econtra Ecclesia Dei est condita *Verbo* promissionis, et promissionem gratiae de filio nemo scivisset, si Deus non revelasset, et Deus postea voluit scribi revelationem. Ergo prorsus necesse est disci, ideo toties mandatum est: Hunc audite. Item Ieremias: Non mandavi te holocaustis, sed audite me, etc.

Ita hic dicitur: Scriba qui doctrinam accepit et didicit.

Secunda pars.

Quid autem discere et docere debet?

Ex thesauro, id est, ex libris a Deo traditis. Intelligatur thesaurus non propria sapientia, sed libri traditi Ecclesiae, quia nos debemus esse

custodes librorum istorum, ut Paulus dicit: Custodi depositum. Inde sumat vetera et nova, id est, Legem et Evangelium.

Non est Propheta contemtus, nisi in patria.

Propositio.

Querela est, quod praecipui hostes Evangelii sint in ipso corpore, quod vocatur Ecclesia, sicut Ioh. 1. dicitur: In propria venit, et sui eum non receperunt. Et Esa. 63. Tota die expandi manus meas ad populum non credentem, sed contradicentem.

Duplicem autem doctrinam continet. Prior est, quod monet, ne decipiamur titulo Ecclesiae, sicut nunc quoque gloriantur Episcopi et Monachi, quod sint Ecclesia, sed sic sunt, sicut fuerunt Ecclesia Pharisaei et Zadducaei, et alii persecutores in populo Iudaeorum, praedicante Christo. Haec commonefactio necessaria est, ne titulo decipiamur.

Est et consolatio, quae monet, ne scandalo paucitatis credentium moveamur, ut potius maiori parti assentiamur, sed semper sciamus regulam servandam esse, ut iudicemus de Ecclesia ex verbo Dei. Illi sunt Ecclesia, qui credunt verbo Dei incorrupto.

Secundo, accusatio consideranda est, ut agamus poenitentiam. Non tantum Pharisaei accusantur in hoc textu. Sed alii boni et auditores Christi, qui tamen erant negligentes, et non agebant poenitentiam, et sine vera fide audiebant.

Tales multi sunt inter nos, et in hoc ipso coetu, qui dicit se amplecti Evangelium. Agamus igitur poenitentiam, et veram fidem excitemus, et exerceamus eam in invocatione, in spe auxilii divini, in patientia. Satis magna pericula nunc impendent, fortassis nova bella erunt, et videmus turbari Ecclesias in multis locis.

Contra haec mala pugnemus oratione et poenitentia, ne auferatur a nobis Evangelium, sicut alibi minatur Dominus, ubi ait: Fiunt novissima peiora prioribus.

Caput XIV.

De nece Iohannis Baptistae.

Hic est magna quaestio, de qua sapientia humana non potest respondere: Quare Ecclesia subiecta est cruci? Quare Iohannes, Prophetae, Apostoli, et summa lumina Ecclesiae interficiuntur?

Haec doctrina est revelata in Evangelio, et statim initio in Paradiso tradita: Ponam inimicitias inter serpentem et semen mulieris, et serpens insidiabitur calcaneo eius.

Causa praecipua et prima mortis et omnium calamitatum totius generis humani est, quia natura hominum contaminata est peccato, quod ostendit se Deus horribiliter odisse. Ideo onerat hanc naturam universam tantis miseriis, sicut scriptum est: Stipendium peccati mors.

Hoc primum scire oportet de poena communi totius generis humani.

Sed quare Ecclesia magis onerata est, quam alii homines? Causae praecipuae plures sunt.

Prima, quia Deus in Ecclesia sua magis vult conspici iram suam, et sic invitat nos ad poenitentiam.

Secunda, quia Diabolus atrocius grassatur contra Ecclesiam, quam contra sua organa.

Tertia, quia etiam sancti multi labuntur, ideo veniunt magnae poenae, ut David, Manasse et alii multi habent horribiles lapsus, propter quos et ipsi et simul alii multi puniuntur.

Quarta, sed Prophetae, ut Ieremias et Baptista et Apostoli et multi alii in confessione interficiuntur, non propter aliqua certa delicta. Hoc fit propter has causas, ut illa mors sit testimonium doctrinae, ut constet non fuisse simulationem, quia confessionem anteferunt vitae suae.

Item ista morte testantur, quod restet alia vita, et quod exspectent aliam vitam, item caput nostrum Christus vult praecipuos doctores fieri similes sibi, et hoc ideo vult, ut hi cogitent, quanta sit ira Dei adversus commune peccatum generis humani.

Haec omnia cogitanda sunt, quandocunque recitamus historias de suppliciis Prophetarum et Apostolorum, et horum exemplis debemus nos confirmare. Deus parcit infirmis, et non vult omnes isto modo interfici, sed tamen omnes aliquam persecutionem patiuntur. Et interea servat Deus aliquem coetum in vita, quia scriptum est: Non mortui laudabunt te Domine. Oportet aliquos vivere, ut sit in hac vita Ecclesia aliqua, et sit procreatio et institutio, oportet puerperas habere nidulos. Haec omnia Deo curae sunt, sicut dictum est: Ne sitis soliciti, scit Pater vester coelestis, quod his rebus indigeatis.

Primum consideretur causa et occasio odii in Herode contra Iohannem, Iohannes ut praedicator fidelis arguit Herodem, quod rapuerit fratris viventis coniugem.

Ita fit, veritas odium parit. Hoc commune periculum est omnium recte docentium, ut scriptum est: Odio eritis omnibus hominibus, propter nomen meum.

Modus: quomodo interficit? Falsa specie religionis iurisiurandi, et quidem saltante puella. Nescio an aliquis Propheta tam levi et scurrili occasione interfectus sit.

Sed significata est sophistica, list vnd betrug, sicut nunc fit, ludit hypocrisis coram summis regibus, et petit caput Iohannis.

Concludatur.

Quod talia exempla sint testimonia doctrinae, ut dictum est, item docent nos, ut etiam nostras persecutiones patienter feramus.

Christus secessit, audita morte Iohannis.

Haec facta sunt anno secundo praedicationis Christi circa Pascha. Et cogita primum mirabile consilium Dei. Alii longius tempus habent ad praedicandum, alii brevius. Iohannes habuit biennium, Elias viginti aut aliquanto plures annos, Elisaeus circiter septuaginta, Paulus quinque et triginta, Iohannes Evangelista circiter nonaginta.

De ambulatione Christi super mare.

In hac historia principale est exemplum Petri, et est admonitio de πολυπραγμοσύνῃ, id est, quales sint eventus, quando non necessaria periculosa tentamus, wen wir fehrliche vnnötige ding fürnemen, sicut Iosias bellum movet non necessarium, quod vitare poterat, et saepe sic peccant homines, quod faciunt irregularia sine necessitate. Ut quando iuvenes scandendo vel natando accersunt sibi pericula, quando parentes elocant filias ignotis. Maxime autem sic peccatur in gubernatione, quando curiosi regentes faciunt novitates periculosas sine necessitate.

Ut autem hanc doctrinam bene consideremus, primum teneatur divisio operum.

Alia sunt mandata, quae simpliciter necesse est facere, ut, Serves fidem coniugalem etc. De his non difficilis deliberatio est.

Alia sunt prohibita, quae simpliciter fugere necesse est, ut, Ne occidas, Ne invoces idolum. De his etiam facilis deliberatio est.

Tertius gradus est operum mediorum, quae nec necessaria sunt, nec expresse prohibita. Ut iam dixi, natare, vel bellum propter probabilem causam movere, quod tamen omitti possit.

Hic discamus regulam: In magnis rebus et periculosis nihil faciendum esse, nisi necessaria; et non necessaria, quamquam sunt speciosa, et est bona intentio, tamen omittenda esse.

Haec est singularis sapientia, et necessaria omnibus hominibus, quia scriptum est: Qui amat periculum, peribit in eo. Item: Non tentabis Dominum Deum tuum, id est, ne propter tuam sapientiam moveas periculosum negotium sine necessitate, sine mandato Dei, sine vocatione, relicta via communi, conveniente cum mandato Dei, ut Iosias poterat habere pacem, quae ei offerebatur, sed maluit habere bellum.

Ita hic Petrus bono zelo, bona intentione vult occurrere Domino, sed est opus non necessarium et periculosum, relicta via communi, sine necessitate, et sine utilitate proximi.

Ideo ostenditur ei stultitia, quia Dominus sinit eum mergi.

Est igitur haec prima doctrina, ne faciamus non necessaria periculosa.

Et plerumque in talibus periculis, etiamsi quae fuerunt initia fidei, tamen plus fuit audaciae humanae, et fides postea languefit in adverso eventu.

Quamquam autem stultitia fuit, quod voluit incedere supra aquas, tamen quia Dominus iussit, ut veniret, iam debuit credere, se non interiturum esse. Sed vult ei Dominus utrumque ostendere, quod stulte fecerit, volens incedere super aquis sine necessitate, et quod fides eius fuerit infirmior, quam putavit.

Habet ergo Petrus et hanc infirmitatem, scilicet, quod incipit dubitare in medio periculo.

Hic iam secunda doctrina discatur, videlicet, quod Deus sanat errata Sanctorum, quando ad eum confugiunt. David cum iussisset numerari populum, etiam postea agnovit errorem suum, cum Deus puniret propterea populum pestilentia, sed tamen deinde veniam impetravit.

Moses etiam trepidavit, quando percussit saxum, sed rursus erectus est, et postea adiuvatur a Deo.

Talia multa sunt omnium Sanctorum errata, quae Deus immensa bonitate emendat et sanat. Hanc doctrinam bene discamus, ne confidamus nostrae sapientiae, item, ne a Deo deficiamus post lapsum, sed ad eum redeamus, et petamus et exspectemus liberationem.

Caput XV.

Insignis doctrina hoc loco continetur, de discrimine verorum et falsorum cultuum, seu de discrimine mandatorum divinorum, et humanarum traditionum, quae doctrina valde necessaria est. Quia usitatissima superstitio est generis humani, relictis mandatis Dei, collocare religionem in traditionibus humanis, ut omnes senes meminerunt, fuisse hanc opinionem: Maius peccatum esse, si Sacerdos duceret uxorem, quam si occideret hominem. Item maius peccatum ducebatur, comedere carnes die sexta, quam adulterium.

Haec stulta et impia opinio saepe in Ecclesia vagatur. Et Deus eam subinde per Prophetas, Christum, Apostolos, et alios pios doctores refutavit.

Ut autem haec doctrina recte intelligatur, volumus ordine procedere, et primum dicere, qui sint veri cultus Dei, quos Deus postulat et approbat, et qui sunt prorsus necessarii.

Et volumus nobis proponere dictum Pauli, quod semper debetis meminisse: Milita bonam militiam, retinens fidem et bonam conscientiam.

Sunt igitur cultus necessarii, primum fides, quae est vera agnitio Dei iuxta totum Symbolum, et est fiducia misericordiae, qua accipimus remissionem peccatorum, et reputamur iusti, et exaudimur propter filium Dei.

Hoc lumen in corde est primus et principalis et summus cultus, quia oportet per filium accedere ad Patrem iuxta illud: Nemo venit ad Patrem, nisi per Filium. Item, Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem.

Et hoc lumen semper debet lucere, in omni invocatione, et in omnibus aliis operibus. Non debet homo vivere in hac opinione: Ego displiceo Deo, ego dubito an placeam, dubito an me recipiat, dubito an recipiat preces meas.

Hae dubitationes naturaliter sunt in mentibus, sed homo debet agere poenitentiam, et postea statuere, certo se recipi, et Deo placere obedientiam, propter Dominum nostrum Iesum Christum, et in hac fiducia debet accedere ad Deum, et eum invocare.

Secundo, cultus sunt necessarii, bona conscientia, secundum mandata Dei, id est, ut homo iuxta omnia mandata habeat bonam conscientiam. Non sit adulter, non scortator, non fur, non mendax, non homicida, non gerat in corde sciens et volens iniustum odium contra proximum, etc. Talia opera a Deo mandata, sunt veri cultus Dei cum fide.

Ezechielis 20.: In praeceptis patrum vestrorum ne ambuletis, sed in praeceptis meis ambulate. Hic expresse retrahit nos ad mandata Dei, et iubet, ut faciamus ea, quae ipse praecepit. Et haec doctrina saepe repetita est, et magna consolatio est piis, scire, quod cultus Dei sint haec ipsa opera communi vitae necessaria, honesta vita coniugalis, honesta opera alia vocationis. Item, nostra patientia in cruce, sicut dicit Psalmus: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus.

Et in his omnibus semper debent lucere fides et invocatio, in omnibus operibus et periculis. Invoca et pete et exspecta auxilium Dei, ut Psalmus dicit: Commenda Deo viam tuam, et ipse faciet.

Secunda pars.

Postquam dixi, qui sint necessarii cultus, iam dicam de traditionibus. Et scitote duplices esse traditiones, aliae sunt contra Deum, ut omnes quae praecipiunt impossibilia, vel impia, ut prohibitio coniugii. Item ordinationes Monachorum, et missae, quas servaverunt tanquam cultus, et merita remissionis peccatorum. Haec impia simpliciter abolenda sunt.

De talibus traditionibus hic Christus dicit: Quare propter vestram traditionem violatis mandatum Dei? His verbis significat, mandatum Dei anteferendum esse mandatis humanis, et quando mandata hominum praecipiunt aliquid facere contra mandata Dei, tunc debeamus servare regulam: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Haec regula est immota, et semper in Ecclesia hanc regulam notissimam esse oportet.

Et de his traditionibus manifestum est, quod non sint cultus Dei, sed ut Paulus dicit, sunt doctrina Daemoniorum. Et econtra cultus Dei est, resistere talibus cultibus et doctrinis.

Secundo, aliae sunt traditiones de mediis rebus, quae non sunt contra Deum, et sunt factae boni ordinis causa, ut quod servatur certo tempore dies paschalis, certo tempore dies natalis Christi, quod haec hora constituta est ad concionem, quia oportet in vita humana esse ordinem. Et hic ordo sic servandus est, sicut servatis honestum ordinem in domo, mane pueri dicunt precationem, postea comedunt, deinde vadunt ad scholam. Sic serventur et bonae ordinationes in Ecclesia, non quod sint iustitiae vel res necessariae ad iustitiam, sed propter bonum ordinem et tranquillitatem.

Hanc doctrinam necesse est sciri, et nunquam recipiatur opinio, qualis olim fuit, ubi cogitabant, abstinentiam a carne esse sanctum opus, quo Deus velit honore affici, et cogitabant rem necessariam esse.

Haec opinio simpliciter falsa et reiicienda est, et interea quaerendi sunt veri cultus, fides et bona conscientia in operibus a Deo praeceptis.

Applicatio.

Haec est summa doctrinae in hoc textu, Christus docet, cultus esse opera a Deo praecepta, et non opera traditionum humanarum, sicut infra dicit: Frustra colunt me mandatis hominum.

Et taxat Pharisaicam traditionem. Dicebant, melius esse, offerre templo, quam alere parentes, sicut nunc dicunt: Melius est fundare missam, vel alere multos Monachos propter missam, quam de bonis Ecclesiae iuvare pauperes scholasticos vel alios miseros. Omnino similis intellectus fuit traditionis Pharisaicae. Reiicit igitur Christus hanc traditionem, quia pugnat cum mandato divino.

Excusat et suos discipulos, quod non lavent manus, et reiicit stultas opiniones, quod putabant talia opera necessaria esse, et sanctitatem esse. Sed quando haec dicuntur, tunc offenduntur Pharisaei, hic est opus doctrina de scandalo.

Non quod ingreditur in os.

Iterum initio admoneo de infirmitate Apostolorum. Est et in Apostolis error, qui adhuc putant discrimina ciborum, esse cultus Dei magnos et singulares, et hunc populum Israël ideo antecellere gentibus, quod tam sancta opera faciant, videlicet quod a carnibus suillis et a leporibus etc. abstineant. Imo habent hanc persuasionem Apostoli, non solum de ceremoniis, sed etiam de humanis traditionibus.

Discamus igitur ex hoc exemplo, quod non sit mirum, in Augustino, Ambrosio, et similibus fuisse etiam aliquos errores. Semper in omnibus hominibus aliqua sunt peccata, et aliqua ignorantia, in aliis plus, in aliis minus. Sed hic duo praecepta teneamus.

Primum, quod necesse sit tenere fundamentum, id est, articulos fidei, ut 1. Corinth. 3. dicitur: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id, quod positum est, quod est Iesus Christus. Id necesse est ita teneri, ne penitus ignoretur ullus articulus fidei, aut ne contrarium asseveretur. Qui vero contrarium asseverant pertinaciter, haud dubie damnati sunt, iuxta illud: Omnis qui non credit, iam damnatus est.

II. Secunda doctrina: Quando autem fundamentum tenetur, et deinde aliquid erroris accedit, etsi hoc obscurat articulum aliquem fidei, tamen homo potest salvari, ut ibi dicitur 1. Corinth. 3.: Alius superaedificat stipulas, salvabitur, sic tamen quasi per ignem.

Sed talis homo debet esse docilis, et quando Deus patefacit errores, sicut Deus subinde instaurat Ecclesiam et repurgat doctrinam, non debet pertinaciter adversari. Quia isti errores etiamsi videntur esse de rebus parvis, tamen sunt magni, et obscurant semper aliquos articulos fidei, et impediunt fidem et veros cultus Dei. Et Deus est hostis mendacii, non vult nos defendere mendacia, sicut scriptum est: Abominatio coram Deo mendacium, Proverb. 12.: Imo quando accedit pertinacia tanta, ut corrigi nolit, tunc fit blasphemia et peccatum in Spiritum sanctum, quia tales scientes resistunt veritati etc.

Haec dixi, ut sciatis veram doctrinam etiam de his traditionibus, ut de cibis, vestitu, et similibus retinendam esse. Uti potes carne vel piscibus, sed tamen hoc scias, tale opus non esse cultum Dei. Item non mereri remissionem peccatorum. Item, non esse res necessarias, et posse omitti extra casum scandali.

Nunc venio ad alteram partem concionis.

Primum dicit: Cibis non coinquinari hominem, id est, non esse peccata coram Deo, vesci rebus a Deo ordinatis.

I. Hanc doctrinam sciamus, ne conscientiae illaqueentur.

II. Item, ut sciamus cultus Dei esse, non discrimina ciborum aut vestium, aut ullas traditiones humanas, sed tantum opera a Deo mandata, iuxta regulam hic traditam: Frustra colunt me mandatis hominum. Item Psalm. 119.: Lucerna pedibus meis etc.

Secundo dicit: Ex corde exeunt pravae cogitationes.

Hic docet, quis sit fons peccatorum, scilicet, inobedientia in corde contra Deum.

Et primo nominat cogitationes malas, quod intelligatur de omnibus praeceptis, praecipue de primo, scilicet de Epicureis opinionibus, contemtu Dei, et securitate carnali, dubitationibus, et multis falsis opinionibus, quae subinde turbant fidem et timorem et spem. Item, intelligatur de omnibus vitiosis adfectibus. Et testatur hic locus, peccata esse non tantum externa facta, sed etiam morbos interiores.

Tenenda est doctrina de his morbis, quod oporteat resistere pravis adfectibus, ne opere compleantur, et simul petere, ut propter Mediatorem haec mala nobis condonentur, sicut docet doctrina ad Rom. 7. 8.:

Et egressus inde Iesus secessit in partes Tyri etc.

De Cananaea.

In hac historia tres continentur doctrinae.

I. De miraculis.
II. De tentationibus, quae obstrepunt precanti.
III. De fide et praecipuo cultu.

I. De miraculis.

Primum hic generalis doctrina repetenda est, quod miracula sint testimonia, hunc doctorem vere missum esse a Deo. Item, quod hic doctor sit Dominus et promissus salvator, qualem se praedicat, destruens opera Diaboli, peccatum, tyrannidem Diaboli et mortem.

Peculiaris imago hic proponitur. Nusquam adeo duriter praeterit, aut reiicit preces, ortas ex vero et magno dolore, ut hic. Et duo obiiciuntur, primum, quod non sit ex Israël; secundo, quod sit indigna, ut canis. Ex his tentationibus ipsa tamen eluctatur, et tandem fide impetrat, quod petit. Hic igitur discamus, singulorum animos oppugnari similibus tentationibus, nec propterea fidem abiiciendam esse, sed potius erigendam inter hos fluctus.

Sunt autem duae praecipuae tentationes, altera de indignitate, altera de electione. Prior ex lege oritur. Semper enim clamitat lex in conscientiis nostris, Deum respicere, exaudire, salvare dignos, iustos, nos vero iniustos, indignos, pollutos et abiectos esse, sicut canes. Huic tentationi debet opponi Evangelium de gratuita iustificatione, et de exclusiva, gratis, et colligi testimonia, quae ostendunt, indignos et iniustos recipi. Gratis iustificamur fide. Item: Beati quorum remissae sunt iniquitates. Item: Tibi sum tantum peccator. Item, hoc loco conferri debent peccatum et gratia, sicut Paulus confert: Gratia exuberat supra peccatum. Pluris fiat filius Dei et sacrificium filii Dei, quam nostrum peccatum, ut statuamus nobis ignosci, remitti peccatum, et incipiamus obedire Deo. Hae sunt firmae et verae consolationes contra tentationem de indignitate.

Altera concurrit de electione. Quia homines, cum vident reiici multos benemeritos, ut Saulem, Augustum, Ciceronem, et recipi longe deteriores, ut Magdalenam, latronem in cruce, disputant de particularitate, videlicet, Deum habere quendam catalogum eorum, quos velit salvos facere, caeteros vero negligi, sicut canes. Ita tribuunt Deo inaequalitatem, quod re ipsa est accusare eum tyrannidis. Haec est durissima tentatio.

Sed huic tentationi opponenda est doctrina, quod promissiones sunt universales. Et diligenter universales colligendae sunt, ut: Omnis qui credit in filium non pereat. Item: Venite ad me omnes. Item, Rom. 10.: Deus est idem omnibus, dives in omnes invocantes se. Huc adiungatur mandatum immutabile, et quod longe positum est, supra omnes leges, videlicet, quod praecipit, ut omnes credant filio Dei, et huic mandato necesse est omnes obtemperare. Nec nos quaerere, aut scrutari voluntatem Dei debemus, seposito hoc mandato, et reiectis promissionibus. Et cum Christus dicat: Ego sum via, veritas et vita. Item: Qui vidēt me, videt et patrem: voluntas Dei necessario quaerenda est in filio nobis donato, et Evangelio, quod filius Dei ex sinu Patris protulit.

Has consolationes meminerimus, ut habeamus firmas refutationes illarum tentationum, quae plurimorum animos exercent, et quotidie in invocatione proferamus has consolationes. Nam si

inspexeris animum tuum, videbis te his duabus tentationibus impediri, ne invoces, quia cogitas te indignum esse. Item cogitas Deum suos quosdam elegisse, te vero negligi. Et accedunt huc humana argumenta, quia non sumus pares Abrahae, Eliae, Elisaeo, Danieli, et similibus, sumus imbecilles, sine magnis donis, sine autoritate, ideo negligi nos iudicamus, et desperatione quadam omittimus invocationem.

Sed hic debemus intueri animis doctrinam Evangelii, quae praecipit de fide, sicut iam dictum est. Debemus etiam intueri hanc Cananaeam magistram, quae refutata indignitate, et particularitate, ratiocinatur, promissiones non tantum ad Israël pertinere, sed etiam ad gentes. Canes, inquit, edunt de micis. Ita excitata fide invocare Deum in agnitione filii eius debemus. Et haec fides ac invocatio in his qui agunt poenitentiam, est summus cultus Dei, et praecipuus Ecclesiae, sicut hic dicitur: O mulier magna est fides tua. Et hanc non esse irritam, sed impetrare bona, haec ipsa vox testatur: Fiat tibi sicut vis. Iuxta illud: Petite et accipietis.

Proponitur ergo nobis in hoc Evangelio exemplum fidei, eluctantis ex gravissimis tentationibus, et bona impetrantis, ut nos quoque discamus vincere diffidentiam, excitare fidem et invocationem. Nec habemus minores causas, quam haec Cananaea, quae laborat de filia sua, sic et nos de nostris necessitatibus et de publicis.

Sequitur in textu historia
de quatuor millibus auditorum Christi, saturatorum septem panibus.

In hac historia haec consideranda et discenda sunt.

I. Discrimen inter promissiones de rebus aeternis, et de rebus praesentibus seu corporalibus.

II. Quod semper promissioni corporali addenda sit doctrina de cruce, cui subiecta est Ecclesia propter causas, quae alibi recitatae sunt.

III. Cur sint traditae promissiones de rebus praesentibus, nempe:

I. Ut statuamus haec bona non obiici casu, nec parari tantum industria humana, sed credamus Dei beneficia esse.

II. Causa, cum Deus velit in hac vita semper aliquam esse suam Ecclesiam, opus est corpori victu, hospitio, defensione, politiis, pace aliqua, ut educari soboles, et coli studia possint. Ideo et addidit has promissiones, et haec beneficia praestat Deus, sed mirabiliter. Etsi enim grassatur semper Diabolus adversus Ecclesiam, et sunt assidui tumultus in mundo, quibus humani generis peccata assidua horribiliter puniuntur: tamen inter hos tumultus servat Deus Ecclesiam suam, ut stantem populum Israël in mari rubro servabat. Et manet corpus, etiamsi aliqua membra trucidentur, ut manet Davidis exercitus, etiamsi aliqui milites praeliantes interficiuntur.

III. Tertia causa est, cur hae promissiones traditae sunt, ut sint exercitia fidei et invocationis. Vult Deus se agnosci per invocationem. Ideo multa proposuit, quae nos de invocatione admoneant. Vult nos ad se confugere, etiam cum a tota rerum natura deserti et proiecti videmur, sicut David inquit: Pater et mater dereliquit me, Dominus autem suscepit me.

IIII. Quo ordine petendae sint. Hoc docet dictum Matth. 6.: Quaerite primum regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Sed addatur labor honestus et cuique conveniens iuxta vocationem.

V. Quomodo fides exercenda sit in petitione corporalium bonorum.

Primum sciendum est, semper petitioni corporalium oportere praelucere fidem, qua credimus nos propter Christum recipi et exaudiri. Imo ut haec fides in nobis accendatur et crescat, ideo tam variae externae occasiones, pericula, afflictiones propositae sunt. Sciamus ergo primam et summam promissionem de Mediatore, et de reconciliatione, semper simul complectendam esse. Quotidie igitur cum ad mensam recitas haec verba: Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quia mox obstrepit infirmitas nostra: Deus te indignum non exaudit, te non vult defensum aut alitum: hic intuenda est promissio de Christo, et addenda fides, quod propter Mediatorem recipiamur et exaudiamur. Ideo mox sequitur: Et remitte nobis debita nostra.

Postea fides illa tria cogitet, quae supra recensui: Deum velle a se peti bona corporis. Primum, ut credamus ea dari divinitus, non putemus obiici casu. Secundo: Quia vult servari Ecclesiam in hac vita, dat victum, defensionem, hospitia mirabiliter etc. Tertio vult agnosci et coli Deus hac invocatione, ideo multas res proposuit, quas peti vult. Vult et confirmari fidem

petitione corporalium, cum experientia ostendit, non fuisse irritam precationem, ut in Psalmo dicitur: Iste pauper clamavit ad Dominum, et Deus exaudivit eum. Postremo, vult etiam Deus gratiarum actione coli propter liberationes, ut dulcissime dicitur 2. Corinth. 1., ubi Paulus iubet multos pro se petere, ut multi agant gratias.

Sed hic obiicit humana imbecillitas: Quid attinet petere, cum sciamus oportere nos affligi? sicut scriptum est: Corpus autem subiectum est morti propter peccatum. Item manifestum est, saepe non liberari ex praesentibus calamitatibus sanctos, ut Ionathan, Maccabaeum. Cum igitur debeamus offerre obedientiam, ut Christus orat, veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat, quid prodest petitio, et quidem cum dubitatione?

Respondeo: Tenenda est regula firmissime, quod Deus mandaverit et postulet invocationem, et quod nunquam sit inanis aut irrita invocatio piorum, etiamsi liberatio differtur, aut non ita respondent eventus, ut nos imaginamur, et non est nostrum, praescribere Deo modum opitulandi, et nos ad obedientiam obligati sumus, sicut Christus inquit: Tua voluntas fiat.

Deinde sciamus semper duo obiecta includenda esse in petitionem corporalium: Universam Ecclesiam, et privatam necessitatem. Petitio pii semper impetrat universae Ecclesiae, et ita fides statuat ratam esse hanc petitionem, et non dubitet, recipi petitionem a Deo pro universa Ecclesia. Privatim vero pro nobis petere debemus cum hac conditione, ut nos ad obedientiam offeramus, sicut se offert Christus.

VI. Applicatio historiae.

Quod Christus pascit auditores suos, ostenditur exemplum promissionis: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Hac fide sequamur Christum, simus fideles in studio et propagatione Evangelii, et in sua quisque vocatione, et exspectemus a filio Dei auxilium, victum et defensionem. Quod vero iubet Apostolos proponere, monet gubernatores Ecclesiae, ut curent eleemosynas dari, et sciant non minui, sed augeri facultates eleemosynis. Tecte et doctrinam significat, hanc proponant doctores, et colligant reliquias, curent propagari veras enarrationes, ne doctrinae lux exstinguatur ad posteros, et hoc studio ipsi doctores fiunt eruditiores.

Caput XVI.

Et accedentes Pharisaei cum Sadducaeis tentantes rogabant eum, ut signum e coelo eis ostenderet, etc.

Primus locus.

De signis, ut supra capite 12., iudicandum potius secundum verbum Dei, traditum, inde usque ab initio in Ecclesia per Patres, Prophetas, Christum et Apostolos, etc.

Cavete a fermento Pharisaeorum.

Secundus locus.

II. Solicitudo de panibus. Principio anni secundi post interfectum Iohannem secessit, ne ab Herode caperetur.

Duae sunt admonitiones.

Una prohibens solicitudinem de victu, et defensione, et deducens nos ad exempla sua. Hic locus testatur, exempla ideo facta esse, ut nobis etiam proposita esse sciamus, ut similes consolationes exspectemus, sicut alias saepe de miraculis diximus, quod sint exempla promissionum. Et hic discamus, quod Deus velit exerceri fidem et invocationem exspectatione corporalium beneficiorum, quae necessaria sunt. Sed regula tenenda, quam saepe repetimus: Primum quaerite regnum Dei, et caetera adiicientur vobis. Primum sit cor fidele et sit conscientia bona. Postea petamus et exspectemus a Deo defensionem et auxilium, et sciamus, quod velit haec peti et exspectari, et quod velit opem ferre.

Sic saepe docet scriptura: Commenda Deo viam tum, et ipse faciet. Iacta curam tuam in Deum, et ipse enutriet te. Tales insignes sententias debetis meminisse, ut cogitatione earum accendatur fides et invocatio, et habeatis consolationem, et corda debent in Deo acquiescere, et spem et exspectationem firmam habere, et scire non esse irritam talem spem et exspectationem.

Secunda admonitio.

De cavendo fermento falsae doctrinae. Quandocunque Deus tradidit veram doctrinam, semper addita est admonitio, ut falsa doctrina prudenter caveatur, quia falsa exstinguit fidem, veram notitiam Dei, veram invocationem, veros cultus, et est causa mortis aeternae, et magnorum

furorum in genere humano. Sicut olim propter falsam doctrinam Ethnici adoraverunt idola, et mactaverunt homines, et multa horribilia fecerunt, tamquam essent cultus optimi.

Sic inter eos, qui dicuntur Christiani, fuerunt et sunt, qui adoraverunt statuas et sanctos mortuos. Item ignari doctrinae fidei ruebant in desperationes. Item multi perierunt propter coelibatum. Item multi perierunt propter Missas et alias tetras superstitiones. Ita semper prava doctrina multa damna praesentia et aeterna adfert. Quare hanc admonitionem saepe repetitam magnifaciamus, et simus firmi et vigilantes, ne recipiantur aut manifesti errores, aut semina errorum, sicut multi conantur rursus plantare errores.

Et nominatim dicit: Cavete a fermento, ubi significat parvam massam, quae tamen postea trahit secum multos alios errores. Ut in cultu sanctorum, si tantum initia rursus reciperentur, sicut iam pinguntur, statim sequeretur tota illorum idololatria.

Et tria genera recitat, Pharisaeorum, Sadducaeorum et Herodianorum fermenta.

De Ecclesiae specie.

Hic iterum discamus, qualis sit saepe species Ecclesiae, et quae interea sit vera Ecclesia. Et discamus quaerere Ecclesiam, non ex titulis, sed iuxta verbum Dei. Haec consolatio valde necessaria est, quia oportet nos scire, an simus membra verae Ecclesiae, et curare, ut in vera Ecclesia Deum invocemus, sicut scriptum est Proverb. 26.: Odi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo, etc.

Est igitur vera Ecclesia, quae recte docet Evangelium, et recte administrat sacramenta. Et non sunt membra Ecclesiae hostes verae doctrinae, sive vocentur Episcopi, sive Sacerdotes, sive Monachi.

Et adfirmat Christus, quod Deus velit habitare in vera Ecclesia, ut scriptum est Iohann. 14.: Veniemus ad eum, et mansionem apud eum faciemus. Ergo laetemur nos esse in vera Ecclesia, sicut tunc in Iudaea erant vera Ecclesia, Maria, Ioseph, Zacharias, Iohannes, Anna, Elisabeth, et multi horum auditores. Et tamen interea regnabant Pharisaei, Sadducaei, Herodes et alii impii.

Hanc doctrinam et consolationem teneamus, ne moveamur titulis et potentia Episcoporum et Papae, qui clamant sese esse Ecclesiam. Et consolemur nos exemplo Sanctorum, qui fuerunt illo tempore, cum regnarent Pharisaei et Sadducaei, etc.

Venit autem Iesus in partes Caesareae Philippi, et interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines filium hominis esse etc.

Locus.

Interfecto Iohanne, Christus secessit in desertum ultra Galilaeam, versus Sidonem, ubi erat ditio Philippi, qui fuit frater Herodis. Hic Philippus instauraverat oppidum Dan, et nominavit Caesaream. In eo deserto proponitur ista quaestio: Quem me dicunt esse homines? Alii Iohannem Baptistam, alii Eliam, alii Ieremiam.

Hic primum considerandum est, unde sit haec opinionum diversitas?

Responsio: Naturalis ratio intelligit utcunque legem Dei. Quare et missos Prophetas cogitat esse magnos viros, missos ad legem instaurandam, et ad politias constituendas aut restituendas.

Sicut Moises missus est ad politiam Israël instaurandam. Deinde Prophetae Samuel, Elias, Elisaeus, Esaias, Ieremias missi sunt, ut aliquantisper essent fulcra, hülffens ein zeitlang halten, wie man ein holtz stellet an ein böse wand, das sie nicht einfalle.

Haec utcunque intelliguntur a ratione, et talem existimabant Iudaei fore Messiam, magnum quidem Prophetam et Regem, sed tantum regni politici amplificatorem etc.

Hos errores taxat Dominus hoc loco. Et docet nos longe aliter sentire de Messia.

Hi articuli sunt longe supra et extra angelorum et hominum naturalem sapientiam.

I. Deus ab initio post lapsum mittit filium ad Ecclesiam, qui est λόγος aeterni patris.

II. Et hic filius profert promissionem ex sinu aeterni Patris.

III. Filius ipse hac promissione vivificat credentes.

IIII. Peccatum remittitur et tollitur propter hunc filium, quem intelligunt adsumturum esse humanam naturam, et fore victimam.

V. Adam et Heva vivificati ex morte, sentiunt se vivere propter hunc venturum Dominum,

et fide exspectant integram liberationem a peccato et morte.

VI. Hic filius assumit humanam naturam, et nisi esset hoc decretum de filio factum, ut adsumeret humanam naturam, funditus tunc fuissent deleti Adam et Heva, et nullus homo natus esset, et hoc opus Dei, scilicet natura humana, fuisset frustra conditum.

VII. Hic Filius fit victima, et semper manet vivificator per Evangelium in Ecclesia, adest Evangelio, et sic est efficax. Sicut dicit Iohannis 10.: Ego vitam aeternam do eis. Item: Nemo novit Patrem, nisi Filius, et cui volet Filius revelare.

VIII. Non satis est de Filio scire, quod sit victima, sed oportet te scire etiam, quod hic Filius sit efficax per verbum, vivificet te et adsit tibi, et det tibi Spiritum sanctum.

Hanc totam doctrinam de Messia ignorant omnes impii homines. Haec est summa huius quaestionis.

Respondet igitur Petrus:

Tu es Christus, filius Dei viventis.

Hic Petrus complectitur totam doctrinam de Christo. De duabus naturis, et de officiis eius.

Nominat eum filium, scilicet ab initio missum ad Ecclesiam, et personam, per quam immediate Pater aeternus edit promissionem. Et scit hunc filium natura esse filium supra omnes angelos. Quia angeli non sciverunt ex sua naturali sapientia hoc arcanum decretum de redemtione. Etiam angeli non possunt tollere peccatum et mortem. Dicit autem promissio: Conteret caput serpentis.

Nominat item Christum seu Messiam. Hoc nomen comprehendit duas naturas, divinam, quae est secunda persona divinitatis ab initio missa ad Ecclesiam.

Alteram humanam ex virgine assumtam.

Haec tota Persona, in qua sunt duae naturae, est Messias, id est, Rex noster, et summus Sacerdos.

Hic in quantum Sacerdos habet haec officia.

I. Praedicat Evangelium.

II. Offert sacrificium pro nobis.

III. Semper pro nobis orat, in passione, et postea, imo ab initio post lapsum, iuxta dictum Psalm. 2.: Postula a me etc.

IIII. Item habet officium benedicendi, et benedicit non solum annuntiando remissionem peccatorum, sed etiam, quia re ipsa tollit peccatum, et mortem, et reddit vitam, cum sit λόγος aeterni Patris vivificus.

Est Rex.

Quia liberat nos a peccato, morte, Diabolis, destruit regnum Diaboli, et reddit nobis iustitiam et vitam aeternam.

Talis Rex est, restituens aeternum regnum, non politicum, sed ita, ut certo tempore fiat victima, sicut Propheta inquit: Quia animam suam ponet pro peccato, videbit semen longaevum. Haec omnia complectitur confessio Petri.

Textus.

Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. Tibi dico: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam. Et portae inferorum non praevalebunt adversus eam. Et dabo tibi claves regni coelorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum in coelis. Et quodcunque solveris, erit solutum in coelis.

Post recitatam confessionem sequitur doctrina de Ecclesia. Et sequens pars continet quatuor praecipuos articulos.

Primus est, quod Ecclesia non colligatur humana sapientia et viribus humanis, sed quod viva membra Ecclesiae nascantur, Patre revelante verbum, et corda trahente ad credendum et confirmante.

Secundus est, de ministerio, quod velit Deus esse ministerium confessionis in Ecclesia, et discernit doctrinam Ecclesiae propriam ab omnibus sectis.

Tertius, promissio et consolatio est de perpetuitate Ecclesiae, quod non possit deleri, et quod sit duratura post hanc vitam in tota aeternitate.

Quartus de clavibus, de expressa annuntiatione remissionis peccatorum, quae tunc erat ignota Pharisaeis. Et in ministerio legis non fuit mandatum de expressa remissione.

De his quatuor materiis, etiamsi sunt amplissimae, tamen breviter dicam, ut meminisse

has summas facilius possitis. Et saepe hic textus pro communi consolatione cogitandus est.

Primum autem mementote definitionem Ecclesiae visibilis, ut saepe auditis, quia ad hanc definitionem pertinebit hic textus.

Ecclesia visibilis est coetus visibilis hominum amplectentium incorruptam Evangelii doctrinam, et utentium sacramentis iuxta institutionem Christi, in quo coetu filius Dei ipse multos regenerat per Evangelium, et sunt tamen in eodem coetu multi non sancti, sed tamen de doctrina consentientes.

De tali Ecclesia cogitate cum recitatis articulum fidei: Credo esse Ecclesiam Catholicam. Et scitote, quod Deus servat inter homines talem Ecclesiam, quae alias maior alias minor est, alias magis alias minus pura,

Et cogitate, singulos homines, qui volunt fieri salvi, oportere esse in hac Ecclesia, et recte dictum est: Extra Ecclesiam non est salus. Unusquisque, ubicunque est, etiamsi est in Turcia in carcere, debet se ad veram Ecclesiam adiungere confessione et voluntate, quod velit veram Ecclesiam non deleri, velit ei bene esse, et cum potest, debet ostendere, usu sacramentorum et aliis officiis, quod illam Ecclesiam approbet.

Haec bene consideranda sunt contra errores, et multos malos homines, qui currunt per mundum, et nullius Ecclesiae cives esse volunt. Nunc venio ad illos quatuor articulos, quos proposui.

De primo articulo.

Principalia et viva membra in Ecclesia sunt renati per filium Dei voce Evangelii. Hic sciamus, quod ideo initio sit edita promissio, et quod filius ipse sit efficax per promissionem, et verba hic ad Petrum dicta: Beatus es Simon Bar Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus coelestis. Haec verba optime intelligentur, si intueris Adam et Hevam. Caro et sanguis non revelarunt eis promissionem de mediatore. Imo caro et sanguis ignorabant eam, et erant in media morte. Sed filius protulit vocem, et simul fuit efficax in cordibus eorum, vivificavit eos, et extraxit eos ex inferno, et sic inchoata est Ecclesia, et eodem modo filius Dei semper fuit, est et erit efficax in Ecclesia sua. Ipse est caput perficiens omnia in omnibus. Et facit hoc divina potentia, ideo hic dicit: Pater vester coelestis revelavit, scilicet per filium. Et per filium dat Spiritum sanctum ad confirmanda corda.

De secundo articulo.

Ut sit filius efficax per Evangelium, oportet esse ministerium Evangelii, de quo dicit: Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam.

Hic damnandi sunt Papa, Anabaptistae, Stenckefeld, et multi fanatici Spiritus. Papa delet promissionem gratiae, et totum ministerium Evangelii vertit in politicum imperium, dicit se esse Petrum, et sic declarat, quod sit rex, et possit condere leges, quarum observatio faciat Ecclesiam, et interea est idololatra et blasphemus, delet promissionem Evangelii, et fingit idola, iubet invocare mortuos, et adorare panem, quem circumgestat etc. In summa Papa facit Ethnicum regnum.

Anabaptistae et Stenkefeld reiiciunt externum ministerium, et iubent homines quaerere alias illuminationes et phantasias.

Haec est sententia: Tu es Petrus, scilicet sic confitens, et aliis praedicans promissionem et tuam confessionem de Messia. Hic minister praedicans est Petrus, id est, rupes, super quam aedificatur Ecclesia, ut Ephes. 1. dicitur: Ecclesia est fundata super fundamentum, videlicet super Prophetas et Apostolos, sed ita, ut lapis angularis sit ipse Christus, sicut et ad Corinthios dicitur: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id, quod est Christus Iesus. Sed hunc per vocem Prophetarum et Apostolorum praedicari oportet.

Ita hoc dictum de aedificio Ecclesiae simplicissime intelligatur de vero ministerio. Non est Ecclesia, ubi non est verum ministerium. Nec ibi Petrus est, ubi non sonat promissio gratiae, et ubi confirmantur idola. Manifestum est autem in Papae Synagoga non esse verum ministerium, non esse vocem Evangelii, et ibi manifeste per gladium et saevitiam confirmari idola, sicut in regno Ethnico.

Quare dictum: Tu es Petrus, certissimum est loqui de vero ministerio, et magna consolatio est, quod monstrat visibilem Ecclesiam, scilicet, quae habet verum ministerium, et adfirmat, quod filius Dei velit esse efficax per ministrorum vocem, per Petrum, Paulum, Iohannem, pastorem tuum, et sic de aliis, sicut dicitur: Evange-

lium est potentia Dei ad salutem omni credenti, Rom. 1.

Haec consolatio sit grata, ut sciamus, ubi sit Ecclesia, et quomodo colligatur, et quod filius Dei sit efficax per vocem ministrorum.

De tertio articulo.

Tertius articulus est promissio et consolatio de perpetuitate Ecclesiae, et portae inferorum non praevalebunt adversus eam.

Hanc promissionem et consolationem quotidie cogitemus in recitatione Symboli: Credo esse Catholicam.

Quare autem Deus nominatim hunc articulum in Symbolo tradidit? Quia in tanta confusione generis humani, cum ubique multi mali sint, ratio cogitat, nullos homines singulariter curae esse Deo. Item, cum Ecclesia praecipue sit afflicta, minus cogitat illam miseram congregationem curae esse Deo, quam alios homines florentes.

Ut autem sciamus esse certam congregationem, quam Deus diligit, et in qua habitat, et vult eam exaudire, protegere et salvare, tradidit has promissiones, quod sit semper aliqua Ecclesia, et vult nos hoc profiteri in Symbolo, ut nos de promissionibus divinis commonefaciamus, et non cogitemus nos a Deo abiectos esse. Sed hic rursus sciri oportet, quae et ubi sit, ut supra dictum est, scilicet, quae aedificata est supra Christum, quae sonat vocem Evangelii, et non defendit idola et blasphemias. Circumspice, et quaere, ubi sit Ecclesia, et te ei adiungito, invocatione, confessione, et dilectione. Haec praecipiunt Psalmi.

Psalm. 27. Unum hoc petii a Domino, ut habitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae.

Psalm. 92. Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.

Multi nunc vagantur errones, qui nullius Ecclesiae cives sunt. Hoc non faciamus, sed discamus nosse veram Ecclesiam, et ei nos adiungamus.

Et simul cogitemus consolationes verae Ecclesiae traditas. Quanquam sustines magnas persecutiones, tamen filius Dei non sinet eam deleri, sicut vidistis, Hispani et Episcopi, et Monachi voluissent totum hunc locum deleri, et nos omnes interfici, Deus tamen protexit nos.

Ita dicitur de externo ministerio, Esaiae 51.: Posui verbum meum in ore tuo, et umbra manus meae protexi te, ut plantes coelos.

Cogitate quanta consolatio sit, cum cogitas te esse membrum Ecclesiae, et Ecclesiam certo defendi a filio Dei, sicut defenditur in mari rubro, in fornace Babylonica etc. Semper sic defenditur Ecclesia, etiamsi non videmus oculis corporum, vel pericula vel protectionem.

De perpetuitate Ecclesiae loquitur et hoc dictum, Esaiae 59.: Hoc est foedus meum, Spiritus meus, qui est in te, et verba mea, quae posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps et in sempiternum.

Hanc consolationem meminisse debemus, et simul hinc discere, quae et ubi sit vera Ecclesia, videlicet, ubi sonat hoc verbum, de quo dicitur: Verba mea quae posui in ore tuo.

Et in eadem Ecclesia est Spiritus sanctus, de quo hic dicit: Spiritus meus, qui est in te. Item: Nemo rapiet eas ex manibus meis.

Tales sententias meminisse et saepe cogitare debetis.

Quartus articulus
de clavibus.

Duo sunt vocabula usitata scripturae, gladius et claves.

Gladius significat potestatem politicam, quae debet tueri disciplinam et pacem vi corporali. Et est vocabulum terribile gladius, quia regimina politica sunt terribilia. Videte quantum sit bellorum et suppliciorum etc.

Claves significant oeconomiam, Hausregiment. Et cum Christus regimen Ecclesiae nominat claves, vult Ecclesiae regimen simile esse non gladio, sed oeconomiae.

Honesta materfamilias gerens claves, aperit cellas, et profert cibum et potum, et deinde rursus claudit, id est, est fidelis custos, ne fures corrumpant cibos, etc.

Sic Ecclesia profert doctrinam et custodit. Et claves aperiunt et claudunt, id est, solvunt peccatores, qui convertuntur, et ligant peccatores, qui non convertuntur. Haec simplex enarratio congruit ad ministerium Evangelii.

Sed Papa impie depravavit hanc significationem clavium.

Facit claves, gladium.

Item dicit, claves esse potestatem condendi novas leges.

Contra haec tyrannica figmenta teneamus veram distinctionem, quid sit potestas politica, et quid sit pastor Ecclesiae, seu minister Evangelii.

Potestas politica est potestas a Deo ordinata ad defensionem disciplinae et pacis, puniens vi corporali.

Weltliche gewalt ist ein Göttlicher befehl, eusserliche gerechtigkeit, zucht vnd fried zu erhalten, leib vnd gut zu schützen, vnd gegen den vngehorsam leibliche straff zu vben.

Et qualia habeat officia, et quas metas, hoc potest ex hoc dicto intelligi: Potestas est custos legis, scilicet primae et secundae tabulae in externa disciplina. Contra hanc regulam, scilicet contra Decalogum, non debent aliquid praecipere vel statuere vel agere. Non defendant idola, non condant Interim, non interficiant homines iniuste, non rapiant ex facultatibus subditorum, quantum ipsi volunt. Non moveant iniusta bella etc. Sed regula gubernationis sit Decalogus.

Sed pastor Ecclesiae vel minister Evangelii est minister ordinatus a Deo ad docendum Evangelium, ad administrationem sacramentorum, ad annuntiandam remissionem peccatorum, puniens non vi corporali, sed verbo, nec novos cultus instituens, nec novas leges condens, nec sumens sibi potestatem dandi aut adimendi regna mundi. Et sciendum est, quod Deus adsit praedicationi Evangelii, et per eam sit efficax. Ideo Christus inquit, Lucae 22.: Reges gentium dominantur, vos autem non sic.

Item Iohann. 18.: Regnum meum non est de hoc mundo. Item, Ioh. 20.: Sicut Pater misit me, sic ego mitto vos. Item, Lucae ultimo: Ite praedicate poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo.

Haec discrimina recte discite, et discite suum honorem utrique officio tribuere, gladio et clavibus. Et in primis hoc mementote, quod per Evangelium Deus certo sit efficax in credentibus et invocantibus ipsum.

Tunc praecepit eis, ut nemini dicerent, quod ipse esset Iesus Christus. Et ex tempore coepit Iesus indicare discipulis suis, quod oporteret eum ire Ierosolymam, et multa pati a senioribus et principibus. Et assumens eum Petrus coepit increpare illum, etc.

Prior pars est de infirmitate Ecclesiae; secunda pars de cruce.

De prima. Quare Christus prohibet spargi famam, quod sit Messias? Respondeo. Textus simpliciter hoc vult, quod prohibuerit indicari suam personam, videlicet ne caperetur. Sed si voluit hoc quoque, ne spargeretur fama quod esset Messias, fecit hoc ideo, quia tolerat in Ecclesia ad tempus multas ignorantias. Hoc necesse fuit sciri, quod propter Messiam habeant homines reconciliationem. Sed de sua persona adhuc tolerat ignorantiam in multis, qui alioqui fuissent offensi hac specie humili. Sed post resurrectionem voluit expresse omnibus praedicari etiam de sua persona, se Messiam esse, etc.

De secunda parte.

De cruce.

Dominus ipse praedicit passionem propter has tres causas.

I. Ut discipuli praemoniti non deficiant, cum videbunt eum pati.

II. Ut sciant eum praescientem et volentem pati.

III. Ut sciant regnum Christi non fore mundanum imperium. Imo discant, oportere etiam membra pati.

Hic consideretur infirmitas Ecclesiae. In Petro est ignorantia, et hanc suam magnam stultitiam putat esse magnam sapientiam. Monet Dominum, ne patiatur.

In hoc exemplo vides, esse in Ecclesia etiam in sanctis errores et ignorantiam, sed peccata condonantur credentibus, qui sunt dociles.

Sunt autem ignorantes duplices.

Alii dociles, hi vocantur infirmi, et cum sinunt se doceri et proficiunt, tunc placent Deo, et tegitur eorum infirmitas a Christo, propter fidem, sicut Petri et aliorum Apostolorum infirmitas tegebatur.

Alii sunt pertinaciores et indociles, qui fiunt deteriores admoniti. Hi non sunt infirmi tantum, sed sunt sine fide, et fiunt hostes Evangelii, et cum eis damnantur, ut Paulus Rom. 11. de pertinacibus dicit: Obscurentur oculi eorum, ne videant, et dorsum eorum semper incurva. Petrus

autem hic duriter reprehensus, tamen non deficit a Domino, sed manet docilis, et proficit.

Nunc sequitur doctrina de cruce.

Si quis vult me sequi, abneget se ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

Haec erat Apostolis insuavis concio, quia ipsi exspectabant pulcerrimum regnum, in quo homines honestissime victuri essent, et simul habituri pacem et omnia necessaria. Et sic nos omnes appetimus talem statum, et quando Evangelium praedicatur, speramus talem statum venturum esse, quia somniamus plurimos homines Evangelium amplexuros esse, et mores fore congruentes Evangelio.

Ut autem Apostolis fuit eximendus error de illo imperio mundi, sic nos necesse est commonefieri, et doceri, quod Evangelium non constituat tale pulcrum et dulce imperium. Sed colligat passim in turbulentissimis imperiis, membra Ecclesiae, quae amplectuntur doctrinam, et recte Deum invocant, et se coniungunt in suis congregationibus, audiunt Evangelium, utuntur sacramentis, emendant suos mores, in confessione et patiuntur, et simul multas aerumnas sustinent, quia Ecclesia magis onerata est, quam reliqua pars mundi.

Talem esse Ecclesiam nos scire oportet, quia necesse est sciri, quae sit Ecclesia Dei, et necesse est, ut nos ipsi statuamus, nos etiam membra esse Ecclesiae Dei, et adiungamus nos ad nostrum coetum, et velimus in Ecclesia esse.

Valde autem moventur animi hac specie deformi, quod Ecclesia non habet certum aliquod unum imperium, et quod passim dissipata est, est in servitute et in aliis magnis aerumnis, sicut sub Turcis, sub regibus, sub malis principibus etc.

Sed contra hanc tentationem tenenda est haec consolatio, quod oporteat Ecclesiam pati. Item, quod Deus velit eam postea glorificare in vita aeterna.

Qui perdit animam suam propter me, inveniet eam. Veniet filius hominis.

Hic dicit de alio regno, in quo glorificabitur Ecclesia. Puto simplicissime de resurrectione Christi intelligi, quod ait: Non gustabunt mortem, donec viderint filium hominis venire in regno suo, scilicet tunc, quando resurget Christus ex morte, et ostendet, et mittet Spiritum sanctum. Haec enim initia sunt illius novi regni.

Caput XVII.

Et post dies sex assumsit Iesus Petrum et Iacobum et Iohannem fratrem eius, et duxit illos in montem excelsum.

De revelatione facta in monte, ubi pater dedit testimonium de filio, et mandatum addidit: Hunc audite.

In hac historia continetur amplissima doctrina, sed volumus praecipua membra complecti, et faciam tres locos, seu tres articulos.

Primus, quare Deus ediderit subinde manifesta de se testimonia, per singulares patefactiones.

Secundus, in hac patefactione docet, quis sit hic Iesus, quem Apostoli vident iam in lumine coelesti.

Tertius, mandatum de audiendo hoc filio.

De primo articulo.

Quare testimonia edita sunt?

Etsi tota creatura testimonium est, quod sit Deus, et ratio humana habet naturalem notitiam quandam de Deo: tamen haec tantum est Legis notitia. Voluit autem Deus edere promissionem Evangelii, quae fuit ignota omnibus creaturis. Ideo fuit opus singulari patefactione et testimoniis.

II. Praeterea ratio humana ignorat filium Dei, et sine singulari revelatione et certis testimoniis nihil de eo sciret, nec fateretur Deum habere filium, et aberraret a vero Deo.

III. Praeterea levitas rationis humanae finxit sibi Deos alibi alios.

Ideo Deus immensa misericordia se toties patefecit, et addidit certa testimonia, ut eductionem ex Aegypto, resuscitationes mortuorum, et alia miracula, et vult agnosci verum Deum, et vult eum discerni ab omnibus aliis ficticiis diis. Vult etiam agnosci Filium et Spiritum sanctum, vult sciri promissionem.

Haec saepe cogitanda sunt in ipsa invocatione. Et quoties invocas, cogita quem Deum invoces, quis sit, et quomodo, et ubi se patefecerit, et quomodo velit invocari, in agnitione et fiducia filii.

Et saepe alias dictum est: Quando incipis tuam precationem, cogita vel patefactionem factam in baptismo Christi, vel factam in monte, iuxta hanc historiam, de qua iam dico, et exsuscita te ad has cogitationes: Discerno meam invocationem ab invocatione Ethnica, credo non esse irritos nostros gemitus et vota. Credo me exaudiri propter filium, quia ideo sunt factae patefactiones, ut sciamus, quis sit verus Deus, et quare exaudiat.

Hic usus harum historiarum commonefacit nos, quare hae mirandae res factae sint, et sciamus factas esse, non tantum propter tunc praesentes, sed universa Ecclesia cogitet se spectatorem esse. Tu ipse haec cogitans, stas ad Iordanem, vel stas in hoc monte, et oculis et auribus et mente accipis haec manifesta testimonia.

Sic ad usum nostrum transferantur patefactiones omnes, et haec doctrina utilis et necessaria est, et valde confirmat fidem in cordibus, et seiungit nos ab Ethnicis et aliis impiis. Saepe etiam gratias agimus Deo, quod immensa misericordia se sic patefecerit, et quod filium miserit, quod promissiones dederit, etc.

Haec doctrina de his exercitiis videtur esse parvi momenti, sed profecto est saluberrima, et maxime assuefaciendi sunt pii ad haec exercitia, in quibus et ipsi utilitatem experientur, sentient fidem accendi et confirmari, et vere pasci corda. Qualis etiam ingratitudo est, cum Deus toties prodierit, et tanta misericordia renovaverit Ecclesiam, et res mirandas fecerit, nolle eas cogitare, aut imaginari, nihil eas pertinere ad nos? Absit a nobis haec turpis ingratitudo.

Quotidie una pars precationum esse debebat, dicere: Ago tibi gratias vere Deus, omnipotens, aeterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor coeli et terrae, et hominum et Ecclesiae tuae, una cum filio tuo Domino nostro Iesu Christo, et Spiritu sancto, quod te immensa misericordia toties patefecisti, et vis agnosci a nobis, et vis nos in vera agnitione tui tibi copulatos esse, et misisti filium, et donas nos Spiritu sancto tuo, ut vera tui agnitio in nobis accendatur. Oro te propter filium, accende corda nostra Spiritu sancto tuo, ut te vere agnoscamus, vere invocemus, tibi vere obediamus, tibi gratias agamus.

Talia vel similia verba saepe apud nos repetenda erant, quando surgimus, quando imus cubitum, quando accedimus ad operas. Sed nimis magna profanitas nunc est, non adsuefaciunt se homines ad precationem, ideo poenae mundi non mitigantur. Hortor autem vos ad tales meditationes et precationes. Dictum est de primo articulo, quare sint factae patefactiones.

De secundo articulo.

Doctrina de Iesu, quis sit.

In omni patefactione proponitur aliqua doctrina, vel promissio, vel consolatio, sicut in Sinai proponitur Lex. In colloquio cum Abraham traditur promissio: In semine tuo benedicentur omnes gentes. Consideremus igitur, quid fiat in hac patefactione. Doctrina de filio confirmatur, et postea additur mandatum de audiendo filio.

Cogites igitur hoc colloquium Dei, Filii, Moisis, Eliae, esse synodum praecipuam, in qua de summa doctrinae Evangelii tales personae colloquuntur, audientibus et spectantibus omnibus Angelis, et aliquibus Apostolis, quos voluit Deus esse nuntios et testes de hoc colloquio.

Discamus igitur hic articulum tradi, de filio Dei. Affirmat Deus ipse, hunc Iesum natum ex Maria virgine, esse Messiam promissum, et esse filium aeterni Patris, de quo locutae sint promissiones et Prophetae. Hanc doctrinam teneamus, et in hac synodo repetitam esse sciamus.

Discamus autem hic totum articulum de filio Dei, quod in Christo sint duae naturae, quod sit factus pro nobis victima, quod Deus mirabili consilio sic et non aliter, voluerit iustitiae suae satisfieri, et placari iram, et quod certo propter hunc filium recipiamur, et quod fide oporteat accipi eius beneficia, etc.

Sunt autem dulcissima verba: Hic est filius meus dilectus, an welchem ich herzliche freud vnd wonne habe. Testatur hunc filium diligi a se, ut sciamus et eius membra diligi, sicut Paulus inquit ad Ephes. 1.: Dilexit nos in Christo dilecto, etc.

Tertius articulus continet mandatum:

Hunc audite.

Haec est vox saepe repetita in Prophetis, Deut. 18.: Suscitabo tibi in medio fratrum tuorum etc. qui non audierit illum, Ego ultor ero. Item Psalm. 2.: Ego constitui regem meum super montem Sion, praedicare praeceptum etc. Oscu-

lamini filium. Item, Esaiae 16.: Ad annuntiandum misit me etc.

Hae et similes prophetiae omnes comprehenduntur in hoc mandato immutablili: Hunc audite.

1. Sciamus ergo necessario discendam esse doctrinam Evangelii, quam tradidit.

2. Sciamus, necessario credendum esse omnibus promissionibus ipsius.

3. Sciamus omnes doctrinas de Deo extra Evangelii doctrinam fugiendas et reiiciendas esse.

4. Sciamus solos illos homines esse Ecclesiam Dei, et membra Ecclesiae Dei, qui amplectuntur hanc de Deo doctrinam.

5. Sciamus nullos homines esse Ecclesiae membra sine hac doctrina, vel pugnantes cum hac doctrina.

6. Sciamus certo nos hanc doctrinam amplectentes, et vera fide inde consolationem petentes, haeredes esse vitae aeternae.

Et has consolationes infigamus animis, ut semper sint in conspectu. Et saepe in nostra invocatione tamquam in hunc montem ascendentes, de hac revelatione cogitemus, ut fides nostra confirmetur, intuens in ipsas patefactiones Dei et earum testimonia, scilicet in eductionem populi ex Aegypto, in resuscitationem mortuorum, et similia miracula. Et hanc doctrinam in quotidiana invocatione exerceamus.

Hic etiam discamus, quid agant Sancti in coelo. Certum est eos, qui sunt in coelo, solicitos esse pro Ecclesia, et pro ea orare, sicut hic Moises et Elias colloquuntur cum filio Dei, de ipsius passione et resurrectione, et de collectione Ecclesiae, sicut Lucas dicit: Colloquebantur de his, quae eventura erant.

Accedentes discipuli timuerunt valde, et accedens Iesus attigit eos.

Propositio.

In hoc exemplo proponitur doctrina saepe repetita in scripturis, scilicet, quod haec humana natura non potest sustinere Dei conspectum, vel Deum loquentem immediate. Quia natura polluta peccato, metuit et fugit iudicem, sicut in monte Sinai populus Israël expavit, et dixit: Non loquatur nobis Dominus, ne moriamur. Et corda singulorum in pavoribus sentiunt, quam sit horribile iudicium, sicut dicitur: Deus ignis consumens est. Item: Sicut leo contrivit omnia ossa mea. Hanc iram Dei homines securi non considerant. Et dolendum est, tantam esse duritiem humani pectoris, ut non afficiatur cura vel cogitatione irae Dei, quae certissima est, et poenae quotidie sunt in conspectu.

Exsuscitemus igitur nos ad considerationem irae Dei ad timorem, cogitatione verbi Dei et poenarum, et certo sciamus, non relinqui peccata impunita. Sicut Iob dicit capite 9.: Verebar in omnibus operibus meis, sciens quod non parcis delinquenti.

Secunda pars.

De Mediatore.

Quia autem magnitudinem irae Dei non potest homo sustinere, ideo intercessit pro nobis Filius Dei, et factus est Mediator, sed tamen ita, ut ipse in sese derivaret praecipuam poenam, et satisfaceret iustitiae Dei. Hoc quia fecit, postea nobis parcitur, quando hunc Filium fide apprehendimus, quando ipse nos contrectat, et dicit: Noli timere.

Sic de hoc tanto beneficio scriptum est in Esaia cap. 53.: Disciplina pacis nostrae super eum, et livore eius sanati sumus.

Item: Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.

Et Esaiae 4. enarratur typus: Sicut in deserto interdiu nubes erat umbraculum tegens populum contra aestum, noctu vero ignis anteibat populum. Ita inquit Esaias, Deum velle Ecclesiae suae dare Messiam, ut sit umbraculum contra aestum. Quando hoc umbraculo tegimur, tunc possumus audire Deum loquentem, quia per hunc audimus simul vocem misericordiae, et iuvamur et donamur Spiritu sancto, sicut Paulus inquit: Spiritus opem fert infirmitati nostrae.

Hae sunt magnae res, quae in Ecclesia notae esse debent. Agnitio iudicii et irae Dei, et rursus mediator et gratia, fide agnoscenda.

Et utrumque in assidua invocatione cogitandum est. Poenae sunt iam in conspectu, vidimus bella, et sustinemus magnas calamitates propter bellum, paupertatem et multas difficultates.

Nunc sequitur turbatio Ecclesiarum. Et post hyemem existimant rursus Hispanicos exercitus et Hussernos in his regionibus fore. Haec omnia sunt horribilia opera irae Dei. Et Ecclesia nullum habet humanum auxilium.

In his tantis periculis sciamus, tamen nos velut umbraculum per filium tegi, et hac spe eum invocemus, et petamus et certo exspectemus auxilium.

Haec doctrina non nisi in cruce et in tali invocatione discitur, in qua fides et spes vera lucent, et petitur et exspectatur auxilium Dei.

Et tantum de hac parte: Nolite timere.

II.

De prohibitione.

Quare prohibet passim narrari hanc visionem, donec facta fuerit resurrectio?

Respondeo. Vult nos Deus ordiri doctrinam a verbo, quod tradidit Ecclesiae suae certis testimoniis, et vult disci necessaria. Non vult nos humana curiositate subinde novas visiones quaerere.

Sed tamen hanc visionem vult praedicari, sed post resurrectionem, quia vult conspici testimonium convincens homines, ne existimaretur haec visio fabulosa esse. Coniungenda sunt miracula, quae dant testimonium patefactionibus divinis. Et cogitatione patefactionum et miraculorum exsuscitanda et confirmanda est fides, et discernenda vera invocatio ab Ethnica et hypocritica, sicut initio dixi, cogitatione huius patefactionis discendum esse, quem Deum invocemus, et quomodo velit invocari.

Et interrogaverunt eum discipuli, dicentes: Quid ergo Scribae dicunt, quod oporteat prius Eliam venire? At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est prius, et restituet omnia. Dico autem vobis: Elias iam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt ei quae voluerunt, etc.

Occasio huius quaestionis haec est.

Malachiae ultimo scriptum est: Ecce mittam vobis Eliam. Hinc persuasio recepta est, quod Elias sua persona ante Messiam venturus esset. Sicut et propter dicta Apocalypsis 11. recepta fuit opinio, Eliam sua persona venturum esse ante novissimum diem.

Sed Christus hic interpretatur Malachiam, et affirmat, illum textum de Iohanne intelligendum esse, qui spiritu Eliae concionatur.

Quid nos ex hac historia discere debemus?

Hanc doctrinam inde sumamus.

Primum, quod Deus immensa misericordia excitet instauratores doctrinae Evangelii, et quidem novissimo tempore velit mittere tales.

Secundo, cum tales mittuntur, Evangelium discamus, et inter magna pericula confiteamur. Quia postremum tempus erit simile tempori Eliae, item tempori Iohannis.

Tempore Eliae regnabant impii reges, et erant multi impii cultus in Israël, et Prophetae pii undique pellebantur.

Sic tempore Iohannis regnabant Pharisaei et Sadducaei, Herodes et Romani, et sancti erant oppressi, et Ecclesia erat exigua.

Hanc speciem intueamur, et conferamus ad praesentem, et nos consolemur. Cum Deus ibi tamen, inter illas maximas catervas impiorum, et sub Pontificibus et Sacerdotibus impiis servaverit reliquias Ecclesiae suae, sciamus nunc quoque servari.

Item confirmemus nos exemplo sanctorum. Sicut sancti tunc dissentire cogebantur a Pharisaeis et Sadducaeis, sic nunc cogimur dissentire.

Postremo hoc exemplum etiam consideretur. Sicut tunc Iudaei sperabant Messiam venturum esse, et regnum mundi constituturum. Et Eliam cogitabant ante Messiam regibus moturum esse tumultus. Sed longe aliter fiebat. Iohannes ab Herode interficitur. Spiritus tamen Eliae non est ignavus, docuit salutaria, et mansit doctrina, quanquam in variis persecutionibus.

Ita fit iam nostro tempore. Non dubium est, quin vox Evangelii sit illa vox Eliae postremi temporis, et processura est, etiamsi mundus adversatur.

De lunatico.

Et cum venisset ad turbas, accessit ad eum homo genibus provolutus ante eum dicens: Domine miserere filio meo, quia lunaticus est, et male patitur.

Haec historia tria continet.

1. Exemplum imbecillitatis fidei in Apostolis.
2. Exemplum infirmae et crescentis fidei in patre.
3. Miraculum ipsum, quod confirmat fidem.

I.

Cum in Sanctis maneat peccatum, agnoscamus hanc nostram miseriam, et simus humiles, in timore.

Et quidem duriter obiurgantur Apostoli. Sciamus ibi et nostram securitatem obiurgari. Rursus etiam teneamus consolationem, etiamsi est in nobis peccatum, tamen hoc peccatum immensa misericordia per Filium tegitur, sicut scriptum est Psalm. 32.: Beati quorum remissae sunt iniquitates, et quorum tecta sunt peccata etc.

Haec doctrina necessaria est de utraque parte, de humilitate et de consolatione, quod fide placeamus.

II.

Exemplum infirmae et crescentis fidei in Patre, docet etiam infirmam fidem non esse irritam, non inefficacem. Et est valde dulcis consolatio et testimonium quod Deo placeat quamquam infirma fides, et quod Deus augeat eam, quod sit efficax et impetret.

Sic Doctor Caspar Cruciger, iam aegrotus saepe orabat: Invoco te o Deus aeterne Pater Domini nostri Iesu Christi, in fide filii tui, quamquam languida et imbecilli fide, sed tamen fide.

III.

Miraculum confirmat fidem. Sic nos quoque credamus, et credentes impetrabimus.

Fides excitatur et confirmatur multipliciter, generaliter et specialiter.

I. Generaliter, quia petens haec bona, agnoscit, ea non casu spargi, sed vere a Deo dari, foveri et servari etiam hanc corporalem vitam, ut in hac vita Ecclesia esse possit, soboles ali et institui et homines regi possint, iuxta dictum:

Deut. 30.: Ipse est vita tua, et longitudo dierum tuorum.

Item Act. 17.: In ipso sumus, vivimus et movemur.

Et confirmatur fides, cum liberatio aut mitigatio calamitatis ostendit praesentiam Dei, iuxta dictum:

Psalm. 34.: Iste pauper clamavit, et Dominus exaudivit eum.

Psalmo 27.: Pater et mater dereliquerunt me, Dominus autem assumsit me.

Psalmo 118.: Castigans castigavit me, et morti non tradidit me.

Item: Non moriar, sed vivam etc.

Thren. 3.: Misericordiae Domini, quod non consumti sumus etc.

II. Deinde specialiter exercetur et confirmatur fides, quia Deus vult haec corporalia bona commonefactiones esse de invocatione, ut simul de promissione gratiae cogitetur. Non enim potest fieri invocatio, nisi praelucente hac fide, quod Deus nos propter Mediatorem gratis recipiat et exaudiat. Simul igitur haec specialis fides de gratia exercetur et confirmatur.

De initiis fidei, et de oratione sobria.

Quare nos non potuimus eiicere?

Hic repetita est doctrina de initiis fidei, et de incrementis.

Primum, ut supra dixi, sciendum est, manere in omnibus sanctis multas et magnas infirmitates, quas aliquo modo agnoscere et deplorare debemus. Sed tamen et consolatio tenenda est, quod fide propter Mediatorem recepti simus, etiamsi valde infirmi sumus, ut Rom. 14. dicitur de infirmis: Deus eum recepit. Et hic Apostoli erant iusti et placebant Deo, et tamen obiurgat eos Dominus propterea, quod languidior erat in eis fides.

Primum igitur sciamus, quod oporteat in nobis initia fidei esse, et quod fide placeamus, et multa possimus impetrare, etiamsi adhuc exigua est fides.

Secundo, sed tamen sciamus, fidem et alias virtutes oportere crescere. Et semper ita fit, homo non manet in uno gradu, sed semper aut crescunt virtutes, aut decrescunt. Universale est, quod decrescunt, quando non exercentur. Sicut omnia corpora sine exercitio fiunt aegra et putrescunt. Sic fides in otio exstinguitur. Econtra vero, quando exercentur corpora, fiunt vivaciora. Sic virtutes exercitiis crescunt. Sicut in parabola de negotiantibus dicitur: Habenti dabitur, et a non habente id quod habet, auferetur. Et Augustinus pulcre dicit: Dilectio meretur augeri dilectionem, quod verum est, quia Dominus fidelem negotiatorem magis magisque ornat.

Ita hic dicit: Si habebis fidem, sicut granum sinapis, Amen dico, etc.

Quare dicit, ut granum sinapis?

Laudat etiam exiguam fidem, sed tamen non ignavam, non otiosam, sed fructificantem, et acrem, der scharff ist, et cito sursum tendentem.

Nam sinapi celerrime fructificat, die quinto postquam satum est, erumpit caulis, et cito late funditur.

II. Item granum est acre et mordax, penetrat et purgat.

III. Item celerrime sursum tendit.

Talis sit fides, quanquam est parva initio, tamen cito fructificet, et quidem sit acris, mordeat nostram securitatem et alia vitia, et purget, item tendat sursum. Incitet nos ad invocationem et ad alia bona opera Deo placentia.

In primis autem hic significatur, ut sit acris fides, et nostram securitatem et ignaviam, item falsas opiniones et pravas cupiditates mordeat et expellat. Apostoli tunc sine cura erant, quia videbant magnam esse gloriam Domini, et sperabant pulcrum regnum, sicut nos diu securi fuimus, habuimus pacem et otium, et interea fuimus magis ignavi, blanditi nobis sumus, quod simus Ecclesia Dei, et viximus minore solicitudine. Multum etiam abusi sumus doctrina libertatis.

Haec vitia tollat nunc in miseriis fides, expellat securitatem, et mordeat corda, ut magis agnoscamus iram Dei contra peccata, et magis timeamus, simus magis soliciti de doctrina, et de gubernatione nostri, et conservatione doctrinae, sit ardentior invocatio, tendat sursum hoc sinapi.

Ecce talem fidem postulat, quae quanquam parva est, tamen non sit ignava et otiosa. Et talis fides multa impetrat et efficit, sicut hic dicitur: Dicetis monti huic: Transferaris.

Quid haec sibi volunt? Significat magna miracula, quae certo fiunt omni tempore Ecclesiae, alias magis alias minus. Deus propter fidem et invocationem Esaiae depellit Sennaherib. Ibi Sennaherib erat magnus mons.

Deus dedit pacem vivente Luthero. Ibi eius fide et invocatione fuerunt repressi montes, id est, principum impetus.

Nunc crescant in nobis fides, et invocatio, ut reprimantur montes, qui Ecclesiae minitantur.

Quomodo crescit fides?

Addit Christus de modo, quomodo crescat fides scilicet, ieiunio et oratione, id est, seria invocatione, quae non potest ardere in crapula et ebrietate, sed oportet esse temperantiam, ut mens sit intenta, et serio petat.

De tali oratione et alibi inquit Christus, Lucae 11.: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus?

Sciant autem homines, saepe impediri Spiritum sanctum voluptatibus, ebrietate et intemperantia, sicut et Ose. 13. dicitur: Saturati sunt, et obliti sunt mei. Item: Fornicatio, vinum et ebrietas auferunt cor.

Non loquitur textus de ieiunio Papistico, quod est luxus potius, quam abstinentia. Sed loquitur de vera temperantia. Interdum precationis causa minus comedatur, ut possis maiore intentione legere, cogitare, et petere necessaria a Deo.

Hoc exercitium fidei intelligere pios necesse est. Et qui non intelligunt, crescere fidem in vera invocatione, nihil de fide sciunt.

Ut autem sit ardentior invocatio, proponat sibi quisque sua et publica mala, et cogitet velle Deum se invocari, et velle nos exaudire, nec inane murmur esse invocationem, sed verissime placere Deo, et Deum propter invocationem multa mitigare, et montes transferre.

De didrachmo.

Et cum venissent Capernaum, accesserunt qui didrachma accipiebant ad Petrum, et dixerunt: Magister vester non solvit didrachma etc.

I. De servitute Ecclesiae.

Imago consideretur. Deus semper servat Ecclesiam, sed imperia saepe mutat. Ac necesse est discere, aliud esse Ecclesiam, aliud imperia. Sicut nunc magna pars Ecclesiae est sub Turcis, magna sub aliis regibus et principibus impiis. Exigua pars habet imperia libera, et praesertim circa finem mundi Ecclesia magis oppressa erit, quam antea, sicut ante adventum Christi populus Iudaicus fuit dura servitute oppressus, ab Herode, et deinde a Romanis.

Et tamen in ipsa servitute Deus hanc moderationem adhibuit: Politica tenebantur a Romanis, et Iudaeis relinquebatur liber usus ceremoniarum et doctrinae. Sed tamen templo magnae pensiones ereptae erant.

Hic igitur discamus, quod Deus curat et servat Ecclesiam, etiamsi habet alias mitiora, alias duriora imperia. Et haec discamus sapienter ferre.

II. Discamus hic doctrinam de didrachmo. Deus constituit Exodi 30. ut singuli, quorum aetas maturuit, solverent quotannis templo duas drachmas argenti, quae faciunt unum quadrantem nostri aurei. Quia Deus voluit, ut singuli iuvarent conservationem ministerii. Et fuit summa tunc, cum Israëlitae nondum dispersi essent, magna. Fuit quotannis circiter quatuor tonnas auri.

Hic discamus, quod sit voluntas Dei, ut singuli inter nos quoque conferant aliquid ad conservationem ministerii Evangelii.

III. Sciendum est, quod Romani hanc pensionem templo eripuerint, et ad suos fiscos transtulerint. Fuit igitur magna quaestio. Cum templi iura defendenda essent, an propter hanc iniuriam movendum esset bellum, et vi recuperandum ius templi? Item, Apostoli cogitabant, se iam habituros esse libertatem, quia Messias venisset, et sperabant hanc occasionem recuperandae libertatis fore, si non solverent Romanis. Et hac de re saepe disputatum esse apparet et alio loco Evangelii, ubi post biennium interrogatur Christus, an liceat Caesari hanc pensionem dare, quae fuerat templi? Haec fuit occasio disputationis, ut dictum est. Movetur ergo hic quaestio de libertate.

IIII. Discamus ergo hic primum breviter quae res proprie et vere sit libertas Ecclesiae donata per filium Dei. An sit libertas in usu facultatum, aut aliarum corporalium rerum principaliter; an vero sit alia multo melior et praestantior liberatio.

Hic breviter respondeo:

Libertas Christiana est principaliter liberatio gratuita de peccato, ab ira Dei, et morte aeterna, propter filium Dei, et per filium Dei, sicut in Iohanne dicitur: Si vos Filius liberaverit, vere liberi eritis. Non propter nostram dignitatem aut merita, sed propter filium Dei recipimur et reputamur iusti, et haeredes vitae aeternae, quanquam indigni.

Haec libertas est magnum bonum, et magna et vera consolatio est hunc gradum nosse. Et quanquam alii gradus libertatis sequuntur, ut postea dicam, tamen hoc bonum, esse liberatum a peccato, ab ira Dei, et e morte aeterna, longe maius est, quam habere aliquam corporalem libertatem in usu carnium aut aliarum rerum corporalium. Haec libertas est retinenda, etiam cum corpora capta sedent inclusa turribus.

Alia est libertas, etiam corpora sanctorum post hanc vitam erunt libera a morte, a morbis, a paupertate, etc. Haec libertas in hac vita nondum nobis exhibita est, sed tamen sumus haeredes horum corporalium bonorum, et habemus ius ad rem, nondum in re. Sicut filius viri divitis vivente patre nondum possidet bona patris, sed tamen habet ius ad ea. Sic Christus hic dicit, filios regni liberos esse etiam a tributo, scilicet, quia sunt filii et haeredes, sed nondum sunt in possessione corporalium bonorum, quae primum possidebunt post hanc vitam.

Interea vero Deus vult Ecclesiam subiectam esse imperiis mundi, et quidem duriter ab imperiis premitur, sicut Daniel capite 7. pingit, Romanam bestiam conculcatricem esse, ut persecutiones assiduae ostenderunt.

Cur autem dicit Christus?

Ne scandalizemus eos.

Respondeo: Christus omittit iam alias causas, quare solvendum sit tributum, et allegat unam de communi pace populi, quasi dicat: Si non solveremus, dicerent nos esse seditiosos, et aliqui nostro exemplo etiam nollent solvere. Hinc orirentur seditiones, de hoc scandalo loquitur, quia certe pastores docere populum debent, ut tolleret servitutem corporalem, et non moveat seditiones. Cum autem confessio flagitatur, singuli suo periculo confiteantur et exspectent crucem, iuxta illud: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item: Qui potestati, Deo resistit.

Ostendit autem Christus, se tamen curare, ne Ecclesiae desit victus. Iubet capi piscem, et in pisce invenitur stater, quod ego intelligo, aureum veterem, qui habuit pondus duorum Hungaricorum aureorum. Quia usitatissime pro aureo communi usi sunt nomine *Stater.* Inde, inquit, solvito.

Summa.

Haec doctrina monet nos, quod Ecclesia sub imperiis saepe duriter oppressa sit, et corporales difficultates tolerandae sint, et non movendae seditiones. Et tamen sciendum est, quod libertas

animae et corporis a Filio Dei nobis donata sit, et libertatem animae accipimus etiam in hac vita. Corpus vero erit liberum a morbis, morte, et omnibus calamitatibus post hanc vitam.

Caput XVIII.

In illo tempore accesserunt discipuli ad Iesum, dicentes: Quis maximus est in regno coelorum?

Hoc caput principaliter loquitur de ministerio Evangelii, et de iurisdictione in Ecclesia, de excommunicatione et remissione peccatorum, ac receptione lapsorum.

Principium, a quo pervenit ad ministerium Evangelii, est reprehensio humanae opinionis de politia Ecclesiae. Apostoli fingunt Ecclesiam fore rempublicam similem regno, aut aliis mundi imperiis, ubi sint futuri gradus potentiae et dignitatis, muniti autoritate, opibus et armis, ut rex, duces, praefecti, et deinde alii gradus. Et hac opinione recepta oriuntur ambitiosa certamina, sicut quidam Papa dixit, plures ad Pontificatum pervenisse, more Romuli, quam more Petri.

Prohibet igitur in prima parte, in Ecclesia fieri imperium tale, quale est Papisticum, ubi summus Episcopus sumit sibi autoritatem, sicut rex, supra leges. Sed vult verbum *Dei* habere summam autoritatem, sive a puero, sive a potentibus recitetur. Et est commendatio communis ministerii omnium recte docentium. Deus vult audiri suam vocem in toto genere humano, sine respectu personarum, sive Episcopus, sive Sacerdos, sive Aedituus doceat. Prohibet igitur omnia certamina ambitionum, et prohibet institui Papatum. Et Christus hanc tristem concionem recitans contra ambitionem et politicas opiniones mundi, vidit mente, quantum mali ambitio omnibus aetatibus attulerit, et allatura sit.

Et advocans Iesus parvulum, statuit eum in medio eorum, et dixit: Amen dico vobis, nisi conversi fueritis, etc.

II. Hic locus perspicuum testimonium est, quod pueri in Ecclesia placeant Deo. Hoc testimonio confirmemus fidem in nobis de nostris infantibus.

Sed ideo adducit puerum, ut doceat discipulos et omnes ministros Evangelii, ut sint sine ambitione, ut pueri. Praecipit etiam populo, ut audiant aequaliter omnes, adferentes verbum Dei. Et sic tollit politicas imaginationes, et testatur, quod in Ecclesia non regnent gradus hominum, ut in imperiis, sed sola vox Evangelii, sive aliquis vocetur Episcopus, sive Sacerdos. Et quod Ecclesia sit ibi, ubi vox Evangelii sonat et recipitur, sive sint ibi nomina dignitatum, sive non sint.

At contra semper Synagoga et Pontifices contenderunt apud se esse Ecclesiam, propter titulos, et ordinariam successionem, ut vocant.

Utilitas.

Discamus ergo:

1) Quid sit Ecclesia?
2) Quod ministerium sit venerandum, et ei obediendum.
3) Consolemur nos contra illos, qui clamant, nos defecisse ab Ecclesia, etc.

Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in Me credunt, expedit ei, ut mola asinaria suspendatur in collo eius, et demergatur in profundum maris.

Vae mundo a scandalis.

III. Nunc sequitur doctrina de *scandalo.*

Hic sumatur ex locis communibus divisio.

Aliud est scandalum Pharisaicum.

Aliud datum scandalum, Ein unrecht und schedlich Ergerniß, quod est falsa doctrina, seu malum aliquod opus, cuius imitatio nocet aliis. Vel est medium opus, non factum opportune, quod alienat voluntates imbecillium ab Evangelio.

Recitentur ergo regulae, quae scandala necesse sit vitare, et rursus ubi sit resistendum Pharisaeis, etiamsi dicunt se offendi.

Concio
de nonaginta novem ovibus.

Recitetur similitudo, sicut in textu ponitur. Et adiungatur narratio, quae est in capite 15. Lucae, de eo qui inventam ovem tollit in humerum etc.

Est autem summa huius similitudinis, doctrina de poenitentia. Et consolatio ostendens voluntatem Dei, quod ardenter velit remittere peccata, modo ut incipiamus agere poenitentiam.

Et prorsus congruit haec imago cum iuramento: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat.

Haec dicta omnia diligenter et saepe cogitanda sunt, ut magnitudinem amoris Dei erga nos agnoscamus, et tanta bonitate invitati, redeamus ad poenitentiam: et fidem confirmemus his manifestis promissionibus et mandatis, et in fide fiat ardentior invocatio. Talem invocationem eventus ostendet non esse inanem.

Sed sumus frigidi, nec poenitentiam curamus, nec excitamus fidem, nec exercemus invocationem, quia has dulcissimas conciones et promissiones non cogitamus, non legimus, non audimus Evangelium.

De partibus poenitentiae.

Quid autem sit poenitentia, et quae sint eius partes, saepe auditis. Scire autem debetis, quod praecipuae partes poenitentiae tres sint: contritio, fides, et nova obedientia.

Primum sit aliqua *contritio*, id est, aliquis pavor, et metus irae ac iudicii Dei et poenarum, et dolor, quod Deum offenderis.

Quod autem talis dolor sit necessarius, confirmat Paulus, qui inquit 2. ad Corinth. 7. Tristitia secundum Deum efficit poenitentiam ad salutem. Valde displicet Deo carnalis securitas, sicut apud Ieremiam cap. 6. obiurgat populum: Erubescere nescierunt. Certe haec ebria, secura et bestialis vita, nihil cogitans de ira et iudicio Dei, non placet Deo. Ideo cogitemus iram et iudicium Dei, et expavescamus. Deus ideo tot flagellis castigat nos, ut nobis illam securitatem excutiat.

Secunda pars sit *fides.* Quia non vult Deus nos tantum in dolore esse, sed vult nos etiam consolari.

Et hic sciendum est, quod male docuerint Monachi, qui dixerunt, homines propter *sufficientem* contritionem mereri remissionem peccatorum.

Nulla potest esse sufficiens contritio. Et illa falsa imaginatio obscurat gloriam Christi, et tollit fidem. Hoc sciamus certo, quod velit Deus peccata remittere propter filium gratis, id est, non propter ulla nostra merita.

Haec consolatio vera et salutaris tenenda est, haec est lux Evangelii, ut Act. 10. clare dicitur: Huic omnes Prophetae testimonium perhibent, accipere remissionem peccatorum per nomen eius, omnes, qui credunt in eum. Et Roman. 3. Iustificamur autem gratis, per gratiam propter Christum, fide, etc.

Tertia pars. Nec sit haec fides otiosa, sed accendat invocationem, et incipiamus habere bonum propositum, et bonam conscientiam. Et semper sit nobis regula Pauli in conspectu: Milita bonam militiam, habens fidem et bonam conscientiam. Haec sit regula vitae.

Et haec simplex et plana doctrina de poenitentia ab omnibus piis intelligi potest. Monachorum somnia non potuerunt intelligi.

Sed sumus ingrati, et nihil mirum est, puniri mundum, cum lux tanta sit huius doctrinae, et pauci emendentur, pauci curent, imo pauci discant. Ideo veniunt poenae horribiles.

Si peccaverit in te frater tuus etc.

Haec concio Christi male enarrata est de sola reconciliatione fraterna, cum de ministerio et iudiciis Ecclesiae loquatur, et qualis esse processus in iudiciis Ecclesiae debeat. Cum enim in omni politia oporteat esse iurisdictionem compescentem contumaces, et tuentem obedientes, quaerere poterant Apostoli: Quid fiet in nostro regno? Si non erimus reges, non habebimus arma, quomodo coërcebimus aut compescemus eos qui non obtemperant? Respondet Christus, sanciens ordinem iudicii Ecclesiastici: Si non audierit te, dic Ecclesiae. Si Ecclesiam non audiet, sit tibi sicut Ethnicus et publicanus. Haec poena est *excommunicatio.*

Primum autem constituatur discrimen inter potestatem politicam, Weltliche Oberkeit, et inter potestatem Ecclesiasticam, Predigampt.

Potestas politica, seu potestas gerens gladium, est potestas a Deo ordinata ad custodiendam disciplinam et pacem. Et coërcet contumaces vi corporali.

Hic non praecedit admonitio. Quando delictum est manifestum, ut furtum, vel homicidium, vel adulterium, tunc magistratus debet reum punire, sive reus convertatur ad Deum, sive non convertatur. Et hoc iudicium politici magistratus, est res extra Ecclesiam.

Sed Ecclesiastica potestas, est potestas a Deo ordinata ad docendum Evangelium et ad administrationem sacramentorum, et ad annuntiandum remissionem peccatorum publice vel privatim, agentibus poenitentiam, et ad puniendos

contumaces non vi corporali, sed excommunicatione.

Et haec potestas est commendata principaliter *Ecclesiae*, id est, pastoribus et praecipuis personis in toto corpore Ecclesiae.

Hac distinctione considerata, deinde sciamus, Deum velle ut sint in Ecclesia iudicia de manifestis delictis contra doctrinam vel mores: et ut excommunicentur rei falsae doctrinae, vel malorum morum.

Etsi autem utcunque talia iudicia manent, tamen dolendum est, non severius ea exerceri. Sed potestas politica impedit.

Et fatendum est, Episcopos et Papam hac autoritate abusos esse. Fuit consuetudo excommunicare homines propter pecuniam debitam et propter alia negotia, pertinentia ad forum politicum. Haec consuetudo mala fuit. Quia potestas Ecclesiastica debet quaerere emendationem in doctrina et moribus: non debet agere negotia immediate ad forum politicum pertinentia.

Secundo ordinatur hic processus: Ante condemnationem debet praecedere *admonitio*, quia potestas Ecclesiastica quaerit emendationem. Sed politica non quaerit emendationem, sed poenam.

Tertio: Si admonitio non profuit, facta per pastorem et alios iudices in Ecclesia ordinatos, tunc procedendum est ad poenam.

Fuerunt autem duae poenae.

Una mitior: *separatio ad tempus*, propter spem emendationis.

Altera durior: *excommunicatio*, quae pronuntiat, condemnatum non esse membrum Ecclesiae, et donec manet contumax, pronuntiat ei non remitti peccata, et eum reum esse aeternae damnationis.

Haec poena nequaquam conntemnenda est. Et semper in Ecclesia inde usque ab initio haec iudicia fuerunt.

Haec satis sit dixisse de iudiciis.

Amen Amen dico vobis: Quaecunque ligaveritis super terram, ligata erunt et in coelo, etc.

Postea in textu sequuntur doctrinae generales de remissione peccatorum, et de communi congregatione Ecclesiae.

Christus expresse dat mandatum remittendi peccata, et affirmat, in coelo veram esse vocem absolutionis: Quicquid ligabitis super terram, erit ligatum in coelo. Item: Quicquid solvetis super terram, erit solutum in coelo.

Hic discant omnes pii, vocem Evangelii esse hanc ipsam vocem, annuntiantem, remitti peccata agentibus poenitentiam. Et haec vox potest administrari vel simul pro multis, vel pro singulis, sicut fit in privata absolutione. Quare privata absolutio nequaquam abolenda vel negligenda est. Et hunc textum delent, qui delent privatam absolutionem. Item Ioann. 20. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis.

De publica congregatione.

Ubi duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.

Diligenter docendi sunt homines, quod velit Deus esse publicas congregationes, et quare hoc velit, et quod propter has servet regimina, civitates et imperia.

Quod velit esse publicas congregationes:

Probatur primum per praeceptum Decalogi: Sabbata sanctifices. Et Deus sic ordinaverat Sabbatum, ut publica congregatio fieret.

2. Sic instituta est coena Domini, ut fiat in publica congregatione.

3. Psalm. 22. dicit: In medio Ecclesiae laudabo te, in populo magno celebrabo te. Item: Laus eius in Ecclesia sanctorum. Et talia sunt innumerabilia dicta, ut Psalm. 2. 68. 109. 149. 102.

Quare autem vult publicas congregationes esse?

1. Ethnici habuerunt arcana conventicula. Sed Deus vult sui Evangelii vocem de filio publice sonare in genere humano, vult agnosci filium, et se, ab omnibus hominibus.

2. Vult esse publicas congregationes propter honestatem, quia in arcanis conventiculis multa turpia fiunt.

3. Imo nostri publici coetus sunt imago vitae aeternae. Sic in vita aeterna decenter conveniemus ad videndum et audiendum Deum et Dominum nostrum Iesum Christum.

Quod Deus propter has congregationes servet civitates etc.

Ierem. 17. Si Sabbatum non sanctificabitis, Deus destruet Ierosolymam etc.

Ideo dat imperia, ut sint tales honesti congressus, ut Psalm. 122. docet: Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus, etc.

Hic consideretur et *promissio*, peculiariter addita communi congregationi: Ubicunque duo aut tres convenient in nomine meo, in medio eorum sum. Item: Si duo consenserint, etc.

Iam fiat obiurgatio.

Ex hac commonefactione discatis, voluntatem Dei esse, ut conveniatis in publico templo ad audiendam vocem Evangelii, et ad communem invocationem, et gratiarum actionem, et ad usum sacramentorum, sicut in Esaia dictum est, cap. 56. Domus mea domus orationis vocabitur.

Qui non volunt adiuvare conservationem talium congregationum, peccant contra praeceptum: Sabbata sanctifices. Offendunt Deum contemtu ministerii et sacramentorum, et attrahunt poenas.

Quid pulcrius est congressu in templis, ubi sonat vox Evangelii sine mendaciis? Si hoc tantum bonum non velitis vestra diligentia etiam conservare, Deus sinet vestra templa redigi in stabula militum, sicut in Asia et in Graecia factum est, ubi iam Turci verterunt templa in stabula.

Secunda admonitio.

Sed sciamus etiam, ad quid conveniendum sit, nimirum ad haec quatuor:

1. Ad audiendam vocem Evangelii.
2. Ad invocationem.
3. Ad gratiarum actionem.
4. Ad usum sacramentorum.

Tunc accedens Petrus inquit: Quoties remittam?

Hic locus continet doctrinam in Ecclesia maxime necessariam, et amplissimam consolationem. Ideo diligenter discatur, et infigatur pectori.

Omnes pavidae mentes excruciantur, an cum tam crebri sint lapsus nostri, Deus toties remittat peccata? Sicut hic Petro etiam videtur mirum, si toties Deus remittat.

Ideo *Meletius* Alexandriae, et *Novatus* Romae, negaverunt lapsos recipiendos esse, qui habebant delicta manifesta, ut, qui fecerant adulterium, aut homicidium, aut qui in periculo confessionis defecerant ab Evangelio propter metum suppliciorum.

Et quanquam Meletii tanta erat autoritas, ut magna multitudo in Aegypto et in Syria hunc durum errorem amplecteretur, tamen Episcopus Alexandrinus *Petrus* constanter ei adversatus est. Et citavit hunc locum scripturae: Remitte septuagies septies. Et addidit testimonium ex ritu Ecclesiae, quae tunc quoque lapsos recipiebat, et pronuntiabat eis absolutionem. Sicut nos adhuc retinemus morem singulos absolvendi.

Et quidem hanc ipsam ob causam utile est retineri morem absolutionis singulorum, ut maneat in Ecclesia hoc testimonium, quod lapsi sint recipiendi.

Sic et nos teneamus hanc doctrinam, quod lapsi sint recipiendi, et sciamus hic loqui Dominum de ministerio et vera remissione coram Deo, quando dicit Christus: Remitte septuagies septies, id est, quandocunque petimus. Quia numerus, septuagies septies, ponitur pro infinita multitudine. Faciunt autem septuaginta septem, quadringenta et nonaginta.

Aliqui hunc textum male corruperunt, et contenderunt eum tantum loqui de reconciliatione fraterna inter homines, non de remissione coram Deo. Sed hi faciunt iniuriam textui, et magna impietate depravant eum. Quia Christus clare dixit prius: Quicquid solveritis super terram, erit solutum et in coelo.

2. Item: Lucratus eris fratrem tuum. Si remissio non valeret coram Deo, non lucraretur fratrem.

3. Et quidem manifestum et impudens mendacium est, dicere quod hic non dicatur de remissione coram Deo, cum textus postea clare dicat: Sic faciet Pater meus coelestis.

4. Et sequens similitudo significat, nobis plurima remitti a Deo.

Accedamus igitur ad similitudinem, quae continet egregiam doctrinam.

Simile est regnum coelorum regi, qui voluit subducere rationes cum servis suis.

Hic primum observa, regnum coelorum, id est, Ecclesiam, vocari ad rationes, item proprios servos regis. Nos vocamur ad rationes. Nos vocamur ad poenitentiam. Ideo scriptum est 1. Petr. 4.: Iudicium a domo Dei incipit.

Valde igitur detestanda est horrenda securitas hominum.

Vide quantum sit debitum primi servi, decem millia talentorum, id est, sexaginta tonnae auri. Haec est tanta pecunia, quanti sunt reditus annui regni Gallici, et non est pecunia unius civis, aut unius principis.

Ideo autem tanta summa ponitur, ut sciamus, nos valde multa et magna peccata habere coram Deo. Sicut facile invenies multa, si vitam tuam adspicies. Magna est securitas carnalis, postea magna negligentia in invocatione, magna diffidentia et multae dubitationes de Deo. Item vagantur sine fine cupiditates variae. In summa, pleni sumus sordium et stercoris.

Iam confer duo debita. Tu debes Deo sexaginta tonnas auri. Conservus debet tibi decem coronatos. Vide quam inaequalis summa sit. Et Deus tam multum vult remittere, etc.

II.

Hic discamus et consolationem.

Peccata sunt magna et multa, sed gratia exuberat supra delictum, Rom. 5.: Haec tanta et tam multa peccata Deus adsidue tibi vult remittere. Hic fides exsuscitetur, ut hoc vere credamus. Et hac fide accedamus ad Deum, et vera invocatione eum celebremus, et ei gratias agamus.

Quare autem tam magna et tam multa peccata remittit? Remittit non propter nostra merita, sed immensa misericordia propter filium. Hoc pretium tantum est, ut superet nostra peccata. Noli cogitare, mea peccata sunt maiora et potentiora, quam filius Dei. Imo certissime statuas, filium Dei maiorem esse, quam sit totum regnum peccati. Et bene memineris regulam: Gratia exuberat supra delictum, Rom. 5.

III.

Sed postea sequatur nostra obedientia.

Videmus hic severissime praecipi, ut remittamus proximis, ut simus studiosi pacis. Non retineamus odia, et cupiditates vindictae, etc.

Hoc opus dilectionis est necessarium, praesertim in gubernatoribus et doctoribus, quia inter illos facile oriuntur offensiones, quae postea pariunt bella, et discordias Ecclesiarum.

Omittamus nostram superbiam. Cum Deus tam multa nobis remittat, remittamus et nos fratribus multo minores offensiones.

Haec est doctrina de bonis operibus, quam saepe auditis. Et non sequitur, Deum remittere propter nostram remissionem, seu propter nostra opera. Ipse remittit propter Filium, et postea debet sequi nostra obedientia, ut saepe auditis.

Caput XIX.

Accesserunt ad Iesum Pharisaei, tentantes eum, et dicentes: Licetne homini dimittere uxorem ex quacunque causa?

In hoc capite tractatur quaestio de divortio. Et Christus approbat et repetit doctrinam necessariam de coniugio, et restringit opinionem de divortio.

Cum autem quaestio de divortio magis pertineat ad Consistorium, quam ad conciones in Ecclesia, volo ordine aliqua necessaria de coniugio dicere.

Christus repetit institutionem coniugii, factam his verbis: Erunt duo in carnem unam.

Hoc dictum est lex de coniugio perpetua, sanciens ut sit unius maris et unius foeminae perpetua et indissolubilis coniunctio, et prohibens omnem commixtionem, extra hunc ordinem institutum.

Primum ergo ex hoc dicto Genesis teneatur, quid sit coniugium. Et sciatur, quod Deus talem coniunctionem ordinaverit, et approbet.

Secundo sciatur, quod lex de coniugio statim in Paradiso data sit, quia Deus voluit sibi humanam naturam obedire, praecipue in hoc opere, in servanda castitate in coniugio, et ante coniugium.

Et postea post lapsum hominum horribiliter punivit peccata contra castitatem facta, ut adulteria et alias vagas commixtiones. Et semper et universaliter in genere humano usque ad finem punit Deus, et puniet vagas libidines multis poenis publicis et privatis. Hoc certissimum est, sicut scriptum est: Scortatores et adulteros iudicabit Deus.

Haec sciamus, et metuentes iram Dei, curemus servare castitatem, vel in coniugio, vel in vita coelibe, sicut aetas iuniorum vel senum postulat. Et diligenter consideremus severitatem Dei in hac re. Nolite existimare, Deum parvi facere peccata contra castitatem. Exempla poenarum considerate inde usque ab initio. De diluvio allegatur causa, quod duxerint et rapuerint mulieres, quas quisque voluit. Postea delevit

Sodoma. Item in deserto Principes tribuum suspensi sunt propter scortationem. Et interfecti sunt homines, viginti quatuor millia. Item: Tribus Beniamin fere tota deleta est propter stupratam Levitae coniugem. Item David regno expulsus est, et multa millia trucidata.

Historiae Ethnicae manifestae sunt plurimae, Troia deleta est propter raptam Helenam. Romae expulsi reges propter violatam Lucretiam. Et tales historiae nostri temporis multae recitari possent, quae ostendunt, adulteria et alias vagas libidines horribiliter puniri. Et non dubitemus, unusquisque reus in sese poenas experietur. Hoc certissimum est, sed Deus mitigat poenas agentibus poenitentiam.

Haec primum sciamus, quod sit mandatum Dei, ut vivamus caste, vel in coniugio, sicut Deus ordinavit, vel extra coniugium. Et sciamus horribiliter puniri peccata contra castitatem.

Secundo sciamus etiam, quare Deus tam severe velit servari castitatem. Causa haec est: Cum Deus sit castus Spiritus, vult intelligi castitatem in genere humano, et vult se discerni ab immundis Spiritibus et hominibus.

Non enim possumus Deum brachiis amplecti, sed cogitatione agnoscendus est, quod sit talis essentia, sapiens, verax, iusta, benefica, casta, quae se patefecit misso filio. Ideo in omni invocatione cogitandum est, quid invoces, et quem Deum invoces, seiungendus est hic Deus ab omnibus naturis immundis. Ethnici adoraverunt Deos faventes vagis libidinibus. Imo ipsas libidines pro piis operibus habuerunt, hos furores damnat Deus horribiliter et vult Ecclesiam suam a talibus furoribus valde abhorrere.

Hanc causam saepe cogitemus in invocatione, quare Deus castitatem postulet, et cogitemus eum esse mentem castam, imo cogitantes de nostris immunditiis, magis deploremus nostram immunditiem, et oremus ut nos quoque ad castitatem flectat, quia ipse amet castitatem.

Haec doctrina de castitate et de poenis libidinum, saepe et multum cogitanda est.

Hic iam addenda est querela contra doctrinas Daemoniorum, Diabolus semper vexavit genus humanum, horribiliter impellens, ut pollueretur variis libidinibus. Et ubicunque fuit idololatria, ibi fuerunt tetrae libidines, ut Rom. 1. significatur. Ita in Papatu sunt immundi coelibes Canonici et Monachi, et tales semper erunt. Papa aliquando misit dispensationem de coniugio sacerdotum in Germaniam, sed ita ut Sacerdotes retineant uxores, sed non sint in ministerio. Hoc est re ipsa restituere coelibatum, ut prius fuit, ut sint in ministerio scortatores et adulteri.

Sed Papa semper erit defensor turpissimarum libidinum, nec exspectemus meliora a Papatu, quia est regnum excoecatum et damnatum. Sed Deus amans castitatis, defendet Ecclesiam, in qua est vera doctrina de aliis articulis, et de castitate.

Haec primum volui monere de castitate, sicut saepe debemus de hac virtute dicere. Proxime pauca dicam de divortio.

De divortio.

Discamus quid sit coniugium quod Deus ordinavit, et vitemus omnia quae cum ea ordinatione pugnant, quia certum est horribiliter puniri a Deo omnia peccata pugnantia cum hac sua lege.

Quid est coniugium? Est coniunctio unius maris et unius foeminae legitima et indissolubilis, instituta a Deo procreationis causa, et ut vitentur omnes aliae commixtiones corporum extra hanc ordinatam coniunctionem. Haec definitio continetur in hoc dicto: Erunt duo in carnem unam, id est, inseparabiliter iuncti.

Prima igitur institutio prohibet polygamiam, id est, habere multas coniuges simul, quia textus planissime dicit: Erunt duo. Et Christus revocat suam Ecclesiam ad hanc primam institutionem. Quanquam enim Deus permisit aliam consuetudinem Ethnicam etiam patribus in lege, tamen ea consuetudo fuit contraria primae institutioni.

Et nusquam est approbata praecepto Dei, sed tantum permissa. Nunc autem Christus revocat nos ad primam institutionem, quod diligentissime consideremus.

Secundo prohibet Christus divortia. Et hic considerandum est, quanta sit malitia hominum. Omnes Ethnici et Iudaei turpiter abusi sunt divortiis. Sicut nunc Turci faciunt. Quandocunque voluit aliquis, sive causa esset, sive non esset causa, eiecit uxorem. Saepe etiam accidit, ut practicaret aliquis, ut alius faceret divortium, ut potiretur alterius coniuge. Sicut Hortensius petivit a Catone, ut cum Martia coniuge divortium faceret, ut eam ipse duceret. Et duxit eam postea.

Tales levitates pugnant cum institutione coniugii, quae debet esse voluntas perpetua retinendi coniugem.

Cum igitur hoc modo luderent Iudaei, Christus aperte restringit divortia ad hunc casum, quando altera persona fit adultera. Tunc enim ipso adulterio solvitur foedus coniugii, et persona, quae peccavit, fit rea mortis, et debebat interfici.

Haec satis sit hic dixisse. Plura, quae hic dicenda essent, commendo Consistorio et iudiciis. Concionator debet hoc praecipue docere, ut sciat populus, quid sit coniugium, et quale esse debeat, et ut curet servari hoc foedus, ne dissolvatur, et ut inter se patientiam habeant coniuges, etiamsi qua est in viro aut muliere infirmitas, propter quam libenter quaereret altera persona dissolutionem. Hic nos concionatores proponamus vocem Evangelii hominibus, ne faciant iniustas separationes.

Item ne altera persona tantam saevitiam exerceat, ut videatur velle alteram tam diu et tam duriter excruciare, ut vel fugiat, vel moriatur. Multi sunt enim in coniugio homicidae, alias viri, alias mulieres. Hanc acerbitatem et saevitiam frenare discant, et sciant pugnare eam cum mandato.

Post hanc concionem de coniugio, cum audiunt discipuli restringi divortia, incipiunt murmurare, et conqueri, quod coniugium sit durum vinculum. Hic Christus occurrit eorum quaestioni, an vivendum sit in coelibatu. Et clare dicit: Non omnes capiunt verbum hoc. Id est, vult regulam servari, ut vivant in coniugio omnes homines, qui non sunt singulari modo aut dono idonei ad castum coelibatum.

Hanc regulam tradit et Paulus: Unusquisque habeat uxorem suam vitandae scortationis causa.

Non tentemus Deum, nec contra hanc ordinationem Dei instituamus aliud vitae genus, sicut Papa cogit ad coelibatum ingentem multitudinem, et Monachi et Moniales instituerunt aliud vitae genus, unde horribilia peccata orta sunt, propter quae Deus totum genus humanum punit, sicut punivit Sodoma.

Excipit autem tria genera hominum.

Primum sunt excepti, qui natura sic nati sunt, ut non sint idonei ad consuetudinem coniugalem.

Secundo, qui castrati sunt ferro aut simili violentia.

Tertio, qui singulare donum habent, ut sine immunditie possint coelibes vivere, ut Iohannes Baptista, Christus, Iohannes Evangelista. Hos esse paucos ipse textus ostendit, inquiens: Non omnes capiunt verbum hoc. Item qui potest capere, capiat.

Alii homines iuxta naturam, qualis est in pluribus, sciant regulam a Deo traditam servandam esse, quae in Genesi clare dicit: Dixit Dominus, non est bonum homini esse solum, faciam ei adiutorium simile. Audite o pii omnes, bene considerate haec verba, in Genesi dixit Dominus: Quis praecipit coniugium? Deus ipse, qui dixit, id est, aeterno et immoto decreto sanxit, ut sit talis coniunctio maris et foeminae.

Iam vide audaciam Papae, qui delet hanc vocem: Dixit Dominus, et ponit contrariam: Dicit Papa, est bonum homini esse solum. Imo dicit turpissima lex Papae, coniugium esse immunditiem, et contra laudat immundissimum coelibatum. Hanc impietatem Deus retexit, et oremus eum, ut adsit suae ordinationi, coniuges defendat et gubernet.

Tunc oblati sunt ei parvuli, ut eis manus imponeret et oraret. Discipuli autem increpabant eos. Iesus vero ait eis: Sinite parvulos, et ne prohibeatis eos ad me venire, talium est enim regnum coelorum.

Haec est concio de pueris valde digna memoria, quam distribuimus in quatuor partes.

Prima pars sit de officio parentum. Volumus enim a parentibus ordiri, quia et textus hic dicit de afferentibus pueros.

Secunda pars sit de baptismo infantum.

Tertia pars sit de institutione et educatione infantum, quorum aetas iam est capax disciplinae.

Quarta pars sit, de voluntate Dei erga primam aetatem, quod Deo placeant retinentes baptismi dona, et a Deo protegantur et custodiantur contra diaboli furores, et in bellis et multis periculis: et curent iuniores retinere Dei dona.

De prima parte.

De officio parentum.

Loquemur de duobus agminibus puerorum. De prima aetate quae ad baptismum adferenda

est, etiamsi nondum capax est disciplinae, et de pueris, qui iam sunt capaces disciplinae. De utrisque dico, parentum officium esse, ut adferant utrosque ad Christum, sicut utrorumque aetas permittit.

Primae aetatis infantes adferant ad baptismum, et curent eos fieri membra Ecclesiae Dei. Quia hic discunt, vere et certo recipi etiam tales infantes a Deo. Et Deum velle, ut tales fiant membra Ecclesiae per ministerium, et ut adferantur ad ministerium, videlicet, ad baptismum.

Et parentibus magnae consolationi sit, quod sciunt hanc aetatem esse haeredem vitae aeternae, et sciunt illam infirmam aetatem Deo placere et a Deo custodiri, et se in cunis habere cives regni coelestis. Sciant igitur mandatum Dei esse, ut ipsi parentes curent suos natos adferri ad baptismum.

Deinde postquam aetas est capax disciplinae, erudiant etiam eos, sicut Paulus praecipit Ephes. 6.: Educate natos in disciplina, et doctrina divina. Parentes etiam assiduis precibus commendent Deo natos. Haec omnia comprehenduntur in verbo: Adferte natos ad Christum.

De secunda parte.

Scitis Anabaptistas horribiliter turbasse Ecclesiam, negando baptisma infantum. Et fecerunt iniuriam Deo, infantibus, Ecclesiae et parentibus.

1. Deo fecerunt iniuriam, quia negaverunt eum recipere infantes, quod esset durissimum, et est manifeste falsum, quia Christus dicit: Non est voluntas patris, ut pereat unus de parvulis istis. Item corruperunt promissiones divinas, quia excluserunt inde infantes.

2. Fecerunt iniuriam et ipsis infantibus, damnaverunt non damnandos, cum Christus clare dicat: Talium est regnum coelorum.

3. Fecerunt iniuriam et Ecclesiae Dei, quod magnam partem Ecclesiae damnaverunt, et impediverunt, ne infantes fierent membra Ecclesiae.

4. Fecerunt iniuriam parentibus, quorum invocatio pro infantibus impedita est, et esset magnus dolor, si infantes essent reiecti a Deo.

Igitur contra Anabaptistarum errorem debetis esse muniti, et certa fide statuere, infantes per baptismum recipi a Deo. Et vos debetis precationibus vestris et fide vestra eos Deo commendare.

Teneatis autem confirmationem ex hoc textu.

Prima confirmatio.

Christus iubet infantes ad se afferri, et clarissime affirmat, quod talium sit regnum coelorum.

Et regnum coelorum non est eorum, qui sunt extra Ecclesiam.

Ergo necesse est eos inseri Ecclesiae et fieri eos membra Ecclesiae per baptismum.

Secunda confirmatio.

Deus fecit hanc admonitionem, ut velit tantum salvare vocatos ad Ecclesiam, super quos invocatum est nomen filii. Ideo dicit: Quos elegit, hos et vocavit, Rom. 8. Et nusquam vult quaeri electos, nisi in coetu vocatorum, quod magnae consolationi est: Nusquam sunt electi, nisi in coetu vocatorum. Et semper in coetu vocatorum sunt aliqui electi.

Aliqui infantes sunt electi, quia textus clare dicit: Non est voluntas Patris, ut pereat unus de parvulis istis.

Ergo necesse est eos per ministerium, id est, per baptismum fieri membra coetus vocatorum.

Tertia confirmatio.

Promissio remissionis peccatorum et Spiritus sancti, et vitae aeternae pertinet ad infantes.

Nec volo addere plura argumenta, satis est vos ista considerare, et adhortor vos, ut diligenter ea consideretis, et agatis Deo gratias pro tanto beneficio, quod recipiat infantes, et eo maiore reverentia veniatis ad baptismum, et ibi cum tota Ecclesia orbis terrarum infantes Deo commendetis. Non existimate inanem ludum esse, sed scitote vestros natos ibi vere fieri cives regni coelorum, et filios Dei. Nimis negligentes sumus, quod tanta beneficia non consideramus diligentius, et non agimus gratias. Ideo vos adhortor, ut et diligentius haec opera Dei consideretis, et Deo gratias agatis.

Tertia pars.

Sic antea dixi, parentes debere erudire aetatem, quae iam capax est doctrinae. Ita nunc rursus dico: Non solum curare debetis, ut baptizentur infantes, sed hoc postea etiam necessarium

est, erudire natos de Deo et de filio Dei, et totam doctrinam Evangelii eius paulatim instillare, et assuefacere eos ad invocationem et agnitionem filii Dei. Haec omnia complectitur haec vox: Sinite parvulos venire ad me. Non estis tantum parentes, ut corpora curetis, sed etiam animas ad Deum adducere debetis. Et singulorum familiae debent esse tanquam Ecclesiae. Tu pater, tu mater, debetis esse tanquam pastores natorum, et erudire eos, et adsuefacere ad invocationem. Et si non facitis, puniet Deus hanc negligentiam, sicut punivit Eli non castigantem filios.

Quarta pars.

Consolatio pro iunioribus, et adhortatio, ut Dei dona conservent. Cogitate quaeso, quando estis in cubiculis vestris cum parvis natis, quantum bonum hoc sit, quod scitis hos parvulos ex vobis natos, vestrum sanguinem, placere Deo, esse cives regni coelestis, custodiri eos a filio Dei, et ab Angelis sanctis, et propter eos vobiscum Angelos habitare.

Diaboli insidiantur eis horribiliter, sed filius Dei protegit sua membra, sicut etiam dicit: Angeli eorum vident faciem Patris. Ipsi parentes fatentur: tam multa esse natorum pericula, ut nulla diligentia humana sufficeret ad eos servandos, nisi a Deo custodirentur. Haec saepe cogitanda sunt, et addenda precatio, et Deo gratissima est illa invocatio tuae domesticae Ecclesiae, parentum gemitus et vox coniuncta cum voce puerorum. Et in quolibet cubiculo scribi debebant haec dicta: Talium est regnum coelorum. Item: Non est voluntas Patris, ut pereat unus de parvulis istis.

Ad iuniores adhortatio.

Sed audite vos iuniores, non sufficit parentum diligentia, si vos ipsi etiam non vultis retinere Dei dona, si non vultis discere. Item si vultis offendere et contristare Spiritum sanctum.

Vos igitur curate, ut retineatis dona Dei. Cogitate quantum bonum sit, quod placetis Deo, quod Deus vos exaudit, donec retinetis Spiritum sanctum in baptismo acceptum. Contra quam horribilis miseria sit, non placere Deo, non exaudiri a Deo, esse captivum Diaboli. Haec summa mala vitate omni cura. Et vobis quoque diligenter inculcate haec dicta: Non est voluntas Patris, ut pereat unus de parvulis istis. Agite gratias Deo, et accendite invocationem in cordibus vestris, et curam retinendi dona Dei.

Item inculcate vobis et hoc dictum: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem. Deus vult a vobis agnosci et invocari.

Et ecce unus accedens ait illi: Magister bone, quid boni faciam, ut habeam vitam aeternam etc.

In hac historia multiplex doctrina continetur.

Primus articulus est reprehensio hypocrisis, cum Christus dicit: Quare me vocas bonum? Etsi enim verum dicebat iste, tamen quia non vero corde dicebat, reprehenditur. Non enim interrogat, ut obtemperet, sed statim rursus discedit, et non iudicat esse bonum magistrum, quia doctrinam eius mox deserit. Requirit autem Deus veritatem cordis, et non vult invocari falso corde, etiamsi verae laudes ei tribuantur, sicut scriptum est: Diligas Dominum Deum ex toto corde.

Secundus articulus de dicto: Si vis in vitam ingredi, serva mandata.

Multae disputationes de hoc dicto traditae sunt, et Monachi inde exstruxerunt hanc phantasiam, quod homines possint legi Dei satisfacere, et quod propter impletionem legis homines salventur. Sed quandocunque fit mentio legis, mox intuendum est dictum Pauli: Finis legis est Christus, id est, sine agnitione filii Dei, neque fit lex, neque prodest. Sed lex est data, ut peccatum nobis ostendat, et significet Messiam venturum, ut tollat peccatum, et vere satisfaciat legi, et in nobis eam restituat. Sicut victimae manifeste significabant mortem Messiae pro nostris peccatis. Et omnes recte instituti sciebant illas victimas, agnos et vitulos non tollere peccata.

Igitur hoc dictum: Si vis ingredi in vitam, serva mandata, sic intelligatur, ut includatur mandatum de filio Dei audiendo, seu de fide in filium Dei. Serva mandata, scilicet etiam primum mandatum de fide in filium Dei. Hoc comprehenso, facilis est declaratio: Si vis in vitam ingredi, serva mandata, scilicet primum crede in filium Dei, deinde facias caetera opera decem praeceptorum, quae quanquam erunt imperfecta et valde languida, propter magnam infirmitatem nostram, tamen Deo placebunt, quia credis in filium, et habes remissionem peccatorum, et es factus haeres vitae aeternae, propter filium.

Haec est simplicissima et vera declaratio huius dicti, et bene observanda, quia Papistae valde depravant hoc dictum. Et tamen fateri ipsos quoque oportet, quod non servent mandata Decalogi. Sed est eis usitatum loqui in hypocrisi mendacium.

Tertius articulus de ignorantia Pharisaeorum illins temporis, et est similis ignorantia multorum omnibus temporibus. Ille putabat se legi Dei satisfacere, et audacter respondet: Haec omnia custodivi.

Sic tunc Pharisaei docuerunt, et sic Monachi docuerunt, hominem posse legi Dei satisfacere, et externa opera esse impletionem legis, et mereri remissionem peccatorum, et vitam aeternam: et homines posse amplius facere, et perfectionem esse, facere opera supererogationis, et in summa, multi tetri et perniciosi errores de lege extant hodie in doctrina Monachorum. Sed nos sciamus in Ecclesia nostram miseriam. Lex Dei est sapientia et iustitia Dei, postulans ut nostrae mentes et corda congruant cum illa regula mentis divinae. Nec tantum postulat externa facta, sed omnes fateri cogimur, nostra corda plena esse malarum cupiditatum, et nequaquam congruere cum lege Dei. Ideo iudicat et damnat lex omnes, sicut Paulus dicit: Ut totus mundus sit reus Deo.

Hanc doctrinam necesse est in Ecclesia bene intelligi. Et discamus accedere ad Deum fide filii Dei, et fateamur nos esse immundos, et nequaquam satisfacere legi Dei.

Quartus articulus iterum est reprehensio hypocrisis. Iste fuerat gloriatus, se facere legem. Et Christus mandat ei, ut vendat suam haereditatem, et fiat minister Evangelii. Hic patefit hypocrisis, quia non vult obtemperare huic Domino, quem antea vocaverat bonum doctorem: et pluris facit divitias, quam ministerium Evangelii.

Hanc reprehensionem consideremus, et scrutemur nostra corda etiam, an velimus propter Evangelium res et vitam amittere. Hic inveniemus etiam in nobis magnam infirmitatem, sed tamen non discedamus, sicut iste discessit, sed petamus, ut filius Dei nos confirmet.

Quintus articulus, de perfectione. Hic multa disputarunt Monachi de perfectione, propter dictum: Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, et da pauperibus, et sequere me.

Hic primum sciendum est, quod tota illa insania Monachorum, quod finxerunt perfectionem esse, relinquere facultates, fieri Monachum, sunt errores diabolici, quia perfectio non est in operibus a Deo non mandatis, de quibus dicitur: Frustra colunt me mandatis hominum.

Secundo, nemo hominum perfecte facit legem Dei, praeter Christum. Imo omnes habemus peccata, ut Psalmus dicit: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Item: Si dicimus, quod peccata non habemus, mendaces sumus. Ideo superbia illa gloriantium, et sibi tribuentium perfectionem, die volkommenheit, est detestanda.

Et vocabulum perfectus hic non significat volkommen, cui nihil deest, sed est oppositum hypocritae, si vis esse perfectus, id est, rechtschaffen, on heucheley, quia Christus vult hoc significare, hunc esse hypocritam. Non hoc vult concedere, quod fecerit legem, et tantum aliquid desit perfectioni.

Sextus articulus: Estne perfectio, vel bonum opus, relinquere facultates?

Primum respondeo. Iam dixi non esse perfectionem.

Secundo, duplex est desertio: una quae habet mandatum Dei, ut in confessione, ubi Deus praecipit potius discedere a facultatibus, quam abiicere confessionem doctrinae. Haec desertio facultatum est opus bonum.

Alia desertio est sine mandato Dei, ut cum Monachi vel Anabaptistae res suas relinquunt. Haec non est bonum opus, imo Deus vult esse oeconomias, et vult nos servire in hac communi vita, non vult nos fugere in silvas, etc.

Amen dico vobis: Dives difficulter intrat in regnum coelorum etc.

Hic docendae sunt conscientiae de regula generali, quod Evangelium non abolet ordinationes oeconomicas, nec politicas. Sed est doctrina de fide et vera invocatione Dei, et vera obedientia cordis erga Deum. Sinit autem nos habere proprium, habere oeconomias, fieri magistratus, iudicia exercere. Et hanc externam politicam, vel oeconomicam vitam adprobat, et vult in ea conspici invocationem, confessionem, dilectionem erga maritum, uxorem, filios, parentes, et

erga alios homines, ut tota vita interior et exterior serviat Deo, et Deus celebretur.

Hac regula cognita, sciendum est etiam, quod sit voluntas Dei, ut alii sint divites, alii pauperes. Quia oportet aliquos esse divites pro utilitate reipublicae, nam imperia teneri sine opibus non possunt. Sed hic discendum est utrumque: recte uti divitiis, et recte ferre paupertatem. Potest esse pauper multo deterior divite, ut latro pendens in cruce, et deridens Christum, erat vere pauper et miser. Nec paupertas meretur vitam aeternam.

Dicam igitur prius, quomodo paupertas recte toleranda sit, quia maior numerus est pauperum.

1. Sciat pauper, se propter paupertatem nec iustum nec iniustum esse, sed quaerat iustitiam fide filii Dei.

2. Sciat voluntatem Dei esse, ut alii sint divites, alii pauperes, sicut Salomon dicit: Dives et pauper habitant simul, Deus fecit utrumque. Sciat etiam voluntatem Dei esse, ut obediat homo in paupertate, sicut in corporis imbecillitate, et non murmuret adversus Deum, quod sit pauper, sicut insania esset, si murmurares contra Deum, quod non dedit tibi corpus tam robustum, quam fuit corpus Samsonis.

3. Sciat pauper, propter paupertatem non quaerendas esse malas artes, furta, mendacia, adulationes, sicut multi veniunt in aulas, et propter paupertatem turpiter adulantur, ideo dicit Salomon: Divitias et paupertatem ne dederis mihi, ne saturitas faciat me superbum et obliviscentem Dei. Et contra, ne paupertas faciat, ut fiam fur aut adulator deficiens a Deo.

4. Quaerat honestos labores, et in his exerceat fidem et invocationem. Hoc si faciet, Deus benedicet eius laboribus et familiae, ut commodius vivat, quam multi valde divites. Quid enim prosunt divitiae stulto Nabal, qui implet se, ut moriatur? etc. Non sit validus mendicus, ut Monachi, tales validi mendicantes sunt fures.

De divite.

Iam trademus etiam diviti regulas.

Primum quaerat hic quoque iustitiam fide filii Dei.

Secundo sciat divitias esse donum Dei, et se non casu possidere plus, quam alii possident, sed Deum certo consilio aliis dare maiores, aliis minores facultates. Agat igitur gratias Deo.

Tertio non sit superbus, non confidat suis divitiis. Non cogitet se ideo pauperes iuste posse opprimere, quia ipse sit dives. Sed potius sciat, se debere benefacere pauperibus, sicut praeceptum est divitibus: Fontes tui deriventur foras, et tu Dominus eorum maneto.

Hoc dictum dulcissimum praecipit utrumque, ut iuvemus alios, et modum ostendit, scilicet, ut tu non amittas fundos, sed maneas Dominus tuae domus et agrorum. Et ita confirmat, quod licet habere proprium et divitias.

Quarto non exerceat quaestus prohibitos a Deo, et usuras, nec iniusta pretia statuat.

Amen dico vobis: Dives difficulter intrabit in regnum coelorum, etc.

Christus inquit: Difficulter intrabit. Et postea difficultatem exaggerat: Facilius est camelum intrare per foramen acus etc. Timeant divites hanc comminationem, et sint cautiores in usu divitiarum, et in quaestibus.

Sed contra sciant etiam pauperes, multos abuti paupertate, fieri adulatores potentum propter fragmen panis, etc.

Audita autem hac sententia de difficultate, perterrefiunt Apostoli, quia etiam adhuc somniabant regnum Messiae, et magnas divitias, sed tamen prius interrogant de vita aeterna: Quis potestsalvari? Hic doctrina et consolatio utilis proponitur.

Doctrina est: Apud homines impossibile est salvari. Hic generaliter docet, homines non salvari propria diligentia, sapientia, iustitia, propriis viribus, sicut saepe clamitat scriptura: Ex operibus legis non iustificabitur omnis caro.

Item: Qui non credit in filium, ira Dei manet super eum, Iohann. 3.

Econtra consolatio: Apud Deum omnia possibilia sunt. Hic ducit nos ad agnoscendum Deum, sicut se patefecit, datis promissionibus, misso Mediatore, donatione Spiritus sancti. Haec omnia complecti hic necesse est. Dictum est generale: Deo omnia possibilia sunt. Sed sciendum est, Deum sic esse efficacem, sicut promisit se velle esse efficacem. Sed bona et dulcis consolatio est, cum ait Omnia. Semper cogitamus, alios quidem potuit et voluit salvare, sed ego sum

nimis magnus peccator, nimis multa peccata habeo, me non vult salvare, imo inquit: Omnia sunt possibilia, scilicet, illo modo, sicut promisit: Si credis in filium et converteris. Hanc consolationem bene mementote.

Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te, quid erit nobis?

Cum audivisset Petrus, non laudari divitias, et tamen speraret divitias propterea, quia iam reliquisset sua, fit solicitus, et interrogat: Quid habituri sint ipsi, relictis propriis, vel quae praemia habituri sint?

Respondet, et promittit amplissima praemia, temporalia et aeterna, sicut in Marco scriptum est cap. 10.: Centies in tempore hoc cum persecutione, et vitam aeternam. Auditis amplissimas promissiones, quas certum est verissimas esse, sed intelligantur cum hac conditione: cum tribulatione. Deus dat Paulo victum, amicos, defensores, et tamen simul est persecutio, Quare? Quia Deus vult Ecclesiam subiectam esse cruci propter multas causas. Et simul vult in illa cruce Ecclesiae et miseriis ostendere suam praesentiam, quod ipse sustentet, et servet eam, et quod non tantum consiliis humanis regatur et servetur, sicut Esaiae 46.: Ego vos feci, ego gestabo vos etiam in senecta, etc.

Non quaeramus igitur alias peregrinas expositiones. Haec fiunt ita, Deus mirabiliter curat, ut habeamus victum, defensionem, et alia necessaria, etiamsi vult nos subiectos esse cruci.

Habetis imaginem in tota historia populi Israël in deserto. Et quanquam mutantur tempora, alias Ecclesia est in deserto, ut tempore Mosi, alias in Aegypto, ut tempore Ioseph, alias in exilio, ut tempore Danielis, alias sub aliis regibus et principibus: tamen fere semper habet similia pericula, et miserias, et tamen multi a Deo mirabiliter servantur, sicut Ioseph in carcere, Daniel inter leones. Haec opera Dei consideranda sunt.

Multi autem primi erunt novissimi, et novissimi primi.

Amplissimae promissioni rursus addit comminationem. Et significat, multos fieri superbos, fieri negligentes, postquam adepti sunt dona Dei, sicut videmus Episcopos statim initio factos superbos, et voluisse similes fieri principum et regum. Ideo minatus Christus talibus eiectionem. Et ita fit, sicut scriptum est: Provocabo vos a non gente in gente stulta.

Caput XX.

Simile est regnum coelorum homini patrifamilias, qui exit primo mane conducere operarios in vineam suam, etc.

Quanquam multae et magnae disputationes de hac similitudine motae sunt, tamen summam sententiae diligenter consideremus, et nos ad timorem Dei et ad fidem exsuscitemus, et non ad inutiles disputationes.

Summa similitudinis haec est: praecipit, ut simus perseverantes in Evangelio, et non fiamus superbi et negligentes, et confidentes nostra sanctitate. Et minitatur superbis hypocritis, quod Deus sit eos eiecturus, et alios recepturus, ideo dicit in fine: Multi sunt vocati, sed pauci electi, id est, rechtschaffen on heucheley, et exempla nobis proponamus. Iudaei erant populus Dei, sed quia fiebant superbi propter titulum, et negligebant doctrinam, et erant sine vera fide, sine poenitentia, sine vera invocatione, ideo sunt eiecti, et horribiliter puniti, et collecta est Ecclesia ex gentibus.

Aliud exemplum.

Episcopi et Monachi olim fuerunt sancti et populus Dei, ut multi Martyres, item: Antonius et aliqui similes. Postea coeperunt esse superbi, et facti sunt negligentes, et confidentes titulo et ordine suo, ideo Deus iam deiicit eos de sede, et facit, ut confundantur, et magis magisque confundentur.

Haec exempla nos quoque consideremus: nos sumus iam revera populus Dei. Sed si erimus superbi, contentiosi, et negligentes in vita, et tamen confidentes titulo, quod simus Evangelici, puniemur nos quoque, sicut iam fateri nos oportet, quod ante bellum fuerimus negligentes. Ideo nunc agamus poenitentiam, ne graviores poenae sequantur.

Haec est principalis doctrina huius similitudinis. Si quis autem vult habere longiorem enarrationem, recte potest hoc dicere: quod verum sit, quod Paterfamilias significat Deum vocantem

Ecclesiam. Tempora etiam significant diversa tempora vocationum, quia Deus immensa bonitate subinde revocavit Ecclesiam, et ipse servat, ipse restituit. Si ipse non servaret, Ecclesia funditus deleretur furoribus Diaboli et impiorum hominum. Magna ergo doctrina hic traditur, quia commonefactio est, quod iste Paterfamilias servet Ecclesiam, non nostra sapientia et humana diligentia aut potentia. Sicut autem multi subinde vocati sunt, ita omnibus temporibus multi fuerunt ingrati, superbi, negligentes, qui rursus eiecti sunt.

Dat autem singulis denarium, id est, quolibet tempore dat vocatis multa bona tantisper, donec ingrati eiiciuntur. Iudaeis dat denarium, dedit eis regnum, et hunc magnum honorem, ut in hoc populo esset Ecclesia. Ita generaliter intelligatur denarius, de quibuslibet bonis, quae dantur vocatis, vel de externo regimine in Ecclesia.

Sed ingrati eiiciuntur et recipiuntur, et placent illi novissimi tantisper, donec et ipsi fiunt ingrati. Ingrati etiam duriter hic vituperantur: Oculus tuus malus est. Ideo non potest similitudo sic intelligi, ut horum denarius significet vitam aeternam, quia isti invidi damnantur.

Et ascendens Iesus versus Ierosolymam, duxit secum duodecim discipulos seorsum in via, et dixit eis, etc.

Hoc est postremum iter, quando Christus profectus est Ierosolymam, aliquanto ante, quam Lazarus aegrotavit.

Hic primum discipulis praedicit suam passionem, propter has tres causas, quarum prima est, ut scirent Apostoli eum non casu pati, sed scientem et volentem se offerre ad hoc sacrificium, quo placandam esse iram Dei generi humano divinitus decretum erat.

Secunda causa est, ut praescientes Apostoli hanc voluntatem Domini, constantes manerent in fide, et sperarent resurrectionem Domini, nec deficerent, existimantes eum interiturum esse, et illam spem novi regni inanem fuisse.

Tertia causa, ut Iudaicus error Apostolis eximeretur, quo semper somniabant, regnum Messiae fore imperium mundi, et nihil passuros esse.

Hae tres causae gravissimae fuerunt, cur praedictio illa facta sit, quae quidem et nos docet, quale sit regnum Messiae, et testatur Dominum scientem et volentem passum esse.

Sed hic iam consideremus Apostolos et reliquam turbam, quae has conciones audierat. Alibi dicit Evangelista, Apostolos haec non intellexisse. Hic statim et de sua potentia disputant.

In hoc exemplo discamus, esse in sanctis in hac vita mortali magnas infirmitates et peccata, sed tamen initia fidei et fundamentum esse oportet, et has regulas teneamus, quarum prima est: Agentes poenitentiam certo credant se recipi, et se iustos reputari propter filium Dei, fide. Hanc consolationem semper teneamus, et opponamus eam nostrae infirmitati.

Secunda regula: Cum hac fide non fiat peccatum contra conscientiam, id est, habens hanc fidem, quae est fiducia misericordiae, non habet simul propositum scienter faciendi contra Deum. Habens autem tale propositum scienter faciendi contra Deum, excutit fidem, et non potest Deum invocare.

Hoc bene considerent singuli, et conscientias suas inspiciant, et caveant, ne ruant contra conscientiam.

Tertia regula: Ubi est vera fides, ibi oportet teneri fundamentum, id est, omnes articulos fidei. Et quanquam alii clarius eos intelligunt, alii obscurius, tamen mens non contradicat scienter ulli articulo fidei.

Quarta regula: Ubi est vera fides, et non sunt peccata contra conscientiam, et homo est iustus, tamen adhuc manent magnae infirmitates, et multi vitiosi motus, quibus repugnandum est, et multa sunt peccata ignorantiae et omissionis. Contra hanc infirmitatem teneamus hanc consolationem, nos fide iustos esse propter filium Dei, et in credentibus has sordes tegi et condonari, et misericordiam Dei ingentem celebremus, quod recipit nos, quanquam adeo infirmos et indignos et sordidos.

Haec communis doctrina de fide saepe repetenda est, ut teneant homines veram consolationem, et exerceant hanc fidem, in invocatione et gratiarum actione.

Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei, et petens aliquid ab eo, etc.

Nunc vide, quomodo de regno disputant. Alter vult sedere a dextris, alter a sinistris. Et stulta mater adhuc confirmat has imaginationes.

Sed Christus taxat multos errores mulieris et Apostolorum, et significat Ecclesiam oportere in hac vita subiectam esse cruci.

Et vide stultitiam Apostolorum, dicunt se posse sustinere illam passionem, quam Christus subiturus erat. Haec recitantur, ut cogitemus, magnas et multas infirmitates in sanctis reliquas esse in hac vita.

Iesus autem vocavit eos ad se, et ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui maiores sunt, potestatem exercent inter eos.

Non ita erit inter vos, etc.

Postea discernit imperia mundi ab Ecclesia. Et clare dicit, in imperiis esse gradus, et alios habere potentiam super alios.

Ut primus locus est regum, regibus coguntur obedire in negotiis politicis principes et alii inferiores. Et reges et principes vult Deus instructos esse potentia et praesidiis, ut possint cogere inferiores, qui in causis legitimis nolunt obedire.

Idem dedit Deus potestatem regibus et principibus condendi leges de rebus civilibus, sed non pugnantes cum iure naturae et divino.

Sed in summa hic totus ordo in imperiis, quo gubernatur civilis societas, est res a Deo instituta, et necessaria communi societati. Sed differt a ministerio Ecclesiastico.

Ministerium Evangelii das Predigampt, est ministerium docendi Evangelium, et sacramenta administrandi, et non habet potentiam corporalem, et praesidia ad cogendos homines, ideo nec ipsi inter se gradus habent, ut sunt regum et principum gradus. Nec sunt instructi potentia et opibus, sicut reges, nec habent potestatem condendi novas leges, et instituendi novos cultus.

Haec omnia perverterunt Papa et Episcopi, qui ex ministerio Ecclesiastico fecerunt regnum mundanum, et oppresso Evangelio quaesiverunt opes et praesidia corporalia, et neglexerunt ministerium Evangelii, et condiderunt novas leges, et idola.

Venit Filius hominis dare animam suam λύτρον pro multis.

Haec est insignis sententia, quae diligenter consideranda est, ut cogitemus, quanta res sit peccatum, et econtra quanta sit severitas iustitiae Dei, et deinde quanta sit misericordia.

Primum igitur hoc discamus: Agnoscamus nos infirmos et duros esse, quod non valde expavescimus cogitatione peccatorum nostrorum, nec videmus, quanta res sit peccatum et ira Dei.

Quanquam enim Deus ideo genus humanum oneravit tam variis et tam multis et magnis calamitatibus, et morte, et poenis civilibus, ut patibulo, rota, et aliis suppliciis, item bellis, pestilentia, fame et morbis multiplicibus, ut sint signa nos commonefacientia de ira Dei: tamen hae tam horrendae poenae paucos movent, nisi tunc illos ipsos, qui patiuntur. Alii leviter curant haec terribilia signa.

Sed hanc nostram duritiem deploremus, et vere expavescamus, et cogitemus, Deum serio irasci peccatis omnibus sanctorum et impiorum, quia Deus est iustus, et non cogitemus eum peccata ex levitate remittere, quasi non vere irascatur. Sed simul illa sunt, vere irascitur peccatis, et tamen parcit suae creaturae, et non voluit eam perire. Simul et iustus et misericors est. Et hanc mirabilem mixturam iustitiae et misericordiae nemo satis eloqui potest, sed in vita aeterna discemus. Et tamen hic incipienda est haec doctrina. Toties enim scriptura dicit, filium pro nobis fuisse pretium et compensationem. Tantum pretium cum persolutum sit, necesse est iram esse magnam adversus peccatum. Haec saepe et multum cogitanda sunt.

Deinde cogitandum est: Quare opus fuit pretio et tanto sacrificio? Ad hoc respondendum est: Deus habet has duas virtutes, iustitiam et misericordiam. Et utramque retinet mirabili modo. Iustitiae autem est, irasci peccatis et ea punire. Cum igitur vellet Deus parcere generi humano, et tamen non omittere iustitiam, decrevit, ut filius, qui erat deprecator pro nobis, sustineret poenam pro toto genere humano. Et ideo voluit filium adsumere naturam humanam, quia cum genus humanum esset reum, oportuit aliquem in genere humano poenam sustinere, et hunc oportuit esse innocentem. Ut autem talis sustinens poenam, esset pretium sufficiens et aequivalens, et ut posset vincere mortem, oportuit hunc sustinentem tantum onus, esse Deum, quia natura humana sola, nec fuisset aequivalens pretium, nec potuisset sustinere poenam, nec vincere mortem.

Ut igitur iustitiae Dei satisfieret, et Deus esset iustus, hoc modo poena persoluta est.

Haec videntur quidem mira humanae rationi, sed causas penitus in vita aeterna discemus, ubi iustitiam Dei propius adspiciemus.

Postquam autem iustitiae Dei satisfactum est, per poenam unius innocentis, misericordiam exercuit erga genus humanum, et servat reliquos. Ideo hic dicit Christus, se fieri *λύτρον*, die Bezalung.

Comprehenduntur autem in pretio haec tria:

1. Quod sit magnus cruciatus.
2. Et quod sic sentiat iram Dei contra peccatum, sicut nos sentire oporteret.
3. Quod hoc valeat pro aliis.

Iam consideremus, quales poenas tulerit Christus. Non solum perfert has corporis lacerationes, quas oculi hominum viderunt, sed etiam fert dolores in corde, in quibus sentit iram Dei adversus genus humanum, talem, qualem nos sentire oporteret, si non essemus redemti. Iacet ergo coram Deo, quasi ipse se polluisset tantis sceleribus, quanta nos fecimus, et quia ipse magis videt iram Dei, ideo magis dolet.

Sed quia filius, et innocens est, ideo haec poena valet pro aliis, et ipse paciscitur. Agnoscamus ergo aliquo modo iustitiam Dei, et magnitudinem irae Dei, expavescamus nos quoque, et doleamus, quod nimis securi sumus, et non sentimus magnum timorem irae Dei.

Deinde etiam accipiamus hoc tantum beneficium fide, et vere statuamus, nos propter Filium recipi. Sciamus tantae poenae contemtores esse, qui non credunt, pro ipsis eum satis magnum pretium fuisse.

Tertio laetemur, et agamus gratias Deo, et Filio, quod sic nos redemit.

Quarto, moti tanta ira, et moti debito gratitudinis, desinamus peccare, et semper sit in conspectu magnitudo istius poenae, ut iudicium et iram Dei magnifaciamus. Semper cogites: Ecce filius Dei iacuit in conspectu Patris, sudans sanguinem propter tua peccata, cur tu contemnis iram Dei? etc.

Ita copiosa doctrina est in uno vocabulo pretii.

Ecce duo coeci sedentes secus viam audierant, quia Iesus transiret, clamaverunt dicentes, etc.

Potest breviter recitari communis doctrina de miraculis.

Et addatur, quod fuerit in his fides, et agnitio Messiae, quia clare dicunt: Miserere nostri Domine fili David. Sic illi nominarunt Messiam, quia promissiones in isto populo saepe repetebantur, etc.

Caput XXI.

Ite in castellum, quod est in conspectu vestro.

Hic primum est recitanda doctrina de regno Messiae. Et initio somnium Iudaeorum de regno mundi narrandum et reiiciendum.

Secundo opponenda vera narratio de regno spirituali et aeterno, quod Messias ab initio promissus sit, cum primi parentes reciperentur post lapsum. Et quod ita condita sit Ecclesia voce promissionis, ut in ea semper sonaret haec promissio de hoc Domino, propter quem velit Pater aeternus remittere peccata, et quod velit hac fide coli et invocari, quod propter hunc Dominum remittantur peccata credentibus, et exaudiamur, et haeredes vitae aeternae efficiamur, et salvemur. Hanc doctrinam necessariam Ecclesiae Dei amiserunt Pharisaei, et saepe obscurata est, sicut et ante haec tempora a Monachis et a Papa fuit obscurata. Postquam autem iam renovata est vera doctrina, singulari Dei beneficio, simus diligentes in ea discenda et custodienda, et exercenda in invocatione.

Nunc de historia dicatur et de significatione.

Quare publice cum tali pompa ingressus est Christus tunc Ierosolymam?

Respondeo: Deus vult Ecclesiam non esse invisibilem, sed vult eam vere conspici et exaudiri in genere humano. Ideo locum certum, et gentem certam constituit, ubi nasceretur Christus, doceret, conspiceretur, ederet miracula, pateretur et resurgeret. Ideo voluit Christus conspici, non voluit latere. Et quia ipse est verus et praecipuus rex huius populi, ideo ut rex ingreditur in urbem, sed non vult dominationem politicam habere, sed regnum aeternum, in quo cum electis, quos liberavit, in omni aeternitate regnet.

Publice igitur ingreditur, ut ipse tanquam caput Ecclesiae conspiciatur, et ut credentes publice confiteantur, et ut impii redarguantur, et non possint se excusare propter ignorantiam.

De significatione.

Significatio autem dulcissima est piis. Et ordine considerentur personarum discrimina in hoc spectaculo:

Filius Dei sedet in duabus asinis, domita et indomita, id est, colligit Ecclesiam ex populo legis, et ex gentibus.

Et Apostoli et multi pii comitantes, et alii obviam euntes, sunt vera Ecclesia, confessione celebrant Messiam, voce, palmis, ramis olivarum, et substernendis vestibus.

Vox: Osianna filio David, benedictus, qui venit in nomine Domini.

Haec clara confessio est, qua adfirmant, hunc virum esse Messiam, et orant Deum, ut hoc regnum adiuvet, et fatentur hunc esse benedictum semen, de quo loquitur promissio: In semine tuo benedicentur omnes gentes.

Item totus hic Psalmus est Prophetia de Messia, et cantabatur in festis assidue tanquam precatio, petens adventum Messiae.

Palmae significant tribui ei laudem, quod sit victor.

Frondes oleae tribuunt ei laudem, quod adferat pacem, et quod ipsi ab eo petant pacem.

Et fuit usitatum sic excipere reges victores in triumphis.

Vestes substernere, est iuvare ministerium Evangelii nostris facultatibus. Imo propter confessionem vestes, id est, corpus etiam amittere.

Tertius gradus personarum sunt impii sacerdotes, irascentes populo et Christo, qui iubent tacere canentes Psalmum, sed Christus obiurgat eos.

Huius triumphi res significatae geruntur semper in Ecclesia. Nunc quoque cum venit filius Dei, videlicet, cum vere excitat ipse docentes Evangelium, et est efficax ipse per vocem Evangelii, non est inutilis vox Evangelii, sed aliqui convertuntur, agnoscunt et fatentur eum esse Messiam.

Hi canunt ei: Benedictus qui venit in nomine Domini. Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli, etc.

Gerunt palmas et oleas. Vos quoque canitis hoc modo, et geritis palmas et oleas, quando confessio sonat, quod non velitis doctrinam recipere contrariam Evangelio.

Et vestes substernite, id est, iuvate ministerium vestris facultatibus.

Contra nunc quoque videtis hostes Evangelii: Papam, Episcopos, Canonicos, Monachos, Reges et Principes, qui defendunt idola, et adversantur verae doctrinae sonanti in Ecclesiis nostris.

Haec de historia, et de significatione breviter dicta nunc sufficiant.

Post ingressum sequuntur miracula, quae sunt testimonia, quod sit verax doctor a Deo missus, et non sit deceptor.

Primum est, quod purgat templum. Hoc proprium officium est Messiae, docendo et efficacia Spiritus emendare doctrinam, convertere homines, et perdere sua divina potentia blasphemos. Haec tunc fiunt simul, docet, convertit multos, sanat aliquos, et expellit ex templo ementes et vendentes.

Ex ore infantium et lactentium etc.

Hanc sententiam in hac historia prodest meminisse. Continet autem tres insignes doctrinas.

Prima doctrina.

Prima haec est: Testatur hoc dictum, Deo placere infantes in Ecclesia, sicut et haec dicta: Non est voluntas Patris, ut pereat unus de parvulis istis. Item: Sinite parvulos venire ad me, etc.

Haec testimonia meminerimus, ut consolentur nos in omnibus periculis infantium, et agamus Deo gratias, quod recipit infantes, et eos ipsi commendemus propter haec dicta. Curemus etiam eos baptizari, et baptismum magnifaciamus, quia haec dicta non pertinent ad infantes alienos ab Ecclesia, super quos non est invocatum nomen filii Dei.

Secunda doctrina.

Secunda doctrina, quod Deo placeant invocatio et obedientia et studia pueritiae. Hoc praecipue confirmatur hoc ipso exemplo, quia hi pueri erant tales, qui iam incipiebant discere literas et doctrinam de Deo, et de Messia, et quidem aliquid norant de Messia.

Cum igitur talium invocatio et studia placeant Deo, parentes sint seduli in adsuefaciendis pueris ad precationem et ad discendum. Hic sibi proponant dictum Pauli Ephes. 6.: Educate pueros in disciplina et doctrina Domini.

Duo praecipit, ut pueri doceantur, et quidem de Deo, secundo ut honesta disciplina mores regantur, non concedatur licentia potandi, helluandi, scortandi, et alia delicta faciendi, sicut nunc dissolutissime vivit adolescentia, et miserabiliter corrumpitur sodalitiis pravis et exemplis.

Tertia doctrina.

Tertia doctrina gravissima est, et nobis senibus consolationem egregiam proponit.

Nos senes etiam sumus pueri, et valde infirmi. Multa enim non intelligimus, et habemus magnas infirmitates in corde, multa stulte facimus. Etsi autem multa non intelligimus, tamen Deus accipit invocationem, approbat obedientiam quanquam mendicam. Recipit et curat et defendit nos, sicut mater pueros. Imo amplius dicit hic versiculus: Deus magnas res efficit per nostram invocationem, confessionem, ministerium docendi. Ideo inquit: Perfecisti laudem. Deus perficit suam laudem, colligit Ecclesiam, reprimit Diabolos, dat nobis bona praesentia et aeterna, per hanc vocem sonantem in Ecclesia, per homines infirmos: nam ad nos omnes pertinet dictum: Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem.

Quare autem dicit: lactentium? Quia significat nos omnes in Ecclesia ali lacte divino, id est, verbo Dei et Spiritu sancto. Non fiunt illa salutaria opera virtute humana. Et hic discamus, Deum velle nobis opitulari, sicut saepissime dicitur: Petite et accipietis. Item: Sine me nihil potestis facere. Qui manet in me, fructum copiosum feret. Ego sum vitis, vos palmites.

Mane rediens in urbem, esuriebat, et vidit ficum, etc.

Haec est dies proxima post diem palmarum, rursus plena maximorum certaminum in templo, et eo die illas horrendas imprecationes dixit: Vae vobis Scribae et Pharisaei. Et multas utiles conciones habuit de discrimine regni Messiae et regni mundani, de poenis incredulorum, de differentia verorum et falsorum cultuum.

Prima historia est
de maledictione ficus, et de efficacia fidei.

Historia per sese est miraculum, et est testimonium de doctore et doctrina, sicut alia multa miracula. Nec indiget alia longa declaratione, nec opus est hic disputatione, quomodo fuerint in Christo, fames, sitis, defatigatio corporis, et deinde alii adfectus, ira, laetitia, et tristitia.

Quanquam fuit sine peccato, tamen natura humana in eo fuit vere natura humana integra, habens omnes potentias humanae naturae proprias, vere esuriit, vere sitiit, vere tristatus est.

Significatio autem in ficu proposita est. Ficus significat synagogam quolibet tempore, id est, tunc populum Iudaeorum, et nunc Papam et Monachos, id est, illos, qui sibi titulum arrogant Ecclesiae, et habent folia, id est, veram doctrinam, et veros cultus, sicut etiam alias folia fici significant hypocrisin. Ut Adam et Heva tegunt se foliis fici, id est, natura humana, postquam amisit veram iustitiam, deinde illam suam deformitatem tegit qualicunque specie iustitiae externae etc. Et haec tamen non liberat a peccato et morte.

Sicut igitur ficus arefacta est post maledictionem: sic arefacta est synagoga, et arefient omnes pompae Pontificis et Episcoporum et Canonicorum et Monachorum, et deinceps, cum alii etiam relinquent verbum et veros cultus, tunc etiam arefient.

Sequitur doctrina
de efficacia fidei.

Valde magnifica promissio hic proponitur, quae et postulat fidem, et adfirmat invocationem in fide efficacem esse. Et additum est iuramentum:

Amen dico vobis, omnia, quae petetis in oratione vestra credentes, accipietis.

Observa particulam *omnia*, et discas, quomodo recte et vere intelligenda sit: omnia, scilicet bona, quae non pugnant cum mandatis Dei. Et primum scias, omnia sine ulla exceptione impetrari, quae sunt necessaria ad salutem animae, ut remissionem peccatorum, et donationem Spiritus sancti, et vitam aeternam. Haec bona no-

minatim petenda sunt, et nominatim haec ipsa certo dari et impetrari omnia credas, sicut et alibi dicitur: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus?

Deinde de bonis corporalibus sic intelligas: dat etiam omnia necessaria corpori, sed non in specie, nec eodem modo. Et tamen dat bona corporis, alias aliter, quia vult nos etiam subiectos esse cruci. Non dat tibi regnum Galliae, quia nec singulis talia necessaria sunt, sed tamen dat tibi victum, sanitatem corporis, meliorem statum filiorum et filiarum etc.

Sed hic opponitur: Imo saepe sinit nos paupertatem magnam habere, sinit nos aegrotare, ut Iob, imo sinit etiam sanctos mirabiliter interfici, ut Ionathan.

Ad haec respondeo: Ideo dictum est de corporalibus, quod non det eodem modo. Dat quidem omnia necessaria, sic, ut vel illa ipsa bona det, quae petimus, ut Davidem reducit in regnum, vel certe mitiget malum, et det alia bona, ut Ionathan consolatur in corde, et servat eius posteritatem.

Quod autem non dat eodem modo omnia corporalia, ideo fit, quia vult nos subiectos esse cruci, ut Iob, aliquando etiam punit nos, ut Davidem.

Sed hanc regulam teneas firmissime: Invocationem factam in fide, nunquam irritam esse etiam in corporalibus, quia semper aut impetrat nominatim hoc bonum, quod petivit, aut mitigationem, ut saepe dicitur: Petite et accipietis. Item: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.

Addit autem Christus in hoc dicto: Si non dubitabitis. Item: Credentes. In his verbis praecipitur fides. Non sic cogites: Ego quidem petam, sed nescio an prosit mea petitio, fortassis Deus meas preces non recipit. Imo sic statuas certissime, vere audiri propter Filium tuas preces, et non fore irritas, et retineas spem et exspectationem auxilii, ut sint fides et spes simul, quae nunc sunt vera fides et vera spes, quando sentis te hac ipsa fide et spe habere cor quietius, et aliquomodo acquiescens in Deo.

Dicetis huic monti.

Figura est, quia non vult Deus miracula ex curiositate fieri, sicut Diabolus tentat Christum, et iubet eum volare. Deus vult res necessarias peti, et in talibus necessariis iuvat nos saepe supra naturam. Ut cum filii Israël veniunt ad mare rubrum, nec possunt effugere, nisi mare eis cedat, et viam praebeat, hic Deus insigni miraculo eis opitulatur. Et ibi dicit Deus monti, id est, Pharaoni, et eius potentiae: Abiiciaris in mare. Significat enim mons potentiam magni regis aut principis. Et hac similitudine hoc ipsum ostendit Dominus, quod Ecclesia suis precibus et fide sit superatura et repressura reges et principes. Ideo simus ardentiores in petendo. Sicut Elisaeo non potuerunt nocere hostes. Esaias et Ezechias vicerunt Sennacherib, petendo auxilium a Deo. Danieli nec principes nec leones nocere potuerunt. Sic Deus inter medios hostes servat omni tempore multos. Imo Ecclesia fere semper undique circumdata est hostibus, et inter insidias Diaboli et tumultus mundi mirabiliter servatur, iuxta illud: Ecclesia est sicut rosa inter spinas. Item: Dedi dilectam animam meam in medium inimicorum eius. Nominat Ecclesiam animam suam, id est, carissimam, hanc, etsi est carissima, tamen ait circumdatam esse hostibus, et inter hos mirabiliter protegitur, quia est carissima Deo.

Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum principes Sacerdotum et seniores populi dicentes: Qua potestate haec facis?

Differentiam peccatorum scire valde necessarium est. Tres gradus sunt.

Unus est peccata et infirmitates, quae nobiscum nascuntur, ut dubitationes, vitiosae inclinationes ad iram, ad amores vagabundos etc. Item ignorantiae multae.

Secundus gradus est contra conscientiam violare mandata Dei, ut adulterium, furtum, homicidium etc. Hi duo gradus etsi sunt peccata, et Deus valde eis irascitur, et ea punit, tamen possunt remitti, et remittuntur agentibus poenitentiam.

Sed tertius gradus est blasphemia: Cum agnitam veritatem oppugnat aliquis sciens et convictus evidentia testimoniorum scripturae vel miraculorum, et tamen pertinaciter adversatur, vel regni causa vel ambitione, vel odio, vel quocunque modo Diabolico odio ardens, ut nunc Papistae Sacerdotum coniugia improbant et defendunt impias Missas, et invocationem mortuorum.

Tales tunc erant Pharisaei, qui quanquam manifesta miracula videbant, tamen interrogant: Qua potestate haec facis? Ideo Christus eorum peccatum discernit ab aliis gradibus. Alii perveniunt ad poenitentiam, et convertuntur. Vos Pharisaei peribitis, nec vultis converti.

Hos gradus diligenter consideremus, propterea hic dicitur: Meretrices et publicani praecedent vos in regno Dei.

Ac ut pertinacia Pharisaeorum sit conspectior, facit mentionem Christus praedicationis Iohannis, quasi dicat: Iam antea ostendistis impietatem et pertinaciam vestram, quia voluistis audire Iohannem, cui Deus testimonia dederat in nativitate, quia natus est ex matre anu et sterili. Et Angelus expresse dixerat, eum fore testem Messiae.

Sed huius praedicationem pertinaciter contemsistis, nunc meam contemnitis. Et addunt Pharisaei impietatem impietati, quod dicunt contra conscientiam, se nescire, an Iohannes fuerit a Deo missus.

Postea proponit exemplum de agentibus poenitentiam, et non agentibus.

Homo quidam habuit duos filios. Alter dixit se non iturum in vineam, et agens poenitentiam, ivit. Alter dixit se iturum, et non ivit. Hic perseverans in contumacia, plus peccat. Tales inquit esse Pharisaeos.

Aliam parabolam audite.

Homo quidem erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, etc.

Paterfamilias plantavit vineam, id est, Deus elegit populum Israël. Et circumdedit sepem, id est, legem. Et fecit ibi torcular, id est, ministerium doctrinae. Et aedificavit turrim, id est, dedit eis regnum et templum. Et elocavit agricolis, id est, semini Iacob. Et abiit, et misit servos, id est, Prophetas quolibet tempore, Eliam, Elisaeum, Esaiam, Zachariam, Ionam, Ieremiam, hos interfecit populus. Tandem misit filium, hunc quoque interfecit populus.

Et quidem ut signa pertinaciae et blasphemiae describeret, nominatim dicit, eos excusso Domino velle proprium regnum constituere. Occupemus, inquiunt, haereditatem, sicut postea in passione dicunt: Nolumus hunc regnare super nos.

Haec blasphemia, et hic morbus est causa omnium malorum. Impii volunt ipsi suo iudicio, sua sapientia, suo arbitrio constituere religiones, et regimina, et inflectunt religiones ad suam commoditatem, et non volunt pati gubernatorem Deum. Semper in corde clamant: Nolumus hunc regnare super nos. Haec est horrenda insania, contemnere Deum, et velle religiones et regna constituere utilia nobis, quasi nihil sit Deus, sicut reges Israël, sicut Nabogdonosor statuam erigit, sicut Antiochus et alii multi voluerunt religiones et cultus instituere suo arbitrio, quasi nihil sit Deus, sed ipsorum sapientia sit gubernatrix et non Deus.

Hoc malum in mundo saepe grassatur, et iam etiam grassatur. Papa et reges etiam volunt constituere statum, qualem ipsi volunt, excusso Deo, et clament sicut Iudaei: Nolumus hunc regnare super nos.

Hoc peccatum discamus intelligere et fugere, et Deum oremus, ut in hanc coecitatem non ruamus, sed semper toto corde oremus, ut filius Dei sit gubernator noster, ut ipse regat, ut haereditas regni penes ipsum maneat.

Hic duo contraria sunt.

Hic est Filius meus dilectus, hunc audite.
Et, Nolumus hunc regnare.

Obtemperemus Deo praecipienti, ut Filium audiamus, sicut et in Psalmo dicitur: Osculamini filium. Et poenae adduntur contra filii contemtores: Cum exardescet ira eius. Et hic de poena dicitur: Malos male perdet. Perdidit Deus tales contemtores inde usque ab initio, in diluvio, in poena populi Israël, et deinde deleta Ierosolyma, sic etiam perdet Canonicos, et Episcopos et Monachos.

Sequitur dictum Psalmi.

Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est caput anguli.
A Domino factum est hoc, et est mirandum in oculis nostris.

Hunc dulcissimum versiculum debetis meminisse omnes, et illi, qui legere possunt, totum hunc Psalmum saepe legant, quem quidem Iudaei tunc singulis Sabbatis cantabant, et mirum est, tantam fuisse coecitatem, ut intelligere noluerint. Praedicit autem clare Messiam passurum esse, et

tamen postea regnaturum esse, et collecturum aeternam Ecclesiam. Multa igitur docet nos hic brevis versiculus, videlicet:

Quod Messias venturus fuerit et passurus, et quod ipsa Synagoga sit adversatura Messiae, et quod Messias sit futurus victor, et collecturus Ecclesiam ex gentibus et Iudaeis.

Caput XXII.

Simile est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, etc.

Usitata est similitudo, conferre foedus et amorem filii Dei erga Ecclesiam, cum nuptiis.

Item Evangelii praedicationem cum ipso convivio nuptiali.

Et si haec misera natura non ita vagos et impuros amores haberet, illustrior haec similitudo esset. Et haec ipsa similitudo ad Ephes. 5. recitatur et in Psalm. 45.: Eructavit cor meum verbum bonum, ubi dicitur: Concupiscet rex decorem tuum, quia ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et hic amor filii saepe cogitandus est: Sic nos amavit in primo lapsu, ut esset pro nobis deprecator. Sic nos amat deinceps, ut sit factus victima pro nobis, et ut semper curet, exaudiat, iuvet, salvet nos ipsum invocantes.

Et videte quomodo Psalmus dicit: Et concupiscet rex decorem tuum. Quam mira est haec descriptio? Qualis est decor Ecclesiae? Misera Ecclesia adhuc est morbosa, circumfert carnem vitiosam, et praeterea est onerata calamitatibus summis, morte, et persecutionibus variis. Qualis species est Adae et Hevae, stantium iuxta cadaver Habel?

Qualis est species David fugientis, et omnium Martyrum? Qualis species nunc est nostra? sumus miserrimi. Sed huic speciei has consolationes opponamus, quod rex noster, filius Dei, pronuntiat nos pulcros esse, et quidem concupiscit nos, simus contenti, quod nostro sponso placeamus.

Vicissim autem docet hic Psalmus, quomodo hic sponsus excipiendus et amandus sit. Iubet, ut eum adoremus, et nominatim dicit esse Deum, ut textus inquit. Vult igitur eum timeri, vult ei credi, vult eum invocari, et vicissim diligi, ut sponsum et salvatorem.

Haec breviter dicta sint de his nuptiis, sed dolendum est, quod hanc tantam bonitatem Dei, et tantam magnitudinem amoris erga nos non curant homines.

Hoc narrat iam similitudo, dicit vocatos ad convivium non venire, imo etiam occidere doctores, Prophetas et Apostolos, qui vocant genus humanum ad hoc convivium. Et nominatim praedicit hic Christus huic populo Iudaeorum interitum. Et dicit postea, Ecclesiam ex gentibus colligendam esse.

In his concionibus semper de poenis ingratitudinis mundi cogitandum est, ut nos ad timorem Dei et ad poenitentiam exsuscitemus.

Item discenda est doctrina, quod gratis propter filium Dei, non propter legem recipiamur.

Postquam autem dixit de illa nova Ecclesia collecta ex gentibus, hic rursus ostendit discrimen vere credentium et hypocritarum, qui secundum externam speciem sunt in Ecclesia et in convivio, et tamen non vere credunt, non vere adorant sponsum, non habent, inquit, vestem nuptialem. Omitto autem longas et multiplices disputationes de veste, et dico simpliciter: Vestis nuptialis est vera et viva fides, quae in vera poenitentia sentitur, et erigit corda, et accendit invocationem veram, spem et confessionem, et alios fructus, qui sequi debent. Haec fides vera, non simulata, est vestis nuptialis, sicut in Hosea dicitur: Desponsabo te mihi in fide.

Et in hoc ipso Psalmo dicitur: Audi filia, et vide, et inclina aurem tuam. Hic sponsus vult se audiri, vult nos aures inclinare, id est, vera fide amplecti Evangelium etc.

Discamus igitur hoc loco haec tria:

1. Quod veri cultus in Ecclesia sint, haec fides et vera poenitentia, vera invocatio, spes et dilectio.

2. Quod in Ecclesia, in hac vita sint mixti vere credentes et hypocritae, et non offendamur, quod non omnes in Ecclesia sint sancti et firmi, sed sciamus Ecclesiam tale corpus esse, quod multos continet malos. Et tamen certum est, nusquam esse Ecclesiam Dei electam, nisi in hoc ipso coetu vocatorum, in quo simul multi sunt hypocritae. Non igitur currendum est in solitudinem, ut eremitae fecerunt, nec faciendae aliae congregationes clam, sicut Anabaptistae fecerunt. Sed

maneas in hac Ecclesia, ubi audis filium Dei, huic inclina aurem.

3. Sequitur poena impiorum, et nominat tenebras, quae foris sunt, id est, extra regnum coelorum sunt tenebrae, et stridor dentium, id est, horribiles pavores et dolores, de quibus cogitemus, ut timentes iudicium et iram Dei, convertamur ad Deum, et quaeramus hunc nostrum sponsum, filium Dei, vere nos diligentem ardenti amore.

Multi sunt vocati, pauci electi.

Consolatio est et comminatio.

Consolatio pro piis, qui cum vident multos deficere, item multos in Ecclesia vivere in manifestis sceleribus, offenduntur, et disputant secum, an talis coetus possit esse vera Ecclesia Dei, in qua tam multi sunt leves, inconstantes, item alioqui contaminati manifestis delictis. Sed in multis concionibus pingit Christus talem speciem Ecclesiae, ut significet, in hac vita Ecclesiam esse et fore coetum magnum, in quo sunt et erunt multi hypocritae. Sed tamen in hoc ipso coetu sonante Evangelium, est et erit Ecclesia electorum, et non alibi. Haec consolatio primum in hoc dicto consideranda est.

Sequitur comminatio contra negligentes.

Omnes comminationes in tota doctrina coelesti a principio mundi usque finem ideo proponuntur, ut aliqui moti admonitione et comminatione Dei convertantur, sicut ostendit historia Ionae.

Et omnes comminationes intelligantur cum hac exceptione, quod agentibus poenitentiam Deus velit remittere peccata. Et conferatur huc iusiurandum: Vivo ego, nolo mortem peccatoris.

Sed hic obiiciunt multi: Si electio Dei salvat, nihil opus est nostra conversione. Et si quis non est electus, nihil prodest ei conversio. Contra hunc perniciosum errorem necesse est omnes homines recte doceri, et bene confirmari.

Ac primum teneatur haec regula: Nos de voluntate Dei debemus iudicare ex verbo revelato, et non ex ullis aliis imaginationibus. Nec debemus quaerere Deum sine ipsius Evangelio.

Iam in Evangelio docuit, quomodo recipiat hominem, et quomodo reiiciat. Certum est, quod recipiat agentem poenitentiam et credentem. Hanc sententiam firmissimam retineas, quae etiam sine ulla dubitatione verissima est. Et quando homo sic discedit ex hac vita, agens poenitentiam, et credens, tunc sine ulla dubitatione est electus.

Oportet tamen in hac vita fieri conversionem, iuxta illud: Sis fidelis usque ad mortem. Id est: Incipias in hac vita, et in morte non abiicias fidem.

Econtra certissimum est ex Evangelio, displicere Deo omnes, in quibus non est poenitentia seu conversio, et qui contemnunt Evangelium. Et si quis sic discedit sine poenitentia et sine fide, is haud dubie reiectus est, sicut Iohannes inquit: Qui non credit in Filium, ira Dei manet super eum.

Haec scire de voluntate Dei et de electione vel reiectione satis est, nec aliam voluntatem quaerito, sed iuxta hoc verbum iudicato, quod vere est lucerna sanctorum.

Secundo, cum haec scias, quod verissimum sit, agentem poenitentiam et credentem recipi, et electum esse, si sic discedit, et quod oporteat in hac vita fieri conversionem: incipias conversionem, et iureiurando Dei te consoleris: Vivo ego, nolo mortem peccatoris, etc. et non sis blasphemus contra filium Dei, non cogites, quod frustra missus sit.

Confirmes te etiam his promissionibus universalibus: Venite ad me omnes, qui laboratis etc. Omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit. Deus vult omnes homines salvos fieri.

Tertio non remoretur te haec imaginatio, quod non possis efficere conversionem. Imo potes, Deo iuvante, et ipse vere vult iuvare, et iuvat petentes, iuxta illud: Quanto magis Pater coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus? Deus non cogit, non trahit te sicut lapidem, repugnantem et nolentem, sed te quoque velle oportet. Et quando vis et petis, certissimum est, te ab ipso iuvari. Hae consolationes vere sunt et necessariae omnibus, et magnum et perspicuum argumentum est, quod Deus vere iuvet confugientes ad filium.

In Deo non sunt contradictoriae voluntates.
Promissiones sunt universales.

Ergo verissimum est, quod omnes recipit et vult iuvare, cum dicat: Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.

Tu igitur videas, ut in illam promissionem te includ s, nec dubites te quoque recipi et exaudiri. Et aliter de voluntate Dei sentiens discedit ab eius verbo, et non iudicat de Dei voluntate iuxta verbum, sed iuxta humanas et peregrinas imaginationes.

Tunc euntes Pharisaei consilium inierunt, ut eum caperent in sermone.

De censu.

Priusquam de quaestione Pharisaeorum dicam, prius dicendum est de illa ipsa historia, quae fuerit pecunia, et quod tributum, de quo interrogant, inde poterit intelligi, quam speciosam causam habuerint Iudaei, non dandi huius tributi Romanis.

Historia Exodi 30.

Deus mandavit singulis hominibus in Israël, qui attigerant vicesimum annum, dare quotannis templo didrachmum, quod valet nostra pecunia unum quadrantem aurei Rhenani. Hac pecunia voluit Deus conservari aedificium templi, et reparationem librorum, et instrumentorum, item, iuvari pauperes Sacerdotes, et viduas et orphanos, et in summa, hic erat praecipuus thesaurus in hac tota gubernatione. Et erat pecunia magna. Credo illo tempore Christi circiter tres tonnas auri quotannis fuisse, quia in magna gubernatione opus est pecunia.

Cum autem Romani viderent, quotannis tantam pecuniam ad templum conferri, metuebant, ne Iudaei, qui alioqui facile movebant seditiones, instructi hac pecunia, facilius rebellarent, hanc pecuniam ad Romanum fiscum transtulerunt, quia inde facile praesidia alere poterant.

Iudaei autem aegre ferentes suae reipublicae tantam pecuniam eripi, passim disputabant, hanc pecuniam Romanis non dandam esse, et speciosam causam allegabant:

Templum et iura templi oportere defendi, et Deum piae causae adfuturum esse, sicut tempore Maccabaeorum adfuerat defensoribus templi.

Haec autem pecunia iure divino erat attributa templo.

Ergo propter hanc pecuniam bellum movendum esse ratiocinabantur.

Hoc argumentum valde speciosum est, et difficulter solvi potest. Cum igitur esset periculosa quaestio, proponunt eam Christo, sciebant enim, offensurum esse alterutros, Romanos aut populum.

Sed Dominus respondet eis acute. Et simul de duabus maximis rebus eos docet, obiurgat eos, quod tumultuabantur de pecunia, et negligebant alia principalia templi iura, scilicet veram doctrinam, et veram invocationem, et iubet eos servitutem ferre in re corporali. Haec est brevis summa huius quaestionis, in qua multa sunt discenda.

Primum sicut Deus ea lege praecipit, dari quotannis aliquid ad templum, ita sciant homines singulos debere adiuvare conservationem ministerii Evangelici, pro suis facultatibus. Et impie faciunt plurimi homines, qui nihil volunt conferre ad ministerii conservationem. Et propter hoc peccatum Deus punit homines, ut in Aggaeo expresse scriptum est: Ideo messes esse tenuiores, quia negligant aedificationem templi, et tantum privatas aedificationes curent.

Secundo, ad intelligendum argumentum Pharisaeorum opus est scire: Duo genera esse promissionum.

Una est praecipua promissio gratiae, quae est universalis, et promissa propter filium gratis, omnibus fide accipientibus. Hanc promissionem certo vult Deus ratam esse omnibus, quolibet tempore, cum accipiunt eam fide, sive corporalia bona habeamus, sive eripiantur nobis corporalia bona. Ideo recte dicit Iob: Etiamsi occidet me, sperabo in eum. Et Dominus inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Item Esaias: Ubi habitabit Dominus? In contritis et adflictis. Non igitur abiectus est homo a Deo, propter calamitates. Et sapientia necessaria est Ecclesiae, scire, quod Deus velit nos retinere hanc verissimam consolationem, quod necesse sit Deo credere, et promissionem gratiae retinere, etiam cum magnis poenis opprimuntur. Ut David recte facit, quod retinet promissionem gratiae, etiam cum iustis poenis obruitur. Saul non recte facit, quod abiicit promissionem gratiae, et deficit a Deo, postquam sentit poenas.

Imo Deus ideo exuit nos omnibus bonis corporalibus, ut fidem probet, an firmius adhaereamus suo verbo, quam bonis corporalibus. Haec diligenter consideranda sunt, et hoc breve dictum

Iob sit infixum animis: Etiamsi occidet me, sperabo in eum.

Aliae sunt promissiones bonorum corporalium, quia verum est, hanc vitam corporalem Ecclesiae etiam curae esse Deo, sicut Psalmus dicit: Non mortui laudabunt te Domine. Promisit igitur bona corporalia, et vult ea a se peti et exspectari. Sed hae promissiones semper intelligendae sunt cum exceptione crucis et castigationis. Deus saepe punit sanctos et propter aliqua peccata eripit eis bona temporalia. Sicut eripit Davidi regnum, et totum populum mittit in exilium in Babylonem. Et quotidie multos etiam sanctos punit propter peccata.

De his promissionibus sciendum est, quod Deo debemus obedientiam in poena, et nostram conversionem et fidem in illa obedientia ostendere, et petere poenarum mitigationem. Ita Deus mitigat rursus poenas. Sic populo Israël fuit promissa libertas et patria certa. Sed propter peccata saepe venerunt in servitutem et in exilium. Ibi in exilio debebant esse obedientes, et converti ad Deum, et petere liberationem. Nec fuit peccatum, aut aliquid contra legem, pati exilium.

Sic tempore Christi non fuit peccatum, amissio illius pecuniae, sed fuit poena corporalis, quam tolerare debebant.

Hoc satis sit dictum de discrimine promissionum, et hanc doctrinam bene meminisse debetis.

Nunc dicamus de argumento Pharisaeorum.

Iura templi sunt defendenda, scilicet, doctrina et verus cultus debent defendi et retineri debitis modis, docendo et confitendo et patiendo. Cum vero pecunia eripitur, non est peccatum, sustinere poenam, imo peccatum esset, tunc movere seditiones, quando Deus non dat duces idoneos.

Pharisaei multum vociferabantur de pecunia, et negligebant doctrinam et veram invocationem. Ideo Christus invertit argumentum contra ipsos: Iura templi sunt defendenda, scilicet, recte docendo, et veris cultibus. Haec date Deo, haec sunt debita Deo, cur de pecunia clamatis, et negligitis veram doctrinam? Iura templi immutabilia sunt, vera doctrina et veri cultus.

Sed pecuniae collatio est res mutabilis, cum Deus punit nos amissione pecuniae, ferenda est poena. Et tamen veram doctrinam et cultus pios retineri oportet.

Ideo Christus inspicit numisma, ut eos convincat, quod iam sint in servitute: Estis servi, et iam victor abstulit vobis hanc pecuniam. Mementote igitur, vos puniri, et convertimini ad Deum.

Et quia ibi nominatur Caesar, etiam duae commonefactiones simul significantur.

Prior commonefactio: Cum sit quarta Monarchia, et vos habeatis in ipsa terra peregrinos magistratus, Romanum praesidem, cogitate tempus adesse, quo Messiam venturum praedictum est.

Altera commonefactio: Cogitate finem esse totius politiae vestrae, et templi vestri. Ideo frustra iam de pecunia disputatis.

Est ergo et haec altera solutio argumenti: Iura templi sunt defendenda, et Deus aderit, scilicet, donec vult manere hoc templum.

Haec sunt iura templi, scilicet, donec venit Messias, sed iam adest Messias, ergo iam non dimicandum est de tributo.

Haec est summa huius narrationis, in qua praecipue haec duo observate:

Primum quod necessaria est collatio ad ministerium Evangelii.

Secundum, quod differentia est inter promissionem gratiae, et promissiones bonorum corporalium.

De dictis istis.

Date Deo, quae Dei sunt, et Caesari, quae sunt Caesaris.

Tria hic continentur.

1. Ordo praeceptorum, ut mandata Dei anteferantur humanis.

2. Qui cultus veri sint Dei.

3. Quae obedientia potestati tribuenda sit, et quae res sint potestatis.

De ordine perspicua doctrina est, iuxta regulam: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Quandocunque non congruunt mandata hominum cum mandatis divinis, tunc necesse est omittere humana mandata et obedire divinis, ut fecerunt Israëlitae in Babylone non volentes adorare statuam.

Ita et nunc debemus facere, cum mandatur, ut Papistica Missa restituatur, vel fiat invocatio mortuorum, vel falsa doctrina recipiatur, necesse est contradicere. Item pii Sacerdotes, qui non

sunt idonei ad coelibatum, debent honestum coniugium contrahere.

Ex talibus exemplis potest intelligi regula: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus. Haec regula debet regere et discernere omnes leges.

Date Deo, quae Dei sunt.

Quinam sunt cultus proprii Dei?

Brevis et amplissima responsio est: Totius Decalogi opera, recte intelligendo Decalogum, sunt veri cultus Dei. Et hi cultus iusto ordine sunt tribuendi Deo, iuxta illud: Si vis ingredi in vitam, serva mandata. Item: Lucerna pedibus meis verbum tuum.

Item Ezech. 20. In praeceptis meis ambulate, non in praeceptis patrum vestrorum.

Hanc sententiam bene mementote. Expresse prohibet sequi traditiones humanas, et contra alligat nos ad mandata Dei.

Iam propone tibi totum Decalogum, et ordine in singulis praeceptis discas, quae opera Deus postulet, et quomodo ei placeant, et quomodo fieri possint.

In primo praecepto postulat cognitionem verae doctrinae revelatam a Deo, et traditam per Christum, Prophetas et Apostolos. Et hanc totam doctrinam firma fide amplectamur.

Deinde postulat timorem, fidem, quae est fiducia misericordiae, dilectionem, spem, patientiam, humilitatem. Et placet haec obedientia fide propter Christum.

In secundo praecepto postulat praedicationem, invocationem, confessionem, gratiarum actionem, religionem iurisiurandi.

In tertio conservationem ministerii Evangelici et sacramentorum.

In quarto obedientiam debitam parentibus et magistratibus, sed eatenus, ne obtemperemus in mandatis pugnantibus cum mandatis Dei.

Et haec sequentia opera placent Deo, quando praecedunt illi cultus primae tabulae, et praelucet fides, quae est fiducia misericordiae propter Filium promissae.

In quinto postulat, ne aliorum corpora iniuriis adficiamus, et ne alios sine ordine iudiciorum interficiamus.

In sexto praecipit castitatem, id est, ne polluantur corpora vagis libidinibus, sed ut in coniugio caste vivant homines, quibus coniugio opus est.

In septimo prohibet furta, usuras, deceptiones in emendo et vendendo, etc.

In octavo prohibet omnia mendacia et calumnias, et praecipit veritatem.

Haec opera regunt totam vitam, et sunt veri cultus Dei, et Deo placent, quando fiunt, ut dictum est, in vera fide.

Hic necesse est doceri homines de aliis operibus, quae fingunt homines. Sicut semper Diabolus in mundo alia opera seminavit, ut obscuraret veros cultus: ita sunt excogitati Monachatus, privatae Missae, invocationes mortuorum, de his omnibus teneamus has regulas:

1. Corinth. 10. Fugite idololatriam.

Item Matth. 15. Frustra colunt me mandatis hominum. Simus igitur cauti et vigilantes, ne alios cultus recipiamus, qui non sunt traditi in verbo Dei.

Date Caesari, quae sunt Caesaris.

Hic confirmatur obedientia debita potestati. Et simul meta circumdatur. Iubet ut dentur Caesari aliqua, sed illa nominatim, quae sunt Caesaris.

Non omnia sunt Caesaris, videlicet, doctrina de Deo non est Caesaris, id est, Caesar non habet potestatem condendi novam doctrinam, nec mandandi, ut falsam doctrinam et impios cultus amplectantur homines.

Secundo: Non omnia corporalia sunt Caesaris. Tua uxor non est Caesaris, tua filia non est Caesaris. Imo etiam non omnes illae res, quae aestimantur pecunia, sunt Caesaris. Tua domus, tuus ager, tuus hortus non est Caesaris. Et tenentur Caesar et Principes etiam hoc praecepto: Non furtum facies.

Quae res igitur sunt Caesaris et Principum?

Tria genera sunt.

1. Honos, id est, vera reverentia erga superiores, ut te eis subiicias, et nihil contra eos moliaris, ne sis seditiosus aut contumeliosus contra eos.

2. Obedientia in externis mandatis, pertinentibus ad pacem corporalem, quae non pugnant cum mandatis Dei, ut quando praecipiunt labores militiae, aut vigiliarum, aut condunt sta-

tuta de emtionibus et venditionibus et similibus rebus.

Item obedientia in legitimis poenis.

3. Debentur eis stipendia, id est, tributa ordinaria, et alia legitima tributa, quorum talis debet modus esse, ut sint stipendia, sicut Iohannes inquit: Estote contenti stipendiis vestris, id est, sint tributa, quae ad pacis conservationem conferantur, non sint expilationes tantae, ut miser populus cum parvis liberis cogatur famem pati, sicut scriptum est Ecclesiastici 33.: Cibaria, virga, et onus asino: ita servo panis, disciplina et opus. Principes debent populum ita regere, ut tueantur disciplinam, et curent, ut populus non corrumpatur otio. Et debent eis relinquere mediocrem victum. Ne adigant miseros pueros ad famem, ne bibant sanguinem miserarum puellarum et puerorum. Et deberent principes bene considerare hoc verbum: Quae sunt Caesaris, ut discerent, non omnia esse principum, quia ipsi etiam debent obedire huic mandato: Non furtum facies.

In illo die accesserunt ad eum Sadducaei.

Hic iterum consideretur, qualis tunc fuerit forma Ecclesiae, et discamus in tanta varietate sectarum quaerere, quae et ubi sit vera Ecclesia, et sciamus nos singulos oportere esse membra verae Ecclesiae, et sit in nobis cura, ut adiungamus nos verae Ecclesiae Dei, sicut scriptum est Psalm. 27.: Unum hoc petii a Domino, hoc requiro, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Et Psalm. 84.: Beati qui habitant in domo tua Domine. Et Psalm. 92.: Plantati in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt.

Haec et similia dicta praecipiunt, ut quaeramus, ubi et quae sit vera Ecclesia, ut curemus, ut nos ipsos etiam ei adiungamus.

Iam videte, qualis tunc fuerit species. Habebant nomen populi Dei, omnes in illa politia, et tamen multi erant hostes verae Ecclesiae, erant sectae duae potentes Pharisaei et Sadducaei. Et Sadducaei adeo impii erant, ut negarent animas esse immortales, et negarent resurrectionem mortuorum, denique prorsus negabant restare aliam vitam, post hanc, sed hominum vitam credebant finiri in morte, sicut pecudum vitam, et nullum restare iudicium post hanc vitam. Cumque negarent hoc praecipuum fundamentum articulorum fidei de vita post hanc vitam, et de iudicio futuro, manifeste erant hostes Dei et Ecclesiae.

Alii erant Pharisaei, qui corrumpebant doctrinam de Messia, et nihil norant de iustitia fidei. Erant tales, quales nunc sunt Mahometistae.

Cum igitur nec Sadducaei nec Pharisaei essent Ecclesia Dei, servavit Deus tamen aliqua vera membra suae Ecclesiae, videlicet, Zachariam, Simeonem, Ioseph, Elisabeth, Annam, Mariam, et alios valde multos, qui fundamentum doctrinae integrae retinebant.

Ita nunc sunt Papistae, Monachi, Canonici, fanatici, partim prorsus sunt Epicurei, partim tollunt aliquos articulos fidei, et manifesta idola stabiliunt, et tamen nominant se Ecclesiam, et summos Episcopos Ecclesiae. Ubi igitur est Ecclesia? et qui homines sunt Ecclesia? Respondeo: Deus semper servat aliquem coetum in genere humano, qui est vera Ecclesia, custos Evangelii, hic coetus amplectitur puram Evangelii doctrinam et incorruptam, in omnibus articulis fidei, et habet verum usum sacramentorum, et non pertinaciter defendit idola. Imo damnat et fugit omnem idololatriam, quatenus eam agnoscit et intelligit. Talis coetus sine ulla dubitatione est Ecclesia Dei, in qua homines exaudiuntur et salvantur a Deo, iuxta haec dicta: Ioh. 14. Si quis diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Item Ioh. 17.: Pater sanctifica eos in veritate tua, sermo tuus est veritas.

Item Gal. 1.: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

Haec dicta utrumque docent, et quod Ecclesia Dei ibi sit, ubi vox Evangelii incorrupta est, et quod illi homines non sint Ecclesia, qui sunt hostes verae doctrinae.

Hanc consolationem teneas, et scias vere esse Ecclesiam Dei, ubicunque Evangelium recte et sine corruptelis docetur, et recte administrantur sacramenta, et non defenduntur idola pertinaciter. Et cum didicisti, quae sit vera Ecclesia, te quoque adiungas illi Ecclesiae in usu sacramentorum, et in confessione tua.

Talis est Dei beneficio Ecclesia in hoc ipso oppido, et in aliis, ubicunque eadem doctrina docetur. Et scitote vos esse in vera Dei Ecclesia, cum estis adiuncti huic congregationi.

Hanc consolationem non sinatis vobis eripi. Haec admonitio hoc tempore necessaria est, et saepe repetenda, et a vobis saepe cogitanda.

Nunc venio ad argumentum Christi de vita post hanc vitam.

Videte quam tristes tenebrae fuerint in illo populo. Sadducaei palam negaverunt vitam post hanc vitam, et quaesiverunt ridicula argumenta. Ita insaniunt homines, quando discedunt a verbo Dei, et quaerunt ipsi cavillationes pro suis opinionibus. Christus solvit eorum argumentum, et dicit in vita aeterna non futuram commixtionem talem, ut fit in coniugio in hac vita.

Postea opponit egregium argumentum:

Deus est Deus viventium, non mortuorum.
Deus est Deus Abrahae.
Ergo Abraham vivit.

Hoc argumentum continet egregiam consolationem, non solum de futura vita, sed etiam de hac vita, quod scilicet Deus vere curet nos, quia dicere, quod Deus sit Deus viventium, est dicere, quod curet, quod benefaciat, servet eos, quorum se nominat Deum, sicut in primo praecepto dicitur: Ego sum Dominus Deus tuus, id est, te curans, exaudiens, iuvans, servans.

Hoc bene consideres, et in tua invocatione semper excitetur fides, quod invoces non otiosum Deum, sed qui te verissime vult curare, exaudire, iuvare, salvare, si credis in filium.

Caeterum bene refutati sunt Sadducaei, ipsa resuscitatione Christi, et aliorum multorum, qui resuscitati sunt et conspecti a multis.

Pharisaei autem audientes, quod silentium imposuisset Sadducaeis, etc.

Interrogavit eum unus ex eis Legislator.

Audivistis pugnam cum Sadducaeis. Nunc sequitur pugna cum Pharisaeis, hos quoque refutat et vincit Christus, et taxat eorum praecipuum errorem, quod ignorabant, quis esset Messias, et quae sint eius vera beneficia, et quale futurum esset regnum. Et sicut doctrinam veram de Messia ignoraverunt, ita doctrinam de iustitia fidei nesciverunt. Has tantas tenebras hic taxabit Christus. Et sunt hic duae disputationes: prior de lege, altera de Evangelio. Hic primum necesse est nos cogitare de discrimine Legis et Evangelii. Hoc discrimen conspici in Ecclesia necesse est.

Lex est doctrina a Deo tradita, praecipiens, quales nos esse oporteat, et quid nos facere aut non facere oporteat, et requirens perfectam obedientiam, et promittens bona pro perfecta obedientia, et vere irascens omnibus, qui non praestant perfectam obedientiam, et puniens omnem inobedientiam, sicut scriptum est: Maledictus qui non manet in omnibus, quae sunt scripta in lege. Et in summa, lex est ipsa vox Decalogi, qui damnat omnes homines in hac corruptione naturae, quia nemo est sine multis et magnis peccatis, et Deus vere irascitur peccatis, sicut ibi dicitur: Deus est ignis consumens.

Vel:

Lex Dei est aeterna et immota sapientia Dei, et norma iustitiae in voluntate Dei, discernens bona et mala, communicata rationali creaturae in creatione, et patefacta postea suo verbo, ut sciamus, qualis sit Deus, et obligans omnes rationales creaturas, et vult omnes sibi conformes esse, et damnans omnes non congruentes ad illam aeternam et immotam sapientiam Dei, etc.

Sed Evangelium est praedicatio poenitentiae, et promissio remissionis peccatorum, et iustitiae et vitae aeternae, exhibendae propter mediatorem filium Dei, gratis, et accipiendae fide.

His discriminibus constitutis, iam sciendum est, quod homo non accipiat remissionem peccatorum, nec sit iustus propter legem vel sua merita, et multo minus propter Monachatus et similes ceremonias.

Sed lex ideo praedicanda est, ut ostendat et accuset peccatum, et nos territi agnita ira Dei confugiamus ad filium Dei, ut ab ipso sanemur.

Incipiunt ergo disputationem de lege: Pharisaeus interrogat, quod sit magnum mandatum in lege? Respondet Christus sapientissime de summa legis et praecipuis mandatis: Diligas Deum ex toto corde. Et secundum simile huic: Diligas proximum tuum sicut teipsum.

Quare adiecit Christus: Secundum? Hic taxat Pharisaeum, quia Pharisaeus imaginatur, longe maiora mandata esse ceremonialia, quae ipsis erant quaestuosa, quam mandatum de dilectione proximi. Et Prophetae et Christus saepe hunc errorem taxant. Et semper inter homines manent talia somnia. Papistae olim existimabant, maius peccatum esse, in die sexta comedere car-

nes; quam occidere hominem. Contra haec deliramenta dicit Propheta.

Hoseae 6.: Misericordiam volo, non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocaustum. Id est, Volo agnitionem veram Dei, timorem et fidem. Deinde misericordiam, id est, dilectionem proximi, haec ait, sunt anteferenda ceremoniis.

Ita hic Christus ponit vocabulum simile. Quare sic loquitur? Videtur certe hoc secundum, longe inferius esse primo.

Respondeo: Dicit contra illam pharisaicam opinionem, quod putabant posse negligi dilectionem proximi, et ceremonias et oblationes multo potiores esse. Imo multi etiam hoc faciebant: Committebant adulteria, et postea volebant compensare sacrificiis, sicut adhuc est opinio Papistarum de Missa. Ideo ostendit Christus, hoc praeceptum de dilectione nequaquam negligendum esse, et dicit simile esse primo, scilicet, quia obligatio similis est sub poena aeternae damnationis, et obedientia etiam fit cultus Dei, sicut cultus primi praecepti.

De secunda quaestione.

Postquam respondit Dominus Pharisaeis de lege, vult iam ostendere eorum ignorantiam, de fundamento praecipuo Ecclesiae, scilicet de Messia. Quia in Ecclesia, non satis est nosse legem, nec legis notitia discrimen facit inter Ethnicos et Ecclesiam Dei, sed notitia promissionis Messiae, et fides iuxta eam promissionem.

Hunc Mediatorem agnosci in Ecclesia oportet, iuxta illa dicta: Nemo venit ad Patrem nisi per Filium. Item: Qui non honorat Filium, non honorat Patrem. Item: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te solum, verum Deum, et quem misisti, Iesum esse Christum.

Item 1. Corinth. 3.: Fundamentum aliud poni non potest, nisi quod est positum, quod est Christus Iesus.

Haec testimonia et similia debent esse notissima omnibus hominibus, ut discant, quae sit Ecclesia vera Dei, et discant seiungere Ecclesiam veram Dei ab Ethnicis. Sed hanc totam doctrinam de Messia ignorabant Pharisaei. Hanc impiam et damnatam ignorantiam ostendit in eis haec disputatio.

Ac primum recitabimus quaestionem Domini, et postea de officiis Messiae dicemus.

Norant Pharisaei, Messiam venturum esse, et quidem ex posteris Davidis, sed imaginabantur tantum regem mundanum fore, et divisurum inter Iudaeos imperium mundi: nihil sciebant de passione Messiae, nihil de remissione peccatorum, nihil de imputatione iustitiae. In summa horribilis caligo fuit in Pharisaeis.

Interrogat igitur Dominus: Cuius filius est Messias? Hi recte respondent: Davidis, sed non possunt dicere, quomodo hoc congruat cum Psalmo, in quo Messias nominatur Dominus Davidis.

Ideo opponit Christus: Quomodo David in Spiritu nominat eum Dominum, si est filius?

Declaratio.

Hic imperitis opus est declaratione. Quomodo valeat argumentum vel obiectio. Potest enim homo rudis cogitare, non esse inusitatum in sermone, filium rustici factum doctorem vel potentem Canonicum, adpellari Dominum.

Sed dicta Scripturae non loquuntur tantum de inani vocabulo, sed Dominum intelligit David, qui revera superior est ipso.

Et est talis Syllogismus:

Nullus filius in eodem ordine regni, est Dominus patris, aut avi, ut nunquam Carolus est dignior Maximiliano, nec dominatur Maximiliano.

Messias est filius Davidis:

Ergo non poterit esse Dominus Davidis, ut vos Pharisaei imaginamini.

Hoc argumentum non posset solvi, si Messias tantum esset homo, et tantum constitueret regnum mundi. Tum vere David esset dignior quam Messias, et esset Dominus Messiae, tanquam Rex prior in eodem regno.

Firmissimum igitur argumentum Christus Pharisaeis proposuit.

Sed solutio haec est: Propter duas causas Messias est Dominus Davidis, quanquam est filius.

Prior causa est, quia Messias simul est natura filius Dei, et semper fuit et est Dominus Ecclesia, et est agnitus semper in Ecclesia, quod ei praesens adesset, custodiret et servaret eam.

Ipse fuit apud Abraham, qui etiam nominat eum Dominum, et adorat hunc Dominum.

Ipse fuit cum Mose in deserto.

David etiam loquitur cum eo, et nominat eum Palmoni et Michaël. Palmoni, id est: mirabilis, Wunderthäter, Wunderbarlich.

Michaël, quis sicut Deus? quasi dicat: Iste Dominus est sicut Deus, aequalis Patri, et per hunc et propter hunc Deus nos recipit et servat, et salvos facit.

Haec tanta testimonia omnia Pharisaei neglexerunt et corruperunt, et cogitabant nondum esse Messiam in ista Ecclesia Israël, nec fuisse apud Patres. Hae tenebrae profecto fuerunt magnae.

Secunda solutio, Messias ideo est revera Dominus Davidis, quia regnum aliud instituit aeternum, quod longe superat regnum Davidis, et dat liberationem aeternam, et bona aeterna, non, sicut David, tantum praesentes et mortales hostes repressit.

Est igitur Messias Dominus Davidis, quia in illo aeterno regno delet peccatum et mortem, et reddit Davidi et omnibus credentibus iustitiam et vitam aeternam. Imo et in hac ipsa politica gubernatione Davidis, hic Dominus Messias adest, regit in praeliis dextram Davidis, est custos totius huius Ecclesiae, et eam valde diligit, pro ea aeternum Patrem deprecatur, defendit, et salvat eam tunc quoque, cum David et alii reges regnant, qui omnes sunt tantum Ministri et organa illius superioris Domini, qui est filius Dei.

Haec nesciebant Pharisaei. Quare cum articulum fidei praecipuum de filio Dei, et de remissione peccatorum ignoraverint, manifestum est, eos non fuisse membra Ecclesiae, sed erant hypocritae similes Turcis et impiis Iudaeis huius temporis.

Haec brevis declaratio iam sufficiat. Sed nos haec duo iam consideremus.

Primum de magna coecitate in populo Dei. Cum fuerit tunc tanta coecitas in illo populo erudito et exercitato, simus nos vigilantes, et Deum oremus, ut non sinat extingui lucem veritatis inter nos.

Secundo, sicut David fatetur hunc Messiam, de quo loquitur, esse Dominum, ipsi imperantem, et a quo velit regi et salvari: ita nos quoque firma fide statuamus, hunc eundem Messiam Dominum Davidis, esse nobis Dominum, et credamus eum nobis adesse, nobis dare bona aeterna, iustitiam et vitam, defendere etiam nos in hac vita. Hanc fidem quotidie in invocatione exerceamus, confugiamus ad eum in omnibus periculis et negotiis, sicut ipse dixit: Venite ad me omnes, qui onerati estis et laboratis, et ego reficiam vos. Omnes vocat, et revera vult opem ferre, non tantum Davidi, sed etiam mihi et tibi, et nobis omnibus invocantibus eum, et recte agnoscentibus, quis sit, videlicet, quod sit vere filius Dei, et sit constitutus Mediator, Redemtor et Salvator, ut per eum et propter eum dentur nobis remissio peccatorum, iustitia, et vita aeterna, et ut per eum et propter eum etiam in hac vita protegamur. Et sciamus, quod nunc quoque vere adsit nobis, et custodiat nos sicut ipse dicit: Ecce, ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi, etc. Item: Ubicunque duo aut tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum, etc. Haec in invocatione cogitanda sunt.

Caput XXIII.

Tunc Iesus locutus est ad turbas, et ad discipulos suos, dicens: In cathedra Mosi sedent Scribae et Pharisaei, etc.

Hic incipit concio, quae praecipit diiudicationem doctrinae, et ostendit, qualis sit potestas docentium in Ecclesia.

Et primum semper in vita discerni oportet doctrinam a Deo patefactam de vera agnitione ipsius et invocatione, et traditiones humanas, et sciendum est, quid de utroque genere sentiendum sit.

Prima regula.

Sit ergo haec prima regula.

Nulla doctrina de Dei essentia et voluntate, et de nostra salute, recipienda est vel adprobanda, nisi sola haec doctrina Evangelii, tradita per Christum et Prophetas et Apostolos.

Huic soli doctrinae Deus testimonia dedit, quod ab ipso revelata sit, iuxta illud: Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit nobis.

Et hanc regulam confirmat dictum Pauli: Si angelus de coelo aliud Evangelium docebit, anathema sit.

Reiicienda est igitur constanter omnis doctrina, contraria Evangelio, sive nominetur Mahometica, sive Papistica, sive Iudaica, sive Monastica, sive Ariana, sive Manichaea.

Imo omnes opiniones, et cultus extra Evangelium reiiciantur, sed tantum sic agnoscamus et invocemus Deum firmissime, sicut se patefecit.

Secunda regula.

Ad hanc veram doctrinam propagandam et conservandam instituit Deus semper et conservat publicum ministerium, id est, vult esse electas certas personas, quae doceant et administrent Sacramenta. Et praecipit horum vocem audiri, ut Lucae 10.: Qui vos audit, me audit, et qui nos spernit, me spernit. Vult non esse conventicula in tenebris, sicut erant ethnici conventus, ubi magnae turpitudines fiebant.

Sed vult Deus palam audiri vocem Evangelii sui, vult toti generi humano filium notum esse. Ideo instituit et conservat ministerium.

Sic dicitur ad Ephesios 4.: Sedet ad dextram Patris Filius, dans dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Evangelistas, Pastores, Doctores. Et quidem ideo servat hoc ministerium, et ei adest, ut non circumferamur omni vento doctrinae. Vult unam perpetuam vocem sui Evangelii sonare omnes ministros, vult verum Deum invocari in agnitione filii. Non vult novos Deos aut novos cultus excogitari.

Idem de ministerio hic dicit: Sedent super cathedram Mosi Scribae et Pharisaei. Omnia quae dicunt, facite etc.

In his verbis primum docet, quod ministerium sit institutum, et sit necessarium, quia cathedra Mosi significat ministerium a Deo institutum. Et tale ministerium, quod sonat vocem Mosi et aliis Prophetis traditam, et in eo intellectu, sicut Prophetae docuerunt.

Nec significat Mosi cathedra traditiones humanas, pharisaicas, aut alias, excogitatas extra vocem propheticam. Quando docebant Pharisaei, sua sacrificia mereri remissionem peccatorum.

Item Messiam venturum esse, ut constituat imperia mundi etc., tunc non sedebant in cathedra Mosi, sed in cathedra pestilentiae.

Sic Papa non sedet in cathedra Petri, quando falsa docet de Remissione peccatorum, de Missa, de Poenitentia, de invocatione Sanctorum, de Coniugio, etc.

Haec distinctio diligenter observanda est, quando sedeant doctores in cathedra Mosi, id est, veri ministerii, et quando non sedeant in cathedra Mosi, sed in cathedra pestilentiae.

Et coniungi verba Christi oportet: Omnia quae dicunt, facite. Non loquitur de traditionibus humanis, quia clarissime dicitur alibi: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit. Sed loquitur de vero ministerio: Omnia quae dicunt, scilicet in cathedra Mosi, in vero ministerio, facite, quando sonant verbum Dei traditum Mosi et Prophetis. Non facite alia, quae dicunt contra vocem Prophetarum.

Quod hoc velit Christus, ipse testatur, cum mox addit: Non vocemini Rabbi. Unus est Magister vester, Christus. Id est, non fingite novam doctrinam, sed audite unicum Magistrum Christum. Hic est Filius, qui ex sinu aeterni Patris protulit doctrinam, hanc unam concordi voce sonate.

Hanc considerationem bene considerate, quia Papistae et Episcopi saepe pro sua autoritate citant hoc dictum: Omnia quae dicunt, facite. Hic sciamus oportere coniungi verba Christi, quae dicunt, scilicet in cathedra Mosi, id est, in vero ministerio, sonantes verbum traditum Prophetis, et in eo intellectu, in quo Prophetis traditum est, quia manet regula immota: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

Et sic solvit hanc obiectionem Duci Georgio Dux Fridericus Elector, cum Dux Georgius disputaret cum Duce Friderico in Grim de traditionibus Papae et Episcoporum.

Discamus autem verum ministerium venerari, et audiamus verbum Dei ibi sonans, et Deo gratias agamus conservanti ministerium, et oremus, ut conservet.

Tertia regula.

Per hoc ministerium, id est, per vocem Evangelii et Sacramenta certissimum est, Deum sibi colligere aeternam Ecclesiam, et efficacem esse, movere corda Spiritu sancto per vocem Evangelii, ut dicitur Rom. 1.: Evangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Ecce haec tanta res, scilicet hominum conversio ad Deum, et regeneratio ad vitam et salutem aeternam, non fit per alias doctrinas ullas, aut alio modo, sed fit tantum per vocem Evangelii et Sacramenta.

Nec alibi est Ecclesia electorum, nisi inter hos, qui audiunt vocem Evangelii, et Sacramentis utuntur.

Haec est magna consolatio piis. Certum est semper aliquam esse electam Ecclesiam, et haec tantum est inter hos, qui audiunt vocem Evangelii.

Unus est Magister vester.
Qui est maior inter vos, sit minister etc.

In proxima concione dictum est de ministerio Evangelii, quod oporteat esse unicam doctrinam a Deo traditam, et quod non sit corrumpenda per traditiones humanas, et quod Deus sit efficax per ministerium, quod instituit. Haec scire in Ecclesia valde necesse est, et dulcissima consolatio est.

Iam vero incipit multa vitia taxare, quae corrumpunt et perdunt Ecclesiam.

Primum est idololatria, id est, falsa doctrina.

Prohibet igitur condere traditiones, et novos cultus instituere. Ideo dicit: Unus est Magister vester. De hac parte nuper dictum est, et rursus saepe dicendum erit.

Ambitio.

Secundum peccatum, de quo mox hic dicit, est ambitio seu dominatio, quae in Ecclesia constituitur praetextu doctrinae, vel praetextu ministerii.

Et hic principaliter damnat Papam et omnes Episcopos, qui verterunt ministerium in regna, principatus, et dominationem mundanam.

Hic igitur primum quaerendum est, quid differat potestas politica a ministerio. Ideo dicam primum de officiis potestatis politicae.

Potestas politica est potestas ordinata a Deo, ut sit custos disciplinae et pacis, et puniat non obedientes gladio. Vult enim Deus regi homines, tali externa gubernatione.

Primum, ut sit disciplina in externis moribus iuxta omnia praecepta Decalogi, ut doceri et institui homines possint de Deo, et de filio Dei, quia ubi non est disciplina, ibi fiunt homines feri et bestiales, imo diabolici, sicut vixerunt Nero, Caligula, et multi similes Diabolis.

Secundo vult Deus regi homines illa externa gubernatione, ut sit pax, quia non possemus simul in societate vivere, si non coërcerentur latrocinia et furta et multiplex violentia.

Sunt igitur haec tria officia potestatis politicae.

Primum, ut proponat populo Decalogum, quia Decalogus debet esse fons et norma omnium legum. Et magistratus est ideo collocatus in genere humano, ut sit vox Dei sonans Decalogum in externa gubernatione.

Secundum officium: Deus etiam politicae potestati dedit hanc autoritatem, ut proprias leges condat, non quidem pugnantes cum Decalogo, sed quae determinent aliquam circumstantiam Decalogi. Ut Decalogus tantum dicit: Non furtum facies. Postea potestas addit genera poenarum etc.

Tertium officium: Oportet potestatem politicam esse vindicem, et punitricem omnis inobedientiae externae per gladium et alias poenas corporales. Quia lex sine poenis est inutilis. Et Deus severissime praecipit Deut. 10.: Non misereberis eius etc.

Ut autem possit corporales poenas exercere, possit depellere latrocinia, oportet constituere iudicia, et potestatem armatam esse militibus, pecunia et instrumentis multis. Ideo oportet potestatem politicam habere tributa etc.

Talis est honesta potestas politica, quando recte facit officium. Et tamen pauci sunt tales.

Plurimi vero sunt tyranni, et qui sint tyranni, ex his tribus officiis intelligi potest, Si non proponunt Decalogum, sed confirmant idola, persequuntur veritatem etc. Si interficiunt homines iniuste, si non puniunt adulteria, etc. Si leges ferunt iniustas, et tantum expilant populum, et non exercent iudicia, et non puniunt latrocinia.

Iam dixi de politica potestate, videamus quid sit Ministerium evangelicum.

Est enim et hoc ministerium quaedam veneranda potestas, divinitus ordinata, sed dissimilis politicae, sine gladio, sine militibus, sine armis, sine opulentia.

Quid est igitur? Est mandatum docendi Evangelii, administrandi Sacramenta, remittendi peccati, et puniendi verbo, sine vi corporali. Differt item in multis rebus a potestate mundana.

Primum, quia docet Evangelium, et remittit peccata coram Deo, haec potestas prorsus non est magistratus politici.

Secundo, non debet condere leges, sicut potestas politica potest leges ex causa rationabili condere.

Tertio, modus poenae est dissimilis. Minister Evangelii tantum punit verbo et excommunicatione, sed magistratus gladio.

Quarto differunt instrumentis. Magistratum oportet esse instructum armis, opibus, potentia. Sed minister evangelicus est sine armis, sine opibus, sine potentia, sicut Iohannes Baptista solus in deserto vagatur, et dicit: Ego sum vox clamantis. Quid est infirmius voce? sed tamen per hanc vocem Deus est efficax, ut nuper dictum est.

Has differentias semper teneatis in conspectu, et iam videte, quomodo Papa et Episcopi verterint ministerium Evangelii in regna et tyrannides. Non docent Evangelium, imo sunt hostes Evangelii, condunt leges, et quidem manifeste impias, ut prohibitionem coniugii. Puniunt gladio, imo dicunt Petro datum esse a Christo utrunque gladium, et eripiunt imperia regibus, sicut saepe magna bella gesserunt cum imperatoribus. Et Friedericus Barbarossa Imperator, iacuit ad pedes Pontificis, et Pontifex caput Imperatoris pede percussit. Et Imperator veniam petivit, quasi iniuste gessisset bellum adversus Papam.

Videtis item quanta sit potentia, quantae opes Episcoporum.

Haec omnia praevidens Christus hic praemonet Apostolos: Qui est maior, sit minister inter vos, id est: Non volo Ecclesiam similem esse imperiis mundi, sed intelligatis vos esse ministros, et nuncios meae vocis, sine armis, sine potestate regia, sine opulentia regia. Sitis fideles in ministerio, et servite vestrae vocationi, non trahite ad nos gubernationem Regum et Principum mundi. Haec est simplex sententia in hoc loco, quia hic principaliter loquitur Christus de ministris Evangelii.

Poenam etiam minitatur: Qui exaltat se, humiliabitur.

Certum est, quando aliquis erumpit extra vocationem suam, et suscipit gubernationes non pertinentes ad suam vocationem, tunc peccat et punitur, sicut peccavit et punitus est Absolon et alii multi, qui voluerunt reges fieri, sine legitima vocatione.

Etiam multi Pontifices in hac vita horribiliter puniti sunt, ut cum Papae Alexandri filius vellet veneno interficere quosdam Cardinales invitatos ad mensam, pater Papa Alexander errore hausit venenum, et ita mortuus est.

Talia exempla Romae multa acciderunt: Papa Clemens, proximus ante Paulum tertium, etiam veneno necatus est.

Sed aliae poenae aeternae multo maiores praesentibus etiam sequentur.

Et Deus tandem hanc potentiam Pontificum et Episcoporum destruet, etiamsi diu eam toleravit, quia in fine mundi hoc regnum Papae habuit certum tempus, sicut pharisaicum regnum apud Iudaeos habuit certum tempus.

Haec in genere dixisse satis sit de hoc dicto: Qui se exaltat, humiliabitur. Est autem commune dictum, quod non solum ministros, sed etiam alios homines universaliter docet, ut discant manere intra vocationem, non suscipiant gubernationes ex superbia, sine vocatione: non est felix humana superbia, sed haud dubie confunditur et pudefit.

Ideo Lucae 16. dicitur: Quod coram hominibus sublime est, abominatio est coram Deo. Valde atrox vituperatio est superbiae, quod dicit, abominatio est.

Quia abominatio est aliquid, quod Deus valde detestatur. Sic loquitur de superbia. Et iusta vituperatio est, quia Deus vult nos agnoscere nostra peccata, et suam iram contra peccata. Hoc qui faciunt, dolent, et agnoscunt se esse miseros, et non sunt superbi.

Illi vero sunt superbi, qui sunt securi, contemnentes iram Dei, elati propter opinionem iustitiae et sapientiae de se. Ita multa peccata complectitur superbia, ideo Deus iustissime irascitur superbiae.

Et contra superbiam semper deberemus nobis proponere exemplum Christi, qui dicit: Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde. Et vide quanta sit humilitas: Ipse iacet coram aeterno Patre, et est reus irae Dei, quasi polluisset se tuis et meis peccatis, et tuam et meam ignominiam in se transfert. Et postea pro te et me pendet in cruce, spretus et derisus. Tantam humilitatem cum videmus, pudere nos oportuit, quod saepe propter unum leve convicium, volumus movere magnos tumultus.

Item vide totam angelorum sanctorum vocationem. Horum officium est, ut sint custodes corporum et rerum nostrarum: ipsi depellunt Diabolos a tua domo, a tuis pueris, a tua fornace. Sedent ibi sancti angeli simul intuentes faciem Dei, et custodientes tuam fornacem, tuam culinam, tuum lectum. Haec est magna humilitas, et magnus amor erga nos miseros et sordidos homines. Pudeat igitur nos, quod sumus superbi,

et agamus poenitentiam, et discamus a Domino Iesu Christo, et a sanctis angelis humilitatem. Haec generalis admonitio iam sufficiat.

Vae vobis Scribae et Pharisaei, qui clauditis regnum coelorum, etc.

Usitatum est in scriptura nominare, gladium et claves.

Gladius significat potestatem politicam, quia coërcet membra externis et corporalibus poenis, ut latro punitur gladio.

Claves significant potestatem oeconomicam, sicut materfamilias gerit claves. Et quia Ecclesiae gubernatio similior est oeconomiae, ideo claves significant etiam ministerium Evangelii et Sacramentorum. Et hoc vult Dominus, cum ait ad Petrum: Tibi dabo claves regni coelorum, id est, ministerium Evangelii et Sacramentorum, quo aperitur regnum coelorum.

Sit igitur prima cura omnium, qui sunt vocati ad ministerium, ut recte doceant, et recte administrent Sacramenta.

Et sicut hoc mandatum proprium est officii: ita Christus hic accusationem et condemnationem ab hoc principio orditur, damnat eos, quod non doceant Evangelium, imo proponant falsam et impiam doctrinam. Ita claudunt coelum sibi ipsis et aliis. Haec condemnatio saepe repetita est in Prophetis.

Ezechielis 3.: Si non annunciaveris sanguinem eius, de manu tua requiram.

Esaiae 5.: Vae qui consurgitis mane ad ebrietatem, et opus Domini negligitis.

Oseae 4.: Quia repulisti scientiam meam, ideo repellam te, etc.

Micheae 3.: Propter hoc, causa vestri, Sion velut ager arabitur.

Et Matthaei 5.: Si sal infatuatum fuerit, eiicietur et conculcabitur.

Hae comminationes singulos hortentur, ut sint in officio diligentiores.

Sed potentes Episcopi et Canonici, qui dominantur in Ecclesia, derident has comminationes, sed Deus horribiliter eos punit et puniet. Ac praecipue Papa magno furore abutitur clavibus. Fingit esse potestatem condendi novas leges, fingendi cultus, rapiendi imperia mundi. Haec magna peccata quanta sint in novissimo iudicio conspicietur, quando ille Pseudopropheta abiicietur in infernum, spectante tota Ecclesia resuscitata a mortuis.

Vae qui devoratis domus viduarum, etc.

Prius dixit de non facientibus officium vel corrumpentibus doctrinam. Hic dicit de avaritia, damnat eos, qui videntur facere officium, sed serviunt suae avaritiae, et propter avaritiam excogitant novos cultus, sicut Monachi et Sacrificuli vendiderunt Missas, Vigilias, Monachi vendiderunt sui ordinis merita.

Item excogitatae sunt innumerabiles fraudes ad pecuniam venandam. Cultus sanctorum, falsa miracula, concursus ad certas statuas, reliquiae sanctorum, et alia similia. Hae idololatriae omnes hic damnantur, et mirandum est, tantam esse Diaboli potentiam, ut tam manifestas idololatrias, non solum inter Ethnicos, sed etiam in Ecclesia erexerit, et erigat, et stabiliat.

Ideo timeamus Deum, et simus soliciti, ut veritatem retineamus, et oremus, ut Deus nos gubernet, quia non potest homo effugere Diaboli laqueos, sine auxilio Dei, sicut iubet nos Dominus orare: Ne nos inducas in tentationem. Et Petrus dicit: Circumit Diabolus tanquam leo rugiens, cui resistite fortes in fide. Item, hoc genus Daemoniorum non eiicitur, nisi in ieiunio et oratione.

Vae qui circumitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum.

Hic discatis, quod Deus omni tempore sibi colligit Ecclesiam, etiam ex gentibus. Ac tempore regni Israël et Iuda erant tres status hominum, qui erant membra Ecclesiae.

Primus status erat, semen Abrahae. Hoc oportuit circumcidi, et servare ceremonias iuxta legem Mosi.

Secundus status erat, proselytorum, id est, advenarum, qui non erant nati ex semine Abrahae, sed tamen volebant esse pars huius populi, et volebant circumcidi. Hi quia volebant circumcidi, debebant etiam servare alias ceremonias, ut Urias.

Tertius status erat, qui in actis vocantur, viri religiosi, id est, Ethnici, ut Nahaman Syrus, Nabogdonosor, Cyrus, Cornelius et alii multi, qui discebant promissiones de venturo Messia, et doctrinam de vero Deo, et de bonis operibus,

iuxta Decalogum. Et tamen nec circumcisi erant, nec servabant ceremonias Mosaicas.

Has differentias mementote, et hic considerate discrimen Legis et Evangelii. Nullus status, nec semen Abrahae, neque proselyti, nec viri religiosi merebantur remissionem peccatorum lege, nec lege erant iusti, sed tantum credentes iuxta promissionem de Messia, accipiebant remissionem, et fide erant iusti, sicut nos.

Nec necesse fuit Ethnicos circumcidi. Hoc igitur taxat Christus, quod Pharisaei multos errores docebant, persuadebant Ethnicis, quod lege mererentur remissionem peccatorum, et fierent iusti lege, et ita faciebant eis opinionem, quod necesse esset circumcidi, et quod essent lege iusti, et delebant doctrinam de promissione et de iustitia fidei. Sicut nostro tempore Monachi discurrebant, et invitabant homines ad Monachatum falsis et impiis opinionibus, quod Monachatus esset novus Baptismus, mereretur remissionem peccatorum, esset iustitia et status perfectionis. Ex hoc exemplo intelligi et hoc membrum in textu potest.

Vae qui iurat per templum.

Exponatur ordine vera doctrina de iuramento. Quid sit iuramentum, quod sit invocatio Dei, ut sit testis veritatis, et puniat mentientem. Et Deus hunc ordinem sanxit, et ita facit. Sed mundus peccat multipliciter in iurando.

1. In execrationibus, quia invocatur Deus, ut aliis noceat, contra secundum mandatum.

2. In iurando per alias res et non per Deum, quia aliae res non possunt esse testes, ut mortui vel lapides ignorant nostras actiones.

3. In iurando de obiectis, id est, rebus illicitis, ut de coelibatu.

4. In fallendo sive sophistice sive aperte, et non faciendo promissa per iuramentum. Sicut fefellit ille, qui promisit triginta dierum inducias, et noctu populatus est agros, quia dierum induciae promissae erant, non noctium.

Omnia haec genera peccatorum violant secundum praeceptum Decalogi, et sunt magna peccata, quae Deus in hac vita punit, et si non agant homines poenitentiam, punit aeternis poenis post hanc vitam.

Ut autem Christus hic taxat Pharisaeorum traditiones, quae astutae eludebant iuramenta: sic nunc habent Papistae similes elusiones. Quando aliquis fit Episcopus titulo tenus, iurat, se velle ad illum locum proficisci, egreditur ex urbe Roma, et protestatur de impossibilitate, deinde petit absolutionem, et impetrat.

Talia multa fiunt in multis negotiis Episcoporum, et nulli sic luserunt iuramentis sicut Episcopi.

Vae vobis Scribae et Pharisaei, qui decimatis mentam etc.

Hoc peccatum etiam semper manet in mundo, quia homines delabuntur ad ceremonias, de his valde contendunt, et omittunt alia maiora et simpliciter necessaria. Ut ante hoc tempus multo magis peccatum esse existimabatur, comedere carnes die sexta, quam admittere adulterium. Et Sacerdotes polluti vagis libidinibus, multo magis dolebant omissa aliqua dictione in Canone, quam propter suas libidines. Et nunc multi rixantur de parvis rebus, et de maxima idololatria circumgestationis panis nullum verbum dicunt.

Monachi et Summistae scripserunt plurima de peccatis contra traditiones humanas, de violatione ieiunii, et similibus nugis. Interea fuerunt coeci in aliis maioribus rebus. Nihil dixerunt de fide accipiente remissionem peccatorum. Nihil dixerunt de multiplici idololatria in cultu sanctorum, et aliis idololatriis.

Damnat ergo Christus neglectionem fundamenti. Et hic valde prodest discere gradus praeceptorum. Sit ergo haec distinctio: Alia est doctrina de aliquibus ceremoniis praeter fundamentum.

Regulae.

Doctrina fundamenti est doctrina omnium articulorum fidei, et doctrina Decalogi. De hac dicit Paulus: Fundamentum aliud poni non potest, praeter id, quod positum est etc. Hanc doctrinam fundamenti oportet omnes nosse, et ei obedire.

Si quis adultus errat in uno articulo fidei, aut si contra conscientiam violat Decalogum, est reus aeternae mortis. Iuxta haec dicta: Qui talia facient, regnum Dei non possidebunt. Gal. 5.: Ideo simus attenti, et recte discamus doctrinam fundamenti, et doctrinam necessariam Decalogi, et in his servemus conscientias illaesas. Nam in-

vocatio Dei non recte fit, quando aliquis errat in articulo fidei, vel quando perseverat in delictis contra conscientiam.

Alia Regula.

Doctrina de ceremoniis est duplex. Aliae ceremoniae sunt a Deo institutae, ut Baptismus, et Coena Domini. Harum rerum usus etiam est necessarius, sed aliquando in casu necessitatis admittit dispensationem.

Aliae sunt ceremoniae humana autoritate institutae. Harum gradus longe infra divinas ceremonias collocandus est. Imo ceremoniae humana autoritate institutae prorsus omitti possunt sine ullo peccato. Et interdum est peccatum eas observare, ut cum pugnant cum lege Dei, vel cum accedit superstitio: ut peccant servantes legem coelibatus vel vota monastica etc.

Hanc distinctionem oportet notissimam esse omnibus hominibus, et hinc sumatur expositio dicti Christi.

Decimatis mentam etc. Et omittitis graviora legis, iudicium, misericordiam, et fidem. Cum nominat fidem, intelligit omnes articulos fidei, et totum cultum interiorem, et confessionem iuxta primum et secundum praeceptum.

Postea cum nominat iudicium, intelligit omnia opera necessaria, vult argui omnia peccata contra quaecunque praecepta, et vult fieri opera necessaria, vitari Idololatrias, Adulteria, Furta, Mendacia.

Cum nominat misericordiam, praecipit opera secundae Tabulae, quibus iuvatur proximus, ut Eleemosynas, defensionem iniuste oppressorum etc.

Ita perspicuum est, Christum hic in his tribus membris complecti fundamentum, id est, articulos fidei, et Decalogum. Et de his dicit: Haec oportebat facere.

Sciamus adeo necessarium esse fundamentum, ut homo errans vel faciens contra fundamentum, sit reus aeternae mortis. Iohann. 3.: Ira Dei manet super eum.

Sed cur inquit? Et illa non omittere. Respondeo: Christus loquitur de ceremoniis, quas Deus instituerat, quia decimas dare, mandatum Dei erat, pro sustentatione Levitarum.

Dixi autem, discernendas esse ceremonias a Deo traditas et ab hominibus institutas. Humanae prorsus omitti possunt.

Duces coeci, colantes culicem, et devorantes camelum.

Pingit hac figura hypocritas, qui magna negligunt, et in parvis aut nihili rebus sunt anxii, ut antea dixi de Sacerdotibus, qui pluris faciebant omissionem unius vocabuli in Canone, quam adulterium.

Ac bene considerandum est hoc dictum Christi, quia in tota vita magna sapientia est, discernere necessaria et non necessaria, principalia et non principalia. In aulis principale esse debebat, iudicia diligenter exercere, prohibere iniurias. Haec minus curant Principes, quam adparatum alicuius spectaculi. Ita magna ex parte homines faciunt parerga, et negligunt necessaria et principalia.

Vae vobis Scribae et Pharisaei hypocritae, qui mundatis exteriorem superficiem poculi.

Sicut supra taxavit superstitionem, quae ordinem bonorum operum negligit, omittit maxima, et duriter postulat leviora: ita et hic taxat similem superstitionem, quae necessaria et interiora et a Deo mandata negligit, et curiose observat externos ritus non necessarios, qui tantum sunt traditiones humanae. Universaliter tales sunt hypocritae, observant ritus aliquos externos propter speciem et titulum, alia opera necessaria negligunt, ut Canonici et similes abstinent die sexta a carnibus, interea sunt adulteri, Epicurei, et pleni omnium scelerum.

Sicut hic dicit, lavare eos pocula foris, interea ipsos intus plenos esse rapinae et incontinentiae. Nominat duo manifesta vitia, quae maxime cernimus in Episcopis et Canonicis. Illa bona, quae nunc possident Episcopi et Canonici, sunt initio data pro ministerio, studiis, et hospitalibus. Nunc Episcopi rapiunt, et turpiter profundunt, et nihil eis satis est, et insuper expilant populum.

Et Canonicus unus plerunquae habet tres, quatuor et plures Praelaturas, et haec sunt erepta Pastorum officiis, sicut scio plurima loca, ubi reditus constituti Pastoribus, sunt translati ad Canonicatus. Et ipse Papa est turpissimus praedo et raptor, rapuit in Italia multas urbes. Item rapuit pecunias ex Episcopatibus Germanicis, Gallicis, Hispanicis. Item totus quaestus Missarum est rapina. Nec opus est longa declaratione de

altero, manifesta et incontinentia, adulteria, et multae turpitudines.

Et ubi haec manifesta vitia sunt, ibi cor intus habet alia multa vitia, contemtum Dei, et blasphemias epicureas, et alia peccata. Praecipit autem lex Dei, ut intus corda sint recta erga Deum, sicut primum praeceptum inquit: Diligas Dominum Deum tuum ex toto corde. Ita hic dicit: Mundate id quod intus est.

Similes estis sepulcris dealbatis.

Haec similitudo idem dicit: Foris ostendere hypocritas speciem modestam, et intus eos esse plenos deceptione et inobedientia quacumque.

Hic posuit generale nomen, inobedientiam, *ἀνομιάν,* quae significat contemtum totius legis.

Addidit et aliud nomen, hypocrisin, quae est deceptio, augens alia peccata, quia gloriatur de iustitia et de nomine Dei, et Dei nomine abutitur propter quaestum aut potentiam, ut minus peccant praedones in silvis, qui eripiunt hominibus pecunias per vim, quam peccat Papa vel Monachi vendentes Missas, et praetextu nominis divini rapientes pecuniam et potentiam.

Filii estis eorum, qui Prophetas occiderunt. Et impletis mensuram patrum vestrorum etc.

Duplex accusatio est, quod et nunc occidant ipsi Prophetas et Doctores a Deo missos, et quod semper Ecclesiam persequantur, multi hypocritae omnibus temporibus. Et ostendit, quanta sit magnitudo huius peccati. Cum voluntas similis sit in omnibus persecutoribus, et omnes a Diabolo incitentur, et velint idem, id est, ut Deus blasphemetur: item, ut filius Dei blasphemetur, et ut veritas opprimatur, et singuli suis exemplis confirment alios. Singuli rei sunt multarum persecutionum, ideo horribiliter omnes punientur. Ideo dicit hic: Venit super vos omnis sanguis iustus, effusus inde ab Abel usque ad Zachariam.

Hanc tristissimam comminationem semper consideremus, et quaeramus veritatem, ne simus socii persecutorum, et vitemus consilia persequentium veritatem, sicut Ionathas non voluit esse adiutor persecutionis contra David.

Hic recitatur historia de Zacharia, et narrat Basilius, fuisse sermonem traditum a maioribus, quod Zacharias pater Iohannis Baptistae, cum testificaretur de adolescente nato ex Maria virgine, quod Messias esset, interfectus sit a Sacerdotibus. Et quia haec historia recens erat, ideo Christus omnia tempora complectens, primum nominat Abel, deinde hunc proximum Zachariam. Hac historia contentus sum, nec volo aliam interpretationem quaerere, sed cogitemus, quantum malum sit, esse membrum illius coetus, qui persequitur Ecclesiam, qui cumulat blasphemias, idololatriam, homicidia in mundo, et regitur a Diabolo, qui est mendax et homicida. Haec magna mala consideremus, et fugiamus societatem persecutorum, et Deum oremus, ut ipse nos confirmet in agnitione verbi sui et vera fide.

Quoties volui vos congregare.

Repetit accusationem, quod saepe miserit Prophetas, et ipse nunc doceat, sed tamen maximam partem adversatam esse voci Dei.

Hic disputatur de causa electionis et reiectionis, sed plana et verissima responsio est de reiectione, sicut hic ponitur. Voluntas in impiis libere adversatur verbo Dei, non cogitur a Deo, sed ipsa per se et incitata a Diabolo, est causa damnationis. Sicut hic clare dicit: Non voluisti congregari. Psalm. 108.: Noluit benedictionem, et elongabitur ab eo. Cum ergo manifestum sit, voluntatem ipsam hominum, causam esse reiectionis, non cogitemus nos cogi, ut maneamus in peccatis, sed expavescamus, et quaeramus liberationem.

Quomodo autem fit liberatio? Verum est, quod misericordia propter Filium est causa liberationis a peccato et a morte, sed tamen oportet te audire vocem Evangelii, oportet te non perseverare in contemtu Dei, contra conscientiam, quod est in tua voluntate.

Cum autem audis Evangelium, Deus suo Spiritu sancto per hoc ministerium est efficax, et trahit cor tuum. Ibi debes adsentiri, et non repugnare Spiritui sancto, debes etiam petere auxilium, sicut inquit Dominus: Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus?

Hanc doctrinam saepe cogitate. Si expavescis cogitatione iudicii et irae Dei, ad Filium Dei accedito, cogites hanc vocem: Venite ad me omnes, qui laboratis etc. Iam trahit te Deus, si ad Filium accedis, et Deus tibi occurrit, sicut dulcissime dicitur de Filio prodigo, Pater occur-

rit ei, et in amplexus eius irruit. Haec doctrina est utilis, et in quotidianis exercitiis poenitentiae et invocationis discenda.

Caput XXIIII.

Et ostendebant ei aedificium templi, etc.

In hoc capite continetur praedictio de destructione Ierosolymae, et de fine mundi. Miscet enim haec duo, excidium Ierosolymae, et finem mundi, quia signa praecedentia similia sunt.

Postea addit admonitiones et consolationes, quia quandocunque praedicuntur poenae, simul adduntur et admonitiones, ut agamus poenitentiam, et deinde consolationes, quomodo mitigentur vel tollantur poenae. Sit autem hic prima doctrina:

In Apostolis adhuc magna infirmitas fuit. Hunc errorem nondum deposuerant Apostoli, fore regnum Christi mundanum. Et securitas in eis tanta fuit, cum iam iustet tempus Passionis, ipsi mirantur aedificium templi, et simul fabulantur, se aliquanto post regnaturos esse in hoc templo, deletis Anna, Caipha, et talibus impiis porcis.

Sciamus igitur in Sanctis in hac vita etiam infirmitates et errores esse. Et agnoscamus haec mala, et emendemus. Et sciamus tamen, nobis tales infirmitates remitti propter Christum, cum vera fide in eum credimus.

Christus reprehendit eorum errorem, et praedicit destructionem templi, et excidium urbis Ierosolymae et totius gentis Iudaicae dissipationem, et deletionem politiae. Hic discatis exemplum irae Dei, omnium maxime horrendum, quod delevit totam politiam a se constitutam, in qua vere habitavit ipse, in qua vere fuit Ecclesia, in qua ingentia miracula et liberationes mirandae a Deo factae sunt, et ubi Patres et Prophetae vixerant.

Hae tantae praerogativae, non liberant Ierosolymam, et tamen valde superbiebant Iudaei his praerogativis, et putabant impossibile esse, deleri suam politiam. Clamabant templum Domini, sicut Papistae clamant: Ecclesia, Ecclesia, et imaginantur, non posse destrui suam dominationem. Sed quo tardior est poena, eo erit maior. Et ipsi et Turci sunt postrema fex impietatis mundi. Ideo venit poena tardius, sed veniet gravius.

Nos etiam fuimus securi, et sumus gloriati propter causam, quae est bona, sed fuimus in multis rebus negligentiores, in iuvandis Ecclesiis, fuimus helluones, avari, superbi, etc. Ideo puniti sumus, et poena incipit a domo Dei.

Sed Papistae horribilius punientur, et simus nos modestiores, alioqui rursus atrocius puniemur.

Considerate etiam, qualis fuerit poena Iudaeorum in excidio illo Ierosolymorum.

Civitas fuit cincta obsidione per sex menses, a Paschate usque ad festum Tabernaculorum. Sicut Pascha fuit initium huius politiae, quando egressi sunt ex Aegypto: ita nunc est initium obsidionis et destructionis.

Et sicut festum Tabernaculorum fuit celebratum quotannis in Septembri, pro gratiarum actione, quod introducti essent in terram: ita iam fuit finis huius politiae.

1. In civitate erat fames tanta, ut matres coquerent filios.

2. Erant et seditiones, et quotidianae caedes civium inter sese.

3. Multi in muris et eruptionibus interficiebantur, quando defendebant urbem, multa etiam incendia fiebant.

4. Post destructionem urbis captivi obiecti sunt leonibus, et ab eis lacerati in spectaculis.

Et sic tota gens dissipata est. Nec legitur tam horrenda destructio ullius urbis, et existimo ideo in hoc textu dici. Erit tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi hactenus, nec erit.

Has magnas calamitates considerate, et de causis cogitate. Causae fuerunt blasphemiae, et multa alia peccata coniuncta. Ideo ne similia nobis accidant, emendemus nos, et clamemus ad Deum, ut praecipit: Convertimini ad me, et ego convertar ad vos.

Item desinite mala facere, et discite bona facere. Si fuerint peccata vestra sicut coccinum, eritis candidi sicut nix.

Hoc etiam considerate, de Sanctis, qui fuerunt Ierosolymae ante obsidionem. Hos aliqui habentes spiritum propheticum, iusserunt omnes ex urbe discedere, et discesserunt.

Post destructionem hi reversi sunt, et in ruinis utcunque habitaverunt, et aliquos vicos rursus aedificaverunt.

Ita Deus liberat Sanctos in periculis.

Videte ne quis vos decipiat.

Supra dictum est, misceri praedictiones de excidio Ierosolymae, et de fine mundi, quia signa praecedentia similia sunt.

Prius autem diximus de excidio Ierosolymae. Nunc dicemus de signis novissimi diei. Ac distribuemus hanc partem in haec tria membra.

Primum, Quando sit venturus dies resurrectionis mortuorum, et iudicii extremi.

Secundo, Quare signa praedicantur.

Tertio, Quae sint signa.

De primo articulo.

Quando sit venturus dies resurrectionis et iudicii extremi.

Hic primum monendi sunt pii, ut considerent discrimen. Ethnici, Epicurei, et omnes impii cogitant, meras fabulas esse, quando dicitur, futuram esse resurrectionem, et futurum esse iudicium. Et in Epistola Petri secunda manifeste scribitur, hanc blasphemiam futuram esse communiorem postremo tempore mundi, quam antea. Sicut nunc summa stultitia Romae esse putatur, credere resurrectionem mortuorum, et extremum iudicium.

Sed Ecclesia Dei semper ab initio hunc articulum, ex perspicua revelatione Dei, novit, et firmissima fide amplexa est, et credit certo futuram esse resurrectionem mortuorum, et universale iudicium.

Hic articulus expressissime traditus est voce ipsius Christi, et confirmatus ipsius resurrectione et multorum sanctorum patrum resuscitatione. Et viderunt Sancti per totos quadraginta dies familiaritate quotidiana colloquentes cum ipsis Christum et alios resuscitatos. Voluit enim Deus clarissimo et nequaquam dubio testimonio hunc articulum confirmare.

Sit ergo haec prima doctrina, ut nos seiungamus ab Ethnicis et Epicureis, et vere credamus hos articulos, scilicet, quod futura sit resurrectio mortuorum, et iudicium universale.

Discamus etiam ex Prophetis et dictis Christi, hunc diem non ita procul abesse, sicut multi somniant, etiamsi sint futura resurrectio et iudicium, tamen adhuc restare multa millia annorum ad id tempus, ac propterea securi derident totam mentionem iudicii. Christus inquit in hoc capite: De die illo et hora neque angeli sciunt, nisi Pater solus. Diem non voluit revelare, sed tamen spatium propinquum fini indicavit, ut simus in timore. Crescit enim securitas in mundo.

Daniel clare dicit, in fine quartae monarchiae venturum esse iudicium. Et Deus tempora mundi post diluvium distribuit in monarchias, ut sciremus venturum esse finem, et quando sit tempus propinquum fini.

Sed omnes homines deberent scire dictum, quod dicitur ab Elia traditum esse, et credibile est multa talia dicta a Patribus et Prophetis tradita esse, verba sic sonant:

> Sex millia annorum erunt tempus mundi, et postea destructio.
> Duo millia inane.
> Duo millia lex.
> Duo millia dies Messiae, et si quid deerit, propter peccata nostra, quae multa sunt.

Ecce in hoc dicto praedicitur totum tempus mundi fore, sex millia annorum. Et certissimum est ex computatione annorum mundi, quam Deus nos ex suo libro tradito per Patres et Prophetas scire voluit, iam peracta esse quinque millia, quingentos annos, et aliquanto amplius.

Et hoc anno a nativitate Christi 1550. secundum computationes accurate factas, sunt anni quinquies mille, quingenti, et anni duodecim.

Haec cum ita sint, certissimum est, non procul esse finem mundi, quia Deus etiam abrumpet tempus circa finem, sicut scriptum est: Nisi abbreviarentur isti dies, non fieret salva omnis caro. Et tantum de primo membro, quando sit venturus dies iudicii et resurrectionis.

Secundus articulus.

Quare haec praedicta sunt? Respondeo: Principaliter propter duas causas.

Prior est, ut securi admoniti agant poenitentiam, et non fiant nimis feri et profani.

Altera est, ut homines pii timentes magnitudinem poenarum et miseriarum publicarum et privatarum, tamen habeant consolationem, quia Deus simul his comminationibus miscuit consolationes, dicit se servaturum esse Ecclesiam suam, dicit profuturam poenitentiam et invocationem ad mitigationem poenarum: Orate, ut possitis effugere haec mala, ne veniant super vos.

Has causas bene considerent homines. Securi considerent horrendas calamitates, bella, dis-

tractiones Ecclesiarum, persecutiones, schismata, et adficiantur dolore, et sciant nos a Deo per has poenas commonefieri de futuro iudicio et aeternis poenis.

Alii pii, qui dolent propter suas et publicas miserias, proponant sibi consolationes, sciant quod filius Dei vere adsit suae Ecclesiae, sicut inquit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.

Esaiae 46.: Ego gestabo vos etiam in senecta. Haec consolatio est praecipua, certo scire, quod nobiscum adfit filius Dei, et adsit ideo, ut hanc miseram, adflictam, aerumnosam partem generis humani, quae ipsum agnoscit et invocat, sustentet et servet. Haec consolatio semper et diligentissime consideranda est. Nec magnitudo huius tantae misericordiae intelligi potest a securis, qui non adficiuntur sensu communium miseriarum.

De tertio membro.

Quae sunt signa? Sunt triplicia.

1. Physicae turbationes, vngewönliche vnordnung in natürlichen dingen.

2. Politicae turbationes, ut ruinae regnorum, zerstörung der grossen Reich.

3. Ecclesiasticae tribulationes, ut Haereses, Schismata, Papatus, in der Kirchen, Secten, Rotten, Ketzerey.

De physicis exempla videmus. Nascuntur multa monstra, multi fuerunt Cometae, terraemotus, sanguis erupit ex terra in quibusdam locis in ducatu Ducis Henrici Brunsuicensis, pereunt fruges. Et textus de physicis inquit: Erunt fames, pestilentiae et terraemotus.

Sed politica sunt clariora. Manifestum est multa regna ruere, daß die grossen Königreich zerstöret werden.

Hungaricum penitus cecidit. Principatus in Germania etiam sunt infirmiores, quam unquam fuerunt.

Regna caetera, Polonicum, Gallicum, et Anglicum, habent satis magnas turbationes. Turcicum etiam prope finem est.

Et videmus magis magisque crescere onera expilationum, et fieri maiores confusiones in omni gubernatione. Omnia sunt plena latrociniorum, populus exhauritur sine modo.

Et semper quando fuerunt secuturae regnorum mutationes, praecesserunt civiles discordiae, et seditiones, ut ante Augusti imperium prius dimicarunt inter se de summa potentia Sylla et Marius, postea Iulius et Pompeius, deinde Antonius, Brutus, Cassius, donec tandem factus est monarcha Augustus.

Sed ecclesiasticae confusiones sunt magis perspicuae, et sunt signa propiora.

Sicut antequam natus est Christus ex virgine, fuerunt in Iudaea Pharisaei, Sadducaei, et aliae sectae plures, et Pontificatus fuit mundanum imperium, simile ethnico, Hircanus, Aristobulus, Antigonus, inter se dimicabant de Pontificatu, et emebant Pontificatum a vicinis regibus et a Romanis Praesidibus, alii ab aliis: ita postremo tempore ante diem iudicii similia mala erunt in Ecclesia, ut hic dicitur de sectis: Multi venient dicentes: Ego sum Christus. Item venient multi Pseudoprophetae et decipient multos, sicut manifestum est, his nostris annis fuisse multos Pseudoprophetas, Anabaptistas, Stenckfeldianos et alios multos: audimus multos fanaticos homines adhuc in Belgico et in aliis locis vagari.

Nominatim autem hic dicit de abominatione desolationis, id est, de Idolo, quod facit vastationem universalem, vom Götzen, der alles wüst machet, id est, quo vastatur Ecclesia tota. Hic intelligitur idololatria propria Papatus Romani. Haec idololatria est idolum omnia vastans.

Consistit autem in his quatuor magnis et praecipuis erroribus.

1. Quia Papa delet doctrinam de iustitia fidei totam, et praecipit dubitationem. Et in hoc errore multi alii comprehenduntur.

2. Quia finxit falsam adorationem et meritum in Missa, depravat totam coenam Domini.

3. Quia finxit ethnicos cultus, invocationem mortuorum.

4. Quia finxit ethnicos cultus, vota Monachorum et alia opera ab hominibus excogitata.

Haec omnia simul sunt illud idolum vastans, quod antecedit diem iudicii.

Et oportet paulo ante revelari hoc idolum, sicut nunc facta est revelatio.

Haec de signis breviter dicta sint. Deinde rursus sequentur consolationes et admonitiones.

Qui in tecto est, non descendat.

Quanquam varie mixtae sunt hic admonitiones, tamen lector diligenter consideret discrimina. Et ego primum de admonitionibus dicam.

Monet, ut simus vigilantes in doctrinae conservatione, in poenitentia, in invocatione, et in vitandis impedimentis. Ideo dicit: Qui est in tecto, non descendat, ut auferat aliquid etc. Id est: Non sitis impediti cura cumulandarum opum, aut voluptatum, aut aliarum rerum corporalium, ut negligatis doctrinam et invocationem, sed vitate omnia talia impedimenta. Scitote ergo hanc admonitionem praecipue complecti haec quatuor:

1. Curam custodiendae doctrinae.
2. Poenitentiam.
3. Invocationem.
4. Curam vitandi impedimenta.

De doctrina dixit prius, et hic: Surgent Pseudoprophetae, videte ne decipiamini, non credatis.

Et 2. Petri 3.: Cavete, ne impiorum deceptione seducti, excidatis ex propria stabilitate, sed crescatis in gratia et agnitione Domini nostri Iesu Christi.

De poenitentia semper clamat haec vox: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris etc.

De invocatione dicit in Luca: Orate, ut possitis effugere haec mala. Hoc bene considerandum est, quod adfirmat parci Ecclesiae invocanti, et quod nostrae precationes non sint inutiles.

Hic dicit: Orate, ne fuga vestra fiat in Sabbato, aut in hieme, id est, ne incidant impedimenta propter pavores, aut propter securitatem.

Hiems significat pavores, sicut metu paupertatis aut persecutionum multi deficiunt a doctrina.

Sabbatum significat securitatem et otium, quidam dum nimis securi sunt, non cavent errores, et simul ita sicut ebrii trahuntur ad falses opiniones.

De vitandis impedimentis dicitur: Attendite, ne corda vestra graventur crapula, et curis victus, sicut iam crescunt luxus, ambitio, avaritia, usurae, helluationes, profusiones. Haec de admonitione dicta sint.

Sequitur consolatio, quae continet haec tria membra:

1. Promissionem, quod Ecclesia sit mansura usque ad resurrectionem in hac vita, et deinceps in aeterna.

2. Promissionem, quod cito venturus sit finis calamitatum in hac vita, et quod Dominus cito sit resuscitaturus mortuos, et Ecclesiam liberaturus ab omnibus malis. Ideo hic facit mentionem de ficu. Sicut scitis venire aestatem florescente ficu, quia ficus primum floret: ita cum audietis hos tumultus et confusiones, scitote quod cito veniet dies resurrectionis.

3. Promissionem continet, quod Deus velit haec mala mitigare invocantibus, sicut dicit: Orate, ut possitis effugere. Item: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Sed certe oportet esse poenitentiam, oportet exui hanc crassam securitatem, oportet agnosci iram Dei, et vera invocatione confugere ad Dominum.

Videbunt Filium hominis venientem in nubibus.

Haec pars ad consolationem pertinet, in qua iam expresse ponitur sententia de liberatione Ecclesiae, per quem et quomodo facienda sit.

Fiet liberatio Ecclesiae, et fiet per Filium Dei rursus ostendentem se generi humano, et iudicantem. Et hic colliget electos ex toto orbe terrarum, resuscitabit mortuos, et ornabit perpetua gloria, vita, sapientia, iustitia. electos, et abiiciet impios in aeternas poenas.

Hunc finem hic saepe proponit, sed verba clarissima sunt haec: Videbunt Filium hominis venientem in nubibus. Et quidem oportet omnes homines semper intueri hunc finem. Sciamus nos non tantum ad hanc vitam mortalem nasci, ut comedamus, bibamus, quaeramus opes et voluptates, sed restare iudicium post hanc vitam, in quo Deus severissime puniturus est impios aeternis poenis, et aliis daturus est aeternam gloriam, qui egerunt poenitentiam, et crediderunt in Filium.

Haec doctrina Catechismi et Symboli, semper sit in conspectu, et cogitetur serio, ut nos flectat ad timorem Dei, ad poenitentiam, ad fidem. Ideo et hic recitetur, non ut sit inanis narratio de rebus futuris, sed ut nos moneat, ne securi contemnamus futurum iudicium, sicut multi Epicurei et tyranni et alii contemnunt, sed ut vere expavescamus, agamus poenitentiam, fide quaeramus consolationem, et exspectemus illam promissam a Deo liberationem gloriosam.

Diaboli sciunt hoc iudicium futurum esse, et contremiscunt, et mallent redigi in nihilum, si fieri posset: sed sic condita est spiritualis natura, ut non frangatur, sicut corporea. Nullus homo in hac corporali natura nunc ante resurrectionem posset vivere, si tali metu cruciaretur. sicut Diabolus.

Sed addit Diabolus odium Dei, et indignationem, et propterea furenter saevit adversus homines, et quo tempus poenae maioris propius est, eo magis saevit.

Ideo in fine mundi nunc crescunt mala, sed tamen post iudicium extremum poenae Diaboli maiores erunt, quam nunc sunt.

Si paterfamilias sciret, qua vigilia fur venturus esset, etc.

In fine huius capitis redit ad admonitiones. Vult nos omni tempore paratos esse, et quanquam supra dictum est, voluisse Deum sciri in genere, non procul esse finem mundi, post praedicationem Evangelii, quando iam quarta monarchia, id est, Romana, destruitur, tamen annum et diem non voluit nos scire. Vult autem nos paratos esse omni tempore. Ideo dicit: Qua hora non putatis, veniet.

Et Paulus inquit: Cum dicent, pax et securitas, tunc ecce venit, ubi significat securitatem nimis magnam fore novissimo tempore. De hac concionantur et hae similitudines hic recitatae.

Nominatim autem ponuntur hic duo servi, fidelis et malus servus.

Fidelis servus significat, quod in fine tamen Deus servaturus sit reliquias Ecclesiae, et quod aliqui sint futuri fideles doctores et ministri.

Sicut Noha fuit fidelis ante diluvium, et Loth fuit fidelis in Sodomis.

Et Esaias dicit: Ego gestabo vos in senecta etiam. Non sinet Deus prorsus exstingui Ecclesiam. Et supra dictum est: Propter electos abbreviabuntur isti dies. Sunt igitur aliqui pauci, qui tamen cogitant de venturo iudicio, et sunt fideles in docendo.

Hanc consolationem supra quoque recitavi, quae certe piis mentibus grata et necessaria est, ne cogitent: Ecce Deus abiecit totum genus humanum. Ideo frustra invocas, frustra credis remissionem, frustra exspectas auxilium Dei et vitam aeternam. Contra has tentationes armemus nos his certissimis consolationibus et promissionibus, quae adfirmant, Ecclesiam Dei semper mansuram esse etiam in hac vita. Quod confirmatur per ipsam coenam Domini, hoc facite donec veniam.

Ecce quoties fit coena Domini, hanc consolationem cogitate: Ecclesia mansura est, donec veniet Dominus. Ergo non frustra invocamus, non sunt irritae promissiones.

Huc pertinet et hoc dictum: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.

Sis igitur certissimus, quod Deus servet reliquias in hoc mundo, et semper ratae sint promissiones datae Ecclesiae. Invoca, crede, et certo scias te exaudiri. Haec verissima sunt et certissima. Et laudatur hic servus fidelis, qui hanc fidem retinet.

Sed alius est servus infidelis, qui est ebriosus; bibit, comedit, et verberat conservos.

Tales sunt haud dubie Papa, Episcopi, Canonici, et eis adhaerentes. Hi negligunt doctrinam, helluantur, quaerunt opes et potentiam et voluptates. Et verberant conservos, id est, persequuntur Ecclesiam, interficiunt Sacerdotes, qui fideliter docent, et alios homines pios, qui Evangelium amplectuntur et confidentur. Sicut iam multi passim aut pelluntur in exilia, aut interficiuntur.

Verberavit Papa et antea conservos in conscientiis, per suas traditiones de coelibatu, et alias stultas traditiones. Nunc verberat corpora, interficit confitentes veram doctrinam.

Sed cum veniet filius Dei, dissecabit eum, et ponet partem eius cum hypocritis, abiiciet eum in aeternas poenas, ubi erit ploratus, id est, ubi erunt horrendi dolores, quorum magnitudo non potest verbis describi, sed in damnatis morituris, ut in homicidis et talibus, imago talium dolorum conspicitur, hic describuntur per haec signa, ploratum et stridorem dentium, sed sciamus tantos dolores non posse verbis satis describi. Et vere expavescamus cogitatione iudicii divini, et quaeramus consolationem, sicut Petrus dicit, Acto. 3.: Agite poenitentiam, et convertimini, ut deleantur peccata vestra, cum venient tempora refrigerii a facie Domini, id est, ut veniente Domino non pereatis pavore, sed habeatis recreationem, et laetemini conspectu filii Dei, Amen.

Caput XXV.

Simile est regnum coelorum decem Virginibus, etc.

Similitudo de Virginibus imago est Ecclesiae quocunque tempore, sed maxime postremo tempore, et continet doctrinam, obiurgationem, et consolationem.

Doctrina haec est, semper in Ecclesia in hac vita, sunt, fuerunt et erunt boni et mali, Virgines prudentes et fatuae.

Et nominantur Virgines etiam hypocritae, quia specie et titulo sunt similes vere invocantibus.

Et hanc doctrinam oportet meminisse, ne propter multitudinem malorum in Ecclesia cogitemus, totum genus humanum abiectum esse a Deo, et nullam esse Ecclesiam, sicut sancti saepe hoc dolore vexantur, circumspicientes tam magnam multitudinem malorum et male sentientium ubique.

Contra hanc tentationem saepe munit nos Dominus, ut in parabola de seminante. Item Paulus dicit Rom. 3.: Num incredulitas eorum fidem Dei evacuavit? quasi dicat: Etiamsi multi deficiunt, tamen Deus manet verax, et servat aliquam Ecclesiam, et dat Ecclesiae bona promissa, remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, vitam aeternam, et alia bona.

Et in Symbolo cum recitamus articulum: Credo Ecclesiam sanctam catholicam. Nos consolemur hac cogitatione: Ecce Deus praecipit, ut credamus semper servari Ecclesiam, et dari ei bona promissa. Sumus igitur et nos membra Ecclesiae, et petimus et accipimus haec bona.

Secundus locus.

De obiurgatione.

Praedicit autem hic fore multas Virgines fatuas.

Quid differunt virgines prudentes a fatuis? Utraeque dicuntur Virgines. Titulus idem est, et species eadem est hypocritarum et recte invocantium. Sed multum differunt re ipsa.

Quae sunt Virgines prudentes? Volumus breviter et clare definire. Virgines prudentes sunt, quae retinent fundamentum, et in vera poenitentia et vera fide Deum invocant.

Fundamentum autem significat doctrinam necessariam in omnibus articulis fidei, inter quos etiam necesse est complecti verum intellectum iustitiae fidei.

Et tales vitant idololatriam, etiamsi aliqua peccata ignorantiae habent, ut ante haec tempora sanctus Bernhardus et alii vere credentes, tamen miscuerunt aliquos errores de Monachatu, et de invocatione mortuorum, sed tamen tam crassos abusus non probaverunt, ut alii. Nos Deo gratias agamus, quod a multis erroribus liberati sumus.

Et hae prudentes Virgines non solum retinent fundamentum, sed etiam repugnant securitati, sunt in exercitiis verae poenitentiae, habent consolationem vera fide et veram invocationem, et in vera fide et spe semper exspectant Dominum.

Est ergo lychnus in vase, illa fides in Christum lucens iuxta veram doctrinam in vera poenitentia et invocatione.

Sed fatuae Virgines sunt, aut non retinentes fundamentum, aut retinentes fundamentum hypocritice sine poenitentia et sine fide in Christum.

Non retinentes fundamentum, ut multi graviter errantes et seducti, Haeretici, Idololatrae, Papistae, Monachi, qui ignorant iustitiam fidei, qui confidunt se esse iustos sua iustitia: item, qui invocant mortuos, currunt ad statuas etc.

Alii retinent fundamentum, quo ad cognitionem doctrinae, sed sunt hypocritae, sunt sine poenitentia, sine vera fide in Christum, sine vera invocatione, sunt securi, contemnunt iudicium, aut confidunt professione, cogitant se placere Deo, quia non velint nominari Papistae, etiamsi sunt adulteri, scortatores, et sine poenitentia, sine vera fide in Christum, et sine vera invocatione, sicut hypocritae inter Iudaeos putabant se placere Deo, tantum propter titulum, quia dicerentur Iudaei, et erant adulteri et foeneratores, et sine ulla poenitentia, sine timore Dei.

Ac neutri habent oleum aut lychnum, id est, veram fidem in Christum lucentem iuxta veram doctrinam in poenitentia et invocatione.

Taxat igitur utrosque Dominus, et praemonet nos, ut curemus, ut simus virgines prudentes, et non fatuae, sicut saepe clamat Dominus: Vigilate, orate, ut non pereatis.

Sciamus igitur hanc securitatem carnalem, quae est sine lychno, id est, sine vera fide displicere Deo, et exsuscitemus nos ad poenitentiam, ad fidem, et veram invocationem, et in vera fide et spe exspectemus sponsum.

Sed videte quid faciant stultae Virgines?

Fatuae Virgines petunt oleum a sapientibus, id est, volunt salvari aliorum hominum iustitia, non propria fide.

Haec imaginatio inanis est, quia scriptum est: Iustus fide sua vivet. Sua, id est, propria inquit. Teipsum oportet converti ad Deum et credere, quia iuramentum manet ratum in omni aeternitate: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, et vivat. Iurat oportere fieri conversionem, et conversis se daturum esse remissionem peccatorum.

Hic videtis errores illorum, qui voluerunt salvari per Missas Sacerdotum, item, per bona opera Monachorum. Talia omnia sunt idololatrica.

Item errant similiter, qui currunt ad Sanctos, et volunt sibi adplicari merita Sanctorum. Contra hunc errorem etiam accommodanda est haec similitudo de fatuis Virginibus, et sic accommodavit Hilarius.

Audite autem historiam de hac re.

Ante annos trecentos fuit Landgravius Turingiae Fridericus, a quo orti sunt hi Duces Saxoniae, qui adhuc vivunt: ille fuit vir honestus et magnanimus, et magna bella gessit, et fuit fortunatus.

Cum autem iam esset senex, in Isenach coram eo exhibita est comoedia, in qua haec lectio Evangelii de fatuis Virginibus accommodata est contra invocationem Sanctorum. Quia fuit doctus aliquis, qui hoc spectaculo voluit taxare invocationem mortuorum.

Post spectaculum illud Princeps agnoscens errorem de invocatione mortuorum, et multa de hoc tanto abusu conquerens, coepit aegrotare ex dolore de publico errore, et postea in vera invocatione filii Dei est mortuus.

Etiam Imperator Carolus V. iussit amoveri Monachos a coniuge moritura, et iussit praeceptorem filii sui proponere coniugi consolationes de Christo.

Tertius locus.

De consolatione.

Consolatio est, quod se nominat sponsum. Et sic testatur magnam et ardentem dilectionem esse, qua Ecclesiam complectitur, imo se, ut sponsum, nunquam velle nos deserere.

Est et haec magna consolatio, quod praedicit, semper fore aliquam veram Ecclesiam et Virgines prudentes, quae vera fide et spe ipsum exspectent.

Haec omnia consideremus in hac pulcra similitudine, de qua multo plura dicenda essent, sed nemo potest sapientiam Dei penitus exhaurire. Curemus, ut agamus poenitentiam, et proficiamus, ut simus parati, habeamus oleum in nostris vasis etc., id est, in nostris cordibus, etc.

Alia similitudo.

Sicut homo peregre abiens, vocavit servos suos, et dedit eis substantiam suam.

Haec parabola de talentis discernit fideles et diligentes, ab infidelibus et negligentibus sive securis.

Et intelligenda est utroque modo, de publico ministerio, et privatim de usu donorum.

Rursus autem sciendum est, hic et doctrinam et obiurgationem, et consolationem proponi, sicut in priore parabola.

Doctrina est prima haec: Quod semper sunt et erunt in Ecclesia aliqui fideles et diligentes, et aliqui infideles et negligentes, sicut nuper diximus, semper in Ecclesia fuisse, esse, et futuros esse in hac vita tales, qui sint similes fatuis Virginibus, et alios similes sapientibus Virginibus.

Et hoc sciendum est, ne a Deo deficiamus propter hoc scandalum, cum videmus magnam multitudinem impiorum.

Alia doctrina est circa finem: Habenti dabitur, et a non habente etiam quod habet, aufetur.

Hic manifeste docet nos Dominus, quod velit nos sua dona exercere, et acceptis donis non esse negligentes. Dicit dona augeri his, qui laborant, ut eis utantur. Sicut auget dona Ioseph aut Danieli, quia laborant in discendo, docendo et orando, et regunt suos mores temperantia, castitate et sobrietate, et aliis necessariis exercitiis. Quia nullo modo cogitandum est, Deum velle augere dona iis, qui volentes effundunt.

Sic dicit de negligentibus doctrinam: Quia repulisti scientiam, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Oseae 4.

Item: Qui stat, videat ne cadat, 1. Corinth. 10.

Item: Invenit Diabolus domum vacuam etc., Matth. 12.

Haec et talia dicta praecipiunt, ut non simus negligentes, sed donis utamur, sicut Paulus dicit 2. Corinth. 6.: Videte ne frustra gratiam receperitis. Et homo iam donatus Spiritu sancto, potest et debet magis magisque petere se invari Spiritu sancto, sicut Christus inquit Matth. 7.: Petite, et accipietis. Quanto magis Pater vester coelestis dabit Spiritum sanctum petentibus, Lucae 11. Et sic petens Spiritum sanctum potest resistere malis tentationibus, potest retinere dona Dei, sicut Paulus inquit: Ego corpus meum redigo in servitutem, 1. Corinth. 9.

Nequaquam oportuit Davidem rapere alterius coniugem, sed poterat tunc cum haberet Spiritum sanctum, resistere tentationi adulterii.

Sic et hoc loco dicitur: Habenti dabitur. Si David uteretur donis, crescerent in eo dona. Et contra: A non habente auferetur id quod habet.

David non utens donis, labitur, et amittit etiam praesentia dona plurima, post raptum alienae coniugis, amittit consilium bonum, iubet interfici virum, quia Diabolo iam aperta erat ianua, et impellitur ex alio scelere in aliud. Postea amittit custodiam divinam, Deus sinit eum eiici ex regno, et sinit multas tristissimas poenas accidere.

In hoc exemplo cernitur, quid sit: A non habente auferetur, quod habet.

Sumatis aliud exemplum. Saul est ornatus regno et Spiritu sancto, gloriosis victoriis. Postea incipit fieri tyrannus et superbus. Ibi amittit etiam quod habuerat, regnum, Spiritum sanctum, vitam, gloriam.

Haec exempla tristissima ostendunt, quomodo homines labantur, postquam fuerunt ornati donis Dei, et non voluerunt addere curam eis utendi.

Et prorsus falsa et diabolica est excusatio eorum, qui dicunt, se non posse abstinere a peccatis contra conscientiam.

Imo textus clarissime 1. Iohan. 3. dicit: Qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia semen Dei in eo est. Dedit tibi Deus Spiritum sanctum, ut possis resistere malis tentationibus: et Deus praecipit, ut tanto suo dono utaris. Imo contumelia est adversus Deum, cogitare, quod dederit tibi Spiritum sanctum, ut tantum negligenter vivas, et laxes frenum malis cupiditatibus.

De obiurgatione.

Obiurgatio est in his dictis, quod ille negligens, qui noluit uti talento, punitur, et amittit etiam hoc quod habet.

Tales sunt obiurgationes saepe repetitae in scriptura. Ut Petrus inquit 2. Petri 2.: Hos negligentes similes esse iis, qui redeunt ad vomitum.

Sed dicat aliquis: Quis est satis diligens? Omnes sunt infirmi, et aliquando labuntur.

Respondeo: Hic tenenda est communis doctrina, quam saepe repetimus: In omnibus sanctis sunt infirmitates et peccata et lapsus, sicut scriptum est: Non est iustus in terra, qui cum bene faciat, non etiam peccet. Sed tamen in singulis debet esse propositum benefaciendi, et debemus vitare, et possumus vitare lapsus contra conscientiam. Et si quis est lapsus, debet mox redire ad poenitentiam, sicut rediit David, sicut rediit Aaron.

Cain }
Saul } non redierunt ad poenitentiam.
Iudas }

Consolatio.

Consolatio est, quod aliqui maneant in Ecclesia, qui donis bene utuntur. Et his postea maiora dona tribuuntur, ut habetis insignia exempla.

Ioseph est recte usus dono, non voluit fieri moechus, et patienter tulit carcerem, ideo Deus eum exaltavit, et fecit eum praecipuum et salutarem Principem in Aegypto.

Aliud pulcrum exemplum: Paupercula vidua in Sarepta est usa dono. Pavit Eliam, et prius ei cibum dedit quam sibi, ideo Deus benedixit eius domui. Fuit enim hospitium Ecclesiae, non est exstincta fame, filius a morte resuscitatus est. Et certissimum est, quod parva opera bona maximis praemiis publicis et privatis saepe ornantur, ut cogamur dicere, sicut Iacob inquit Genes. 32.: Minor sum cunctis miserationibus tuis. Et contra, quando homines non volunt agere poenitentiam, tunc postea horribiles poenae sequuntur. Exspectat Deus aliquando, et concedit spatium poenitentiae. Sed quando non inchoatur poenitentia, et fit contumacia maior, tunc veniunt ultimae poenae, vastationes gentium, et poenae aeternae, sicut de arbore ficu dicitur in parabola

Luc. 13.: Ecce anni tres sunt, ex quo venio quaerens fructus in hac arbore, et non invenio, succide ergo illam.

Haec est illa simplex et vera declaratio huius parabolae, nunc singuli videte, ut vos ad dona Dei exrrcenda exsuscitetis, et haec ipsa dicta cordi infigite: Habenti dabitur, et a non habente etiam quod habet auferetur, id est, ab amittente Evangelium et Spiritum sanctum, auferuntur multa alia dona, consilium, et omnia bona, aeterna et temporalia.

Et in usu donorum praecipuus est usus, invocatio et precatio, sicut scriptum est Lucae 11.: Semper orate. Et videtis iam necessitatem in periculis propter conventum, propter tempestates, propter bella, propter incendia, denique propter multas calamitates. Deus multis modis nos commonefacit, et tamen sumus negligentes, sed profecto tempus postulat, ut expergiscamur, ne pereamus, sicut illa ficus, sicut Sodoma, sicut Ierosolyma, sicut tota Asia, Graecia, et aliae regiones sub Turcis perierunt, imo sicut iam perierunt omnes regiones in Germania et alibi, oppressae a Caesaris exercitibus, ubi Ecclesiae turbantur, et alia multa mala accidunt. Ah Deus averte a nobis tales calamitates.

Quando veniet Filius hominis.

De extremo iudicio.

Haec est expressa praedictio de iudicio extremo, qualis nulla est in veteri Testamento recitata. Sunt quidem multa dicta, quae praedicunt resurrectionem mortuorum, et dicunt impios fore in poenis, et invocantes Deum habituros salutem aeternam, ut Esaiae ultimo scriptum est, tamen adeo expressa pradictio nulla est, ut haec concio filii Dei, qui hunc articulum claris verbis voluit declarare. Igitur haec verba Domini sint notissima omnibus, et adsidue cogitentur. Et non indiget haec concio ulla declaratione, verba per sese perspicua sunt, sed fidem et timorem Dei adferamus, et hoc iudicium adsidue intueamur, metuamus iram, et consolemur nos, quod scimus Ecclesiam veram liberandam esse ab omnibus malis in eo iudicio.

Haec est praecipua admonitio necessaria in hoc textu. Sed tamen addemus et alias quasdam admonitiones.

Prima admonitio.

Omnes homines diligenter discant, hanc vitam humanam ordinatam esse a Deo, et non vivere homines sicut pecudes, sine lege Dei, et sine ullo ordine, ac mori sicut pecudes, sine ullo iudicio post hanc vitam, sed Deus condidit genus humanum ita, ut addiderit doctrinam, quomodo velit homines salvos facere, et sine ulla dubitatione punit omnes contemtores suae doctrinae.

Et sunt poenae duplices. Corporales in hac vita, et aliae postea aeternae post hanc vitam.

Secunda admonitio.

Certissimum est, Deum in hac vita corporalibus poenis punire omnes, qui delicta committunt contra conscientiam, et quando sunt magna, sunt etiam poenae magnae. De talibus delictis expresse dictum est: Qui gladium acceperit, gladio peribit. Hic dicitur, omnes homicidas sine ulla dubitatione rursus puniri gladio, sicut exempla ostendunt. Certissimum est nullam homicidam posse effugere poenas in hac vita. Et valde errant homines, qui putant se posse latere. Sicut recens exemplum audivistis, de interfectore fratris in valle Ioachimi. Manet vera vox: Qui gladium acceperit, gladio peribit.

Sic manet vera vox: Honora patrem et matrem, ut sis longaevus super terram. Certissimum est, qui male tractant parentes, puniri in hac vita. Erat Francofordiae quidam bombardarius, industrius homo, qui diligebatur propter artem. Is cum vellet in novam bombardam rursus immittere pulverem bombardarium, pulvis accensus ex bombarda mox erumpit, et arreptum ipsum magistrum bombardae levat in altum, et accendit, et postea adflictum terrae interficit. Causam homines plurimi, qui eum norant, dicebant esse, quia matrem male tractaverat. Tales historias possem recitare plures.

Item de periuris certum est, quod in hac vita puniantur.

Item de scortatoribus et adulteris dicit textus: Scortatores et adulteros iudicabit Deus.

Hinc sunt tot morbi, ut morbus Gallicus et alii. Item peccata facta in semine, puniuntur in semine. Ideo David rapta alterius coniuge, postea sic punitur, interficiuntur ei filii. Filius movet seditionem, et quod est horrendum, patris coniuges postea contaminavit.

Et manifestum est vagari poenas per familias Principum et Regum, quia fuerunt adulteri, sicut ubique videmus exempla.

Hanc doctrinam discant omnes homines, quod certissimum sit, puniri in hac vita delicta contra conscientiam, et maiora delicta maioribus poenis puniri.

Quanquam autem multi hanc regulam negligunt et derident, tamen scitote verissimam esse, et saepe haec regula omnibus hominibus recitanda est. Et Deus eam populo declarat terribilibus exemplis, patibulo, et multis suppliciis homicidarum, et aliis modis poenarum. Haec cogitanda sunt in omni vita, et sciendum, quod tales poenae non accidunt sine consilio Dei.

Hic autem etiam sciatis: Quae sunt causae, quare Deus in hac vita punit, cum velit postea punire?

Respondeo: Causae poenarum sunt quinque.

Prima est iustitia Dei: quia Deus vult conspici et agnosci iustitiam in genere humano etiam in hac vita. Ideo horribiliter punit manifesta delicta, ut ostendat se esse iustum, et irasci iniustitiae.

Secunda causa est pax publica: quia vult coërceri Deus ipsos delinquentes. Si fures non suspenderentur, non desinerent furari, et nulla pax esset.

Tertia causa est exemplum: quia Deus talibus poenis alios deterret, et aliqui moventur, etiamsi non moventur omnes, Deut. 17. et 19.

Quarta causa est, quia Deus significat his poenis corporalibus, certissime restare futurum iudicium, quia hae breves poenae in impiis non sunt aequales peccatis impiorum, qui non convertuntur. Sed peccata talium sunt infinita, ideo ordo iustitiae imponit eis poenas aeternas, haec bene consideranda sunt.

Die Sünd in den Gottlosen die nicht bekeret werden, ist so gros, das jr keine zeitliche straffe gleich ist, sonder sie ist vnermeslich, vnd gebürt dagegen ewige vnd vnermesliche straffe, nicht allein zeitliche straffe, die ein ende nimet. Gott behüt vns für solchem grausamen jamer.

Quinta causa est, quia Deus vult has poenas esse signa retrahentia nos ad poenitentiam. Quando fur ducitur ad patibulum, sciat se non propterea damnari, si modo agit poenitentiam. Sed cogitet hanc poenam esse sic a Deo ordinatam propter pacem politicam, et simul, ut sit admoniti retrahens ad poenitentiam. Has quoque causas saepe recitare et cogitare utile est.

Tertia admonitio.

Iam ubi nec doctrina Dei, nec poenae corporales flectunt homines ad poenitentiam, sequuntur poenae post hanc vitam, de quibus hic dicit. Et textus non indiget ulla declaratione. Et sunt poenae horrendae, quae quantae sint, verbis dici non potest. Sunt ignis aeternus, pavor et dolor maior quam ulli dolores corporum, et vellent damnati redigi in nihilum, si fieri posset.

Quarta admonitio.

Sed quaerat aliquis: Qui sunt salvandi? Quis potest dicere, quod satisfecerit his verbis? Esurivi, et dedistis mihi cibum, etc.

Respondeo: Hic oportet vos utrunque scire, doctrinam de fide, et de bonis operibus.

Certissimum est, quod vita aeterna datur propter Dominum nostrum Iesum Christum credentibus, sicut dixit textus: Haec est voluntas Patris, ut omnis, qui credit in Filium, habeat vitam aeternam.

Hanc consolationem oportet nos scire, haec est vox propria Evangelii. Ita hic dicit: Venite benedicti Patris mei, etc. Sunt autem benedicti per semen Abrahae etc.

Deinde vero oportet sciri, quod etiam sequi bona opera oporteat, et quod haec placeant Deo per fidem propter Christum, etiamsi sunt insufficientia. Sed tamen oportet nos tales esse, ne perseveremus in malo proposito contra conscientiam.

Econtra impii sunt sine fide, et habent malum propositum, non cibant Ecclesiam, sed interficiunt Sanctos. Non potant Ecclesiam, sed omni genere crudelitatis eam excruciare conantur etc. Et facile conspici possunt utrique in confessione et persecutione.

Credentes confitentur fidem, et faciunt multa bona opera. Sed impii ardent odiis, et quaerunt occasiones exercendae crudelitatis. Ita utrique discerni possunt.

Sequitur

Historia Passionis Domini nostri Iesu Christi.

Caput XXVI.

Scitis quod post biduum Pascha fiet.

Sequitur historia diei quarti in septimana Palmarum, scilicet, des Mitwochens, quia dicit: Post biduum Pascha fiet, scilicet post Mitwoch et post Donnerstag, quia dies Paschatos fuit inchoatus vespere praecedente feriam sextam den Freitag, et isto die deliberatio fuit de capiendo et interficiendo *Domino.* Hic cogitentur horrendi furores. Viderunt manifesta miracula et testimonia Dei, his ipsis diebus, resuscitationem Lazari, et alia multa. Et tamen tantus furor fuit, ut auderent cogitare de interficiendo tali viro, cui Deus tanta testimonia tribuerat. Et non addo hic longam enarrationem, quia nihil obscuritatis est in hac parte textus. Tantum vos omnes adhortor, ut expavescatis cogitantes tantum furorem, et ardentius oretis Deum, ne sinat nos ita ruere. Ah Deus propter tuam gloriam, et propter Filium tuum, miserere nostri, et rege tu nos Spiritu sancto tuo, et non sinito nos pollui blasphemiis et talibus peccatis, quae sunt irremissibilia, ut sunt peccata Iudae, Caiphae et similium.

De convivio in Bethania.

In Iohanne est etiam descriptio convivii in Bethania, quod factum est Sabbato ante Palmarum.

Hoc convivium quod recitat Matthaeus, factum est feria quarta am Mitwochen, post diem Palmarum. Et non est absurdum, dicere, quod sint duo convivia, quia existimo Dominum his diebus comedisse in Bethania, quoties comedit.

Historia autem haec continet exempla duo. Alterum est opus confessionis, quod laudat Dominus. Alterum est hypocriticum iudicium Iudae, vel etiam aliorum, qui reprehendunt bonum opus mulieris.

Hinc discamus, in ipsa Ecclesia saepe hoc accidere, ut hypocritae iudicent et condemnent Sanctos, etiam recte facientes. Et talia hypocritica iudicia discamus patienter tolerare, et non propterea fiamus negligentiores.

Sic uxor Davidis, filia Saul, reprehendebat Davidem canentem fidibus ante arcam Domini.

Et nunc magna audacia est iudicandi et damnandi alios. Et tamen considerare illi iudices deberent dictum Christi: Quare vides festucam in oculo fratris tui, et non consideras trabem in tuo oculo?

Scriptum est: Nolite iudicare, ne iudicemini, id est, non damnate, non sauciate fratrum conscientias, quando faciunt opera utilia Ecclesiae, quae per se non sunt peccata.

Et videte praesens exemplum, quam pulcer praetextus est. Iudas videbat occasionem furandi sibi offerri, si venderetur illud unguentum, hanc suam cupiditatem tegit isto praetextu: Melius esset vendi unguentum, et pecunia illa iuvari pauperes.

Talis est astutia humana, suis vitiis et cupiditatibus, quaerit praetextus honestos, et in scholis nominatur fallacia, secundum non causam, Scheinursach für wahrhafftige ursach.

Sed Deus iudicat corda, et damnabit et puniet hypocritas, et exsuscitabit recte facientes et fideliter servientes Ecclesiae.

Ita fit hic: Deus obiurgat iudicantes mulierem, et adfirmat mulierem fecisse opus bonum, quia qualecunque fuit hoc opus, et quaecunque fuit voluntas mulieris, tamen haec fuit principalis intentio, quod voluit ostendere hoc opere se fateri hunc virum esse doctorem a Deo missum, et Messiam, et se non esse in numero hostium ipsius. Et voluit eum defatigatum laboribus illorum dierum recreare, quia haec natio fuit medica, et habuit multas res optimas, ut balsamum et alia.

Haec intentio et talis significatio huius intentionis est opus confessionis, quod est opus bonum, sicut in die Palmarum signa confessionis, clamare Osanna filio David, et prosternere vestes, fuerunt opera bona, et opera confessionis. Sic etiam opus Davidis praecedentis arcam cum cithara, fuit confessio. Talia opera sunt Deo placentia, iuxta hoc dictum: Qui confessus fuerit me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo coelesti.

Tota nostra vita debet esse confessio, sicut dicit Dominus: Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut glorificetur Pater vester coelestis. Hic cogitemus contra, Quanta peccata sint, quando vita non est confessio, sed potius scandalosa, et

est causa, ut male audiat Evangelium, et doleant Sancti, et multi deterreantur a doctrina, ideo simus diligentiores, et curemus, ut vita sit confessio.

Postea facit Dominus collationem operum: Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper, quasi dicat: Bonum est iuvare pauperes vere egentes, et semper habetis occasionem. Sed melius est, ostendere confessionem, et non semper ego visibili praesentia vobiscum ero. Sic tantum simpliciter intelligatur hoc dictum, et non pugnat cum alio dicto: Ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi omnibus diebus. Est nobiscum et vere praesens est, sua divina potentia nos regens, defendens, custodiens, salvans. Aliud est loqui de visibili conversatione, qualis tunc erat, et significat cito se moriturum esse, et tunc ipsos futuros non solum in moerore, sed etiam in magna dubitatione. Me non habebitis, id est: Etiamsi ero vobiscum, iacens in sepulcro, tamen me non habebitis, id est, non credetis me esse resurrecturum, non tunc credetis me esse salvatorem, reddentem vitam mortuis.

Et consideres, non dicit: Non ero vobiscum, sed non habebitis me. Adest Dominus tunc in ipso convivio visibiliter. Et tamen non omnes habebant eum, id est, non omnes agnoscebant eum esse Messiam, non omnes credebant.

Postea Dominus laudat opus a singulari circumstantia, quam mulier fortassis non cogitaverat, sed Spiritus sanctus in muliere, movens eam, significare hoc arcanum voluit. Mos erat corpora Iudaeorum mortua perfundere balsamo, ut diu durarent.

Accommodat igitur Dominus hanc unctionem ad sepulturam, et ad conservationem corporis in sepulcro. Unxit me, inquit, quia sepeliar, et ipsa vult meum corpus non corrumpi, sed exspectat resurrectionem. Videte, quantam sapientiam ait esse in hoc exiguo opere? Tantum fortassis non cogitaverat mulier, sed tantum Spiritus sanctus in muliere haec cogitabat, et Dominus hac tanta laude ornat opus confessionis, et ostendit, Spiritum sanctum in Sanctis multa considerare in omnibus bonis operibus. Semper in uno bono opere multa bona opera insunt. Et contra, in uno delicto multa peccata simul insunt, haec bene consideranda sunt.

Postea inquit: Ubicunque praedicabitur hoc Evangelium in toto mundo, laudabitur hoc opus. Haec est egregia consolatio. Confessio vera non poterit opprimi, etiamsi multi adversantur, et in aliquibus locis exstinguunt, tamen semper servat Deus aliquam Ecclesiam, in qua manet lux confessionis.

Haec sit brevis enarratio exempli. Et mementote, hoc opus mulieris esse opus confessionis. Monachi sua opera electa sine mandato volunt per hoc exemplum excusare. Sed ipsorum opera non sunt exempla confessionis, et ipsi faciunt tanquam pretia et satisfactiones pro peccatis, etc.

Postremo ex hoc exemplo mulieris discamus etiam honore afficiendos esse ministros Evangelii. Ideo hoc opus laudatur, quia haec fuit intentio, hunc defessum concionatorem recreare.

Tunc abiit Iudas, etc.

In tota historia Passionis Christi, sicut in aliis historiis, oportet haec sex considerari.

Personas.
Causas, cur inter se personae pugnent.
Acta.
Personarum socios.
Poenas malorum.
Liberationes iustorum.

Sic in hac historia primum considerentur personae. Et principalis persona est Filius Dei, qui venit, ut hoc modo fiat victima pro genere humano, et docet Evangelium, arguit impietatem et omnia peccata. Et docet voluntatem Dei de poenis, et de iustitia, et de liberatione iustorum.

Hanc personam comitantur pauci, qui sunt membra Ecclesiae Dei, et audiunt eum, dolent ipso dolente, laetantur ipso resuscitato.

Contrariae personae principales sunt, Diaboli, impii Pontifices, et impii Principes, et horum ministri impii, et reliqua multitudo impia, quia genus humanum in duas partes est distractum, in Ecclesiam Dei veram, quae verum Deum invocat et recte colit, et in multitudinem contemtricem Dei.

Et sicut in omnibus negotiis, quae per multos aguntur, personae variae sunt, ita in historia Passionis, in parte inimica Christo, personae multae sunt, Diabolus est excitator, Pontifices sunt praecipui hostes visibiles, qui summa consilia gubernant, postea habent armatos, habent et proditores, sic fit in bellis.

Et illud est hic insigne, quod invenitur proditor iu ipso numerò Apostolorum. David proditus fuit a Doëg, qui fuit Idumaeus. Hoc non tantum ei dolorem attulit, quantus dolor fuit, cum filius et praecipui consiliarii ab eo deficerent.

Item, quantus fuit dolor Ioseph, cum fratres eum voluerunt interficere, et postea vendiderunt?

Consideremus igitur in ipso coetu, qui nominatur Ecclesia, tales multos esse, qui sunt similes Iudae, et valde doleamus, et Deum oremus, ne sinat nos per Diabolum vinci et impelli ad mala consilia, sicut in Iohanne scriptum est: Satanas intravit in cor eius. Et Dominus ipse dicit: Satanas expetivit vos, ut cribraret vos, Ego autem pro te oravi, ut non deficiat fides tua.

Haec dicta moneant nos, ne simus securi nihil cogitantes de insidiis Diaboli, sed Deum oremus assidue, ut nos regat, ne incidamus in laqueos Diaboli.

Haec iam satis dicta sint de personis, et mementote hanc divisionem, quia saepe postea rursus dicendum est de diversarum personarum operibus.

2. De causa. In filio Dei causa, cur velit pati, est bona, scilicet, quia scit hanc obedientiam esse pretium, quo iustitiae Dei satis fit, et ira placatur, et Deus recipit genus humanum, sicut in Psalmo scriptum est: In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatem tuam, Deus meus, volo, et lex tua in medio cordis mei etc.

Tota scriptura loquitur de hoc mirando consilio Dei, quod Deus hoc modo voluerit salvare genus humanum, et saepe haec miranda deliberatio cogitanda est, Filius est deprecator pro Adam et Eva, et fit decretum, ut poena in ipsum derivaretur, quia ordo iustitiae erat, ut non reciperetur genus humanum, nisi facta compensatione, et poenam aequivalentem solveret redemtor.

Hoc mirandum consilium quotidie cogitandum est, et Deo gratiae agendae pro donato filio.

Sed causa passionis in hostibus Christi, erant odium Dei in Diabolo, et odium Christi in Pharisaeis, qui nolebant suos errores et peccata accusari, et eodem modo semper oderunt veram Ecclesiam hypocritae.

3. Acta recitabimus ordine, quomodo simul mendaciis et manifesta violentia Christum perdere conentur.

4. Personarum socii, ut dixi. Socii Christi sunt pauci auditores, Apostoli, Maria, et pauci alii, qui dolent cum eo patiente, et laetantur cum resurgente.

Sed socii impiorum Pontificum et Pharisaeorum sunt tyranni, qui armis adiuvant persecutionem. Item proditor Iudas, et reliqui blasphemi et impii, qui perseverant in impietate.

His omnibus dicetur: Ite maledicti in ignem aeternum.

5. Poenae impiorum etiam in hac vita incipiunt, ut poena Iudae, et haud dubie multi alii, Pilatus, Herodes, et Pontifices habuerunt etiam poenas in hac vita, sed postea sequentur aeternae poenae multo maiores.

6. Econtra liberatio iustorum inchoatur in resurrectione, ibi manifeste vident Apostoli, qualis sit futura totius Ecclesiae liberatio in resurrectione.

Haec de Iuda satis sit dixisse, et oremus Deum ardenter, ut nos regat Spiritu suo sancto, ne Diabolus implicet nos laqueis suis, ut a Christo deficiamus, ipsum etiam Christum oremus, ut ipse nos regat, et pro nobis intercedat, sicut pro Petro intercessit, et eum confirmavit.

Prima Azymorum.

Sequitur historia de agno Paschali, et de institutione coenae Domini.

Non volumus autem iam dicere de veteri ritu agni Paschalis. Sed volumus dicere de nostris Sacramentis, et de causis, cur semper fuerint in Ecclesia Sacramenta, et quis sit eorum usus. Hanc doctrinam necesse est saepe repeti, et haec est prima causa institutionis Sacramentorum omnibus temporibus.

Cum Deus immensa misericordia velit colligere aeternam Ecclesiam ex genere humano, edidit inde usque ab initio suam promissionem de reconciliatione, et addidit externa visibilia signa, quia vult illam promissionem sonare in genere humano, et ut promissio fiat insignior, oculis etiam proposita sunt externa visibilia signa.

Item cum velit Ecclesiam esse certum coetum distinctum ab aliis gentibus, vult esse signa distinguentia, ut circumcisio discernebat Israëlitas a caeteris gentibus omnibus, Baptismus discernit nos ab illis gentibus.

Vult etiam aliqua signa esse vincula publicorum congressuum, quia certissimum est. Deum

velle, ut publici honesti congressus fiant, et servat eos ipse in genere humano, et non placent ei dissipationes, quales faciunt Anabaptistae, aut alii, qui currunt in latebras, et faciunt distractiones sine necessaria causa.

Vult Deus esse Ecclesiam distinctam a caeteris gentibus, et vult eam conspici et exaudiri in toto genere humano. Ideo vult esse honestos congressus, et servat eos, et addidit signa, ut discerni et conspici Ecclesia possit.

Hanc causam bene considerate, ut postea melius intelligatis ea, quae de coena Domini dicentur. Quia haec ita instituta est, ut sit illa publica ceremonia connectens publicum congressum.

Post hanc causam, quae de publico congressu aut distinctione loquitur, est et haec causa pro sua cuiusque conscientia cognoscenda, Sacramenta sunt etiam testimonia voluntatis erga te, et sunt applicationes promissionum per fidem. Quando sumis corpus et sanguinem Domini, cogita et crede, ad te quoque pertinere promissionem gratiae.

Alias cogitant homines, ecce promissio est generalis sermo, fortassis ad te nihil pertinet, sed scito in hoc ipso ritu testari Deum, quod promissio ad te pertineat. Dat tibi Dominus corpus et sanguinem, facit te membrum sui corporis, vult igitur et promissiones vere tibi tribuere.

Hanc causam diligenter considerate, et simul hic discite magnum et horrendum abusum, qui semper in mundo vagatus est, de merito operis, seu de usu Sacramentorum sine fide.

Sicut Pharisaei docebant, remitti peccata propter sua sacrificia et mactationes, et de fide prorsus nihil dicebant: ita populus in Papatu cucurrit ad coenam Domini, et putavit se hoc opere, et hac obedientia mereri remissionem peccatorum. Haec insania est magna idololatria. Sed debes scire, quod haec tua sumtio vel obedientia nequaquam sit meritum remissionis peccatorum, sed quod filius Dei sua morte meruerit nobis omnibus remissionem, et hanc oportere fide accipi in vera poenitentia.

Postea vero haec sumtio tibi est testimonium, quod promissio etiam ad te pertineat, et mens tua intueatur Filium Dei sedentem ad dextram aeterni Patris, qui te iam facit membrum sui corporis, et multo ante meruit tibi remissionem, et vult, ut te promissione sua consoleris.

Hic verus usus discernendus est a papistico et ethnico abusu, qui ceremonias ita faciebant, quasi essent merita remissionis peccatorum. Postquam dixi de causis, et de usu Sacramentorum, generaliter, proxime etiam de textu et de Missa dicemus.

Accipiens Iesus panem, etc.

Primum pauca volo dicere de Missa papistica, ut vos sciatis, qualis fuerit error in toto mundo, et apud Papistas adhuc sit, et sitis moniti, ut illum tantum errorem et idololatricum detestemini.

Papistae dixerunt et dicunt, suam missam essa oblationem seu sacrificium, quod sit necessarium Ecclesiae, et mereatur facienti et aliis, pro quibus fit, remissionem peccatorum, sicut Pharisaei dicebant, se mereri remissionem sibi et aliis, mactione pecudum.

Haec opinio est error, et pugnat cum dicto ad Ebraeos: Una oblatione consummavit Sanctos.

Item pugnat cum dicto: Iustus fide sua vivit. Iam si opus sacrificuli meretur remissionem, non accipitur remissio fide.

Firmissime igitur tenendum est, quod opus sacrificuli non mereatur remissionem, et quod omnes Missae papisticae pro vivis et mortuis, sint idololatricae. Et nemo debet ad eas accedere, et horrendum est cogitare, tantam idololatriam pervasisse in Ecclesiam, et tam late receptam esse. Oremus autem Deum, ut ipse emendet, quia nulla sapientia aut potentia hominum hunc tantum errorem tollere potest, sed solius Dei opus est, hunc idololatricum cultum delere, et nos deberemus dolere propter tantum errorem mundi, et propter tantam contumeliam Dei; et deberemus Deum saepe orare, ut ipse hanc tantam abominationem deleret.

Nec volo prolixius disputare. Quanquam enim nunc homines astuti fingunt multas sophisticas glossas ad defendendam Missam papisticam, tamen tantum sunt sophisticae, et excogitantur ad stabiliendos errores, imo cumulant errores, sicut liber Interim, et scripta Sidonii. Haec satis sit dixisse de Missa papistica.

Volo et hoc confiteri, quod nihil est Sacramentum, nisi in suo usu, sicut institutio sonat. Et cum coena Domini instituta sit ad sumtionem, sciendum est, illam consuetudinem circumgestandi panem esse idololatricam et fugiendam.

Secundo dicam de vero usu. Principaliter, ut dixi, haec coena instituta est, ut sit nervus publicae congregationis.

Et sumentes corpus et sanguinem Domini sint tales, videlicet homines agentes poenitentiam, non sint securi, habentes malum propositum, quia scriptum est: Probet se ipsum homo, et sic de illo pane edat. Item: Esurientes implevit bonis. In summa: Nemo accedat retinens malum propositum, quia est donatum, ut sit pignus remissionis peccatorum, credent. Sed qui retinet malum propositum, non expetit remissionem peccatorum, sed contemnit Deum, et si sic sciens accedit, irridet Dominum nostrum Iesum Christum.

Hoc peccatum horrendum et non rarum est etiam apud nos, qui vocamus nos Evangelicos.

Sed in hac ipsa sumtione debemus fidem excitare, quod haec sumtio sit instituta, ut sit testimonium, quod vere tibi dentur bona promissa in novo Testamento propter filium Dei mortuum et resuscitatum, quia textus inquit: Hic est calix novi Testamenti.

Testamentum autem est ordinatio, in qua moriturus alteri attribuit haereditatem, ita filius Dei moriens, meruit nobis remissionem peccatorum. Et hanc attribuit nobis, et addidit hoc ministerium, praedicationem Evangelii et Sacramenta, ut per hoc ministerium accipiamus haec bona, sed per fidem. Et haec fides non sic cogitet, tu accipis remissionem propter hoc tuum opus, aut hanc tuam sumtionem, sed propter filium Dei, qui pro te passus est in cruce, et resurrexit, et regnat ad dextram aeterni Patris, et est mediator pro nobis, et in hac sumtione facit nos membra sua et adiungit nos sibi, et testatur, quod abluerit nos sanguine suo.

Haec fides sit vera consolatio agentis poenitentiam. Et tunc sentitur viva et ardens fides, quando est verus dolor, in quo consolatio sentitur. Ubi est securitas et pigritia, ibi non sentitur consolatio, et non consideratur hoc dictum: Esurientes implevit bonis.

Hanc doctrinam recte debetis discere, et cogitare, quid intersit inter vos et Papistas, cur accedant Papistae, et cur vos accedatis.

Papistae accedunt sine poenitentia, et postea fingunt, se hac obedientia mereri remissionem peccatorum, et hoc opere deleta esse peccata. Hic error necessario taxandus est.

Vos autem debetis accedere cum poenitentia, et adferre hanc fidem, quod peccata vobis remittantur, non propter vestram sumtionem, sed propter filium Dei, qui meruit remissionem sua passione: velit autem hanc sumtionem memoriale et testimonium esse suae promissionis, et velit nos hoc testimonio ad fidem exsuscitare, et confirmare.

Tertio, in ista consolatione etiam debent accedere invocatio et gratiarum actio, debes cogitare: Ecce filius Dei fecit te membrum sui corporis, vult te secum accedere ad Patrem, non fugere, vult ut invoces, petas remissionem peccatorum, vitam aeternam, auxilium in hac vita contra Diabolum, et contra alia mala, petas servari Ecclesiam, petas pacem et alia bona necessaria.

Item agas gratias Deo, pro hac immensa misericordia, quod genus humanum hoc modo receperit propter filium, agas gratias ipsi filio, quod fuit pro nobis deprecator, quod sit factus victima, quod colligat et servet Ecclesiam, quod te recipiat, quod tibi opituletur, et cogita de omnibus beneficiis, quae quotidie accipis.

Magna coecitas est, velle iuvari a Deo, et non velle ei gratias agere, et nunquam profiteri, quod illa bona, quae accipis, sint tibi a Deo donata. Paulus dicit 1. Thessal. ultimo: Semper gaudete, incessanter orate, in omnibus gratias agite.

Tria praecipit: Primum iubet gaudere, id est, non irasci Deo, sed ei obedire in secundis et adversis rebus.

Secundo iubet semper petere necessaria.

Tertio iubet etiam agere gratias, et agnoscere et fateri, quod illa bona, quae accipitis, sint data a Deo. Et haec gratitudo declaretur non solum verbis, sed etiam voluntate obediendi. Ideo diligentius Deo obedias, ne velut ingratus sis contumax.

Haec de usu Sacramenti bene mementote, et singulis dominicis, quando fit communio, cogitate vobiscum. Haec tria oportere coniungi, poenitentiam, fidem in consolatione, invocationem et gratiarum actionem.

Volo et hanc admonitionem addere: In Paulo scriptum est: Hoc facite donec veniam. Haec verba diligentissime mementote, quia continent dulcissimam consolationem, quod Ecclesia mansura sit, donec veniet Christus, et se ostendet in novissimo et visibili iudicio. Item, quod interea

sint mansuri publici et honesti coetus Ecclesiae, doctrina et ministerium. Et quanquam haec aliquando turbantur, tamen Deus subinde restituit. Agatis igitur gratias Deo servanti Ecclesiam, et petatis, ut servet. Et hac spe sitis magis diligentes in discendo, et in iuvanda Ecclesia etc.

Et hymno dicto egressi sunt.

In hac historia ad montem Oliveti sunt haec quatuor consideranda.

1. Passionis initium in hoc loco. De causa passionis prius dictum est, quam tamen semper oportet in conspectu esse.
2. Apostolorum securitas, somnus et fuga.
3. Petri pugna.
4. Captivitas Domini.

De primo.

De ipsa passione. Quanquam Dominus in omni vita saepe passus est in corde suo magnos pavores et dolores, ut Iohan. 12. inter concionandum clamat: Pater salva me ex hac hora, tamen iam in monte Oliveti singularis est dolor, et hic recitatur ab Evangelii scriptoribus, tanquam singularis pars passionis Christi.

Quid autem sit iste dolor, nos non possumus clare dicere, quia nec sustinere possemus. Sed debemus credere, fuisse magnos dolores propter iram Dei adversus peccata nostra, tunc filius Dei sensit effundi in se iram Dei, contra peccata nostra, quasi ipse se polluisset tuis et meis et aliorum peccatis.

Ideo nominatur agnus Dei, id est, victima, quia mactatur loco aliorum. Et Esaias inquit: Et posuit Dominus in eo iniquitatem *omnium nostrum.* Item: Propter scelera populi mei percussi eum.

Haec pia meditatione cogitanda sunt, et agnoscenda ira Dei contra peccata. Et agendae gratiae Deo, et Domino nostro Iesu Christo, quod sic velit salvare genus humanum.

Deinde cogitate magnitudinem doloris. Necesse est magnum dolorem fuisse, in quo resolvuntur vires cordis, ut sanguis effluat pro sudore.

Et ipse precatur: Pater, si fieri potest transeat a me calix iste, veruntamen non quod ego volo, sed quod tu vis, fiat. Haec lucta ostendit, fuisse maximos dolores, item confirmatur ab angelo.

Haec omnia etsi non intelligimus, tamen aliquo modo cogitanda sunt, ut dixi, ut cogitemus iram Dei contra peccata, et agamus ipsi gratias.

De secundo.

Cum Dominus est in tanto dolore, Apostoli dormiunt, et habent adhuc bonas spes de victoria, et de regno mundano.

Hic cernimus exemplum infirmitatis in Sanctis. Ipsi sunt negligentes, et in errore de regno mundano.

Sed simul hoc consideremus, Dominus dolenter alloquitur eos, taxat negligentiam eorum, et praecipit, ut orent, ne intrent in tentationem.

Est negligentia in Sanctis, sed tamen reprehenditur, et commonefacti oremus, ne nostra negligentia nobis noceat, nec Diabolus praecipitet nos in aliquos graviores lapsus.

Praeterea hic sciamus: Quanquam Apostoli sunt infirmi, tamen in Ecclesia fuerunt aliquae personae, quae intellexerunt passionem Christi, et simul veros et magnos dolores passae sunt, scilicet Maria mater, et eius soror Maria Cleophae.

Et semper sunt in Ecclesia aliqui, qui cum Christo patiuntur. Et nos in nostris afflictionibus simus patientiores, et cogitemus nos cum capite Christo pati.

De tertio.

Aliud peccatum in Apostolis pingitur, quod valde saepe accidit in Ecclesia. Volumus in persecutione pugnare, et Evangelium gladio defendere. Ita Petrus stringit gladium, et praecidit servo auriculam, et habet hanc opinionem quod Christus sit fugaturus omnes, quia omnes lapsi erant, cum Christus eos alloqueretur.

Saepe similia facta sunt, et fient similia, ut Monetarius, Straus, et alii volebant gladio propagare Evangelium.

Non volo autem iam loqui de Principum officio, sed de officio praedicantium volo loqui.

Hoc certissimum est, nos praedicantes non debere gladio pugnare, et addit hic Dominus regulam.

Qui gladium acceperit, gladio peribit. Hanc regulam scitote non esse inanem sonitum, sed vere sic fieri. Deus regulariter omnes homicidas retrahit ad poenam, etiamsi magistratus eos non

punit. Ut Deus punivit Saulem, qui interfecerat Sacerdotes: Deus punivit Davidem, qui multo duriora morte passus est, quia rapuerat alterius coniugem, et iussit astute virum tolli. Et non debemus dubitare, quin servet Deus hanc regulam, punit gladio omnes, qui iniuste gladium stringunt, sive sint Reges, sive Principes, sive homines in populo, et non manent impunita homicidia, quae fiunt iniuste.

Discamus autem expresse dici: Qui gladium acceperit, scilicet non datum a legibus, gladio peribit. Loquitur ergo de seditiosis et talibus, qui non sunt magistratus, et de magistratibus, quando contra leges, ex proprio furore alios interficiunt, sicut fecit Nero, Caligula, Domitianus, et alii tyranni plurimi.

Ita videtis, quod Christus etiam in hac sua passione tamen docet Ecclesiam de tentationibus, quae accidunt Ecclesiae tempore persecutionis.

De quarto.

Tandem Dominus volens capitur, et quanquam sunt ibi proditor et cohortes, tamen nihil potuissent efficere, nisi Dominus volens sineret se capi et ligari, sed tamen Diabolus et impii homines insaniunt, et conantur fraude et violentia Ecclesiam delere, et Deus hoc aliquo usque permittit, sed tamen metas constituit, et servatur regula: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Capientes Iesum duxerunt ad Caipham.

Hic est secundus actus passionis. Primus fuit in horto, secundus est coram Pontificibus. Et hic simul continetur historia de negatione Petri.

Quare autem prius ducitur Christus ad Pontifices? Respondeo: Talis est processus in persecutione Ecclesiae. Primum condemnatur Christus a Sacerdotibus et a Doctoribus, hi sunt primi, qui accusant et condemnant eum de duabus rebus: de blasphemia et de seditione.

Et quanquam durum est, nominari seditiosum coram mundo, tamen multo durius est, dici blasphemum. Nobis est multo durius, quod dicimur haeretici et autores errorum, quam quod dicimur inobedientes Imperatori, aut seditiosi.

Haec magna crimina quanta sint, unusquisque apud se cogitet, et sciamus similia accidere in Ecclesia, quandocunque fit persecutio, sicut nunc quoque similia fiunt, dicimur autores errorum, et simul dicimur inobedientes Imperatori. Sed simus instructi et confirmati vera excusatione.

Considerate autem hanc historiam, ad aliqua respondet Dominus, ad aliqua non respondet.

Primum, non respondet, ubi levis est obiectio, non pertinens ad doctrinam, et ubi vanitas testium per se manifesta est, ut cum obiiciunt de destructione templi.

Secundo respondet, ubi fit mentio doctrinae. Nam hic est articulus fidei praecipuus, quod hic Iesus natus ex virgine, sit Messias, et sit Filius Dei promissus Patribus, ut sit redemtor et salvator generis humani.

De hoc tanto articulo interrogatus, edit expressam confessionem, Lucae 22. dicit: Ego sum.

Post hanc confessionem expresse damnant eum omnes, imo clamant: Quid opus est testibus? Ipsi audivimus ex ore eius.

Et post condemnationem factam a Pontificibus, iam nebulones illi ministri Pontificum illudunt Christo, et percutiunt eum etc.

In hac prima condemnatione coram Pontificibus accedit iam aliud malum. Ipse Petrus labitur horribilier, ita non solum fit persecutio per hostes, sed etiam in ipsa Ecclesia sequuntur scandala.

Ac utroque modo Diabolus furit, impellit Pontifices, et simul infirma membra Ecclesiae tentat, ut etiam labantur.

Ubi autem est Ecclesia? Qualis species est? An non semper oportet in genere humano manere Ecclesiam? Et quidem conspici eam et audiri oportet?

Profecto iam lacrymabilis species est, Petrus negat, Apostoli dissipati sunt et dubitant, et tamen necesse est reliquam esse Ecclesiam, Christus ipse adhuc miracula facit, iam in horto fecit adhuc miracula, prostravit milites, sanavit vulneratum.

Et manent reliquiae constantes in fide, Maria mater, et eius soror Maria Cleophae, et alii quidam ab his confirmati. Sed tamen iam parva et languida et deformis est Ecclesia, sed post Pascha rursus fit magna et gloriosa. Haec consideremus, ne deficiamus propter tentationes.

Iam et Petri lapsum et conversionem consideremus.

Tres distinctae negationes hic describuntur.

Historia.

Prima negatio facta est in vestibulo domus Caiphae, ubi fecerant ignem, ut se calefacerent noctu.

Hic Petrus territus voce ancillae, negavit se nosse Christum, Ich kenne jn nicht, vnd weis nicht was du sagest, haec est prima negatio, et statim post hanc primam negationem exivit Petrus fortassis metu consternatus. Et postquam exivisset, audivit gallum primo canentem.

Vnd ist solches geschehen ongefehrlich in mitternacht, da die Han pflegen zu schreien, denn man hat den HERRN die gantze nacht also vmbgefürt, von Hanna zu Caipha, Vnd hat man bey Caipha die grossen Prelaten zusammen gefordert, vnd lang da rath gehalten, etc.

Secunda negatio.

Aliquanto post rediit Petrus ad ignem, ibi rursus negavit, cum et alia ancilla diceret eum fuisse cum Iesu, et unus ex cohorte ministrorum etiam eum compellaret, et diceret: Et tu ex illis es. Hic Petrus non solum negavit, sed addidit iusiurandum.

Haec est secunda negatio, facta post mediam noctem circa horam secundam.

Interea magnae contentiones fuerunt Pontificum et Praelatorum cum Christo, auditi sunt contra eum falsi testes, interrogatus est, an sit Messias, filius Dei, percussus est a ministris Pontificum.

Ita per aliquot horas a media nocte fuit Dominus in domo Caiphae.

Secuta est igitur mane circa quartam iuxta nostrum horologium, tertia negatio.

Tertia negatio.

Tertio venerunt aliquot ministri Pontificis, et dicunt, eum fuisse cum Iesu, et nominatim cognatus eius, cuius praecisa erat auricula, adfirmat, se vidisse eum in horto. Hic multo magis negat Petrus, iurat, et seipsum exsecratur.

Sed interea dum loquitur, canit gallus secundo. Et Dominus versus ad eum, intuitus est eum. Hic Petrus recordatus est verba, quae dixit Iesus: Priusquam gallus bis cantabit, ter me negabis. Et egressus et incumbens in eam cogitationem, flevit amare.

Haec est historia de negatione Petri, valde insignis, et diligenter ab omnibus Evangelistis recitata, quam saepe cogitare debemus propter has duas causas, ut nos ipsos de nostra infirmitate admoneat. Et deinde, ut lapsi non desperemus, sed ut sciamus, voluntatem Dei esse, ut redeamus, sed ut sciamus, voluntatem Dei esse, ut redeamus per poenitentiam et fidem ad Deum, et non ruamus in desperationem et aeternum odium Dei, sicut Iudas.

Et diligenter has causas consideremus:

Prior est, de infirmitate. Nemo sit securus, nemo confidat propria sapientia et constantia, sed semper cogitemus, nos esse infirmos, et petamus a Deo auxilium, sicut canit Ecclesia: Sine tuo numine nihil est in homine. Item: Sine me nihil potestis facere. Item: Petite et accipietis.

Ac vidite excellentes Sanctos, quam horribiliter lapsi sint. Aaron adsensit, ut fieret vitulus. David rapuit alterius coniugem, et curavit, ut vir interficeretur. Manasses fuit multipliciter pollutus, idolorum cultu et homicidiis, immolaverat filios suos.

Petrus ter negavit. Hi lapsus sunt manifesti et magni. Habemus autem et singuli multa et magna peccata. Ideo non simus superbi et securi, sed agamus poenitentiam, sicut clamat Dominus: Agite poenitentiam, sit in nobis verus dolor propter nostram immunditiam et propter multa peccata nostra, sicut clamat Propheta: Scindite corda vestra, etc.

Ac saepe auditis, partes poenitentiae vel conversionis tres esse, contritionem, fidem, et novam obedientiam.

Aaron habuit contritionem magnam, sicut de eo scriptum est, Dominus voluit eum conterere.

David etiam fuit in magno dolore, quando obiurgavit eum Nathan, et saepe postea, et quando pulsus est in exilium.

Manasses abductus est captivus, ibi etiam coepit agnoscere sua peccata, et dolere.

Petrus etiam hic flet amare. Haec amaritudo significat ingentem dolorem cordis.

Et quomodo fit haec contritio? Dominus aspicit eum, et hoc aspectu commonefacit eum, ut cogitet, quid egerit. Et Marcus expresse dicit: ἐπιβαλών, intente cogitans, flevit.

Non sit talis durities in nobis, ut nolimus cogitare de peccatis nostris, et de ira Dei.

Christus aspicit nos, commonefacit nos voce Evangelii, et trahit Spiritu suo sancto, sicut in Apocalypsi scriptum est: Sto ad ostium et pulso.

Audiamus igitur, et non repellamus Spiritum sanctum. Sed cogitemus de peccatorum magnitudine, et de iusta ira Dei, et doleamus, sicut Aaron, David, Petrus doluerunt.

De secunda parte, *de fide.*

Sed non tantum sit dolor in nobis, sed sit etiam fides, sciamus hanc promissionem et hoc iuramentum Dei: Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat. Sciamus filium Dei apparuisse, ut peccatores agentes poenitentiam recipiat. Sciamus hoc dictum Domini: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos. Hanc ipsam doctrinam Petrus hoc biduo in dolore suo cogitavit, et hac consolatione se sustentavit, fuerunt in eo initia fidei, alioqui periisset sicut Iudas, et fuit magna lucta doloris et fidei: ideo Christus post resurrectionem eum valde amanter consolatur. Et haud dubie cogitavit Petrus haec verba Domini, dicta pridie: Petre, oravi pro te, ne deficiat fides tua. Et utcunque se erexit, multa dicta Domini cogitans usque ad diem resurrectionis, ibi Dominus coram eum consolatur, et absolutione manifesta eum recipit.

Et haec est secunda causa, propter quam haec exempla diligentissime consideranda sunt, quia sunt testimonia regulae et principalis promissionis Evangelii, quod velit Deus omnes agentes poenitentiam et credentes recipere, sicut Aaronem, Davidem, Petrum, horum fuerunt manifesti lapsus magni, et tamen recepti sunt. Ergo nec nos multitudo peccatorum nostrorum deterreat, quo minus credamus nobis remitti. Et hae historiae sunt exempla huius regulae: Gratia exuberat supra delictum.

Filius Dei potentior est toto regno peccati et Diaboli. Non cogites mortem filii Dei non esse sufficiens pretium pro tuis peccatis. Non contumelia afficias filium Dei, et passionem eius.

Sed credas, quod sit vere sufficiens pretium pro nobis omnibus, et quod Deus sit verax, vere velit nos propter filium gratis, non propter nostram dignitatem recipere. Et hac fide ad Deum accedito, et scias te tunc receptum esse, et haeredem esse vitae aeternae.

Post hanc fidem debet et nova obedientia sequi, sicut Petrus postea fuit in ministerio suo et tota vita obediens, et fidelis.

Caput XXVII.

I.

Ducitur Iesus ad Pilatum, ubi primum recitatur poena Iudae.

2. Postea accusatio, et confessio Christi.
3. Deinde confessio Pilati, quod Christus sit innocens.
4. Quarto flagellatio et coronatio cum spinis.
5. Condemnatio et crucifixio.
6. Conversio latronis, et alia testimonia.

Primum, *de poena Iudae.*

Prius recitavit exemplum lapsus Petri, qui tamen conversus est, et ad poenitentiam rediit. Hoc igitur exemplum continet dulcissimam consolationem.

Nunc aliud exemplum sequitur, Iudae, qui non conversus est, non egit veram poenitentiam, sed est oppressus dolore et ruit in aeternum exitium, in aeternam iram, et horrendos cruciatus, quos nulla lingua hominum vel angelorum eloqui potest.

Et hoc exemplum propositum est, ut simus vigilantes, ut non ipsi ultro quaeramus peccata blasphemiae.

Petrus infirmitate lapsus est, quanquam est horrendus lapsus, tamen non hoc ultro quaesivit, non hoc voluit, ut interficeretur Christus, sed tantum sibi metuit.

Iudas vero fuit blasphemus, et volens et sciens quaesivit hoc, ut Christus interficeretur.

Hic simus cauti, ne in talia peccata ruamus, sed assidue Deum oremus, ut nos regat et confirmet, nec sinat nos eo usque labi, sicut de Iuda scriptum est: Intravit Satanas in cor eius.

Huius tanti mali magnitudinem cogitemus, cum magno timore, et Deum assiduis gemitibus oremus, ut nos regat, nec sinat nos labi, sed depellat a nobis Diabolum, clamemus et ad filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, ut adsit nobis, quia filius Dei venit, ut destruat opera Diaboli, et conculcet caput serpentis: Ah Domine Iesu Christe, fili Dei crucifixe pro nobis et resuscitate sedens ad dextram aeterni Patris, et

cum eo regnans, qui dixisti: Nemo rapiet oves meas ex manibus meis: Te oramus, ut nos regas et serves, et non sinas nos labi, sed serves tibi inter nos Ecclesiam tuam.

Haec de Iuda cogitate, et non sitis adeo duri, ut corda vestra non moveantur timore, cum consideratis tam horrendum exemplum.

Postea considerate hypocriticam sanctitatem Pontificum. Nolunt pecuniam in aerarium recipere, et tamen audent interficere Christum. Facta est autem haec confessio et Iudae et Pontificum, ut utrique faterentur, se iniuste fecisse. Iudas fatetur, quod sanguinem istum vendiderit: Isti fatentur, quod eum pecunia corruperint.

De accommodatione dicti in Zacharia, non opus est anxia disputatione.

Quod hic nominatur Ieremias, fortassis manus alicuius scriptoris erravit.

Secundo, simus contenti quod hanc historiam Matthaeus intelligit, significatam esse in illa imagine, quam Propheta Zacharias recitat, et numerus pecuniae certe congruit hic, quod Deus dicit, seipsum pretio hoc aestimatum esse, hoc manifeste et iuxta literam in Christo completum est, qui Deus est.

Quod etiam dicit esse aestimatum a filiis Israël, deducit nos ad historiam Ioseph, quae etiam est typus venditionis Christi, sicut tota illa deliberatio de interficiendo Ioseph fuit figura passionis Christi.

Haec de accommodatione dicti Zachariae sufficiant, et talia dicta legentes consideremus, quam profundi lapsus in homine sequantur, quando non custoditur a Deo, et quando Diabolus occupavit corda. Triginta argentei faciunt nostra moneta quindecim thaleros.

Sed etiam si fuit amplius, tamen horribilis et diabolicus furor est, pro quantacunque pecunia Christum vendere, agnitam veritatem oppugnare, interficere membra Christi, sicut hoc tempore multi faciunt, qui agnitam veritatem oppugnant, et interficiunt Sanctos.

Ostendit autem exitus Iudae poenas, quae impendent talibus proditoribus et persecutoribus.

Secunda pars.

Tune es Rex Iudaeorum?

Matthaeus breviter hanc partem recitat, in Iohanne et Luca sunt quaedam membra, quae ad hanc confessionem pertinent.

Antea Christus edidit suam confessionem coram Pontifice, quod sit Messias, quod sit filius Dei, quod recte docuerit. De his articulis fuit accusatus, et expresse de eis Christus respondit.

Iam alia accusatio apud Pilatum instituitur. Hic iudex non multum curat, quid Iesus docuerit, et ut vir ethnicus, ridet illa, quae dicebant de filio Dei, et ridet disputationes de doctrina, sed curat negotia regiminis, ne moveatur seditio contra Romanos, et ne aliquis fiat rex, et adiungat sibi multitudinem.

Adferunt igitur primum haec crimina: Accusant Dominum, quod dixerit se regem esse, item quod prohibuerit Caesari dari censum. Item, quod moverit populum per totam Iudaeam, a Galilaea usque ad Ierosolymam.

Haec sunt magna crimina, et saepe haec species praegravat doctores, dicimur seditiosi, quia non obtemperamus Imperatori praecipienti, ut recipiamus impiam doctrinam.

Et diligenter considerandum est, Non respondet Christus ad omnia mendacia, sed quae prorsus manifesta erant, relinquit.

Respondet autem ad quaestionem de regno, affirmat se esse regem, et discernit regnum mundi, in quo serviebat Pilatus, a regno proprio, cuius rex ipse filius Dei.

Sic Ecclesia debet perspicue purgare crimen seditionis, debet dicere, se velle praestare omnem legitimam obedientiam in negociis politicis. Sed de doctrina velle se obedire Deo, sicut mandatum est: Oportet Deo magis obedire, quam hominibus.

Et hic omnes pii considerent discrimen regni politici et regni aeterni, in quo filius Dei vocat nos per Evangelium ad aeterna bona, dat remissionem peccatorum et vitam aeternam.

Nec miscenda sunt haec regna, sicut Papa praetextu ministerii, vult esse rex mundi, et Regum Dominus, sicut in iure canonico scriptum est, et sicut Papa imperatores amovit ab imperio, et imperatorem Fridericum Barbarosssm coëgit ante se iacere, et pedes imposuit collo eius. Istam diabolicam superbiam videre et audire in Ecclesia, horrendum est.

Nunc quoque alio modo miscentur potestates, Imperator et Principes volunt novam doctrinam Ecclesiis proponere, fecerunt Interim et volunt impios cultus, Missam, invocationem Sanctorum, et alia idololatrica in Ecclesia stabilire, ipsi

volunt esse Doctores et Pastores, cum tamen non intelligant doctrinam, et sint hostes verae doctrinae. Hoc nequaquam approbandum est, sed discernantur officia, et in utroque laborent singuli fideliter in suo officio.

Postea Pilatus ipse fatetur, Iesum esse innocentem. Sic semper perspicuum fit, quod Ecclesia sit innocens, et non appetat regna mundi, nec moveat seditiones.

Et tamen potestas impia contra conscientiam adiuvat persecutionem, urgentibus impiis Doctoribus.

Primum iubet eum flagellis caedi, et spinis coronari. Fatetur Pilatus, Iesum innocentem esse, et tamen eum talibus contumeliis et cruciatu afficit, sicut nunc, etiam qui non occidunt Iesum, qui non penitus tollunt recte docentes, quia non possunt, tamen ostendunt sua odia adversus eos in multis signis, negligunt Pastores inopes, sinunt eos varie vexari.

Iam haec flagellatio et coronatio considerentur.

Papa et omnes sui Episcopi flagellant Christum, coronant et derident eum, et induunt ei purpuram, qui doctrinam falsam defendunt, et miseras mentes hominum flagellant, imo multos occidunt.

Deinde cum sibi regnum constituunt, coronant Christum spinis, et eum induunt purpura, id est, dolore afficiunt ipsum Christum et veram Ecclesiam, per illam falsam et impiam dominationem, quam sibi arrogant, contra voluntatem Dei et contra salutem Ecclesiae.

Quandocunque vides pictum Papam cum sua corona et aureo pallio, cogites econtra stantem Christum coronatum spinis, et indutum purpura per ludibrium. Et Deum ores, ut deleat illa idola, et impiam dominationem, et colligat ipse Ecclesiam inter nos clementer, et regat nos, sit Rex ipse Christus, non Papa.

Postea Pilatus permovetur, ut etiam occidat Christum, quando audit illa verba: Si non crucifigis eum, non es amicus Caesaris.

Tales sunt, qui cum impiis colludunt: etiamsi initio non sunt crudelissimi, tamen paulatim fiunt deteriores. Ideo cavenda sunt initia, iuxta illa dicta: Cavete a fermento Pharisaeorum. Item: Nolite iugum ducere cum gentibus. Quae societas Christi cum Belial? 2. Corinth. 6. Item Ecclesiastici 13.: Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Item: Vitare peccata, est vitare occasiones peccatorum.

Postquam prius coepit Pilatus contra conscientiam gratificari Pontificibus, Diabolus intravit in cor eius, ideo ruit ulterius, et fert sententiam iniustam contra Iesum.

Haec horrenda exempla cogitemus, ut procul fugiamus tales collusiones cum hostibus, et semper clare profiteamur, nos ab ipsis dissentire, nec accedamus ad eos, quando tentant compositiones.

Permotus igitur Pilatus, contra conscientiam fert sententiam de Christo crucifigendo, et miseri homines Pontifices et alii Iudaei, clamant: Sanguis eius sit super nos et super filios nostros.

Hic ipsi miseri seipsos condemnant, et eventus etiam in calamitatibus huius vitae, et respondit ipsorum voci, ipsi et eorum posteri horrendas poenas dederunt, quando Ierosolyma deleta est, et maxima multitudo interfecta, et reliqui dissipati, et adhuc miserrime vagantur. Postea vero etiam habebunt aeternas poenas.

Cum autem educitur Iesus, in via quidam Simon Cyrenaeus ei additur, qui iuvet eum in cruce gestanda.

Iste Simon significat aliquos in Ecclesia futuros esse, qui crucem gestent, id est, qui aliquantulum iuvabunt Ecclesiam inter afflictiones, sicut nunc aliqui pii Principes, et aliquae civitates, iuvant Ecclesias, et propterea sunt in variis periculis.

Sed *Deus* servabit et servat suam promissionem: Si quis dederit potum aquae uni ex minimis meorum propter doctrinam, habebit mercedem. Item: Beatus qui intelligit super egenum et pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.

Et tantum dictum sit de accusatione coram Pilato, et sententia Pilati usque ad crucifixionem.

Tertius actus.

Crucifixio.

In hac observentur:

1. Crucifixio ipsa.
2. Verba Christi pendentis in cruce.
3. Personae, Ecclesiae et persecutores, qui aut crucifigunt, aut derident insuper crucifixum.
4. Duo latrones.
5. Miracula, eclipsis Solis, terraemotus, in quo apertis sepulcris resurgunt multi.
6. Mors Christi.

Primum historia cognoscatur, et sciamus, quod singulariter scriptum est in lege: Maledictus qui pendet in ligno.

Hoc genus supplicii tulit Dominus, quod omnium fuit maxime contumeliosum. Sed non tantum consideremus externas lacerationes corporis, quanquam hac quoque fuerunt atroces, et maximos cruciatus fecerunt, sed etiam interiores eius dolores consideremus. Sicut foris supplicium tulit, quod fuit contumeliosissimum, et propterea lex dicit, crucifixum esse maledictum: ita ipse intus in corde sensit iram Dei contra nostra peccata summam, sicut Propheta dicit: Vidimus eum percussum a Deo. Non est maximus dolor percuti ab hominibus, ut Laurentius est tantum a tyranno foris in corpore cruciatus, non sensit intus iram Dei, sed filius est a Deo percussus, ac sensit intus iram Dei. Haec nos non intelligimus, sed tamen pie consideranda sunt.

Magni dolores significantur, quando nominatur filius Dei, maledictum, sicut Paulus inquit: Factus est pro nobis maledictum, us nos redimeret a maledictione legis.

Haec primum cogitanda sunt de ipso modo supplicii.

Hic etiam repetenda est doctrina de fructu passionis, et de applicatione.

Tota vita Christi fuit plena passionum, et quando de passione Christi dicitur, non tantum cogitemus de crucifixione, sed de tota eius vita, sed tamen haec crucifixio et mors fuit extrema pars, et maxime atrox. Et hic Christus pendet, et est Sacerdos, et crux est eius Altare, in quo se offert.

Pertinet autem ad officium Sacerdotis offerentis pro alio, ut sacrificium ad illam personam applicet, id est, ut petat, ut Deus hoc sacrificium pro ista persona recipiat.

Quae sunt igitur verba applicationis.

Expresse scripta sunt illa verba applicationis Iohannis 17.: Ego pro eis sanctifico meipsum, id est, tibi offero meipsum. Item: Oro pro eis. Nec pro eis tantum, sed etiam pro omnibus, qui credent per verbum eorum.

Haec sunt verba applicationis, quae saepe cogitanda sunt.

Requirunt autem simul in nobis fidem, ut applicemus nobis hoc ipsum beneficium. Ipse donat tibi merita sua, et clamat ad Patrem, ut te recipiat, et tibi merita ista donet, ut tu habeas remissionem peccatorum, et sis iustus.

Haec oportet te fide accipere. Haec admonitio saepe in passione repetenda est.

Hic rursus in verbis Christi pendentis in cruce haec ipsa admonitio proponitur.

De verbis.

Prima verba in cruce dicta haec sunt:

Pater, dimitte eis, quia nesciunt quid faciant.

Ecce hic etiam facit officium Sacerdotis, precatur pro aliis. Et quanquam nominatim nunc pro istis crucifigentibus precatur, tamen tu scias antea eum pro omnibus precatum esse Iohannis 17.

Et simul intelligas, hic repeti eandem precationem, quia cor eius non solum ex istis, qui ibi aderant, volebat Ecclesiam colligere, sed ex toto genere humano. Ideo gemitus cordis Christi pro omnibus eodem modo, sicut pro illis, precatur.

Rursus igitur hic sciamus fidem postulari, ut credamus, quod vere prosit nobis haec intercessio, et quod propter hunc Sacerdotem nostrum recipiamur, et salvemur. Non tantum hoc exemplum morale hic discas, quod sit ignoscendum his, qui nos iniuria afficiunt. Alia multo maior doctrina de sacerdotio Christi, et de intercessione pro nobis hic cogitetur. Et fides excitetur, quod propter hunc Sacerdotem recipiamur. Non solum ideo hic pendet, ut doceat nos patientiam suo exemplo, sed ut sit pretium pro nobis, et causa salutis nostrae.

Et tantum de primis verbis, postea de aliis etiam dicam.

3. Personae: Ecclesia, ut Maria, soror, Iohannes, et aliqui alii.

Hostes multi sunt, alii crucifigunt sua manu, alii derident. Ita fit in mundo, ut postea rursus dicam.

4. Duo latrones.

Inter illos spectatores tamen aliqui convertuntur, ut latro et centurio.

Ac praecipue discamus doctrinam de latronibus hoc loco.

Isti duo latrones significant totum genus humanum, in cuius medio pendet Christus, qui fit pro nobis victima, cum ipse sit innocens.

Alii omnes sunt destinati morti propter peccata, quae sunt in nobis. Ex illa tota multitudine totius generis humani tamen aliqui convertuntur ad Christum, aliqui non convertuntur, sed manent in furore, et quanquam sunt in morte, tamen derident Christum, sicut facit iste durus latro.

Alii vero, qui convertuntur, sunt similes latroni, qui hic convertitur. Et hic latro est testimonium, quod non propter nostra merita salvemur, sed propter hunc Dominum.

Vide autem, qualis sit, et an sint in eo partes omnes poenitentiae seu conversionis.

Primum est in eo contritio. Ipse agnoscit se esse peccatorem, et dicit: Nos iuste patimur. Item non habet merita, et nulla merita iactat, sed potius fatetur sua peccata.

Audivistis iam primam partem, scilicet, contritionem, imo et confessionem coram Deo, et coram Christo sibi pendente, et coram Ecclesia astante, Maria, et sorore, et Iohanne, et coram coelo et terra et angelis.

Altera pars est Fides.

Memento mei, quando venies in regnum tuum etc.

Ecce hic scit iam fide, quod iste sit Rex, et non in hac vita, sed mox in altera vita. Plus scit de regno Messiae, quam doctissimi tunc sciebant, qui somniabant imperium mundanum, scit Messiam hoc modo pati, et victimam esse, et tamen regnaturum esse, scit eum esse filium Dei, dantem iustitiam et vitam aeternam.

Haec iste iam praedicat pendens in cruce, tacentibus Apostolis, iste latro fit Apostolus.

Ita Deus semper colligit Ecclesiam mirabiliter, si non volunt confiteri docti et sapientes, tunc venient homines alii indocti et spreti, qui tamen erunt testes de Deo. Et quando moritur iste latro, et non potest amplius loqui, postea incipiunt loqui coelum et terra, Sol obscuratur, terra edit vivos ex morte redeuntes, qui iam incipiunt concionari. Et tunc centurio incipit concionari. Ita Deus semper excitat testes contra Diabolum et contra mundum.

Postea sequitur absolutio, cum latro iam ostenderit suam fidem in sua petitione, Christus expressa consolatione eum absolvit:

Hodie mecum eris in Paradiso.

Id est: Non eris in morte aeterna, sed habebis gaudia vera in Deo. Et haec dicente Christo, iam cor latronis sentiebat initia illius gaudii. Iam erat haeres vitae aeternae, iam laetabatur in Deo, iam discebat hanc sententiam: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum, et quem misisti Iesum esse Christum.

Tertia pars, scilicet, Nova vita, eratne in latrone?

Dixi iam, quia sensit in corde consolationem, iam erat nova vita, quae est nova iustitia. Ubi est vera fides, ibi sunt simul illae virtutes omnes, spes, dilectio, invocatio, bonum propositum, patientia, et simul concurrunt multa bona opera.

Ipse fatetur sua peccata, ipse invocat Christum, et ostendit confessionem suam, est patiens in hoc supplicio, et libenter Deo praestat obedientiam. Ipse obiurgat impium latronem, et defendit innocentiam Christi. Haec omnia sunt excellentia opera, nec tamen cogitandum est, quod propter haec opera salvetur, sed scit se gratis propter hunc Messiam salvari.

Haec omnia sciatis eodem modo oportere fieri in omnibus, qui convertuntur, et fiunt eodem modo.

Ideo hunc doctorem latronem vobis ostendo, et vos adhortor, ut saepe eum intueamini, et eius concionem diligenter cogitetis, quae est plenissima eruditionis.

De Maria.

De personis, quae adsunt in crucifixione.

Post lapsum Adae et Hevae, postea sunt semper in genere humano duae partes distinctae. Una electa a Deo, quae colligitur per verbum Dei, per vocem Evangelii, et est tantum in vera Ecclesia. Et haec pars vere agnoscit Deum, vere invocat, regitur verbo Dei et Spiritu sancto, et incipit ei servire, et aliqua facere ei placentia, et salvatur propter filium.

Altera pars est contemtrix Dei, et est socia diabolorum, ruit in omnia scelera contra voluntatem Dei, polluit se libidinibus, caedibus, rapinis, mendaciis, contemnit verbum Dei, fingit impios cultus, aut omnino omnes cultus existimat commenticios esse.

Hae duae maximae partes generis humani discernendae sunt, et de discrimine earum multa quotidie proponuntur in doctrina Ecclesiae, et pinguntur hic quoque in historia de re maxima.

Sunt hic hostes Christi Iudaei et Ethnici variis modis odium et contemtum Christi ostendentes, Sacerdotes fuerunt accusatores, Pilatus fert iniustam sententiam, ministri manu crucifigunt Christum, Iudaei blasphemant et derident Christum, etc.

Sed praeter hos impios et hostes adsunt etiam aliae personae, quae sunt Ecclesia, quia oportuit aliquos in ipsa vera Ecclesia testes esse huius operis filii Dei.

Adsunt igitur summa Ecclesiae membra, Mater, soror matris, et Magdalena et Solome, et nominantur distinctae, Maria Iacobi mater. Item mater filiorum Zebedaei, item adfuit Iohannes Apostolus.

Hic coetus est iam parvus, quia Ecclesia tunc fuit valde languefacta, sed subito in hac ipsa afflictione incipit crescere, convertuntur latro et centurio.

Ita sunt in tanto opere aliqui testes, qui sunt membra Ecclesiae.

Sed hae personae non solum adsunt, ut testes, sed etiam simul patiuntur, quia Ecclesia fit conformis filii Dei, patitur cum eo, et glorificatur per eum et propter eum.

Iam cogitate utrumque, Quantus fuerit dolor matris, videntis ibi pendere filium, et talem filium, per quem resuscitati erant mortui, et scivit ipsa causas huius passionis, hunc filium esse victimam et pati pro genere humano, et in eum effusam esse iram Dei contra peccata generis humani. Ac sensit ipsa quoque aliquam irae divinae partem.

Nulla alia mulier in toto genere humano potuisset hunc dolorem sustinere. Fuit magnus dolor in Heva intuente interfectum Abel, sed hic dolor in Maria fuit multo maior.

Cum autem dolor sit ingens, et tamen non moriatur Maria, non dubium est eam interea sustentari divinitus, et sentire aliquas scintillas consolationis in corde.

Haec sunt pie et saepe consideranda, nec simus adeo ferrei ac sine sensu, ut non accipiamus haec miranda exempla divinitus nobis proposita. Sciamus item, omnia quae fiunt in persona Mariae, fieri similiter in Ecclesia in aliquibus, quia Maria est typus totius congregationis, quae vocatur Ecclesia Dei.

Quandocunque igitur cogitamus de crucifixione, simul et de nostris afflictionibus cogitemus, et hac consolatione nos sustentemus.

Cogites te oportere stare sub cruce apud Mariam, quia Deus vult nos omnes fieri conformes imaginis filii.

Nec tantum cogites de necessitate, quod oporteat pati, sed simul de consolatione.

Ipsa Maria divinitus sustentatur, quia tantos dolores alioqui nullo modo sustinere posset. Sic et tu scias, Deum velle te sustentare, et non mergi nos in mortem et aeternas poenas, sicut dicit Psalmus: Prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde.

Dixi autem, quod velit Deus hanc mirandam filii passionem ita fieri, ut adsit Ecclesiae, et sit testis et simul patiatur, ipse etiam adest, et ostendit testimonia in tota natura, quae ostendunt, Deum non ignorare, quod tunc fiebat, Sol obscurabatur, terra movebatur, sepulcra aperiebantur, mortui reviviscebant. Hae tantae res erant testimonia praesentiae Dei, et quod Deus istam mortem et passionem sui filii magnifaciebat.

Sic etiam sciamus Deum adesse, quando Ecclesia patitur, sicut dicit Dominus: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt.

De verbis in cruce.

Primum dictum recensui: Pater remitte illis, quia nesciunt, quid faciant. Dixi autem ibi de sacerdotio Christi.

Secundum dictum.

Mulier ecce filius tuus. Ad Iohanem: Ecce haec est mater tua, et statim coepit eam curare, et ei servire.

Hoc dictum commendat nobis omnibus Ecclesiam et ministros Evangelii, Christus pendens in cruce iubet matrem, id est, Ecclesiam, ut curet docentes. Et rursus commendat nobis omnibus matrem, scilicet Ecclesiam.

Haec admonitio docet nos, ut in omnibus rebus simus diligentiores in fovendis doctoribus, et in fovenda pace Ecclesiae.

Tertium dictum ad latronem.

Hodie eris mecum in Paradiso.

De hoc antea dixi, quod fuerit absolutio latronis, et concio, in qua ipse Christus etiam tunc in cruce pendens, testatur se esse Messiam, et habiturum mox aeternum regnum.

Quartum dictum.

Eli, Eli, Lama asabthani.

Haec est tristissima vox, superans omnium creaturarum sapientiam. Hic ostendit Dominus, se luctari cum magnis et inenarrabilibus doloribus, in quibus sic dolet, quasi desertus sit a patre, sed postea eluctatur ex hoc magno dolore, cum ait: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Nos non intelligimus magnitudinem horum dolorum, sed tamen causam scire nos oportet passionis et victoriae.

Propter peccata nostra percussus est, ut scriptum est in Propheta: Ira Dei adversus nostra peccata effunditur in ipsum, et sic satisfit iustitiae Dei. Rursus etiam Pater aeternus, quia diligit filium, non sinit eum succumbere in hoc certamine, sed postea glorificat eum, et ita glorificat, ut nos propter eum recipiat.

De hac magna lucta dicit textus ad Ebr. 5.: Cum clamore et lacrymis offerens, exauditus est propter suam obedientiam.

Haec reverenter consideremus, et agamus aeterno Patri et Filio gratias, et fide beneficium nobis applicemus.

Quintum dictum.

Sitio.

Conveniens signum est clamori proximo: Eli, Eli, quia significat ingentes dolores cordis, qui ita urunt cor et pulmonem, et optimos succos in toto corpore, et medullam in ossibus desiccant, ut magna sitis accendatur, sicut videmus in illis, qui ad supplicia ducuntur.

Considerandum autem est exemplum, sicut Christus in summo dolore petens recreationem, magis etiam cruciatur subsannatione, et potatur aceto. Sic plerumque Ecclesiam afflictam alii homines excruciant, qui debebant misericordia erga eam affici, et augent ei dolorem per subsannationes, et potant eam aceto.

Sextum dictum.

Consummatum est.

Hoc dictum bene considerate, oportuit nos redimi per filium Dei, qui simul esset homo, sicut scriptum est: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Et quia homo peccaverat, oportuit aliquem in genere humano poenam solvere.

Item semper dicit scriptura, quod redemtor, sit propiciator per sanguinem suum. Et omnes victimae in lege significarunt hanc mortem, et effusionem sanguinis.

Quanquam igitur tota vita Christi est perpetua passio, et continuum sacrificium, tamen haec postrema passio et mors est principale sacrificium, et consummatio totius et continui sacrificii Christi.

Ideo dicit: Consummatum est. Et est vox victoriae, qua agit Deo gratias, et ostendit Ecclesiae, quod iam perfecerit sacrificium, quod in arcano consilio divinitatis fuit decretum, mirabili sapientia, et postea significatum per victimas in lege, et praedictum per Prophetas fuit, et significatum per mortem Abel, per oblationem Isaac, per mortem Iohannis Baptistae, et aliorum Sanctorum.

Credo etiam hanc vocem fuisse consolationem Mariae, quae intellexit hanc passionem. Haec audiens scit consummatum esse iam hoc sacrificium, quo ira Dei placata est, et Ecclesia recepta est. Et ipsa intellexit, sese propter hoc sacrificium consummatum, esse haeredem vitae aeternae, sicut scriptum est: Una oblatione consummavit Sanctos.

Ipsa quoque iam audiens consummationem, agit Deo gratias pro his summis et mirandis beneficiis.

Et de hac consummatione quotidie cogitemus, et agamus nos quoque gratias, quod tunc consummata est nostra salus.

Septimum dictum.

Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.

Verba sunt in Psalmo 30.: In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis.

Dicit autem textus: Clamavit voce magna. Hic iterum significatur victoria, quia clamor significat, iam vires esse confortatas.

Et cum commendat spiritum Patri, iam laetus scit se accedere ad Patrem. Ideo etiam in-

genti clamore hanc postremam vocem edit, ut sciat tota Ecclesia, discedere eum non ut damnatum, sed ut placentem Deo, et victorem, qui superaverit diabolos et mortem.

Docet nos eodem modo discedere ex hac vita. Et sic possumus discedere confidentes hac ipsa victoria, in qua Christus vicit diabolos et mortem, et placavit nobis iram Dei.

Et saepe in tota vita cogitemus de hac voce: In manus tuas commendo spiritum meum. Et simul cogitemus de ipso Christo sic clamante, sciamus nos semper ita tantum habere vitam *Deo* servante nobis vitam, et nos in eo vivere propter Christum. Semper sumus in periculis mortis, semper imminet mors, ideo semper clamemus: In manus tuas commendo spiritum meum.

De titulo et de vestibus.

Historia de passione ita multa continet, ut nullius creaturae sapientia exhauriri possit.

Diximus pauca de principalibus actibus passionis. Iam et de titulo dicam, et de vestibus.

Titulus affixus est cruci: Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum.

Hic duo consideranda sunt.

1. Causa quare politici gubernatores sint hostes Christi et Evangelii.
2. Alia tituli significatio ignota Pilato.

De primo.

Reges et Principes semper hoc praetextu oderunt Evangelium, quia dicunt causam esse seditionum, et doctores esse homines seditiosos, et velle dominari.

Sic dicunt Pharisaei de Christo: Qui Regem se facit, inimicus est Caesaris.

Et Pilatus, ut videretur habere speciem, interficit Iesum, quasi invasurus fuerit regnum.

Hac specie gravari valde magnum onus est. Ipsi Sancti dolent, tantum crimen in ipsos conferri, scilicet quod sint seditiosi, quod sint turbatores pacis et boni ordinis, quod velint regna eripere legitimis dominis, sicut nunc vocantur rebelles multi, qui tamen sunt inermes, sed non volunt amplecti falsam doctrinam et impios cultus.

Ac Pilatus bene sciebat se mentiri, et falsum crimen contra Iesum fingere. Sed quia metuebat, ne accusaretur apud Caesarem, gratificatur Iudaeis, deinde fingit praetextum, quasi Christus fuerit invasurus regnum.

Discamus autem ferre hanc calumniam, et non taceamus veritatem, etiamsi dicimur seditiosi. Sed tamen nos, qui non gerimus gladium, maneamus intra metas officii nostri, vere modeste dicamus, et non rapiamus aliena, non constituamus regna, sicut faciebant Münzer, Pfeiffer et Monasterienses. Haec sit prima admonitio.

Nunc de secundo dicam breviter.

Quanquam Pilatus malo animo et ut calumniator scripserat, tamen iuxta Christi confessionem fuit significatio alia. Ideo Deus ita gubernavit linguam Pilati, ut iusserit scribi: Rex Iudaeorum.

Non sic: Qui dixit se esse Regem. Quia Christus erat confessus se esse Regem, sed addidit: Regnum meum non est de hoc mundo.

Scitis autem, quomodo sit intelligendum, quod Christus vere sit Rex, scilicet, quia est summa persona in genere humano, et constitutus est ab aeterno Patre, ut sit liberator, liberet genus humanum a peccato, a morte, a tota tyrannide Diaboli, et reddat nobis iustitiam et vitam aeternam, et protegat nos in omnibus periculis et calamitatibus.

Talis Rex est Christus, et vult se agnosci et invocari, ut ferat auxilium, non vult habere otiosum et inanem titulum.

Et discamus exercere invocationem, et petamus auxilium, et fide exspectemus. Sic discemus intelligere hoc regnum.

Et vocabula recte intelligamus. *Iesus*, significat idem quod Salvator. Nazarenus, von Nazareth.

Quanquam autem est appellatio a loco, tamen simul recte significatum est, quod iste Iesus sit verus Nazarenus, qui singulare et summum votum fecit Deo, et summum obedientiam praestitit.

Rex, videlicet in regno aeterno, non in hoc misero politico regno, sed liberator, qui nos a peccato, a morte, et a tota potentia Diaboli liberavit.

Iudaeorum, id est, promisssus semini Abrahae, et omnibus qui credent promissioni. Hic Rex servabit credentes Iudaeos, et damnabit ac puniet impios Iudaeos.

Ita intuentes titulum, de summa doctrinae cogitare debetis, et de vero regno Christi.

Iam etiam collationem facite veri regni, et externae speciei. Hic verus rex, verus salvator et liberator, pendet in cruce, vulneratur, coronatus est spinis, moritur.

Talis et Ecclesia est in hac vita. Quanquam est haeres regni aeterni, tamen in hac vita, subiecta est ingentibus aerumnis, crucifigitur, vulneratur, et fit similis imaginis Domini, qui ibi pendet.

De vestibus.

Milites duo faciunt: exteriores vestes scindunt et inter se partiuntur. Sed interiorem tunicam non scindunt, sed ludunt de ea.

Vestis Christi significat scripturam. Hanc partim scindunt et lacerant homines, Doctores et Principes, sicut Papa, haeretici recipiunt quae volunt, et quae non volunt, praecidunt.

In aliis quae retinent, fingunt ludos et praestigias, malas glossas. Ut Papa accipit pro se hoc dictum: Tibi dabo claves regni coelorum. Sed hoc dictum: Praedicate Evangelium, abiicit.

Item in his quae retinet, quaerit falsas expositiones: Pasce oves meas, id est: Sis dominus, condas novas leges et cultus, et novos articulos fidei idololatricos.

Sic multa exempla recitari possent. Retinent hoc dictum: Super cathedram Moisi sedent Scribae et Pharisaei. Sed illa dicta non volunt audire: Si quis aliud Evangelium docet, anathema sit.

Praeterea vestis etiam significat bona Ecclesiae. Haec inter se partiuntur Principes et Nobiles. Antea Principes et Nobiles tenuerunt Episcopatus, et adhuc tenent, et non solum negligunt ministerium evangelicum, sed etiam delere conantur, et ubi possunt, bonos doctores interficiunt.

Illa bona Ecclesiae iam annos amplius mille sunt praedae Episcopis, Canonicis, Abbatibus, et similibus omnibus. Omnes tales sunt isti milites, qui dividunt vestes Christi, et de tunica ludunt.

Sic nunc quoque hi Principes et Nobiles, qui vocantur Evangelici, diripiunt bona Ecclesiarum, et negligunt ministerium Evangelii, et non curant miseris ministris Evangelii victum etc.

Haec mala in his imaginibus etiam picta sunt, ut simus cautiores, et amemus ministerium, et non spoliemus Ecclesias.

De sepultura.

Articulus in Symbolo: Tertia die resurrexit a mortuis. Quaeritur igitur, an triduo fuerit Christus in sepulcro?

Breviter respondendum est: Christus tribus diebus fuit in sepulcro, sic, ut unus sit dies integer, scilicet Sabbatum, et pars diei prioris, et pars diei tertiae.

Quia Iudaei sic numerant dies a vespera, fuit autem Christus positus in sepulcrum die quo crucifixus est, ante vesperam.

A vespera ad vesperam sequentis diei fuit Sabbatum, deinde a vespera ad matutinum tempus post Sabbatum, pars est tertii diei.

Est autem singulari consilio Dei factum, quod toto Sabbato voluit esse in sepulcro. Ibi requievit Deus.

Haec quies est inenarrabilis, et has magnas res discemus in vita aeterna. Nunc in hac vita oportet nos initia discere. Et simus contenti, quod scimus hunc crucifixum et resuscitatum vere esse filium Dei, et nostrum redemtorem, et quod fide propter eum salvemur, et in vera invocatione mentes nostrae intueantur eum.

Sed alia multa arcana, quae non possumus nunc intelligere, discemus in vita aeterna.

Est omnino miranda res, illa mors et quies. Et toties creaturae sapientia nihilo magis intelligit hanc rem arcanam, quam Nicodemus et mulieres, cum eum ungunt, aut volunt ungere. Ista unguenta nihil faciebant ad conservationem vel destructionem huius corporis in hoc Domino, sed est opus inutile, et significat stulta opera, quae fiunt bona opinione, sine luce fidei.

Quid autem prodest nobis ista quies?

Respondeo, sicut de morte dicimus, ita et de hoc tempore quietis in sepulcro dicendum est.

Tota passio, mors, et ista quies, est facta propter nos, ut Christus patiens et moriens, vere esset victima pro nobis. Ipse tulit tunc iram Dei, ne ira nos absorberet. Ita tulit mortem, ne mors nos absorberet. Ideo statim postea resurrexit ex morte, et ostendit se victorem esse mortis, et reddere nobis iustitiam et vitam aeternam.

Et cum cogitamus Christum iacentem in sepulcro, et postea resurgentem, simul cogitemus, nos ipsos ibi in sepulcro iacere, sicut Paulus inquit: Consepulti sumus Christo. Et simul vivificabimur cum Christo resurgente.

Imo quandocunque videmus sepeliri homines, cogites eos in illud ipsum sepulcrum Christi condi, et propter eum et per eum resuscitari, quia resuscitatio fit propter mortem filii Dei, et fit per eum, sicut Iohann. 5. dicitur: Venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem eius. Et procedent, qui bona fecerunt in resurrectionem vitae, qui vero male egerunt, in resurrectionem iudicii.

Haec intellexit Maria, quae ibi praesens erat, quod propter hanc mortem et mirandam quietem redderetur nobis vita, et ipsa exspectavit eius resurrectionem. Ipsa non curavit illas unctiones, quas alii fecerant, sed sciebat scriptum esse, Psalmo 15.: Caro mea requiescit in spe, et non dabis sanctum tuum videre corruptionem.

Et cogitate qualis lucta fidei fuerit in Maria. Simul fuit magnus dolor, et tamen mixtus fide et spe. Ipsa mortui filii corpus contrectavit, genas et manus osculata est, vidit ibi iacere corpus mortuum, sicut alia cadavera. Et tamen scivit, quomodo conceptus erat, scivit esse Messiam, scivit per eum deleri peccatum et mortem, et per eum restitui iustitiam et vitam. Ideo sciebat certo resurrecturum esse.

Prorsus ita nos quoque consolemur nos in nostra morte, intuentes in hunc ipsum Dominum. Et has ipsas cogitationes Mariae apud nos saepe consideremus, discamus videre vitam in hoc spectaculo mortis. Imo in omnibus tribulationibus nostris discamus cum ipso filio Dei hoc Sabbatum servare, quiescamus in ipso Deo, sciamus ei obediendum esse in aerumnis, et tamen exspectandam liberationem per hunc ipsum Dominum, qui tunc in sepulcro quievit. Haec experientia, in qua exercentur fides et spes, docebit nos, ut aliquomodo hanc arcanam doctrinam de hoc Sabbato et hac quiete filii Dei intelligamus.

Multum garriendo et rixando non inveniemus hanc arcanam sapientiam. Sed in veris doloribus, in agone mortis simus similes Mariae, intueamur hunc Dominum iacentem sub cruce, contrectemus eius pectus, osculemur eius manus, et sciamus eum sua morte nobis meritum esse vitam, et postea resuscitatum intuemur, et laeti spem et exspectationem liberationis teneamus. Haec exercitia nota esse nobis in Ecclesia oportet.

De resurrectione.

In resurrectione vincit Christus mortem, et ostendit se iam reddere generi humano iustitiam et vitam aeternam, quam antea Adam et Heva amiserant. Ideo non ipsi tantum prodest resurrectio, sed omnibus credentibus. Et utrunque consideretur, ipsa resurrectio, et deinde efficacia et regnum resuscitati Messiae.

In resurrectione ipse vincit mortem, et destruit potentiam Diaboli, ut nobis restituat vitam.

Postea sequitur efficacia resuscitati. Ipse regnat aequali potentia cum Patre, dat vocem Evangelii, mittit Apostolos, servat semper ministerium Evangelii, colligit semper Ecclesiam, dans Spiritum sanctum, et reprimit Diabolos. Et postea dat hominibus credentibus vitam aeternam.

Haec bona summa adfert resurrectio huius Domini. Et propter hos fines principaliter missus est.

Hic oportet nos semper tenere doctrinam, quomodo Nos accipiamus haec tanta beneficia, quae per resurrectionem filii Dei parta sunt.

Quomodo fiat nobis adplicatio?

Respondeo: Certissimum est, oportere fide cor adprehendere hunc Dominum resuscitatum, hoc est, fiducia sit in corde intuens hunc Dominum, et statuens propter ipsum vere nos recipi et salvari. Hac fide sola accipiuntur haec bona, et sentitur haec consolatio, quae est initium vitae aeternae. Ita Paulus dicit: Iustificati fide pacem habemus. Et qualis sit haec pugna in veris doloribus, discamus in experientia.

Sic vult agnosci et coli fide hic Dominus et hic ipse cultus hic discernitur a cultu operum.

Mulieris eunt ad ungendum Dominum. Hoc significat, quod aliqui volunt Domino ostendere aliqua bona opera, et non ab ipso potius accipere bona.

Sed angelus obiurgat mulieres: Quid quaeritis viventem inter mortuos? sic colite Messiam, ut credatis eum vobis reddere vitam, non somnietis eum manere in morte.

Hanc imaginem de mulierum solicitudine et unguentis considerate, ut opponere doctrinam de fide discatis.

Testimonia Prophetarum.

Est autem praedicta destructio mortis per Messiam, et restitutio iustitiae, et vitae aeternae in multis testimoniis Prophetarum, et signis. Signa fuerunt, quod Henoch et deinde Elias vivi translati sunt ad Deum. Isti intellexerunt haec aeterna bona dari propter promissum redemtorem.

Et primum testimonium est: Semen mulieris conculcabit caput serpentis. Serpens impulerat homines, ut ruerent in peccatum et in mortem. Et caput serpentis est regnum Diaboli, retinens homines in peccato et in morte.

Conculcare igitur regnum Diaboli, est tollere peccatum et mortem, et liberare homines ex illis aeternis malis, et restituere aeterna bona.

Secundum illustre testimonium est: Ero pestis tua o mors, et pernicies o inferne.

Haec est valde clara sententia, quod ipse Deus dicit se velle destruere mortem et inferos: Ero, inquit, ego ipse haec faciam, non alius, sicut supra in eodem Hosea scriptum est: Salvabo vos, non in arcu, nec in gladio, sed in Domino Deo vestro. Et in eodem Propheta: Perditio ex te est, sed auxilium per me. Ita hic dicit: Ego ero pestis morti, ipse Deus vult mortem tollere, iste filius qui resurgit, vere est victor, et destruit mortem.

Nec tantum destruxit mortem, sed etiam inferos. Non sola corporis mors destructa est, sed etiam altera mors, quae est pati sensum irae Dei, et horrendos dolores et fugam, et angustias in omni aeternitate.

Istae sunt magnae res, quas nulla mens humana satis cogitare potest, sed tamen initia fidei in hac vita esse oportet. Oportet aliquem esse sensum irae Dei, et oportet nos cogitare, iudicium Dei verum esse, et non esse leve.

Oportet etiam econtra habere consolationem et initia fidei. Et haec consolatio est initium vitae aeternae, sicut dicit haec sententia: Iustus fide sua vivet. Item: Iustificati fide pacem habemus.

Tertium dictum, Esaiae 11.: Illo die radix Iesse stabit, ut sit signum populis, Gentes eum requirent, et mors eius erit gloriosa.

Haec sententia dicit Messiam fore ex stirpe David, et resurrecturum esse ex morte, et simul docet, quod sit magna bona daturus, et quod oporteat fide ad eum confugere. Ita dicit de modo, quomodo bona illa magna accipiamus.

Requies vel mors eius erit gloria. Aliorum regum, ut Alexandri mors est finis gloriae. Nihil agit Alexander post mortem. Sed hic rex Messias natus ex stirpe David, post mortem reviviscet, et erit efficax ipse sua persona, et delebit peccatum et mortem in aliis, et restituet eis iustitiam et vitam.

Et haec sic fient, Gentes ad eum confugient, audient Evangelium eius, et per Evangelium vocati credent, et agnoscent eum, et sic accipient illa aeterna bona, sicut ipse quoque dicit: Haec est vita aeterna, ut agnoscant te Deum verum, et quem misisti, Iesum, esse Christum.

Illa agnitio autem fit audito Evangelio et per fidem. Ideo exerceamus hanc fidem in omni invocatione, curramus ad hunc resuscitatum et regnantem Dominum, credamus vere eum regnare, et petamus, ut nos gubernet, et nobis opem ferat in omnibus periculis, mitiget poenas, et servet inter nos Ecclesiam suam, Amen.

Caput XXVIII.

De testimoniis, quibus ipse Dominus resuscitatus ostendit se vere resurrexisse.

Testimonia recitata in scripturis sunt numero duodecim. Sed haud dubie plura sunt, quam scripta sunt, quia nihil dicitur de Maria. Etsi autem saepe Maria adfuit cum Apostolis, quando apparuit Christus, tamen credibile est, eum etiam singularia colloquia cum matre habuisse.

Est autem inter praecipua testimonia et hoc, quod non solus Christus resurrexit, sed etiam valde multi Sancti, qui locuti sunt cum Maria, Petro, Iohanne et aliis.

Etsi autem haec non sunt scripta, quia propter Ethnicos, qui plus derisissent Evangelium, non sunt haec mandata literis, sed pii breviter admoniti, possunt multa cogitare de his tantis rebus, quia bene credibile est, resuscitatos esse aliquos praecipuos in genere humano, ut Adam, Hevam, Abel, Seth, Noë, Sem, Abraham, Isaac, Ia-

cob, Ioseph, David, Esaiam, Ieremiam, et multos alios, quia Dominus voluit habere frequentiam comitantium ipsum. Hic cogitate, quam laeti dies isti quadraginta fuerint, quando fere quotidie tales Sancti convenerunt, et collocuti sunt cum Maria et Apostolis, et certe credo saepe cum Maria collocutos esse.

Nunc dicam de testimoniis caeteris.

Angeli fuerunt primi testes, qui mulieribus ter dixerunt, Christum resurrexisse.

Postea ipse est testis, et primum mulieribus, deinde Petro, et duobus discipulis in Emaus, et vesperi omnibus Apostolis adparuit. Semper autem iidem sermones repetuntur.

Concionatur eis Dominus, interpretatur scripturas, dicit oportuisse pati et resurgere Messiam, et mittit eos ad ministerium Evangelii, et docet Ecclesiam non futuram esse mundanum imperium, sed coetum credentium.

Vide, de his rebus locuti sunt, de summa doctrinae totius, quae per promissiones et Prophetarum conciones tradita fuerat. Has interpretatur Christus.

Et ego supra quaedam insignia testimonia scripturae recitavi, quae haud dubie etiam enarrata sunt, ut Hoseae 13.: Ero pestis tua o mors, et ero pernicies tua o inferne. Item Psalm. 15.: Non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.

De talibus testimoniis Dominus erudiit Apostolos.

Maxime autem consideranda est insignis adparitio, quando simul quingentis fratribus adparuit, sive in Galilaea, sive in Iudaea, quia credo etiam fuisse multos spectatores ascensionis, quae facta est, non in Galilaea, sed in Iudaea prope Ierusalem ad montem Oliveti.

Sed postrema mandata diligenter consideremus, quae credo etiam saepe repetita esse. Hic dicit: Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra. Ite, docete omnes gentes, baptizate eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus sancti.

Docentes eos servare, quae praecepi vobis. Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi omnibus diebus.

Hic tria facit. Primum adfirmat, quod ipse sit Messias, regnaturus iam ad dextram Patris, sicut Psalmus dicit: Sede a dextris meis.

Hic Dominus est potentior, quam omnes creaturae, destruit peccatum et mortem et inferos, et nobis restituit iustitiam et vitam aeternam, et colligit et servat in hac vita Ecclesiam, et reprimit potentiam et furorem Diaboli, et postea glorificat Ecclesiam aeterna gloria.

Cum autem audimus narrari potentiam eius, sciamus ideo narrari, ut promittatur nobis auxilium, et nos ab ipso petamus et exspectemus auxilium, sicut ipse inquit: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Has consolationes cogitemus in invocatione, et petamus ardenter, ut nunc quoque ostendat se regnare, et nos iuvet, et concedat pacem, et servet Ecclesiam.

Secundo hic repetit institutionem ministerii Evangelii, iubet docere omnes gentes, item baptizare, et in Iohanne dicit: Sicut Pater meus misit me, sic ego mitto vos.

Et in Luca inquit: Praedicate poenitentiam et remissionem peccatorum in nomine meo.

Ita non solum dat mandata, sed etiam ostendit summam doctrinae.

Ex his ultimis mandatis sciamus, Evangelium esse doctrinam non ab hominibus inventam, sed traditam ab ipso Domino. Item, quia Apostolos mittit, adest eis, ut vera doceant, et dat eis testimonia per magna et multa miracula.

Ideo accipiamus vocem Evangelii, et sciamus hanc vere esse voluntatem Dei, ut sic salvemur per hunc Messiam, qui destruxit mortem, sicut dixit: Ero pestis tua o mors, et ero pernicies tua o inferne. Ego ero, id est, ego ipse Deus, qui haec dico, ero ille victor et salvator.

Tertium quod hic dicitur, et dulcissima promissio et consolatio: Ego ero vobiscum usque ad consummationem seculi, quasi dicat: Etsi visibili specie iam non versabor vobiscum, tamen revera semper vobis adesse volo, ego servo electos contra totam Diaboli potentiam. Genus humanum non posset manere unum diem, nisi filius Dei protegeret. Ideo haec consolatio saepe repetita est: Ubicunque erunt duo aut tres congregati in nomine meo, in medio eorum sum.

Item Esaiae 46.: Ego vos portabo, ego vos salvabo etc.

Ita hic dicit, se nobiscum esse. Et in Iohanne inquit: Nemo rapiet oves meas de manibus meis.

Has promissiones quotidie cogitemus, et his consolationibus nos sustentemus, sicut scitis quod *promissio* fidem requirit. Debemus fide accipere has promissiones, et fides exsuscitet invocationem et spem, et certo exspectet auxilium.

Simul autem docet haec sententia, Ecclesiam semper mansuram esse, et non interituram ullo tempore, etiamsi alias maior, alias minor est, alias purior, alias impurior, sicut semper magnae infirmitates sunt in Ecclesia, et tunc erant, cum tempore passionis, Apostoli in magna trepidatione erant, sed tamen erat Ecclesia. Maria et soror, et pauci alii retinuerunt fidem: ita semper aliqui erunt, fidem retinentes. Has consolationes mementote, et earum cogitatione fidem confirmate, et invocationem excitate.

Finis concionum, quibus pie explicatum est Evangelium, scriptum a Matthaeo Apostolo.

PHIL. MEL.
ANNOTATIONES IN EVANGELIUM IOANNIS.

In hyeme anni 1523. Melanthon enarravit Evangelium Ioannis in Academia Witebergensi. Luthero, qui vidit exemplum enarrationis, ita res placuit, ut manuscriptum mitteret Nicolao Gerbelio eo consilio, ut typis exscriberetur. Defendit enim Melanthon ubique Lutheri sententiam de servo arbitrio, et disputat adversus Erasmi librum de libero arbitrio. Prodiit igitur libellus, simul cum epistola Lutheri ad Gerbelium missa:

In Evangelium Ioannis Annotationes Phil. Mel. Basileae, mense Maio 1523. 8. 19 pl.

Phil. Mel. Commentarii in Io. Evangelium. Basil. per Thom. Wolfium 1523. 8. mense Maio.

In Evang. Iohannis Annotationes Ph. Melanthonis. Tubingae M.D.XXIII. (8. 16 pl.) apud Hulderichum Morheimum, mense Iulio.

In Iohannis Evang. Commentarii Ph. Mel. ita emendati et castigati, ut Annotationes illas pridem a quibusdam auctore nesciente impressas nullo fere in loco agnoscas, Basil. apud Adam Petri, a. M.D.XXII. mense Septbr. 8.

Ph. M. Annotationes in Iohannem castigatiores quam quae antea invulgatae sunt. Utpote in quibus multa quae desunt in aliis, habentur, una cum epistola commendaticia M. Lutheri, indiceque rerum memorabilium. Ex foelicissima Hagenoa, per Io. Secerium. 8. 19 pl. (sine indice anni). Recusus est libellus Hagenoae 1542. — Witebergae 1544 et ibid. 1561.

Versio germanica: Verzaichnung und kürtzliche antzaigung in das Evangelium Johannis Philippi Melanthonis. (In fine) Geendet im Monat August 1524. (1 Alph. 9 Bog. 4.) (Extat in bibliotheca Ducali Gothana.)

Insertae sunt hae Annotationes operibus Mel. Basileae editis Tom. I. p. 177. Peucerus autem eas in operibus Melanthonis Witeberg. non dedit, verosimiliter quia improbanda esse putabat ea, quae Melanthon contra liberum arbitrium disputaverat, vel quia omnino eas auctore non esse satis dignas probabat. Nos Annotationes Philippi ab eius operibus abesse noluimus, quippe tam saepe, vivente Melanthone, editas; et auctoritate Lutheri commendatas. Hausimus librum ex editione Secerii, quae Hagenoae prodiit, addita varia lectione ex editione Tubingensi.

D. NICOLAO GERBELIO VIRO PURE CHRISTIANO, MARTINUS LUTHER.

Gratia et pax a Deo patre et Domino nostro Ihesu Christo.

Sublegeram iam ante Philippi nostri annotationes in tres epistolas Pauli; in qua re cum non liceret irasci in furem Lutherum, hoc tamen se putabat egregie in me vindicatum, quod libellus typographorum negligentia satis mendosus exierat, ut et me prope puderet et pigeret furti tam male locati. Ille interim me risit, sperans fore, ut furtis eiusmodi deinceps abstinerem, meo periculo doctus. Ego autem risu eo nihil motus, auxi meam temeritatem, et iam non furor sed per vim rapio, frustra renitente authore. Annotationes eius in Iohannem Evangelistam, quas tamen nolo verbis ornare, sese commendabunt Lectori, ne rursus nasus eius et rugae mihi ferendi sint. Non enim modestiae studio sui et suarum serum contemtor est, sed quod Christiano affectu omnia nostra nihil esse credat. Soli autem Christo omnia debere tam obstinate, ut mihi plane videatur saltem in hoc errare, quod Christum ipsum fingat longius abesse cordi suo, quam sit revera. Nec mihi aliter suadenti amplius credit, adeo profecit, et me superavit. Novissimi

sic fiunt primi, et primi novissimi. Denique testatur sese harum annotationum non velle autorem agnosci. Certe nimis nullus est Philippus in hac parte Ecclesiam iuvando. Mallem et ego, nullos esse uspiam commentarios, solis et puris regnantibus ubique scripturis viva voce tractatis. Sed quo modo Ecclesia carere possit commentariis scripturas saltem indicantibus non video quales Philippi sunt. Et quis non videt, Epistolam ad Hebraeos esse prope commentarium? Item Pauli ad Romanos et Galatas. Quis enim sic tractaturus erat sacras scripturas, nisi Paulus sic tractandas esse monstrasset? At hoc monstrare ego appello commentari. Hoc solum a Philippo petitur. Ipse vero alta sibi de seipso somniat peti. Igitur ad te mitto hoc meum latrocinium, optime Gerbelli, ut et apud vos studeatis vehementer commune et vulgare facere, quantumvis invito autore. Nam spero Iohannem *Secerium* daturum operam, ut emendatius et accuratius excudatur, quam furtum meum antea excusum est. Quanquam si inexorabilis Achilles iste voluisset ipse per sese rhetoricari in hoc libello, multum lucis forte et gratiae addidisset. Nunc si etiam aliquid desierit vel dispositioni vel eloquentiae, tamen ipsa sapientia et veritas satis adfert gratiae et lucis. Veracem enim et sapientem iactabit is liber Philippum nisi Christus non sit veritas et sapientia, quem spirat et docet. Licet cum Christo et ipse eligat stultas esse et dici. Atque utinam nos quoque sic stulti essemus cum ipsis, ut liceret gloriari: stultum Dei sapientius est quam homines. Gaudeo valde, Iohannem Oecolampadion Basileae Esaiam profiteri, quanquam audio id multis displicere. Sed ea est fortuna christianae doctrinae. Dabit et per eum virum nobis Christus aliquid lucis seu commentarii in Prophetas. Id quod vel cumprimis desyderant nostra secula. Vale mi Gerbelli in Christo, et ora pro peccatore et stulto Luthero. Saluta omnes nostros in domino. Witembergae, Anno XXIII.

---

66 *

IN EVANGELIUM IOANNIS ANNOTATIONES
PHILIPPI MELANCHTHONIS.

Legis et Evangelii differentia.

Quid intersit inter Legem et Evangelium, alias dictum est. Nunc satis est monere, legem esse quae praecipit facienda, Evangelium esse remissionem peccatorum et donationem Spiritus sancti per Christum. Scripturae veteris testamenti venturum Christum indicant. Novi testamenti literae iam apparuisse testantur. Sunt autem primum tria Evangelia scripta, Matthaei, Marci, Lucae, iuxta illud: In ore duorum aut trium constituetur omne verum. Postea novantibus [1]) haereticis Ebione, Marcione et Cerynthο, qui Christum negabant Deum esse, coactus est Iohannes illorum impietatem scripto coarguere. Itaque Iohannis Evangelium est velut auctarium aliorum. Quae enim omiserunt illi in historia rerum a Christo gestarum, ea Iohannes addidit. Explicat et quaedam latius, quae illi paucis tantum perstrinxerant [2]). Historicum narrandi ordinem observat Iohannes in eo, quod historiam de Christo scripturus primum quis sit exponit, deinde cur venerit, postremo quid gesserit. Et primum quidem a divinitate Christi ceditur. Hic nobis non hoc satis est, discere, quod Christus sit Deus et homo, et quo modo naturae illae coniungi potuerint, et huiusmodi multa arguta, sed hoc potius est consyderandum, cur oportuerit eum, qui remissionem peccatorum erat praedicaturus, Deum esse. Ebionitae sunt, qui negant Christi divinitatem. Bis Ebionitae sunt, qui cum Christo divinitatem tribuant, ea tamen non utuntur.

Pontifex in lege laminam gerebat [3]) supra frontem, cui inscriptum erat nomen Dei. Exodi XXVIII. Et addidit textus, ut sit placatus ei Dominus, quo significata est in Pontifice Christo divinitus, et propter quam placatus sit ei et toti eius corpori pater [4]) et per quam benedicantur omnes credentes: Atque ita nihil dubitent de voluntate patris erga se qui Christo credunt, sed simpliciter sciant [5]), quod, sicut Christi sunt, ita et [6]) patris sint, quia Christus Deus est. Rom. octavo: Si Deus pro nobis, quis contra nos etc. Item Exodi trigesimo tertio ait Moses: Si non tu ipse praecedas nos, ne educas nos de loco isto. Ex hac historia multi sunt Prophetarum accepti, Esaiae quinquagesimo secundo: Praecedit nos Deus Israël. Et Sophoniae tertio: Rex Israël Deus in medio vestri, non timebitis malum ultra. In his praedictum est, quod quia viae Christianorum sunt viae crucis et mortis, ne dubitent, quin sint salutares, quia viae Dei sunt, in quibus praeit nobis Christus, qui Deus est, ut ne dubitemus, quin nullius creaturae potentia neque morte neque peccato possimus opprimi, ii, qui in Christo sumus. Haec satis sit monuisse, nam et Ioannes postea rationem subiiciet [7]), cur Deum oportuerit esse Christum, inquit, Qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Et infra: Sic Deus dilexit mundum etc.

Quod in lege prohibitum fuit, ne quis curiosius sancta sanctorum specularetur, significatum est, nullam humanam cogitationem ad res divinas et incomprehensibiles carni, referendam esse.

Quare et hic de aeternitate, de Verbi genitura, deque huiusmodi mysteriis dicendum est paucis, ne qua humana cogitatione subvertantur curiosi. Nam cum natura sit ignorans Dei, con-

1) Secer. *morentibus*, ex mendo.
2) Tub. *perstrinxerunt.*
3) Tub. *ferebat.*
4) *pater*] Tub. *caput.*
5) Secer. *sciunt*; mendose.
6) *et* excidit ad Secer.
7) Tub. *subiicit.*

cipit eius imaginem carnaliter, quam ubi tentatio, aliqua eluserit, iam nihil esse Deum et divina omnia sentit, aut [8]) Deum iniquum et impium esse. Haec cum ita habeant, suo cuique spiritui relinquenda sunt haec sublimia mysteria, experiunda potius quam dicenda. Paulus ait, per sapientiam Deum in sapientia non posse cognosci, ideo per stultitiam crucis cogsnoscendum esse. Ut Moses gloriam Dei per petrae foramen speculatus est, ita nos ad agnitionem Dei nisi per Christi carnem pervenire non possumus, hoc est, nisi per crucem experti fuerimus nostrae rationis vanitatem et caecitatem, et perfusi [9]) novo lumine, in quo relucet gloria Dei, Deum non cognoscemus [10]). In Christi carne discimus et nostram carnem mortificandam esse. Oportet enim nos conformes fieri imaginis filii Dei. Discemus item, crucem salutarem esse, quia omnia quae filii sunt, salutaria sunt. Ideo per stultitiam crucis stultificata ratione nostra, pervenitur ad certam cognitionem Dei.

Caput I.

Trinitatis mysterium et in carnationem filii Dei scriptura veteris Testamenti passim indicavit, sed exposuit clarius novi Testamenti scriptura, immo haec est confessio novi Testamenti Matthaei XVI.: Tu es Christus filius Dei vivi. Et ultimo: Baptizate omnes gentes in nomine patris et filii et spiritus sancti. Sed intelligas confessionem non historiae tantum, sed eam, quae Christum ideo filium Dei confitetur, ut agnoscat placatorem. Et qui baptizatur in nomine patris et filii et Spiritus sancti, in remissionem peccatorum baptizatur. Et sicut haec una confessio est novi Testamenti; ita una blasphemia est, negare Christum filium Dei esse, hoc est, non credere peccatum sibi remitti per Christum. Nihil prodest posse [11]) personas Trinitatis recensere, Confessio prodest, hoc est fides, qua credimus nos in nomine patris, et filii et Spiritus sancti baptizatos esse: hoc est in potentiam et virtutem patris, filii et Spiritus sancti [12]), qua potentia renascimur per baptismum et efficimur filii Dei [13]). Atque haec est baptismi gloria, iam nos factos esse potentes virtute Dei etc.

Porro personas verbis melioribus discernere non possumus, quam quibus scriptura docet [14]): Patrem vocat [15]), ex quo emicant filius et Spiritus sanctus. Filius a Ioanne Verbum dicitur, a Paulo Imago Dei, Coloss. primo, et Hebr. primo deradiatio gloriae et character substantiae eius. Ex quibus utcunque colligi potest, cur a Iohanne verbum dicatur. Est enim verbum, quo repraesentatur aliquid, et pater, sese intuens, concipit sui imaginem, quae verbum dicitur: et quia perfecta imago est, tota substantia patris in eo relucet, ita ut non minus sit natura Deus imago illa, in qua relucet pater, quam ipse pater [16]). In creaturis nullum simile exemplum est: nam cum in speculis relucent corporum imagines imperfecte relucent [17]). Imago patris perfecta est, et quia hanc imaginem consyderatione sui concipit pater, verbum dicitur. Nam verbum est cognitio repraesentans aliquid. Et omnis consyderatio potentiae patris hoc ipsum [18]) Verbum est, ideo per verbum tanquam per consilium patris omnia creantur, in verbo omnia consistunt. Et quia Verbum est patris consilium, ideo oportuit Verbum incarnari, Quod praedicaret sententiam et decretum patris de remissione peccatorum. Sicut [19]) Ioannes ait: Qui est in sinu patris, ipse enarravit nobis. Et Esaias vocat eum magni consilii angelum. Et hoc verbum est, de quo dicitur Numerorum nono, Per verbum domini figebant [20]) tentoria, quia Paulus dicit, Christum fuisse, qui Israël in deserto secutis sit. 1. Cor. X.

Spiritus sanctus est ipsissima agitatio, qua omnes res vegetantur, Genesis primo: Et spiritus domini ferebatur super aquas. Item Genesis secundo: Spiravit in faciem eius spiraculum vitae. Non possunt separari actiones personarum. Pater est, ex quo omnis actio oritur. Filius consilium agendi. Spiritus sanctus ipsa agitatio. Sic Hilarius discernit personas infinitas in aeterno, libro secundo: Species in imagine, usus in munere.

Possit hic adiici, ut in renovatione creaturae per unum [21]) Verbum illuminamur, et Spiritu sancto agitante et mutante transformamur de claritate in claritatem, ut sicut Christus est imago patris, ita et nos fiamus imago eius, ut ad Colos-

---

8) Tub. *omnia, sentit autem.* 9) Tub. *perfuso.*
10) Tub. *cognoscimus.* 11) *posse* abest a Tub.
12) *hoc est in potentiam* etc. non habet Tub.
13) Tub. addit: *per baptismum.*

14) *docet*] Tub. *sonat.* 15) Tub. *vocans.*
16) *pater*] Tub. *facit.* 17) *relucent*] Tub. *redeunt.*
18) Tub. *ipsius.* 19) Tub. *sic.*
20) Tub. *erigebant.* 21) *unum*] Tub. *virum.*

senses tertio Paulus Apostolus ait: renovari nos agnitione Dei ad imaginem eius. Sed haec spiritualibus relinquemus. Nos stulti arripiamus confessionem Trinitatis, et in illa gloriemur adversus portas inferi. Et haec de mysterio Trinitatis [22]).

In principio erat Verbum etc.

Duas naturas in Christo sic discernit Paulus, Romanos primo: De filio suo, qui natus est ex semine David secundum carnem, qui declaratus est esse filium Dei in potentia secundum spiritum sanctificationis. Quo loco infirmitatem carni, potentiam et sanctificationis spiritum divinitati Christi tribuit. Quare cum a divinitate orditur Iohannes, erigenda fides est, ut credamus, Dei potentiam esse in Christo, qua nulla creatura sit superior, neque dubitemus, quin voluntas Dei sit remittere [23]) peccata, quia Christus, qui Deus est, annunciat remissionem peccatorum.

Postremo ut credamus salutares formas esse formas crucis, siquidem Dei sunt. Neque vero Ioannes contentus est brevibus verbis indicasse divinitatem Christi, sed per multas circumstantias describit, et ut intelligeretur, quod filius, non communicatione nominis sicut Ariani senserunt, sed natura Deus est, et ut cognosceretur discrimen personarum, et huius natura vel ratio operandi in creaturis [24]).

Dicit ergo: In principio erat Verbum, scilicet quando condi creaturae ceperunt. Iusta Genes. 1. in principio creavit Deus coelum et terram. In illo principio erat, id est, tunc erat, quando creaturae condi inceperunt: ergo ante omne principium creaturarum fuerit Deus necesse est. Iam cum de hoc principio cogitatur, itur in abyssos aeternitatis: hic fide in tenebras ingrediendum est, quae sentit, ante omnia, post omnia et in omnibus esse Deum. Sicut et in morte non videt ratio, quo concedendum, quid futurum sit, sed fides stat immobilis, nihil dubitans, quin ingrediatur in Deum. Iam hoc potentius est quod hic Christus et ea persona, quae caro facta est, quae nostra est, is Deus est, in quem ingrediendum sit.

Et Verbum erat apud Deum.

Scilicet imago concepta consyderatione patris, quod Iohannes verbum, Apostolus imaginem vocat, imago filii est ipsa imago patris.

Quod *apud* Deum dicit, non *in* Deo, significat, discernendam esse personam et aliam a patre. Et Graecis *in* [25]) praepositio dissimilitudinis est, ut videatur dicere: Et erat simile Dei. Quod si simile est verbum, aliud a partre [26]) sit necesse est. Quod si aliud est, et tamen ante omnes creaturas est, et ante omne principium: ergo Deus sit necesse est.

Et Deus erat Verbum.

Hic velut Epilogus est superiorum. Nam si in principio fuit verbum, si apud Deum fuit ante omnes creaturas, necesse est ut sit Deus. Quod autem *erat* dixit, uno verbo potentissime Arium reprimit, nam Arius dicebat, Christum Deum communicatione appellationis vocari, non natura: et appellatione Dei consecutum glorificationem patris. Nunc cum Ioannes dicit, ab aeterno verbum fuisse Deum, nihil valet Arii commentum.

Hoc erat in principio apud Deum.

Finierat syllogismum primum de divinitate filii, et cum in conclusione posuisset: Deus erat verbum, statim, ne quis unam personam aut nihil a patre distinctum esset verbum iudicaret, addit: Hoc erat apud Deum. Hoc scilicet verbum, quod est Deus, erat apud patrem, id est, non [27]) erat ipse pater, sed apud patrem erat, et ipsa patris imago. Et in principio erat apud Deum, id est, coaeternum verbum est patri [28]). Atque ita tria hac brevi sententia complexus est, primum in eo quod dicit: *Hoc*, refert proximam sententiam, verbum Deum esse, et verbi divinitatem indicat; quod dicit: *In principio erat apud Deum*, facit patri coaeternum verbum; quod dicit: *Apud Deum*, notat discrimen personarum.

Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum erat.

Et hoc argumentum divinitatis filii est. Nam si omnia per verbum facta sunt, ergo ipse non est

22) *adversus — Trinitatis*] desunt in libro Tub.
23) Tub. *quia voluntate Dei sic remittantur.*
24) Tub. *creaturas.*

25) *in*] habent libri, sed puto pro *in* potius *ea* scribendum esse.
26) *patre*] Tub. *Deo.*
27) *non* abest a Tub.
28) Tub. *pater.*

factus. Et ne quis calumniaretur, potuisse per filium omnia illa fieri ut maxime et ipse sit factus, subiecit occupationem: Sine ipse factum est nihil quod factum est, id est, quicquid factum, per ipsum factum est. Et haec quidem est Ioannis de divinitate filii [29]) sententia. Nunc qui volet expendere latius, ut per verbum omnia facta sint, is consulat et alios scripturae locos, Colossenses primo: In ipso condita sunt omnia, quae sunt in coelis, quae sunt super terram, visibilia et invisibilia etc. Et postea: Omnia per ipsum et in ipso condita sunt, et ipse est ante omnia, et omnia in ipso consistunt. Ita Paulus et per ipsum, ait, omnia esse condita, et in ipso omnia consistere. Idem ad Hebraeos primo: Portans omnia verbo virtutis suae. Sed haec, nisi spiritu intelligantur, intelligi nunquam poterunt. Non enim capit angustia rationis, sed spiritus capit, omnia in manu Dei esse et consistere. In sanctorum cordibus operatur sensibiliter Deus per verbum omnia, in impiis abscondito consilio, quod et ipsum verbum Dei est.

Caeterum orationis series et compositio indicat, Ioannem esse sequutum primum caput Genesis, quia illic textus palam testatur, omnia per verbum esse condita.

In ipso vita erat.

Quia per ipsum facta sunt omnia, et in eo omnia consistunt, et omnia portantur virtute eius, sicut Deuteronomii octavo: Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo etc. Et quia in verbo vita est, ideo in mundum venit verbum, ut vivificaret mortuos. Poena peccati mors aeterna constituta est, Genesis secundo, et quia in verbo vita est, ideo non potuit mors aboleri nisi verbo. Ideo hic incipit suam orationem accommodare ad Evangelium, et renovationem humanam. Quia enim est vita omnium, ideo est lux hominum, id est, illud ipsum vivum verbum erat lux. Sicut in nobis non est vita, nisi carnis vita, ita in nobis non est lux nisi lux [30]), id est, intellectus et iudicium, affectus nisi carnis; prima Corinth. secundo: Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus Dei. Ideo non intelligit Deum nec metuit nec diligit caro, sed ignorat et contemnit. Quando autem illo vivo verbo Dei tangimur tunc illuminamur, ut cognoscamus Deum.

29) *filii* abest a Tub. 30) *nisi lux* non habet Tub.

Et lux in tenebris lucet.

In hoc textu haec est obscuritas, utrum de Christo quatenus iam apparuerit in carne loquatur, an de natura divina etiam priusquam in carne apparuit. Caeterum eodem redit summa sententiae. Nam sola divina natura sicut vita, ita lux est. Fere eo retulerunt quod Deus in carne apparens non est cognitus a mundo Deus esse: ergo hic, lux, id est ipsum vivum [31]) Verbum Dei aeternum, seu filius Dei, lucet, id est, ostenditur praedicatione a condito mundo usque in hanc diem. Nam lucem lucere, id est lucem ostendi et adparere, ut si dicas solem lucere, ut sit praedicatio ceu radius lucis aeternae, quibus illa lux adprehenditur. Sic Psalm. XVIII.: In sole posuit tabernaculum suum, et ipse tanquam sponsus procedens de thalamo suo. Item Psalmo XXXV.: Apud te est fons vitae et in lumine tuo videbimus lumen. Quod quid aliud est, quem quod ait Ioannes: Et lux in tenebris lucet. Huc pertinent omnia, quae de lumine sunt apud Prophetas, Psalmo LXXX., et Esaiae II.: Ambulemus in luce Dei nostri, id est, illuminati per vivum verbum cognitione Dei.

Et tenebrae eum non comprehenderunt.

In tenebris, id est, in ratione humana, quae tenebrae sunt. Atque ita subiectum est: Et tenebrae eum non comprehenderunt; quasi diceret: Nunquam comprehendi ab ullo homine quam diu manet in tenebris.

Nihil est porro, quod disputemus de ratione et libero arbitrio: quia semel hic Ioannes tenebras vocat quicquid non est illuminatum luce Dei. Nam Ioannes non eos tantum tenebras vocat, qui prorsus non audiunt verbum Dei, sed eos qui audiunt. Dicit enim: Lux lucet, nec lucem, nec radios lucis, id est praedicationem intelligunt tenebrae. Huc pertinet canticum Zachariae: Illuminare his, qui in tenebris sedent etc. Et ad Ephesios V.: Eratis et vos aliquando tenebrae.

Fuit homo missus a Deo etc.

Hactenus de divinitate verbi, deinceps de incarnatione dicet. Et quia Christus venturus erat in formis crucis, et alienus a captu, sensu et aestimatione carnis, antea moriturus quam glori-

31) *ipsum vivum* non habet Tub.

ficetur, antea mortificaturus quam vivificet, et quia praedicatio omnino, nova remissionis peccatorum gratuitae exitura erat. Sic enim Iesaias ait: Domine, quis credit auditui nostro? Et in Evangelio Christus: Beatus, qui non fuerat in me scandalizatus. Ideo oportuit ei praeire testem, quo conscientiae electorum confirmarentur, ut crederent, hunc vere esse Christum, qui promissus fuerat in Prophetis. Vides ergo, hoc esse officium Ioannis, testimonium perhibere de Christo. Atque ita praedictum erat, venturum testem Malachiae III.: Ecce ego mitto angelum meum, qui praeparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et angelus testamenti, quem vos vultis. De testimonio vero Ioannis et baptismo infra latius. Hic contentus est Evangelista, et indicare Ioannis officium, et ostendere, Ioannem esse minorem Christo, Christum lucem esse, Ioannem non lucem esse. Atqui si lucem esse nihil aliud est, nisi doctorem esse, certe et Ioannes lux fuit. Necesse est ergo, lucem esse id esse quod illuminatorem, fontem et authorem luminis. Sophistae liberi arbitrii negant, Christum lucem esse.

Ut omnes crederent.

Diximus Ioannis officium esse testificari de Christo. Sed cur testificetur, respondet Evangelista, Ut omnes crederent. Quanquam cur venerit Christus postea expositurus est, tamen hic uno verbo significantissime notavit Evangelista. Nam si venisset Christus legem tantum docturus, nihil opus fuisset teste. Nam satis de lege Moses est testatus, cui credebat populus, ut infra [32]): Nos discipuli Mosi sumus. Ita nec fide fuit opus.

Primum [33]) ergo erat Christus novum quid dum nunciaturus, quod credi oportuit: id autem Evangelium est, seu remissio peccati.

Secundum [34]), porro id Evangelium non ratione sed fide tantum [35]) apprehenditur. Tertium [36]), erat et venturus Christus tali tectus forma, ut caro pro Christo non haberetur. Quartum, iam hoc quoque docet, si non ob aliud testificatur Ioannes, nisi ut credamus: ergo haec summa summarum est iustitiae, credere in Christum, ut nihil aliud hic Evangelista velit, quam quod alias scriptura: Iustus ex fide vivit. Venit Christus ut iustificet. At, qui consequimur illam iusticiam? Ioannes respondet: Credendo.

Quintum, *per ipsum* referendum est ad Ioannem, ut sit: Per ipsum, id est, Ioanne testificante. Nam eadem figura loquendi infra est capite XVII.: Qui credituri sunt per verbum eorum [37]) in me.

Non erat ille lux.

Magna quaestio est, cur Ioannes neget lucem fuisse, cum alias dicat: Vos estis lux mundi. Respondeo: Evangelista ipse se exponit, cum postea dicit: Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem etc. Et supra: Vita erat lux hominum etc. Instituit enim collationem Ioannis et Christi, et in Ioanne omnium Prophetarum, (non enim surrexit maior Ioanne), ut doceat, Iesum Christum ut substantialem et vivificam lucem, ita iustificatorem esse etc. Alii Prophetae et Ioannes sunt testes illius lucis. Dico itaque sicut textus ipse postulat, lucem hic significare vivificam lucem, sicut ait: Vita erat lux hominum, et eam lucem, quae illuminat, id est novum lumen, seu ut Paulus vocat, novam mentem creat in hominum cordibus, sicut ait: Erat vera, id est substantia et natura, lux quae illuminat, id est, creat novum lumen. Ita solus Christus lux est, nemo hominum: praeterea nemo Prophetarum lux est. Nam [38]) ii non natura sed participatione lux sunt, sicut Petrus ait: Consortes facti estis divinae [39]) naturae. Haec eo pertinent, ut sciamus quid intersit inter verbum vivum et verbum mortuum, inter literam et spiritum, inter Christum et Mosen. Mortuo verbo docentur quidem homines, ut, cum [40]) docet Deum esse diligendum; sed interim ignorat cor hominis Deum et contemnit, ut maxime simulet legem. Et hoc est, quod ait Evangelista: Erat lux vera, quae illuminat etc. Non enim illuminant qualescunque mortuae doctrinae, tametsi docere videantur; nec enim docent, quia semper manet idem sensus, idem iudicium rationis, eadem ignorantia Dei, donec verbo vivo et spiritu doceamur. Hic vides, quod cum solus Christus lux sit, et cum nova illuminatione opus habeamus, merum mendacium,

---

32) Tub. addit: *dicitur.* 33) Tub. *Secundum.*
34) Tub. *Tertium.* 35) *tantum* non habet Tub.
36) Tub. *Quartum*, et sic porro in seqq.

37) *eorum* abest a Tub. 38) *Nam*] Secer. mendose *Iam.*
39) *divinae*] Tub. *divini lucis.*
40) *ut, cum*] Tub. *utcunque.*

mera ignorantia Dei sit commentum de libero arbitrio. Non doctor sed effector salutis est Christus, quod si doctor tantum esset, et Ioannes et omnes alii Prophetae lux essent. Nunc, cum Ioannes non illuminet, qui tamen docet, novo certe lumine opus habemus, quod non doctrina sed creatio novi cordis sit. Observa igitur accuratissime Ioannis et Christi collationem, ut intelligas, novum lumen in cordibus nostris creari oportere.

Omnem hominem.

Primo, non omnes illuminari palam est; quae ergo huius loci sententia est? Quidam elapsi sunt hoc modo, ut intelligerent, quod sicut sol super omnes exoritur et effundit radios suos, quanquam caeci non videant, ita Evangelium exoriatur etiam supra impios quanquam non capiunt, iuxta illud: Audite audientes, et nolite intelligere. Sed ita ex Christo doctorem feceris, quod repugnat ordini sententiae hoc loco. Nam hic certe illuminationem pro novi luminis conditione accipit. Secundo, illuminari hic non debere accipi pro docere, sicut Sophistae intellexerunt, palam est: nam alioquin etiam Ioannes et omnes Prophetae lux fuerunt. Tertio, non sensisse Evangelistam, quod omnes illuminentur, ex eo apparet quod ait: Et tenebrae eam non comprehenderunt; item: Mundus eum non agnovit; item: Sui non receperunt eum; certe recepturi, si fuissent illuminati, iuxta illud 1. Corinth. II.: Si cognovissent haudquaquam dominum gloriae crucifixissent. Quarto, ideo simpliciter dicamus id, quod sentit Augustinus et huius textus ordo evincit, voluisse Evangelistam solum Christum esse lucem, qui solus illuminat quotquot illuminantur. Ut si dicat de unico aliqua in urbe doctore: Hic omnes docet in hac urbe, id est, quotquot in hac urbe docentur, huius opera docentur. Ut Rom. V. Paulus, ubi docere vult quod solus Christus iustificet, dicit: Unius iusticiam in omnes [41]), id est, nemo iustificatur nisi per unum Christum. Et infra: De plenitudine eius accepimus omnes. Ita hic Ioannes in collatione Prophetarum cum Christo, (nam et illi lux videri poterant) ait: Non erat ille lux, sed Christus lux est, qui cum Ioannem, tum omnes illuminat, ita ut, nisi ipse illuminet, nemo illuminetur. Breviter, si mihi pro libero arbitrio citent hunc locum Sophistae, nullo fortiore eos oppugnaturus sum quam hoc ipso huius Evangelii principio. Atque hoc potissimum hinc disces, Christum lucem esse, quae illuminet, id est, novum lumen creet in cordibus electorum, sine quo novo lumine merae tenebrae, ignorantia mera lumen naturae est. Et ut Christi lumen vita est, ita lumen naturae plane mors est. Nam qui credunt in Christum mortem non gustabunt, quia illuminati, ideoque etiam vivificati, et transibunt per mortem sine ullo mortis sensu.

Venientem in hunc mundum.

Ἐρχόμενον, in Graecis participium illud referri potest vel ad lumen vel ad hominem. Cyrillus ideo ad hominem retulit, quia de luce postea sequitur: In mundo erat etc., atque me ea ipsa ratio moverit, ut ad lumen referre possim, quasi diceret: Novum lumen creat, quia [42]) in mundum venit, id est, quia illa lux caro facta est. Sed quia video, omnibus placuisse alteram lectionem, sequamur eam et nos, ut sit summa: lucem Christum illuminare fide in hac vita, postea tradere regnum patri, ubi coram cognoscemus patrem. Atque per illud ipsum lumen cognoscitur pater, quod in nobis Christus creavit. De verbo incarnato intellige et quod ante dixerit: Veniens in mundum, et postea: In propria venit. Certe enim venire, apparere est. Et nunc dicit significanter: In mundo erat, quod apte de verbo non incarnato dici non videtur, si spectes phrasim Ioannis cap. IX.: Quam diu sum in hoc mundo, lux sum mundi; et XIII.: Transeat ex hoc mundo. Proinde posteaquam supra de divinitate verbi et potentia eius dixerat, scilicet quod et vita et lumen sit, id est vivificum lumen: nunc incipit, non dico de carne tantum, sed verbo incarnato et humiliato loqui. Id iterum prolixe et per circumstantias tractat. Et primum quidem observabis egregiam antithesin. Verba simplicia, sed res maximae sunt.

In mundo erat.

Hactenus de verbi potentia, nunc de ingressu eius in mundum loquitur. Venire in mundum est humiliari etc. In mundo esse, est id quod Philipp. II. dicitur: In similitudinem hominis factus et habitu inventus ut homo. Et Hebr. IV.:

41) Tub. *sicut unius iustitia in omnes.*

42) *quia*] Secer. *qui.*

Tentatus per omnia pro similitudine etc. Haec humiliatio filii magnitudinem misericordiae nobis commendat, et efficit, ut cum fiducia thronum gratiae accedamus, quod scimus, nobis esse pontificem, qui possit nobis compati nostris infirmitatibus, Hebr. IV. Et statim, ne quid videretur divinitati derogasse, subiicit: Mundus per ipsum factus est. Atque ita facit antithesin humiliati verbi et omnipotentiae eius, ut simul significet, Christum regnaturum in potentia Dei.

Et mundus eum non cognovit,

Idem est, quod supra ait: Et tenebrae eum non comprehenderunt. Mundus tenebrae est, et nihil nisi carnalia sapit et intelligit. Quare neque iusticiam spiritus, quae fides est, neque Christum apparentem in forma crucis agnoscit. Ideo dicitur Matth. XVI.: Beatus es Simon, quia caro et sanguis tibi non revelavit.

In propria venit,

Id est, ad Iudaeos, quibus erat promissus. Sic Paulus Christum vocat ministrum circumcisionis etc. Atque hic iterum vide, quomodo retrospiciat Ioannes in historias veteris testamenti et promissiones de Christo, per quas Evangelium suum vult exponi et confirmari.

Et sui eum non receperunt.

Quanquam non aliud dicit, quam quod antea: Tenebrae eum non comprehenderunt, item: Mundus eum non agnovit: tamen hoc terribilius est, quod dicit: *Sui.* Sicut dicit Rom. X. ex Esaia LXV.: Inventus sum a non quaerentibus me etc. Tota Die expandi manus meas ad populum non credentem, ubi Esaias causam explicat, quid sit, suos non recepisse, scilicet non aliud nisi noluisse credere, et per opera voluisse salvari. Ut ibidem Paulus dicit, Israel, sectando legem iusticiae, ad legem iusticiae non pervenit; et Christus: Meretrices et publicani praecedent vos etc. Ita vides, hoc urgere Ioannem, ut doceat nullo operum respectu credendum esse in Christum. Et haec de eo, quod sit ingressus in mundum.

Quotquot autem receperunt.

Hic explicat semel totius Evangelii summam, exponit [43]), cur Christus in mundum venerit, scilicet ut auctoritatem daret fieri filios Dei. Iam et adiicit, quo modo fiant filii Dei, nempe si recipiant Christum, id est, si credant in Christum. In appellatione filiorum multa comprehenduntur. Primum, sicut filii in carne nascuntur, non merentur filii esse suo aliquo opere: ita hic filii non fiunt aliquo suo merito, ut paulo post latius exponatur. Ad Galat. IV.: De haerede scriptum est etc. Secundo, filios esse est, in gratia patris esse. Proinde filiis irae opponitur. Et omne ius filiorum continet haereditatem Christi, sacerdotium et regnum. Sicut Matthaei XVII.: Liberi sunt filii. Et haec est haereditas, de qua ad Romanos IV.: Ut esset haeres mundi. Tertio, filios esse plus est quam populum esse. Sicut et Paulus ad Rom. VIII. a spiritu adoptionis filiorum discernit spiritum servitutis. Veteri testamento non filios sed populum appellabat, et ideo populus erat et non filii, quia serviebat in iusticiis carnis et operibus suis. Novo testamento filii sunt, quia grates sine ulla operum exactione recepti sunt in gratiam, ut videatur Ioannes in antithesi locutus: Sui eum non receperunt; et postea: Dedit eis potestatem filios Dei fieri; id est, non venit Christus, ut populum faceret, aut legem imponeret, sed ut filios faceret. Sicut Oseae primo dicitur: Erat in loco, ubi dicitur eis: Non populus meus vos. Dicetur iis, filii Dei viventis. Item, quia sui non sunt filii, aperte significat, populum operum non esse filios Dei.

Qui credunt in nomine eius,

Quomodo fiant filii Dei ipse exponit, cum adiicit: His qui credunt in nomine eius. Ubi docet, non humano merito, non opere aliquo nostro fieri filios, sed sola fide. Neque simpliciter dicit: Qui credit in eum, sed: In nomen eius, hoc est, qui credunt, Christum vere iustificatorem, vere salvatorem esse.

Qui non ex sanguinibus,

Neque vana appellatio filiorum est, nec fides inefficax est. Ideo sequitur: Qui non ex sanguinibus. Docet enim, quia filii sunt qui crediderunt, oportere et nasci, et quia qui secundum carnem nati sunt, nondum filii Dei sunt, ideo necesse est fieri regenerationem. Potissimum itaque hic observabis, per fidem renasci filios. Cum dico renasci, significo prius mortificari carnem cum suo lumine, et deinde novum hominem renovari fide,

43) Tub. *exponens.*

id est cognitione gloriae Dei, iusticiae et misericordiae Dei donatae in Christo. Sic quoties de renascendo loquitur scriptura, damnatur vetus nativitas cum omnibus viribus et operibus suis. — *Sanguinem* vocat naturalem propagationem carnis, et cum dicit, non ex sanguinibus nasci filios Dei, damnat in totum veterem nativitatem, adeoque et omnes vires naturae, quae naturali propagatione transfunduntur in sobolem. Proinde lumen naturae, liberum arbitrium nihil nisi impia vocabula sunt.

Neque ex voluntate carnis,

Quod autem dixit, non ex sanguinibus, generaliter damnat naturam, et docet, nos omnes nasci filios irae. Nunc adiicit: Non ex voluntate carnis. Quod, quanquam eo pertineat, non nasci filios Dei carnaliter, tamen proprie mihi pertinere videtur ad eos, qui ex patribus, quibus promissio facta est, nati sunt, quasi sic dicat: primum nego, filios esse, quanquam natos secundum naturam; deinde hos etiam nego filios esse, qui, quanquam e patribus quorum promissio est nati sunt, tamen voluntate carnis nati sunt. Postremo addit: Nec ex voluntate viri, id est, non ex voluntate seu arbitrio hominis. Haec tertia generatio arbitraria est, ut qua proselyti se ad legem Mosi, et ad populum Israël conferebant. Qui se ad populum fidelem conferunt hodie Iudaei vel Turci, hi voluntate humana non spiritu renati externa [44]) observatione legis communiter utentes cum populo fideli, non sunt filii Dei. Vides ergo naturam et omnia studia, omnia consilia eius damnari. Primum filii Dei non sunt, qui quocunque modo secundum naturam nascuntur; secundo, ne illi quidem, qui ex patribus nati sunt; tertio, nec illi, qui eandem legem, idem Evangelium discunt, audiunt, observant externo habitu. Haec omnia uno verbo dixit Psalm. XV.: Non congregabo conventicula eorum de sanguinibus. Et Rom. IX.: Non qui semen sunt Abrahae omnes filii sunt.

Sed ex Deo nati sunt.

Iam ante de nascendo dictum est; hic addit: Ex Deo, quia solius Dei opus est renovatio creaturae. Sicut ergo antea dixit: In ipso erat vita, item: Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem, ita nunc ait: Ex Deo nati sunt. Iam hoc etiam significantius est, quod ait *ex* Deo, non *a* Deo; nam ex Deo nasci est participem fieri naturae eius, hoc est, in eandem imaginem transformari speculantes gloriam domini. 2. Corinth. III.: participes fieri lucis, sapientiae, veritatis, iusticiae Dei etc. Haec necesse est spiritu intelligi, ne quis iudicet, talem regenerationem esse humanas cogitationes. Nam qui pro cogitationibus humanis tantum habet, is filius est ex voluntate viri, non ex Deo natus.

Et verbum caro factum est.

Mirari queas, cur cum de ingressu verbi in mundum antea dixerit, non prius etiam de incarnatione locutus sit. Respondeo: Quanquam de ingressu in mundum locutus est, tamen omnia, quae de eo dicta sunt, ad verbi potentiam, non ad infirmitatem carnis Christi referri debuerunt, quia caro Christi non illuminat, non vivificat, non renovat. Ideo nunc tandem de incarnatione loquitur, sed et hoc apto ordine subiectum est, quia, sicut in Christo verbum caro factum est, ita in nobis verbum carnem fieri oportet. Id demum est renasci. Quoad verbum, humana cogitatio tantum est: Non filii Dei, sed filii voluntatis viri sumus [45]). Porro, omissis philosophicis disputationibus de incarnatione, breviter ita sentio, Ioannem ταπεινώσει capere *nasci*, cum [46]) ait: Verbum caro factum est, id est, quod Esaias ait, novissimum hominum; et Paulus 2. Cor. V.: Pro nobis peccatum factus est. Et Galat. III.: Factus pro nobis maledictum. Quare cum carnem vocat, intellige extremam humiliationem Christi, in extrema humiliatione remissionem peccati vel satisfactionem, adeoque effusissimam charitatem patris, qui pro nobis filium tradidit, Rom. VIII.: Videntur in Christo thesauri sapientiae, ira Dei adversus peccatum, ineffabilis misericordia donantis filium, adeo ut nullo respectu operum nostrorum iustificet etc. Haec Christi cognitio iusticia est, non esca vel potus, aut qualiacunque externa.

Et habitabit in nobis.

Carnem fieri, est maledictum et peccatum fieri, ut tolleretur maledictio in carne nostra.

44) Secer. *extrema*, mendose.

45) *sed filii — — sumus*] non leguntur in ed. Tub.
46) *cum*] Tub. *uti cum*.

Ita quod ait: Habitabit in nobis, significat id quod Phil. II. dicitur: In similitudinem hominum factus, habitu inventus ut homo; et Hebr. IV.: Non habeamus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tentatum per omnia pro similitudine absque peccato. Item, quia et ipse passus est, idque ita ut novissimus hominum a Propheta vocetur, gaudet compati nobiscum. Idem, quod ipse passus est, non possunt non salutares esse formae crucis, nempe quas ipse sanctificavit.

Et vidimus [47]) *gloriam eius.*

Antithesim facit Ioannes. Nam ante de humiliatione Christi, hic rursum de glorificatione loquitur. Gloria praeter omnia miracula Christi, est resurrectio eius a morte, Eph. I.: Suscitans illum a mortuis et constituens illum ad dexteram suam. Neque aliud miraculum aut opus Christi salutare nobis est praeter hoc, ut Matthaei XVI.: Non dabitur iis signum nisi signum Ionae Prophetae. Rom. I., item X.: Si in corde tuo credideris, quod Deus suscitavit illum a mortuis, salvus eris. Quid est autem credere resuscitatum a mortuis? Respondeo: Est credere Christum regnare, vicisse mortem et fregisse portas inferi, sustulisse peccatum, tueri nos, iudicaturum incredulos etc. Haec gloria resurrectionis est, qua glorificat Christus omnes credentes sibi etc. — *Vidimus*, non oculis tantum carnis, sed fide credentes, et sentientes, peccatum et mortem deleta esse.

Unigeniti.

Unigenitum vocat, ut significet, natura filium Dei esse. Nam alioqui omnes sancti filii Dei sunt, ut non possit unigenitus dici, nisi natura filius Dei esset et Deus.

Plenum gratia et veritate.

Hic exponit, quid vocaverit gloriam, nempe gratiam et veritatem. Gratia est, qua omnia Christo [48]) Deo accepta sunt; veritas est, qua omnia vera, bona et sancta sunt, quae operatur. Et sicut Ioannes gloriam Christi plenitudinem gratiae et veritatis vocat, ita Esaias: Regnum Christi [49]): Praeparabitur in misericordia solium, et sedebit super ipsum in veritate, id est, Christi regnum est regnum misericordiae seu gratiae et veritatis; gratiae, quia nobis reconciliat patrem; veritatis, quia veraces et sanctos facit credentes. Porro, siquidem Christi regnum tantum gratiae et veritatis regnum est, ergo extra Christum omnia sunt peccata et mendacia.

Ioannes testatur de ipso.

Supra discrevit Christum a Ioanne, adeoque ab omnibus Prophetis, ut indicaret Christum non doctorem tantum esse, ut sunt Prophetae, sed effectorem salutis; qui locus insigne argumentum est adversus eos, qui vires humanas praedicant. Hic ad Ioannem redit, et prosequitur historiam. Quia enim Christus apparuit vitiore forma, crucis scilicet, quam vellet ratio, et quia praedicatio remissionis peccatorum gratuitae refragatur omni sensui carnis, ideo oportuit et praemitti testem Christo et ab Evangelistis tractari illius testimonium.

Hic erat,

quem indico, qualis qualis vobis videtur? id est, caro indicat, hunc non esse posse Christum. — *De quo dicebam*, id est, ante sum obscure vaticinatus de eo. — *Qui cum me sequeretur*, i. e. non modo praedicator, sed salvator, quia Deus est, cuius faciem praecedit novissimis temporibus angelus missus, ut Malach. III. — *Antecessit me*, id est, super me, vel maior me est. Nam eo ubique Ioannes tendit, ut doceat, Christum non doctorem tantum, sed lumen et vitam.

Quia prior me erat,

id est, missus est vel ordinatus, qui mitteretur priusquam ego mitterer; id est, hic est, quem expectatis, qui vobis in lege et Prophetis promissus est. Ego nuper ei ministri et testis vice promissus sum. Caeterum ipse principalis ille est, quem expectatis et qui missus est priusquam ego inciperem praedicare.

Et de plenitudine eius,

quia in eo habitat plenitudo divinitatis corporaliter. Omnia enim Christo subiecta sunt, quia Deus ipse est.

Accepimus omnes,

id est, Spiritum sanctum et gratiam, qua nobis placatus est pater, pro gratia, qua ei placatus est

47) Secer. *videbimus.*
48) Sic utraque editio. Sed puto ante *Christo* excidisse *in.*
49) Intellige: *describit his verbis*, vel similia.

pater, quia Christus positus est propiciatorium, ad Rom. III.

Nemo verbis consequi queat magnificam hanc Evangelii seu Christi descriptionem, cum inquit: Ex plenitudine eius accepimus nos omnes. Primum enim, quod Christo plenitudinem tribuit, divinitatem tribuit; et quod ex illa nos accipere dicit, significat potentiam Dei esse spiritum sanctorum[50]). Deinde hoc amplius est quod ait: gratiam pro gratia nos consecutos esse; gratiam, id est remissionem peccatorum; pro gratia, quia pater Christum amat. Sicut Ephes. I. ait: Gratificavit nos in dilecto filio suo. Ergo sicut glorificato palam filio testatus est pater, se diligere filium, ita nos nihil dubitemus, quin diligamur ut ipse. Secundo, sed iterum amplissime describit Christum, ubi cum Mose confert. Lex per Mosen data est, gratia et veritas per Iesum Christum facta est. Legi opponit gratiam et veritatem. Duo enim lex efficit sine Christo. Primo, quando audit eam ratio simulat et mentitur opus legis externum, cum interim cor sit ignorans Dei, et alienum a charitate, castitate etc. Atque ita mendacium seu hypocrisim et simulationem legis opponit Ioannes veritati. Secundo, lex confundit et patefacit conscientias, nec consolatur, Rom. IV.: Lex iram operatur. Et hanc iram Ioannes opponit gratiae. Vide autem, quando discrimine de lege iudicent humana ratio et Spiritus sanctus. Ratio humana legi iustificandi vim tribuit, scriptura virtutem peccati vocat. Porro, si lex non nisi mendacium et iram operatur, iam palam est, nihil esse liberum arbitrium, et impossibilia a lege praecipi, et omnes iusticias nostras esse peccata et mendacia, iuxta illud Psalmi: Omnis homo mendax. Item: Universa vanitas omnis homo. Tertio, quid autem Christus efficit? gratiam et veritatem; gratiam quia per ipsum consecuti sumus remissionem peccatorum, et in ipso diligimur, sicut antea dictum est: Gratiam pro gratia, i. e. ut filius diligitur, ita diligimur et nos, qui in filio sumus per fidem. Est itaque gratia favor Dei, quo non aliter, atque filium diliget, et acceptat nos et nostra omnia quanquam peccata. Veritas est verax iusticia cordis, quia per spiritum suum sanctificat corda nostra, et facit ea veratia, condens novam vitam et novum lumen. Ex his collige discrimen legis et Evangelii, Mosi et Christi.

Deum nemo vidit unquam.

Haec ratio superiorum est, quare per Christum gratia et veritas facta sit. Quia enim gratia est voluntatis divinae sententia[51]), remittens peccatum: Nemo agnoscit gratiam nisi per eum, qui patris consilium est. Filius sententia[52]) patris est, quare sciri voluntas eius nisi in filio non potest. Item, quia veritas est iustificatio nostri, veritas autem cognitio Dei est, et omnis scientia patris filius est: ideo patrem nemo cognoscit nisi per verbum et in verbo, quod filius est. Ita vides rationem superiorum teneri in his verbis: Deum nemo vidit unquam etc. Nam si quaeras in Iesu Christo gratia facta est, respondet Ioannes: Ideo per Iesum Christum, quia nemo cognoscit patrem praeter filium. Nec potest patris sententia nisi in verbo, Iesu Christo, cognosci. Item, quare per Iesum Christum veritas facta est? respondet: Quia cum iustificatio non sit aliud nisi Dei cognitio, cognosci autem nisi per verbum et in verbo condenti novam vitam et novum lumen, non potest. Eadem tractantur 2. Corinth. III. et IV, et prima Petri primo. Mihi simplicissime non aliud dici videtur, quam quod Matth. XI. dictum est: Nemo novit filium nisi pater, neque patrem quis novit nisi filius, et cui voluerit filius revelare. Sic enim filius patrem novit, ut et substantia patris in ipsum propagatur, ut sit universa scientia patris, qualis cognitio non modo non Mosi, non Iacob, sed ne ulli quidem creaturae. Et sicut huic sententiae: patrem nemo novit nisi filius, nihil derogat, quod Moses et Iacob viderunt Deum, ita neque huic: Deum nemo vidit unquam.

Minus recte puto secretum vocari, ut in Psalmo: Oratio mea in sinu meo convertetur. Atque hic aperit Ioannes, quae sit verbi potentia, quae sit iustificatio nostri. Filius enim missus est, ut enarret verbum gratiae et veritatis: ergo auditus illius verbi iustificatio est, et verbi illius potentia est salvare, veraces efficere, novum lumen condere, illuminare tenebras.

---

50) Tub. *sanctum.*

51) *sententia* non legitur in Tub.
52) *sententia*] Tub. *scientia.*

Et hoc est testimonium.

Repetit Ioannes testimonium, quod supra bis citavit. Quia enim Ioannes a Deo missus fuit, ut testificaretur de Christo, necessario hoc testimonium urgeri debuit. Et cur oportuerit praemitti testem, supra dictum est. Et quia doctrina Christi nova est, scilicet gratuita remissio peccatorum, et quia apparuit Christus in huiusmodi formis, quas caro abominatur, arguebat Ioannes Pharisaeos, sicut Matth. III. apparet. Ideo ad eum mittunt interrogantes de auctoritate eius. Sic Christum interrogabant Matth. XVI.: In qua potestate haec facis? Verbum spectare debebant, et ex verbo auctoritatem personae aestimare. Nunc quia verbum oderunt et damnare non possunt, ideo de auctoritate personae disputant. Aliis formis apparent Ioannes et Christus, quam volebant Pharisaei; ideo damnant eos. Sic in universum damnant impii, quia aliter apparet Christus quam vellent. Damnat eum caro; non vult mortificari: ideo venientem Christum exhorret. Et hoc est testimonium Ioannis, et quod ipse non sit Christus et quis sit.

Sacerdotes et Levitas,

potentissimos et sapientissimos populi, ut interrogarent eum, id est eius auctoritatem, cur baptizaret et praedicaret contra principes populi.

Confessus est et non negavit.

Affirmative dixit: confessus est et non negavit, cum videatur aptius [53]) dici potuisse, negavit se esse Christum. Sed hoc significantius est, quia volunt Pharisaei, ut universam praedicationem retractet. Ideo ait: Confessus est et non negavit, id est, constanter professus est verbum suum.

Helias es tu? et dicit: Non.

Malach. III. promittitur venturus Helias, et hunc Christus dicit Ioannem esse. Quomodo igitur Ioannes hic negat se esse Heliam? Respondeo: Malachiam esse expositum per angelum Luc. I.: In spiritu et virtute Heliae. Itaque non fuit Helias Ioannes, quanquam in eo virtus et spiritus Heliae fuerit.

Es tu Propheta?

Prophetam hic quidam putant intelligendum esse, qui promissus est Deuter. XVIII. Sed et eum intelligebant Prophetam Iudaei Christum esse. Ideo non videtur eo referendum esse hunc locum. Quare ergo negat, se esse Prophetam? Respondeo: aliud esse Ioannis, aliud Prophetarum officium; ideo Ioannes se negat esse Prophetam. Prophetae ad vetus testamentum pertinent, Ioannes ad novum. Matth. XI.: Omnes Prophetae et lex usque ad Ioannem. Et erant iam consummatae prophetiae. Prophetae de venturo Christo vaticinantur; Ioannes ostendit praesentem, et consummatas esse prophetias testificatur; ideo se negat, Prophetam esse.

Ego vox clamantis.

Quod sit Ioannis officium et quid sit eius baptismus, ex hoc loco apparet. Et primum quidem vocationis suae testimonium et verbi citat ex Iesaia Propheta, ut indicet vocationem sui divinitus esse factam, item verbum suum verbum Dei esse. Ego sum vox clamantis, id est, vox clamans seu praedicator. Vox sum, non lumen; item vox, quia alienum nuncio, non novum verbum invenio seu doceo.

In deserto.

Vox in deserto. Hoc ad historiam pertinet, quia Ioannes in deserto praedicaturus erat, et sic a Propheta praedictum est propter confirmandam auctoritatem Ioannis, quod ad allegoriam pertinet. Desertum figurat praedicationem eius; iuret enim Ioannes viam parare Domini.

Dirigite viam Domini,

id est, apparate viam, complanate, tollite e medio viae [54]) impedimenta. Et quid hoc sit, indicat ibidem Iesaias: Omnis caro foenum, et omnia gloria eius quasi flos agri. Est autem haec sententia: mortificari carnem et omnem gloriam eius oportet priusquam Christus veniat et vivificet novam creaturam, i. e. priusquam accipiamus spiritum Christi. Est ergo Ioannis officium, praedicare poenitentiam, sicut alii Evangelistae dicunt. Est autem vera poenitentia, vera mortificatio carnis cum omnibus suis concupiscentiis, et cum omni gloria sua. Itaque Ioannes damnat quicquid in carne est, ut fiat via Christo, i. e. Evangelio seu consolationi et vivificationi, quia priusquam caro mortificata est, non vivificatur a Chri-

53) Tub. *apertius.*

54) *viae*] Tub. *omnia.*

sto. Et quoad nostris viribus iustificari nos posse putamus, nondum agnoscimus Christo opus esse, ut Galat. II. dicitur: Si per legem iusticia, ergo Christus frustra mortuus est. Ibidem Esaias causam addit, quare via complananda sit, deiicienda omnia excelsa, quia, inquit, revelabitur gloria Domini. Nam eo nos obligavit Ioannes, cum Prophetam citavit. Revelari gloriam Domini est revelari iustitiam Dei, et exhiberi iustificantem nos, sicut ad Romanos Paulus ait: Omnes sunt vacui gloria Dei. Non potest autem iusticia Dei revelari nisi prius iusticia et omni gloria carnis confusa. Et ex hoc potest intelligi, cur Ioannes baptizet. Est enim baptismus signum mortificationis; Rom. VI.: Consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem. Hic baptismus praeparat vitam Christo, id est vivificationem per Christum. Sic Matth. III. dicitur: Baptizo vos in aqua in poenitentiam etc. Oportuit itaque baptismum incipi a Ioanne ante Christum, quia mortificatio praecedit vivificationem, confusio glorificationem, ut Matthaei III. dicitur: Qui post me venturus est, baptizabit vos spiritu et igni.

Altera pars officii Ioannis est indicare Christum; sicut hic ait: Ut manifestetur in Israël, propterea ego veni in aqua baptizare. Et Esaias ait: Parate viam Domini etc., quia gloria Domini revelabitur. Non remittit Ioannes peccata, sed eum ostendit, qui remissurus est. Sic baptismus non mortis typus est, sed signum, quod per mortem ad vitam transeamus, signum, quod non mors absorbeat, quod sit initium novae creaturae etc., sicut filios Israël videmus mari rubro baptizatos per mortem in vitam ingressos esse. Sed inter Christi baptismum et Ioannis hoc interest, quod remissio peccati nondum expressa fuit Ioanne baptizante, expressa est Christo baptizante.

Et qui missi fuerunt.

Vide exemplum pharisaicae caecitatis. Iam responderat Ioannes, quis esset, a quo missus esset, cuius auctoritate faceret quae faciebat, cum ipsi nihil horum intellexerunt nescientes scripturas et virtutem Dei, producto testimonio vocationis, praedicationis et baptismi: Tamen [55]) adhuc interrogant, cuius auctoritate baptizet. Et Evangelista circumstantias pulchre expressit, cum inquit: Qui missi fuerunt, erant ex Pharisaeis, et interrogaverunt, quasi diceret: Quanquam ex Pharisaeis, i. e. ex sapientissimis et sanctissimis essent, tamen responsum Ioannis non intellexerunt. Sic nobis Evangelista adumbrat caecitatem et tenebras carnis. Pharisaei hic interrogant quasi senserint Christum baptizaturum esse. Nam de baptismo Christi est apud Esaiam XLIV.: Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus iniquitatibus vestris.

Ego baptizo in aqua.

Non respondet Ioannes ad quaestionem propositam, cur baptizaret. Nam antea responderat cum inquit: Ego vox clamantis in diserto etc. Hic discernit suum baptismum et suum ministerium a Christi baptismo et officio, quasi diceret: Ego baptizo in aqua ad poenitentiam, ut mortificaremini; non remitto peccata, non sanctifico; ego vox tantum sum et nuncius verbi, ille est verbi potentia; et, ut supra dictum est, ille lux est, non ego etc. Medio vestrum stetit, i. e. inter vos, quem vos nescitis quamvis Pharisaei. Qui post me venturus est, scilicet remissurus peccata. Qui ante me fuit, i. e. qui est maior me, vel factus est, ut sit maior me.

Cuius ego non sum dignus etc.

Multipliciter Ioannes sibi Christum praefert, ut intelligatur Christus non Propheta tantum sed salvator esse. Et quia salvator esse intelligebatur, consequebatur ut Deum esse agnoscerent. Haec summa testimonii Ioannis est, ideo se deiicit infra eum, inquiens, se non esse dignum, qui illi solvat corrigiam calceamenti, id est, se non esse dignum ne ulla quidem parte servire. In qua sententia, quantumvis simplici, primum confitetur divinitatem. Nam homo certe dignus est, ut homini serviat, quia ad mutua ministeria conditi sumus, Genes. I. et II. Exinde omnem gloriam omnium operum nostrorum damnat in eo, quod confitetur, ne se quidem dignum esse qui serviat; ergo mera gratia, mera misericordia est accepisse ut servias. Postremo Pharisaeorum caecitatem, superbiam et tumorem reprehendit, quasi diceret: Vos sapientes, vos sancti contemnitis eum, quem vobis praedico. Vos regnum, vos sacerdotium tenetis, cum ille sit ordinatus a Deo rex et sacerdos, cui nos subiici oportuit. Iam si quaeras allegoriam calcei: verbum seu Evange-

---

55) *Tamen*] Tub.

lium significat, quia in verbo debemus ingredi, non in lumine naturae. Sic in Numer. IX. dicitur: Per verbum Domini figebant [56]) tentoria, et per verbum illius proficiscebantur. Sic Ephes. VI.: Calceati pedes in praeparationem Evangelii pacis, id est, ut sitis praeparati Evangelio pacis. Et Ezechielis XXI.: Calciavi te hyazintho. Ait ergo Ioannes Matth. III.: Cuius non sum dignus portare calceos, i. e. portare verbum seu Evangelium. Et hic: Non sum dignus solvere calceamentorum corrigiam, i. e. pandere Evangelium. Quocunque modo exponas, manet, quod Ioannes agnoscit, se indignum esse, qui ministret Christo, ut non glorietur omnis caro.

Altera die vidit etc.

Altera die, i. e. alio die, quia graecismus est, ne urgeat esse sequenti die.

Ecce agnum Dei.

Repetit Ioannes testimonium de Christo, quia conscientia multis indiget testibus etc. Rursum Ioannes testificatur de Christo, et clarius quam ante. Nam in iis verbis est summa Evangelii. Ecce, quasi diceret: hic est salvator, apparens tam vili forma et inter iniquos computandus etc., factus peccatum a Deo, ut vos iustificet etc., quem vos Pharisaei venturum putatis cum magna gloria coram mundo etc. — *Agnus*; respicit typum in lege, agnum paschalem, cuius sanguis signum erat angelo, ne Israëlitas occideret. Ita huius agni sanguis pignus est. ne qui sunt eo adspersi occidantur. — *Dei*; agnus typicus in lege offerebatur a populo, acceptus ex grege. Hic agnus Dei est, i. e. non acceptus ex grege, sed datus a Deo pro peccatis nostris. Atque ita vides gratiam commendari. Non vos impetravimus, ut offeretur, sed ipse se ultro obtulit etc.

Qui tollit peccata etc.

Hic prima est expressa praedicatio remissionis peccatorum, atque hic exponitur, quale fuerit futurum regnum Christi, i. e. non carnale sed spirituale iusticiae, veritatis et pacis etc. — *Mundi*; non tantum Iudaeorum, sed et Gentium. Hic est scilicet talis, cum vos multo alium expectetis, iuxta Malachiam.

———

56) *figebant* scripsi pro mendoso *fiebant*.

Post me venit.

Quae sit huius testimonii vis, ex Malachia colligi potest. Primum quod ait: Post me venit, respicit ad verba Malachiae: Ecce ego mittam angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum etc. — *Vir.* Hic dicit Ioannes quod Malachias dominatorem; item significat Ioannes, eum venturum, qui sit promissus patribus, quia dicit Malachias: Angelus testamenti, quem vos vultis. Significat et Deum esse Christum, quia Malachias ait: Ante faciem meam etc.

Ante me factus est.

Priusquam ego mitterer, ipse missus est. Et quia iam adest in carne, et adfuit priusquam ego mitterer et inciperem praedicare, et quia ipse est, qui primus omnium ordinatus est ante omnes Prophetas, et propter quem omnes Prophetae missi sunt, qui perhibent testimonium (sic enim se exponit: Quia prior me erat, i. e. maior, nam ego eius minister sum etc.): itaque ille non Propheta sed Salvator est.

Et ego nesciebam eum,

i. e. non noram eum, sed ostensus est divina revelatione. Hic Ioannes testimonio suo comprobat auctoritatem in eo, quod ait, se non novisse. Allegat divinam revelationem, qua sibi sit ostensus Christus. Non enim potest Christum novisse caro, sicut Matth. XVI.: Beatus est Simon Bar Iona, quia caro etc.

Sed ut manifestetur,

scilicet quia omnes expectatis carnale regnum et carnalem redemptionem, nemo pro Christo habiturus erat hunc: ideo ego divinitus missum sum, ut ostendam eum.

Propterea veni ego in aqua baptizans,

praedicare poenitentiam, ut credant, se accepturos remissionem peccati per eum, qui venturus est. Hinc discrimen baptismi Ioannis et Christi colliges. Ab Augustino hoc loco disputatur, quis sit fructus baptismi Ioannis et cur in Ecclesia non duraverit. Ego vero respondeo, uno signo repraesentari baptismum Ioannis et Christi, immo signum ipsum institutum est a Ioanne tanquam a praedicatore poenitentiae. Est enim signum

mortificationis, quam necesse est fieri ante remissionem peccatorum. Et cum baptizamur, et Ioannis et Christi baptismo baptizamur, i. e. mortificamur, et mortificatis remittuntur peccata. Caeterum Ioannis officium proprie est, poenitentiam praedicare, Christi proprie est, peccata remittere.

Quia vidi spiritum descendentem.

Quando haec historia gesta sit, ex aliis Evangelistis intelligi potest, nempe posteaquam a Ioanne Christus baptizatus est. Atque ibi Ioannes testificatur de Christo, cum ait: Ego a te debeo baptizari, i. e. ego te iustificante opus habeo. Respondit Christus: Sine modo, i. e. nondum est tempus glorificationis meae. Decet nos implere omnem iusticiam, i. e. oportet me subiici legi, baptizari, mortificari, ut legi satisfaciam, ut legem persolvam. Postea adscendente Christo aperti sunt coeli, et vidit Ioannes spiritum Dei descendentem.

Testimonium, quo de filio testificatur pater, est spiritus incumbens super Christum, sicut infra cap. VI. dicitur: Hunc enim pater signavit Deus. Et Esaiae LXI.: Spiritus Domini super me eo, quod unxerit me. Et Psalm. XLIV.: Unxit te, Deus tuus. Haec unctio est, quam figuravit in lege sacerdotum unctio; haec destillat a capite Christi in barbam Aaron, hoc est, in totam generationem Christi. Hic spiritus est, qui testimonium perhibet cordi nostro, quod sumus filii Dei, clamans: Abba pater. Hic vides, quantum intersit inter generationem Christi et generationem carnis.

Et ego nesciebam eum.

Multos torsit hic locus, cur Ioannes dicat, se non novisse Christum priusquam vidit descendentem columbam de coelo. Descendit autem spiritus post baptismum. Porro et ante baptismum videtur Ioannes novisse Christum, cum inquit: Ego a te debeo baptizari. Sunt qui putant, Ioannem tum demum didicisse divinitatem Christi, cum antea nosset eius humanitatem, et sciret salvatorem esse, quanquam Deum esse nesciret. Mea sic est ratio, Ioannem hoc signum allegare, quo pater testimonium Christo filio perhibuit. Ut maxime ipse ex priori revelatione Christum agnoverit, tamen non allegat Ioannes privatam revelationem; hoc signum allegat, quod Prophetae Christi signum esse praedixerunt. Esaiae LXI.: Spiritus domini super me. Ut sit haec sententia: Ego, Ioannes, non noram Christum, sed revelante Deo didici, et revelationis suae pater hoc testimonium perhibuit; ostendit spiritum descendentem super Christum, quod signum vobis allego. Nam hoc signum est, quo pater signavit filium. Hic est, qui baptizat in spiritu, i. e. facit novam creaturam, novum lumen, novum cor mortificato veteri. Primum ergo hic observandum est, Christum a carne non cognosci, ut Matth. XVI.: Beatus es Simon Bar Iona etc. Secundo, Christus signatus est et unctus Spiritu sancto, ut et nos ungamur et signemur, et destillet unctio eius in barbam Aaron. Et sicut pater testificatur de filio, misso Spiritu sancto, ita in nobis spiritum arrabonem gratiae vocat Paulus: Et vicissim testificatur nobis spiritus, quod sumus filii Dei, clamans: Abba pater.

Et ego vidi,

hoc signum, quo pater de filio testificatus est, et testimonium perhibuit, quod hic sit filius Dei. Et haec est confessio evangelica, sicut Matthaei XVI. apparet: Tu es Christus, filius Dei vivi. Porro confiteri, quod Christus sit filius Dei, est confiteri, quod sit Deus, salvator, haeres et dominus omnium. Item, sicut ipse est haeres et dominus omnium, ita credi oportet, eos, qui sunt in Christo, cohaeredes esse Christi, adeoque et ipsos esse dominos omnium, peccati, mortis, mundi, breviter portarum inferi. De hac fide loquitur Apostolus Rom. X.: Si in corde tuo credis, quod Deus eum suscitaverit a mortuis, i. e. glorificaverit, fecerit dominum omnium etc. Item, credere sicut ipse est filius, adeoque dilectus patri, ita nos, qui credimus filio, dilectos esse patri. Sic ad Rom. VIII.: Qui dedit filium suum unigenitum pro nobis, quomodo etiam non omnia cum illo donantur?

Altera die etc.

Haec sicut superiora intelligenda sunt. *Agnus Dei*, i. e. qui a Deo datus est pro peccatis nostris, et exprimit Christi humiliationem. *Qui tollit peccata*: glorificatum dicit, quia fregit inferorum portas.

Et audierunt eum duo discipuli.

Aliud testimonium et quod Ioannis praedicatio vera sit, et quod Christus maior sit Ioanne adeoque et salvator, quia discipuli Ioannis necessario concedunt ad Christum. Ioannes praedicat poenitentiam et ostendit Christum, qui remittat peccata et sanctificet: ideo a Ioannis praedicatione ad Christum concedunt. Ante praedicatam poenitentiam Christus non cognoscitur, quia iusticia et vita non cognoscitur nisi prius cognito peccato seu cognita morte. Sicut in Canticis: Esurientes implevit bonis, et divites etc. Secundo, non agunt Ioannis officium, qui iam praedicata poenitentia conscientias mittunt ad satisfactiones et ad opera.

Et secuti sunt Iesum.

Ioannis praedicatione commoti ad Christum concedunt. Sed qualem se illis exhibet Christus? Verba et facta Christi sunt promissiones gratiae, propterea etiam praeter verba facta Christi sic describit Evangelium, ut in illis cernas exhibentem gratiam. Suaviter compellat, gaudet servare, confirmat. Ad Philippenses scribit Paulus: Habitu inventum esse ut hominem, ut agnoscas velle fratrem esse, non velle se metui, velle sibi confidi: *Conversus* scl. vultu misericordiae. 2. Cor. III. discrevit Paulus vultum Moysi a vultu Christi. Vultus Moysi terruit; terruit et descensus Dei ad populum, Exodi XIX. Vultus Christi est vultus misericordiae et gratiae.

Quid quaeritis?

id est, cur me sequimini, quem me esse creditis, ut sequamini? Primum interrogat, quid quaerant: quia hoc unum requirit Christus a sequentibus, ut credant, ut norint se quis sit, et cur[57]) sequantur, iuxta illud Esaiae: Cognitio eius iustificavit multos. — *Ubi habitas?* ubi manes, in Graeco, i. e. quod est hospicium, quo divertisti? Discipuli nondum voce testificantur, sed affectum fidei confitentur in eo, quod una apud eum divertere volunt. Cum interrogant conscientiae, ubi maneat Christus, monstrari non potest, nisi solo ipsius verbo. Ideo ipse ait: Venite et videte, quasi diceret: Ipse monstro vobis.

57) *cur* dedi pro *quor*. — In Tubingensi verba: *ut norint — sequantur*, non leguntur.

Hora autem erat quasi decima.

Horae mentionem factam puto, quia novissimo tempore venit Christus.

Invenimus Messiam.

Nunc et voce confitentur. Christo satis erat affectu respondisse; hic apud alias voce testificantur.

Tu es Petrus, filius Iona.

Argumentum divinitatis est, quod praevidet, et quod nomen et quis sit pater eius. Deinde multo potius argumentum divinitatis est, quod significat futurum, ut perseveret Petrus.

Ex Nazaret potest aliquid esse boni?

Quod hic Nathanaëlem offendit, idem infra cap. VII. offendit quosdam, dicentes: Num quid a Galilaea venit Christus? Prophetiam enim norant de Bethleem. Sed Christus semper apparet carni aliis formis, alio modo quam cogitat caro.

Ecce vere Israëlita,

i. e. non secundum carnem tantum etc. — Ficus significat synagogam, Nathanaël populum ex synagoga electum, quia populus verum semen Israël est. Ideoque Christus ait: Vere Israëlita, ut discernat Israëlem secundum carnem ab electo Israël, cuius est promissio. Quod Apostolus de incremento fidei dicit Rom. V.: Probatio spem operatur, spes non confundit, et XII.: Ut probetis quae sit voluntas Dei bona, beneplacens et perfecta: idem hic vult Christus cum ait: Quia vidi te sub ficu, credis, maiora his videbis. Crescit enim fides per experientiam bonae voluntatis Dei. Sic probatio spem efficit.

Videbitis coelum apertum,

videbitis impletam visionem Iacob, de qua Genes. 28. Haec accepta sunt ex Genes. XXVIII. de scala Iacob. Christus scala est; Deus incumbit scalae, quia Christus Deus est. Ea scala a coelo in terram pertingit; nam Christus ideo adscendit in coelum, ut impleret omnia. Angeli ascendunt et descendunt, i. e. omnes credentes in Christum ascendunt et descendunt. Primum, quod Christus scala est a terra in coelum erecta, significat Christum non magis in coelo esse quam in terra, inter nos regentem et gubernantem credentes sibi. Secundo, quod in ea ascendimus et

descendimus, est ipsum esse sinum, quo ferimur, sicut Esaiae XLVI.: Qui portamini a meo utero, ego feci, ego feram et portabo et salvabo. Tertio, non ascendunt aut descendunt in scala, qui suo dictamine, suo lumine reguntur, aut qui in iusticiis carnis vivunt, aut quomodocunque secundum carnem ambulant. Quarto, ascendere primum est, quia oportet primum per fidem ad Deum ascendere. Descendere posterius est. Est autem fructus ascensus praedicatio verbi et omne opus charitatis. Coelum apertum dicitur iuxta Esaiam XXIV.: Utinam dirumperes coelum etc. Est autem, aditum nobis esse ad patrem per hunc pontificem Christum.

Caput II.

Quid mihi tecum est mulier?

Christus matrem reiicit, ut aequet aliis hominibus cum inquit: Quid mihi tecum est mulier? quasi diceret: Quia mater es, ideo videris alicuius praerogativae merito a me impetratura; ideo scias, te non pluris esse apud me quam vel mulier peccatrix est vel Syrophoenissa; tantum impetrabis, quantum credes misericordiae. Atque ita omnis praerogativa carnis damnatur, sapientia, iusticia carnis et quicquid tale est. Secundo, nondum venit hora mea, i. e. penes me est statuere, quando succurrendum sit, non penes te; non quando tu vis, sed quando gloria patris postulat succuro. Tertio, quomodo autem conveniunt, quod negat horam suam venisse, et tamen postea rem perficit? Respondeo: Hoc verbum, nondum venit hora mea, hoc non vult, quod simpliciter hic non fuerit hora faciendi miraculi, sed vult, non esse matris aut ullius hominis statuere horam, quasi diceret: Si fuerit hora mea, i. e. si voluntas patris fuerit, si gloriae patris referet, fiet. Sin autem non fuerit hora mea, i. e. si voluntas patris non fuerit, si gloriae patris non referet, non fiet. Sic non negat quidem Christus, sed affectum nostra quaerentem reprimit, et significat, voluntati patris permittendum esse quod petimus. Et quia postea faciet, significat, se non deserere quenquem, licet non mox exaudisse videatur. Quarto, proinde videndum est, quid mater faciat. Non indignatur, non desperat, sed confidit, facturum, quod petiverat. Iubet et expectare et facere quicquid imperaturus esset Christus. Est autem egregium exemplum confirmandae fidei in orando exhibitum. Primo veniendum est fiducia solius misericordiae eius nullius praerogativae merito nostro; nam ideo matrem a se reiicit, ut omnibus aequet, adeoque etiam mulieri peccatrici aut Syrophoenissae etc. Secundo, quod petivimus, committendum est eius voluntati, sicut David 2. Reg. XV., et sicut leprosus ait: Domine, si vis, potesses me mundare. Tertio, committere eius voluntati, non desperare, sed expectare, et in fide consistere quomodocunque dispositurus sit quod petis. Quarto, sicut mater expectat, et iubet audire quicquid iusserit Christus, ita nos expectemus, et sicut ait Apostolus: Instemus orationi, et commendemus fideli creatori animas nostras, 1. Petr. IV. Quinto, sicut hic obsecundat etiam cum necesse videtur, ita nos credamus, eum nobis praesto fore, quando necessitas postulaverit, etiam si dereliquisse videatur. Sic inquit Esaias cap. LVII.: Non usque ad finem irascar. Praeter allegoriam multa docet haec historia; primum, nuptias esse probatas praesentia Christi; secundo, solicitudinem Christi pro victu nostro etc. Simile exemplum habes 4. Regum IV.

Nuptiae fiebant in Cana Galilaeae.

Nuptiae, non Christi nuptiae, sed populi cum lege significant. Hic populus vino, i. e. Evangelio deficit. Legem audit, et ex operibus legis quaerit iusticiam, quae est mera hypocrisis ignorans iusticiae cordis, quae est iusticia spiritus. Israël electus, qui expectat redemptionem, rogat vinum mitti. Christus differt adventum suum, et sinit antea affligi populum quam veniat. Hydriae sex doctrinam legis repraesentant, ideo addit Evangelista: Secundum purificationem Iudaeorum. Iis infunditur aqua quae vinum fit, id est Evangelium, quod mortificationis doctrina est. Item, ministri aquam infundunt, quia ministri non sanctificant, sed Christus. Architriclinus repraesentat Apostolos et praedicatores, qui dispensant verbum. Et ii mirantur, ex aqua vinum fieri, i. e. stultitia praedicationis salvos fieri credentes. Ii discernunt Evangelium a sapientia carnis. Sapientiae carnis desyderia peribunt, iusti autem non commovebuntur. Item, populum Israël primum bono vino potavit pater, scilicet lege; sed quia carnalis populus erat, fecit ex lege imagines masculinas, traditiones et opera carnalia.

Christus autem haec omnia abolet, cum mortificat, et mortificatos suaviori vino potat.

Fratres eius; cognatos repraesentat. Per nummularios et trapezitas mutuantes pecuniam intelligit. Zelus est indignatio, quae ex amore proficiscitur, et est maximorum spirituum affectus. Sicut enim pater irascitur filio, qui sic irascitur, ut mallet tamen se non irasci oportere.

Quod signum ostendis?

scilicet, quod haec auctoritate divina a te fiant. — Solvite templum hoc, i. e. hoc corpus. Quod auctoritate divina hoc faceret Christus, ideo Ioannes citavit hunc locum.

Et crediderunt scripturae,

scilicet testificanti de morte et resurrectione Christi.

Caput III.

Erat homo ex Pharisaeis Nicodemus.

Haec disputatio Christi cum Nicodemo est conflictatio sapientiae et iusticiae carnis cum sapientia et iusticia spiritus. Variant enim ratio et Christus de modo iustificationis. Ratio se iustificari putat, si legem audiens opera eius imitetur. Talis est Nicodemus, homo pharisaeus, i. e. vir sapiens et sine crimine. Ipse per se conatur, ut legem impleat, et externa opera legis simulat, putatque se propterea coram Deo iustum esse, quia nullo externo opere violavit legem. Talis erat et ante conversionem Paulus, quam iusticiam suam scribit ad Philipp. III. pro stercore ducere [1]). Et Rom. VII.: Ego vivebam aliquando sine lege, i. e. ignarus legis: putabam me legem praestare cum nihil minus facerem. Contra Christus iustificationem dicit esse regenerationem, hoc est vere mortificare [2]) carnem et renovari spiritu. Mortificatio ipse [3]) mortis sensus est quo confunditur caro et iudicatur. Vivificatio est in morte sensus vitae, pax et gaudium cordis.

Homo ex Pharisaeis, i. e. homo sine crimine. Noctu, scilicet quia metuebat. Scimus quod a Deo etc., quia ratio tot miraculis conclusa est. Videre regnum, i. e. non potest iustificari. Quomodo potest etc., i. e. quomodo potest aboleri natura. Iustificatio non est extinctio naturae. — Renatus, scilicet vere. Ex aqua, i. e. posteaquam mortificatus est. Et Spiritu sancto, scilicet ut vivificante. Caro est, i. e. nihil nisi carnalia quaerit sentitque. — Spiritu scl. sancto. Spiritus ubi vult spirat, i. e. res supra captum naturae est, ideo ne neges, quia tu non adsequeris; spiritus est qui docet. Spiritus, i. e. ventus. Vocem, i. e. strepitum. Sic est omnis, i. e. sicut in nostra potestate non est vel moderari ventum, vel iudicare, ita in nostra potestate non est Spiritus sanctus.

Tune es etc., i. e. tune doces populum sanctam iustificationem, et ignoras, quae sit iustificatio? — Quod scimus loquimur, scl. de iustificatione, quia spiritus revelat immunditiam iusticiae carnis, et ostendit, quid intersit inter iusticiam carnis et spiritus. Non accipitis, scilicet excaecati ratione, propter insipientiam rationis. Si terrena etc., scilicet, quae intra se omnes sancti experiuntur. Coelestia, scl. quae sunt etiam supra sensum sanctorum.

Nemo ascendit in coelum.

Posteaquam docuit renasci oportere, iam ostendit, per quem renascamur, et cuius iusticia nobis imputetur ad salutem, cum inquit: Nemo ascendit in coelum, i. e. nullius iusticia coram Deo accepta est et probatur, nisi Christi. Ideo quia ipse de coelo descendit et est in coelo, ideo eius iusticia coram Deo perfecta est, quia Deus est etc., quia descendit ad [4]) sanctificandam carnem et communicandam iusticiam suam credentibus.

Et sicut Moyses exaltavit etc.

Deinde addit, quomodo suam iusticiam communicet filius, cum inquit: Sicut Moyses exaltavit serpentem etc. Historia ex Numerorum XXI. accepta est, ubi cum ignitis serpentibus immissis necaretur populus, praeceptum est a Deo, ut erigeretur aeneus serpens, quem qui aspexissent victuri essent. Quae historia pulchre repraesentat Christum et omnia quae per eum accepimus. Ignitus serpens proprie est aculeus mortis, id est peccatum, quod ita vocat Apostolus 1. Corinth. XV.: Ubi est, mors, aculeus tuus? aculeus autem mortis peccatum est; virtus peccati lex, i. e.

1) *ducere*] addidi ex Tub. 2) Secer. *mortificari.*
3) Tub. *ipsa.*

4) *ad*] addidi ex Tub.

lex ostendit peccatum, peccatum cognitum occidit. Sic Psalmo XLIX.: Ignis in conspectu eius exardescet. Quod figura serpentis erigitur, significat, erectam esse figuram peccati, i. e. Christum, qui pro nobis factus est peccatum. Hic mortuus serpens mortem peccati repraesentat. Et sicut Christus mortuus est propter mortificandum peccatum in carne nostra: ita necesse est, et nos mori propter mortificandum peccatum in nobis. Sed haec consolatio est, quod scimus, mortem iam non esse mortem, quia ipse resurrexit et peccatum extinxit. Ita credendum est, quia Christi morte peccatum mortificatum est, nobis peccatum non obfuturum etc. Hoc est, quod ait Propheta: Absorpta est mors in victoria etc. Serpens in adspectu sanabat: ita Christus adspectu, i. e. fide sanat. Sic exponit Christus adspectum cum ait: Omnis qui credit in eum, non peccat. Et Esaias: Cognitio eius iustificabit multos. Et hic vides, quod nihil tribuat operibus adversus inferos et iudicium Dei. Ibi ipsa illa bona opera erunt nobis igniti serpentes, quia immunditia bonorum operum revelabitur. Summa: Nullius iusticia est accepta Deo praeter filii iusticiam. Filius iusticiam suam communicat credentibus in se, ut et ipsi sint accepti Deo. Iusticia nostra nulla coram Deo accepta erit, immo ipsae iusticiae nostrae erunt igniti serpentes. Itaque fides est, hoc credere, quod Christus sit exaltatus, ut conspectus nos a morte liberet.

Sic enim Deus dilexit mundum.

Addit rationem, quare filium oporteat erigi, quia Deus dilexit mundum, non quia nos meruimus. Ista praesumptio amoris Dei proprie est fides, ad hanc inflammat Paulus ad Rom. V.: Commendat Deus charitatem suam; et VIII.: Si Deus pro nobis, quis contra nos? qui etiam proprio filio non pepercit.

Ut filium suum unigenitum daret.

Unigenitum vocat, ut discernat a filiis adoptivis. Misit Deus filium, i. e. dedit eum pro peccatis nostris, et datum glorificavit resurrectione a mortuis, ut adimpleret omnia. Iudicet, i. e. damnet, sicut lex.

Hoc capite planissime descripta est iustificatio. Primum enim propositum est, nativitatem carnis in totum immundam esse, non posse iustificari nisi renatos. Eam regenerationem fieri aqua, i. e. mortificatione et spiritu, qui vivificat. Deinde docet, renasci id esse quod credere in filium, quem exaltari oporteat sicut serpentem. Nam renati iam sciunt omnia sua opera peccata esse; ideo credunt, se misericordia Dei nullo suo merito iustificari. Postremo, quia dixit, oportere in Christum credi, ideo de causa, cur in mundum missus sit, latius disputat. Sic ergo dicit: Ideo qui in me credunt, salvi erunt, quia ego missus sum, ut salvem mundum, non ut iudicem.

Non ut iudicet.

Quomodo conveniunt haec cum quinto capite, ubi dicitur: Dedit omne iudicium filio; item: Potestatem dedit ei iudicium facere etc. Respondeo: Sic dicit: Misit in mundum, quare de primo adventu suo loquitur, cum non iudicat, iudicaturus postea ubi apparuerit in maiestate etc. Item: Christus non venit ut iudicet, quia venit, ut praedicet Evangelium. Lex autem, quae iudicat, iam antea condemnavit omnes.

Qui credit in eum, non iudicatur,

i. e. non modo non damnatur, sed ne iudicatur quidem, i. e. simpliciter [5]) ei fides imputatur pro iusticia, qualiacunque sint opera. Nam iudicium fit, cum conscientia de operibus suis disputat, quam conflictationem totam absorbet fides, ut quae non aliquo proprio opere fidat, sed solo Christo. Et hoc loco est cernere, quod nullus sit operum respectus sive bonorum sive malorum.

Qui vero non credit.

Sicut supra dixit, non iudicare credentes, i. e. absorberi fide omnem disputationem conscientiae de operibus: ita hic incredulitate absorberi omnes disputationes conscientiae, et simpliciter desperare conscientiam [6]).

Iam iudicatus est,

iuxta illud Deuter. XVIII.: Qui audire noluerit ego ultor existam. Ut infra: Moses est, qui accusat vos. Haec est autem condemnatio, quia lux venit in mundum coarguens omnia opera hominum, et ostendens iusticiam fidei, et dilexerunt homines magis tenebras, i. e. non egerunt poenitentiam, duraverunt in suis iusticiis, quas lucem esse putabant.

---

5) Secer. *qui simpliciter*, quod mendum est.
6) Tub. *cum conscientia*.

Erant enim eorum opera mala,

i. e. adeoque nolebant ea iudicari et confundi; nam qui male agit, odit lucem, i. e. iudicium.

Et illic morabatur et baptizabat.

Infra exposuit hunc locum Ioannes, quod Christus non baptizaverit, sed disciputi. Baptismus Christi fit Spiritu sancto et igni, quo modo nondum baptizabat Christus, quia nondum glorificatus erat, baptizavit autem Ioannes et discipuli, quia ministri sunt aqua, id est administrant signum et praedicant poenitentiam. Christus non signum sed rem administrat.

Cui tu testimonium perhibuisti, scilicet quod sit filius fidei [7]). De purificatione, id est baptismo [8]).

Orta est autem quaestio etc.

Idem est baptismus discipulorum Christi et Ioannis, quia tantum baptizabant in annunciandam remissionem peccatorum, adeoque et in poenitentiam. Cuius baptismi hodie quoque vestigium est in Ecclesia, nisi quod iam in remissionem peccatorum iam annunciatam baptizatur, et simul poenitentiam agendam esse [9]).

Non potest homo accipere etc.,

i. e. non possum mihi sumere ampliorem honorem, aliud officium, quam quod e coelo commissum est. Ante illum, scilicet de quo nunc interrogatus sum. — Vocem sponsi, i. e. Evangelium seu remissionem peccatorum. Conscientia enim non habet aliam consolationem, nisi hanc sponsi vocem, i. e. Evangelium et gratuitam remissionem peccatorum. Gaudium iam impletum est, scilicet audito iam sponso et Evangelio eius. Illum oportet crescere, i. e. in eum credi oportet, non in me. Qui e supernis venit, i. e. qui filius Dei est. Super omnes est, i. e. omnia habet in manu sicut pater. Et quod vidit, scil. existens in sinu patris. Qui accipit, i. e. illuminatus est. Ille signavit, i. e. testificatur. Quod Deus verax sit, i. e. quod vera sint quae hic praedicat qui Deus est, non enim ratio est superiorum. Huic, scil. filio. Ira Dei manet, i. e. in aeternum moritur. Mori enim est, iram Dei manere super aliquem [10]).

Qui habet sponsam, sponsus est.

Christus habet sponsam, id est, Christus communicat suam iusticiam sponsae, et sponsa sua peccata Christo, et ideo salvatur, quia in hunc credit. Non salvatur, qui in Prophetas credit.

Qui e coelis venit, super omnes est.

Generalis sententia est, significans, Christum oportere de coelo esse, quia secretum consilium patris de remissione peccatorum annunciet, ut supra: Deum nemo vidit unquam. Proinde nemo patrem noscet, nisi cui filius voluerit revelare. Qui de terra sunt, non norant patrem: novit autem is, qui de coelo venit et cui ille revelaverit.

Is obsignavit, quod Deus verax sit.

Signare vel testificari, quod Evangelium verum sit, est, habere testimonium cordis nostri, quod verum sit Evangelium. Illud autem testimonium est Spiritus sanctus, clamans: Abba pater.

Caput IV.

Brevis expositio textus.

Sychar, quondam Sychem. — Donum, scil. quod donatum est tibi novisse et audisse me. — Da mihi bibere; quia extenuatus est Christus et sitit, ut nos glorificet et potet. Aquam vivam, i. e. vivum verbum, de quo Esaiae XII.: Haurietis aquas de fontibus salvatoris. Et Ezech. XLVII.: Vivent omnia, ad quae venerit cor eius. — Aquam illam, i. e. meliorem aquam. — Num tu maior, scilicet ut possis meliorem aquam largiri. — Omnis qui bibit, i. e. omnis qui quomodocunque humana et carnali doctrina aut modo consoletur se. Sitiet iterum, non sitiet, iuxta illud: Iustificati ex fide pacem habemus.

Sed aqua quam ego dabo etc., quia ea aqua est vita aeterna; est enim verbum; verbum autem vita est, Ioannis primo. — Patres nostri, scil. Samaritani. Venit hora, scil. praedicato

7) *fidei*] Videtur scribendum *dei*.

8) Verba: *Cui tu — baptismo*, in Tub. non leguntur.

9) *Orta est autem — — agendam esse*] desiderantur in edit. Tub.

10) Verba: *Ante illum, scilicet de quo — — super aliquem*, Tub. non habet.

Evangelio, quod praedicat iusticiam spiritus. Neque in monte, i. e. nulla observatione externa. — Pater tales quaerit, i. e. veros adoratores, scilicet quia lex spiritualis est, itaque voluntas legis non est simulare fidem vel metum Dei, sed vere credere et timere. — Ego sum, i. e. ego sum Messias, qui annunciem iusticiam et regnum Dei. — Num hic etc., i.e. nonne hic est Christus. — Numquis attulit etc., quia non intelligebant oportere Christum pati. — Ut faciam etc., i. e. ut moriar pro mundo. — Quatuor menses sunt etc., scilicet a vere. — Albae sunt: — quia videtis, incipere gentes Evangelio credere. — Ut et qui seminat etc., i. e. ut simul gaudeat seminator et messor. — Alii laboraverunt, scil. Prophetae et patres. — Testimonium perhibentis, scil. miraculo, quod auctoritatem verbo facit. — Cum venissent ergo ad illum Samaritani, scilicet cum Iudaei eum passim reiicerent. — Propter sermonem eius, scil. certificationem in cordibus suis. — Et scimus, i. e. corda nostra certificata sunt, et credunt, nos salvari per Christum. — In Galilaeam, scil. a Nazareth. Cum omnia vidissent, scil. provocati ad fidem miraculis. Ut descenderet, scil. a Chana in urbem Capharnaum. Nisi signa etc., i. e. iubes ut descendam cum tamen verbo curem; itaque cogor incredulitate vestra signa facere [1]).

Da mihi quod bibam.

Summa historiae huius ad vocationem gentium pertinet, de qua alias dicit Christus Matth. VIII.: Multi ab oriente et occidente venient etc. Porro ubicunque de vocatione gentium agitur, semper hoc spectandum est, ut erigamus conscientias. Quod cum gentes populum sine Deo vocat, et salvat sine ullis operibus, merissima misericordia: constanter et nos credamus, quanquam peccatores et populum sine Deo, misericordiam consecuturos. Hoc est quod Oseae primo dicitur: Erit locus, ubi dicetur eis, non populus meus etc.

Iesus autem fatigatus.

Deinde singulae partes historiae consyderandae sunt. Primum quia de vocatione gentium agitur, ideo describitur Christus quam potuit maxime imbecillis; primum fugiens, deinde fatigatus, tertio esuriens et sitiens, ut ea imagine consoletur imbecillitatem populi sine operibus, ut agnoscamus, talem nos habere pontificem, qui compati posset infirmitati nostrae, tentatum per omnia.

Non enim coniunguntur Iudaei Samaritanis.

Iudaeis praeceptum fuit Deut. VII., ne foedera inirent vel connubia coniungerent cum gentibus in terra sua. Eam legem Iudaei ad Samaritanos quoque retulerunt. Sed quod nec edere nec bibere cum illis licuerit, humana traditio fuisse videtur, quam Christus hic violat. Propterea consyderandae sunt circumstantiae. Non enim violat Christus legem vel traditiones, nisi cogat vel necessitas vel charitas, ut Matth. XII., cum Apostoli spicas vellerent, et Matth. VIII., cum tangitur leprosus. Proinde in servandis vel violandis hominum traditionibus habenda est ratio charitatis. Sunt enim qui violando non modo, sed et fidem in proximis laedunt, et faciunt, ut blasphemetur bonum nostrum, Rom. VIII. Hi sunt, qui in castra israëlitica cacant, et infamant Evangelium. Nam cum externae ordinationes mediae sint creaturae Dei bonae, et opera rationis sicut sutoria et similes: sic sunt tamen accipiendae, ut in iis neque iusticia neque iniusticia ponatur, non etiam contumelia afficiendae. Papa contumelia afficit creaturam, cum vetat edi. Tu contumeliam facis creaturae, scilicet ordinatione civili et externa, cum violas ex mero contemptu, qui est mera impietas.

Si scires donum Dei et quis sit.

Summa iustificationis est cognitio Christi, iuxta illud Esaiae LXIII.: Scientia eius iustificabit multos. Nec aliud est Evangelium, quam sermo de Christo, e quo cognosci Christus possit, Rom. I. et X. Propterea hic Christus primum proponit: Si scires donum Dei. Est autem cognitio Christi fides, qua creditur Christum esse salvatorem. De hac cognitione supra dictum est: Mundus eum non cognovit.

Domine, neque quo haurias habes.

Ratio cum audit Evangelium, et per Christum promitti iusticiam et vitam, quid aliud cogitat, quam quod Paulus ait: Evangelium stultitiam esse gentibus? Ratio vidit Christum crucifigi et mori, quare non potest credere eum esse salvatorem. Sic item cum affligitur caro, nihil minus

1) Totum initium huius capitis a verbis *Sychar quondam Sychem* usque ad verba *signa facere*, non legitur in edit. Tub., neque videntur haec brevia Scholia Melanthonem habuisse auctorem.

credit quam crucem esse salutarem, atque ita iudicat secundum carnem et desperat etc. Ita videmus hic mulierculam ridicule respondere Christo, siquidem vas non habeat, non hausturum aquam; quasi diceret: Quomodo mihi dabis salutem, quam ipse non habes?

Nunquid tu maior es patre etc.

Primum simpliciter reiecit tanquam ridiculum, quod Christus dixerat. Nunc etiam argumento pugnat, quasi diceret: Quid opus est alia doctrina, cum habeamus Mosen? Et nunc: Quid opus est alia doctrina, cum habeamus sanctos patres?

Vade, voca virum tuum.

Hactenus docuit Christus Evangelium, nunc probat miraculo. Sunt enim signa testimonia verbi, Marci ultimo. Meminit autem potissimum viri, quia Evangelium est praedicatio poenitentiae. Ideo peccatum mulieri ostenditur. Nunc autem quid sit mysterii in hoc, quod virum iubet accersere etc., alii viderint.

Quinque enim viros habuisti.

Coniungit miraculum cum praedicatione poenitentiae.

Patres nostri in monte hoc etc.

Audito miraculo, cum iam credere incipit, statim interrogatur de cultu Dei et de iusticia. Et cum Iudaei soli videantur esse populus Dei, quaeritur, an etiam ad Samaritanos pertineat Evangelium. Haec enim prima est quaestio gentium et omnium peccatorum, utrum sine lege, sine operibus salvemur. Hic ignorantes Evangelii, quia non credunt, se sine operibus salutem consecuturos vivant in perpetua quadam desperatione.

Video quod Propheta es tu,

ideo doce me verbum de iusticia.

Mulier crede mihi etc.

Posteaquam mulieris conscientia confusa est, quod initium est poenitentiae, mox de iusticia interrogat, scilicet, utrum solam legis iusticiam probet Deus, an et aliam quandam, quando patres etiam sine lege placuerunt Deo? Sic solent omnes confusae conscientiae quaerere, anne etiam aliam iusticiam quandam probet Deus praeter iusticiam legis, quod hanc amiserimus. Maledictus enim, qui non permanet in omnibus etc. Et haec quaestio est, quam proponit, cum interrogat, ubi oporteat adorari, i. e. sitne illa legis iusticia, quae Hierosolymis praedicatur, sola Deo accepta, anne praeter hanc etiam alia quaedam etc. Respondet Christus: Mulier, crede mihi, i. e. hoc habe pro iusticia quod ego praedico; non est iusticia Dei iusticia legis.

Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus etc.

Sic primum consolatur mulierem, et indicat [2]), iusticiam et orationem Hierosolymorum, hoc est iusticiam legis, non esse eam, quae coram Deo iustificet. Postea incipit distinguere Iudaeos a gentibus. Nam cum iusticiam legis reiicit, quaeri potest, nihilne praestent Iudaei gentibus? Sic Paulus quaerit Rom. III.: Quid igitur amplius Iudaeo est? Respondit Christus: Vos adoratis quod nescitis, i. e. vos de Deo nec signum nec verbum habetis; nos adoramus quod scimus, i. e. nos de Deo et signum et verbum habemus. Salus ex Iudaeis est, id est, ad Iudaeos factae sunt promissiones de Christo, ut Rom. III. dicitur: Credita sunt illis vaticinia Dei etc. Est itaque discrimen gentium et Iudaeorum. Ad Iudaeos factae sunt promissiones de Christo, ad gentes non sunt factae. Iudaei testimonium, verbum Dei, habent, gentes non habent. Sed ad iusticiam Dei neutris aliqua praerogativa est, ut et Paulus ait Rom. III.: Quid ergo praecellimus eos? nequaquam; causati enim sumus iam ante et Iudaeos et Graecos, omnes sub peccato esse, id est, neminem neque bona opera salvant; neque mala damnant. Sed salvat fides, damnat incredulitas. Atque hae sunt divinae gloriae et gratiae Dei etc. Quarto, si nulla est iusticia legis, quae ergo est iusticia Dei? Respondet Christus: Venit hora, id est, cum praedicabitur Evangelium, et nunc est, quia iam praedicatur Evangelium, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate spiritus, i. e. non per vires carnis. Veritate, i. e. non hypocrisi cuiusmodi sunt omnia bona proposita et bona opera, quae naturae viribus fiunt, quae omnia sunt mera mendacia. Spiritus autem renovans cor, novum lumen, novam vitam, i. e. cor cognitione Dei, fide, et metu Dei et odio carnis et universae concupiscentiae carnalis, accen-

2) *indicat*] Tub. *subinfert.*

dit: haec spiritu fiunt, carne fieri non possunt. Ideo dicit: Veri adoratores adorabant in spiritu etc. [Et quia] [3]) haec novi [4]) cordis vita est, non mortua litera, non frigidae inventiones humanae, sed vera sunt.

Spiritus est Deus.

Nam animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus, i. e. spiritum non cognoscit nisi spiritus.

Scio quod Messias venit.

Quod muliercula dicit, se scire Christum venturum, eo pertinet, quod et gentibus promissus est Christus, quanquam ad solos Iudaeos factae sunt promissiones.

Venerunt discipuli et mirabantur.

Quod discipuli mirabantur cum muliere colloquentem, figurat id, quod et Iudaei mirabantur, gentes assumi. Et quod non reprehendunt discipuli colloquentem cum muliere, significat, Iudaeos coactos scriptura et signis Dei, ut praedicarent Evangelium gentibus.

Interea rogabant eum discipuli etc.]

Quia iam Samaritanae mulierculae praedicaverat Christus, et discipuli mirabantur, quod et gentibus praedicaret, hic docet, instare tempus praedicandi Evangelium toti mundo: sed posteaquam ipse passus sit, ideo de passione sua primum loquitur. Ego cibum manducare habeo, quem vos nescitis. Et deinde: Cibus meus est, ut faciam voluntatem eius, qui misit me, ut perficiam opus eius. Quod ego sic accipio, ut Luc. XII. dicitur: Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor usque dum perficiatur? Secundo subiicit, instare tempus praedicandi Evangelii in toto mundo, quod seges iam albescat et maturaverit, i. e. tempus praefinitum in scripturis instet, cum iam etiam gentes inciperent credere. Sicut alias dicit: A diebus Ioannis usque nunc regnum coelorum vim patitur.

Et qui venit.

De officio et mercede Apostolorum loquitur. Apostolos messores tantum esse, cibum manducare gratiae, quia non intelligebant, Christum oportere pati.

Ut faciam voluntatem.

De passione hoc potissimum observabis, quod sicut Christi passio voluntas et opus patris est, ita omnium, qui sunt Christi, passio voluntas et opus patris est. Sic Paulus dicit, se implere id, quod deerat afflictionibus Christi. Ergo sicut Christus per crucem glorificatus est, ita glorificabuntur et ii, qui in Christo sunt. — Adhuc quatuor menses sunt a vere, i. e. procul abest messis corporalis, sed messis spiritualis prope est, hoc est, iam illud ipsum tempus praedicandi Evangelii est, quia a diebus Ioannis regnum coelorum vim patitur. — Regiones, i. e. populos. Oculos, scil. spirituales levare iubet.

Ego misi vos metere, quod nos non etc.

Distinguit Apostolos a Prophetis, cum Prophetas seminatores vocat et Apostolos messores, quia per Prophetas primum verbum est acceptum, Apostoli tantum exequuntur. Atque ita novum testamentum discernit a veteri, quod novum sit executio promissionum factarum in veteri testamento. Quod autem laboraverunt, hoc est quod ad Hebr. XI. dicitur: Hi omnes testimonio fidei probati, non acceperunt repromissionem, id est promissionum novi testamenti executio dilata est. Veteri testamento non fuit publica remissio peccatorum. Non enim annunciabatur pax, quae novo testamento annunciatur: ideo illi laboraverant. Novo testamento iam annunciata pax est, et finis laborum, ut XXXI. Hieremiae dicitur: Erit anima eorum quasi hortus irriguus, et ultra non esurient etc. Nos tantum demetimus, quod alii seminaverunt. Item ipsi promissiones ante exhibitum Christum conservaverunt, per multas afflictiones mortui sunt propter promissiones, cum nondum vidissent Christum glorificatum. Nos iam videmus exhibitum et glorificatum Christum, ut nihil dubitemus, quin sicut ipse resuscitatus est a mortuis et glorificatus, ita et nos resuscitemur et glorificemur.

Cum venisset ergo etc.

In iustificatione necesse est primum praedicari verbum, iuxta illud Rom. X.: Fides ex auditu est. Miracula sunt illius verbi testes, hoc est quod muliercula hoc loco civibus suis praedi-

3) *Et quia* non leguntur in Tub., et recte, ut videtur.
4) Tub. *nova*.

cat, et quod subiicit, multos credidisse propter hoc verbum mulierculae: Quia dixit mihi omnia quae feci.

Id non propter tuam loquelam credimus.

Necessarium est quod additur: Iam non propter tuam loquelam, i. e. miraculum, quod tecum factum est: quia miracula, quae extra nos fiunt, nondum certificant corda de voluntate Dei erga nos, sicut supra vidimus in Nicodemo. Quae autem fiunt nobiscum et in cordibus nostris, illa certificant corda; qualia sunt, de quibus Psal. XXX.: Quam magna multitudo dulcedinis tuae, domine, et LV.: In quacunque die invocavero te, scio quia Deus meus es. Haec autem fiunt quando per crucem docet nos se cognoscere et credere: quomodo et Rom. V. dicitur: Tribulatio patientiam, patientia probationem, id est, cognitionem divinae voluntatis erga nos, probatio spem. Non possunt enim sperare aut fide consistere quorum corda de voluntate Dei erga se incerta sunt. Idem docet Rom. XII.: Renovamini novitate sensus vestri, ut probetis, id est, agnoscetis, quae sit voluntas Dei bona etc. Ita hi credunt non tam propter alienum miraculum, sed quia ipsi viderunt et audierunt. Non est christiana vita, ubi cor tali certa cognitione Dei et fide vacuum est.

Ipse enim Iesus testatus est.

Hic Ioannes abrumpit historiam. Significat enim, Iesum rediisse in Nazareth, atque ibi pauculos dies versatum esse, atque inde rursum abiisse in vicinas urbes Galilaeae, ideo autem patriam deseruisse, quod ibi non audiretur. Porro haec historia descripta est Lucae IV. Recensuit autem et hoc loco Ioannes de vocatione gentium. Patria Iudaeos significat, ut plane nihil aliud hic dicat, quam quod supra: Sui eum non receperunt. Et cum Iudaeos dico, intelligo omnes eos, qui non fide, sed [5]) suis meritis volunt salvari. Nam ideo reiicitur populus legis, ut certo sciant conscientiae nostrae, venisse Christum, ut salvos faceret poenitentes.

Et erat quidam regulus etc.

Fides reguli est, quod orat Christum, ut medeatur filio; incredulitas reguli haec est,' quod iubet descendere Christum, i. e. non putat, verbo curare posse. Item, quod iubet descendere priusquam moriatur filius. Non enim credit regulus etiam mortis dominum esse Christum. Taxat itaque incredulitatem eius Christus cum ait: Nisi signa et prodigia etc. Quomodo Matth. XII. et XVI. inquit: Generatio prava et adultera signum quaerit. Quid est autem signum quaerere? Est velle certificari alio modo quam per verbum. Sunt autem huiusmodi conscientiae, quae cum audiunt praedicari remissionem peccatorum, credituras se quidem cogitant, si aliquo signo sensibili certi redderentur, et a Deo signum quaerant, quia verbo non credunt. Misit autem Deus verbum suum, et sanavit eos. Item: Qui vos audit, me audit. Quod ideo dicit, ut certae sint conscientiae, id esse verbum Dei, quod per Apostolos scriptum et praedicatum est. Item 1. Corinth. I. ait Paulus: Iudaei signum quaerunt, i. e. Iudaei, quia non vincuntur signo sensibili, quod fides Evangelii iustificet [6]), credere nolunt, et tamen per opera iustificari se putant, cuius opinionis neque signum neque verbum Dei habent, sed ita per caecitatem carnis sentiunt sine verbo divino et signo. Et quod alias Christus addit: Non dabitur huic generationi aliud signum, nisi signum Ionae Prophetae; i. e. inter omnia signa quae fiunt nullum est efficax ad salutem nisi Ionae signum, i. e. mors et resurrectio Christi, quae mortem carnis et vitam spiritus in credentibus operatur.

Et credidit sermoni huic.

Posteaquam reprehensa est incredulitas, exhibetur exemplum potentiae fidei, cum regulus abiens credit, quo fit, ut filius revalescat.

Sciscitatus est ergo horam.

Postremo quod interrogat de hora, primum pertinet ad fidei declarationem, deinde ad provocandam universam familiam ad fidem. Nam ipse quidem credebat, propter Christi verbum futurum, ut non moriretur filius. Ioannes enim testatur, eum credidisse. Sed quando et quomodo revalesceret filius nesciebat, contentus dixisse Christum: Filius tuus vivit. In quo docet, quae sit fidei natura, nempe fiduciam de Deo concipere, quod servaturus nos sit: quomodo, quando aut per quas afflictiones, nihil ad nos pertinet. Crede,

5) *Sed* addidi ex Tub.

6) Tub. *sanctificet*.

et salvus eris, etiam si omnes creaturae omnia mala obniterentur. Sic Abraham egreditur terram promissam, nesciens quorsum sit eundum. Sic expectat posteritatem promissam, quanquam filius iuberetur occidi. Sic Moses educit filios Israël, quanquam nesciat, quomodo sit Deus eos adversus vim regis Pharaonis defensurus, quando staret ad mare rubrum, nesciens quomodo evasuri essent, iubet tamen consistere, visuros magnalia Dei etc.

Caput V.

Summa huius capitis est: Christus reddit rationem violati sabbati, facit autem idem supra in aliis Evangelistis, sed multo aliter. Supra exemplum David causatur, qui legem de panibus propositionis in necessitate violavit. Causatur et exemplum sacerdotum, quod sabbato violent legem, id quod et lex cogat [1]). Unde intelligas, ne servando quidem legem servari. Hic causatur autoritatem patrem, docetque, simul operari patrem et se; quare qui suum opus iudicat, iudicare et patris opus. Iam sicut legis autoritas a Deo est, ita et divina autoritate violari. Breviter, quod in aliis Evangelistis inquit: Dominus est filius hominis etiam sabbati, id hoc loco exponitur, quare [2]) et quomodo sit dominus sabbati. Estque ex hoc loco petenda ratio libertatis christianae.

Quinque porticus habens.

Quinque porticus legem significant, quae cum non iustificet, immo iram tantum operetur, tenet languentes. Piscina Evangelium, adeoque baptismum. Aqua turbida, quod Evangelium sit sermo crucis. Baiuli aegrorum sunt doctores. Quod soli primi sanabantur, mihi videtur ad electionem pertinere. Christus verbo id efficiens, quod solebat aqua, declarat, verbum suum id esse quod significat aqua. Unde et quae sit libertas vides ex hoc textu. Primum in eo est libertas, quod sanamur aegri, hoc est, quod gratis peccata dimittuntur, quia Christus, factus maledictum pro nobis, sustulit maledictum. Secundo, qui sanati sunt, spiritu aguntur, ut iam agnoscant Deum, credant Deo, timeant Deum, quod antea facere non potuerunt. Tertio, externa opera pro spiritus arbitrio facit, mortificat carnem, servit proximo, et libere, i. e. hilari conscientia, quod his operibus [3]) scit non primum emerendam esse iusticiam, sed iam donatam esse [4]). Ceremoniis item et humanis ordinationibus utitur ita, ut postulat charitas. In omnibus autem quae facit, habet facti sui rationem, quam hic causatur, cum inquit: Qui sanavit me, iussit, ut auferam grabbatum, id est, ex fide facit quicquid facit, servatque regulam Pauli Rom. XIV.: Omne, quod non est ex fide, peccatum est.

Nesciebat quis esset,

id est, verbum, quod audierat et conceperat corde, non norat autem Christum secundum carnem, nec hoc vult Christus.

Ecce sanus factus es, ne pecces.

Duo sunt in omni afflictione consyderanda, iudicium et misericordia. Iudicium est, quod propter peccata nostra punimur: ideo dicit Christus: Noli peccare ne quid tibi deterius accidat. Sic tota lex et Prophetae docent. Sed praeter haec scire oportet misericordiam, i. e. quod puniens non in hoc punit, ut perdat, sed ut convertat, modo ei credamus. 1. Cor. XI.: Dum iudicamur a Deo corripimur, ne cum mundo damnemur. Et Nahum: Bonus dominus et confortans in tribulationibus. David XXIX.: Invoca me in die tribulationis. Ita confirmata conscientia credat, salutarem esse crucem, quae fides pacem in cordibus afflictorum efficit.

Pater meus usque modo operatur,

nihil aliud est, quam patrem operari, et omnia operari in omnibus iuxta consilium voluntatis suae. Ut Paulus Ephes. I. dicit, et Rom. XI.: Ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia: qua sententia, si quis eam ratione metiatur, nihil erit absurdius. Contra fideli non alia est praesentior consolatio quam si sciat, se in manu Dei esse, vitam, victum mortem, omnia sua regi et disponi praesenti patre. Qui non credunt, illi cum egrediendum est per mortem extra omnes creaturas, non sentiunt, se in sinum [5]) Dei irrepere, atque

1) Tub. *rogat.* 2) Secer. *quor*, Tub. *cur.*

3) Secer. mendose *opibus.*

4) Tub. *Quod iis operibus non sit iusticia primum emerenda sed iam donata.*

5) Secer. mendose *sinu.*

ita desperant. Porro haec sententia et inferior Christi divinitatem probant. Nam si pater non operatur sine filio, et, ut postea dicit, filius similiter [6]), i. e. pari potentia cum patre operatur, necesse est, filium Deum esse, siquidem pari potentia cum patre operatur. Quid igitur si pater et filius omnia communiter faciunt? cur filius iudicat et pater non iudicat? Huic quaestioni respondet Christus infra, cum dicit: Dedit potestatem iudicium facere, quia filius hominis est, i. e. idem est iudicium patris et filii in abscondito. Deus enim in abscondito iudicat, sed executio iudicii manifesta filii est, palam in carne apparentis. Et ex his intelligas, quae sit gloria Christi. Nam cum iudicium solius Dei sit, iudicet autem Christus, necesse est, Deum esse Christum. Ideo hic Christus subiicit: Ut omnes honorificent filium sicut honorificant patrem; id est, sicut confitentur, patrem Deum esse, ita confiteantur, et filium Deum esse. Nam si gloriam suam Deus alteri non dedit, necesse est, Deum esse Christum, qui sic filium ut patrem honorificandum esse dicit.

Qui verbum meum audit, et credit ei.

Quid autem honorificare sit, ipse exponit, cum ait: Qui verbum meum audit et credit ei, i. e. credere honos est, qui mihi exhibetur. Et deinde: Sicut hic honos mihi exhibetur, ita idem honos patri exhibeatur, ut credatur, quod, sicut mea voluntas est et in hoc veni, ut salvem, ita patris voluntatem esse, velle salvare. Item quod dicit: Qui non honorificat filium, ille nec patrem honorificat, id est quod alias dicit: Ego sum via, i. e. pater cognosci nisi per Christum non potest. At per Christum cognoscere, est in verbo crucis. Cognoscere, hoc est, ut tum, cum morimur cum Christo, sciamus voluntatem patris esse, resuscitare nos cum Christo.

Et haec quidem de prima parte, quae reddit rationem violati sabbati, quia idem facit pater. Porro sabbatum violari, est legem tolli. Tolli autem legem est adimi honorem patri. Christus ergo cum tollit legem, docet, lege non honorificari patrem. Quomodo igitur honorificatur pater? Si credas in filium. Hic honos est, quo se pater honorificari vult, non lege.

---

6) Secer. *simpliciter* pro *similiter*, ex mendo.

Sed ego testimonium perhibeo etc.

Paullo ante in reddenda ratione violati sabbati patris autoritatem causatus est, quo loco eo tendit, non esse iusticiam observationem sabbati carnalem, i. e. eam, quae non est ex fide, sed credere. Sic enim ait: Qui verbum meum audit, habet vitam aeternam. Et haec quidem hactenus. Nunc probat, se a patre missum esse, primum miraculis, secundo testimonio Ioannis, tertio scripturis. Pugnare videtur haec sententia cum ea, quae est cap. VIII.: Et si ego testimonium prohibeo de me ipso, verum est testimonium meum. Respondeo: Sicut alias (ut in hoc capite cum dicit: Non quaero voluntatem meam) ita hic quoque docet, se nolle secundum carnem nosci, id quod et infra: Caro non prodest quicquam; spiritus est qui vivificat. Volunt autem secundum carnem nosse, qui signa petunt comprehensibilia carni, sicut Iudaei probant Matth. XVI. Sic petunt omnes, qui non contenti verbo, quod ipse Christus est, carnem Christi requirunt. Et haec est omnium incredulitas, scire velle, credere non velle: quales sunt qui offenduntur praedestinatione. Postremo Christum secundum carnem norunt, qui doctrinam, opus, ceremonias et quicquid est Christi, carnaliter imitantur. Sed ii non sunt digni, ut hic recenseantur. Proinde, cum negat, se esse qui testimonium de se ipso perhibeat, negat, suam carnem esse unde verbum proficiscatur: sicut ante dixit, se non suam, sed voluntatem patris quaerere. Et infra cap. VIII.: Doctrina mea non est mea. Propterea in VIII. cap. apponit: Vos secundum carnem iudicatis, i. e. vos, qui nihil nisi hominem videtis, putatis, testimonium, quod ipse mihi perhibeo, humanum esse, ac non potius divinum. Et hic cum dicit: Et scio quod verum est testimonium eius, se Deum esse significat, quod de se ipso testificetur.

Ego autem habeo testimonium maius.

Secundum testimonium de Christo Ioannis testimonium est, quod cum priore comparat, scilicet cum miraculis, inquiens, Ioannem quidem vere testificatum esse, sed maius esse testimonium, quod pater perhibet. Ioannes enim nullum signum faciebat. Addit autem, ideo se multiplex testimonium allegare, ut credant.

Neque vocem eius unquam audistis.

Confutatio est, quia Christus diluit argumentum, quo legis autoritatem confirmabant Iudaei, quod lex divina voce, de monte Sina, Deo apparente visibili specie, lata sit, Exod. XIX. Hic Christus non negat, legem latam esse divina voce, sed negat, audisse Iudaeos aut vidisse Deum, ut inde colligatur, cur non credant Iudaei. Colligit autem in hunc modum: Vos Deum nec audistis nec vidistis, ergo mihi non creditis. Quaeras igitur, cur negat Christus, eos audisse Deum, cum certe audierint vocem Dei e monte Syna? Respondeo: Quia externa corporali specie non Deus, sed illa species, quae creatura est, cernitur, ideo Deum non viderunt. Ita qui vocem externam et corporalem tantum audiunt, creaturam audiunt. Et cum Deus spiritus sit, 2. Corinth. III., neque cernitur, neque cognoscitur, neque auditur, nisi spiritu. Nam caro velamen illud est, quo Moysi facies tecta est, quod aufertur, cum convertimur ad Deum. Atque haec quidem ipsa historia docet, cum Israël vult, ut Moyses loquatur, et negat, se ferre posse vocem Dei, Moyses autem ingrediebatur in nubem et vocem et conspectum Dei ferens; proinde audire vocem Dei, cernere Deum, est agnoscere et audire spiritu, i. e. percipere vocem in corde, et vivificari per eum. In hanc sententiam hic dicitur, Iudaeos nec audisse vocem, nec speciem vidisse Dei non percepisse, quo solo cognoscitur Deus et percipitur vox eius. Vidisse autem vel audisse corporaliter non iustificat, quia iustificatio est regenerari spiritu Dei. Itaque in hac sententia nihil aliud dicitur, quam quod in Corinth. litera occidit, spiritus autem vivificat. Est enim litera vox corporalis, species corporalis, et quicquid non est vivus spiritus in nobis. Spiritus autem potentia Dei est.

Scrutamini scripturas,

nam scripturae coarguunt vos, quod non possitis eas praestare, et quia coarguunt, ideo me ostendunt, qui iustificem omnes credentes. Lex enim paedagogus est in Christum etc.

Nolite putare etc.

Sicut supra dixit: Non misit Deus filium suum in mundum, ut iudicet mundum, id est, verbum, quod a Christo nunciatur, remissio peccatorum est, non accusatio. Lex est, quae accusat et contemnat omnes; Christus est, qui iudicio legis eripit credentes.

In quo vos speratis.

Id est, illa ipsa lex, qua carnaliter confiditis et per cuius opera speratis vos salvos fore, condemnabit vos, quia ea ipsa opera, quae nunc pro bonis habetis, et facitis, damnabit lex: quia, ut ait Nahum: Dominus patiens et magnus fortitudine mundans, non faciet innocentem [7]).

Si enim crederetis Moysi, crederetis etc.

Sed vide [8]) in hoc loco pugnantia: In quo vos speratis, et deinde: Si crederetis Moysi etc. Hic Christus destinguit fictam fidem a vera. Ficta fides carnalis opinio est, inconstans et incerta de Deo, indicans de verbo Dei secundum carnem. Sic Iudaei credunt Moysi carnaliter, audientes Moysen, carnaliter faciunt legem. Sic omnes impii de Deo carnaliter sentiunt, imaginantes sibi Deum iuxta carnale iudicium. Alii aliter, vel quod non sit tam iniquus exactor, ut a nobis impossibilia postulet, vel quod non sit tam saevus, ut hominem damnet. Alii contra, non tam misericordem, ut peccatorum misereatur. Haec [9]) vero idololatria est, Deo formam affingere non secundum verbum eius, sed secundum carnale iudicium. De his Hier. LI. dicitur: Stultus factus est omnis homo, a scientia confusus est omnis conflator in sculptili, quia mendax est conflatio eius. Hinc securitas carnalis est, hinc desperatio etc. Fides autem vera est sententia de Deo certa et constans, concipiens Deum iuxta suum verbum, damnantem omnia nostra, miserentem non propter opera nostra, sed propter misericordiam suam propter Christum. Haec fides coniuncta est cum timore Dei, et parit securitatem non carnalem illam, sed gaudium cordis durans in afflictionibus, penetratque [10]) haec fides afflictiones, et ultra eas prospicit Deum liberaturum et erepturum etc. Sic non credebant Moysi, id est verbo Dei per Moysen promulgato, sed Iudaei credebant pro sua carnali opinione sicut eis videbatur. Omnia quae docuit Christus, de eo scripsit Moses. Quare, si Iudaei intellexissent

---

7) Verba: *In quo vos speratis* etc. non habentur in Tub
8) Secer. *fide*, ex mendo. 9) Secer. *Hic.*
10) *penetratque*] Tub. *praesentibus atque.*

Mosen spiritu, hoc est damnari lege omnia nostra, neminem iustificari suis operibus, (ut Moses Exodi XXXIV.: Innocens etc., et Deut. IX.: Non propter iusticias tuas etc., testatur et Christum venturum esse, qui salvet, non quidem operum respectu, quod per eum etiam gentes benedicendae sint etc.): haec spiritu intellixissent, certe credidissent Christo. Nunc quia carnaliter intelligebant Mosen, scilicet se iustos esse coram Deo, si facerent opera legis, et Christum carnaliter regnaturum putabant, volunt suo sensu credere, sensum Dei damnant et Christum.

De me enim ille scripsit.

Non solum eo pertinet, quod Moses de Christo testificatus sit (Genes. III. et XII.: In semine tuo benedicentur omnes gentes; et XLIX.: Adorabunt te filii patris tui; deinde: Ipse est expectatio gentium, et Deuter. XVIII.: Prophetam incitabo etc.): sed etiam, quia ideo tantum lata est lex, ut peccatum cognosceretur, et sciremus, operibus nos iustificari non posse, et habere opus gratia, ut Paulus inquit: Finis legis Christus est; item: Lex paedagogus noster est in Christum.

Si autem illius literis etc., scilicet quibus vultis videri credere. — Quomodo meis verbis etc., scilicet de quibus testificantur literae Mosi [11]).

Caput VI.

Qui sit huius historiae usus, satis apparet ex aliis Evangelistis, nimirum ut confirmet eos, qui de victu solliciti sunt. Sic Matth. XVI. Christus solicitos de panibus huius facti commonefacit: Quid cogitatis inter vos modicae fidei? Porro huic tentationi multis historiis et promissionibus medetur. Deut. VIII.: Dedi tibi cibum manna, ut ostenderem tibi non in pane solo etc. Et Matth. VI.: Nolite soliciti esse dicentes: quid manducabimus? Et Prov. XI.: Benedictio domini divites facit. Et Psalm. CIII.: Dante te illis colligent etc. Docet autem et ut qui habent sciant, donum Dei esse, et agant gratias Deo pro dono. Nam manducare cum gratiarum actione, est, sentire Dei donum esse quod edimus etc. Et qui non habent, confidant se de manna Dei accepturos.

Abundant quidem qui credunt, iuxta illud Matth. X.: Accipient centuplum nunc in tempore hoc. Sed multo magis abundant spirituali alimonia illi, in quibus verbum crevit, quod principio tenue et modicum carni videbatur, postea sequitur incomprehensibile esse. Et huc allegoria proprie pertinet iuxta illud: Omni habenti dabitur.

Hoc enim dicebat tentans eum.

Sic enim tentantur sancti, ut ipsi sibi innotescant, et innotescat eis Deus. Rom. V.: Tribulatio patientiam, patientia probationem etc. Denarius facit duos grossos et dimidiatum. Sic enim respondet Philippus secundum tamen, sentiens, eos non aliter posse pasci, immo nec minoris posse pasci.

Ego sum, nolite timere.

Unica consolatio est in omni afflictione confidere, quod bona voluntate Dei tententur. Propterea argumento consolationis inquit: Ego sum, i. e. ego, qui vester sum, qui vos salvo, qui perire non sino credentes.

Amen, amen dico vobis, quaeritis me etc.

Quia caro nihil nisi carnalia sapit aut quaerit, etiam in Christo nihil nisi carnem videt [1]) et spectat. Cum Christus etiam suam carnem crucifigi et mori velit, ut sciamus, vitam, sapientiam, iusticiam gloriam, regnum, et quicquid et carnale damnatum et maledictum esse. Econtra, benedictam esse crucem, mortem etc. quibus caro aboletur. Sic ipse de sese loquitur Iann. XII.: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Carnem Christi spectant, qui quodcunque opus vel praeceptum Christi imitantur aut faciunt, et per illud se iustificari volunt, breviter, omnes illi, qui sua mortificari nolunt. Sic Iudaei sequuntur eum cum pasceret, non sequuntur cum crucifigeretur. Christum sequuntur tantisper, donec tententur, credunt donec pascit, deserunt ubi pascere cessaverit. Haec occasio est Christo, postquam pavisset hos, dicendi de carne et spiritu, quasi diceret: Ecce hic populus legis Dei populus sibi videtur esse, et simulat se credere, simulat legem, ut a Deo conservetur

11) Verba: *Si autem illius* etc., non leguntur in Tub.

1) Secer. *vidit.*

in regno, opibus etc. iuxta legis promissionem. Nunc cum audit Evangelium praedicari, et regnum mundanum finiendum esse, et omnia istius populi damnanda esse, non audit vocem Dei etc. Tantisper credidit, dum dedit Deus carnalia. Nunc cum non promittat carnalia, maledicit.

Hunc enim signavit pater Deus.

Reddit rationem cur sit daturus cibum, qui non pereat. Verbum signari, est testificari, quia inquit: Pater signavit filium, i. e. unxit spiritu sanctificante et vivificante credentes etc.

Quid faciamus, ut operemur opera Dei?

Vide autem populum legis interrogantem, quid operetur, ut faciat opera Dei, id est, quae coram Deo iustificent, quasi non habeant legem a Deo datam. Respondet Christus, non iam praecipiens legem, sed legis iusticias damnat, inquiens, unum hoc opus Dei esse, quo coram Deo iustificamur, credere in eum, quem misit ille etc. Hoc est opus Dei, i. e. hoc est opus Dei, quo coram Deo iustificemini.

Patres nostri manducaverunt manna.

Hic cum legis iusticias damnet, iterum apponunt pro defendenda lege, se habere testimonium legis, manna de coelo datum. Ergo quod tu facis signum? id est, qui legis iusticias damnas et praedicas fidem, quod ergo erit testimonium, cur tuto possimus tibi credere?

Non Moyses dedit vobis panem.

Comparat Christus manna cum iusticiis legis in hanc sententiam, quod sicut manna non vivificaverit, ita nec vivificent iusticiae legis: Christum autem esse, qui sit panis vivificans, non quidem secundum carnem, nam caro nihil prodest, sed secundum id, quod de coelo descendit. Ideo inquit: Panis qui de coelo descendit, i. e. verbum sanctificans et vivificans panis est, qui vivificat. Ego sum panis vitae, i. e. vivificans. Qui venit ad me etc., quia hic panis est panis vitae. — Sed dixi vobis, i. e. quod quenquam videritis, tamen non credatis. Viderunt enim miracula testimonia spiritus Dei, sed videntes non vident, et excaecatum cor populi huius, Esaiae sexto. Dixi vobis etiam ante, item et in Prophetis. — Voluntatem meam, scil. carnis. Non perdam ex eo, scil. quamvis pusillanimes, quamvis peccatores. Videt, i. e. cognoscit. Nolite murmurare, i. e. nolite iudicare de operibus Dei, quia non intelligitis ea. — Traxerit eum; scl. corde et spiritu. — Erant omnes docibiles; scil. qui credunt. — Docibiles Dei, i. e. docebantur a Deo, Esaiae cap. LIV.: Universos filios doctos: et perpetuum quoddam docere significat graeca dictio. — Audiunt, scil. spiritu. — Dedicat, scil. spiritu. — Non quia, i. e. hoc docere non est carnale. Is qui est a Deo, scil. filius, is novit patrem [2]).

Murmurabant ergo Iudaei.

Quod 1. Cor. III. dicitur: animali homini stultitiam esse, quae sunt spiritus Dei, id hoc loco agunt Iudaei, cum Christi sermonem prorsus non intelligunt et irrident.

Nemo potest venire ad me,

i. e. ideo non creditis, quia a patre non trahemini.

Et eum, qui venit ad me, non eiiciam.

Contra liberum arbitrium nihil potuit aptius dici, quod illi tantum ad Christum veniant, quos dat ei pater, seu quos trahit pater, sicut postea dicit, seu quos docet pater. Patrem dare filio est eligere. Patrem trahere vel docere est cognitionem Christi donare, i. e. docere iudicium et iusticiam; iudicium in eo, quod cor sentit omnia nostra damnabilia esse, iustificari autem nos gratia per Iesum Christum, quem pro nobis dedit pater. Porro illud docere non est litera, sed est spiritus et vita in corde. Nam et Iudaei literam audiebant, et audiunt nunc omnes impii. Quid autem sit fides aut iusticia, non ascendit in cor hominis, Esaiae LXIV. Vides itaque nihil prorsus tribui libero arbitrio aut viribus humanis. Porro si offendit praedestinatio, sicut illi 2. Reg. X.: Esto vir fortis et pugnemus pro populo, dominus autem faciet quod bonum est in conspectu suo. Hoc faciendum est, quod praecepit Deus, non quod voluit; praecepit autem credi in Christum, Matth. III.: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Praedestinationem autem non voluit sciri, 2. Timoth. II.: Dominus novit, qui sint eius. Item, quia eadem voluntas est patris quae Christi, et Christi voluntate patris voluntas

---

2) Totus hic locus inde a verbis: *Ego sum panis vitae, i, e. vivificans* etc., desideratur in edit. Tub.

agnoscenda est. Christus autem inquit: Venitis ad me omnes qui laboratis. Ergo et patris voluntas est, reficere omnes laborantes, id quod hic etiam adiecit Christus: Haec est voluntas patris, ut, qui credunt, salvi fiant. De voluntate patris noli haesitare, si filio credis.

Qui credit in me, habet vitam aeternam.

Propter pusillanimes dicit, qui conspicientes magnitudinem peccati sui, non audent credere; item propter eos, qui, quanquam iam coeperint credere, tamen in tentationem labascunt, ubi se putant deseri atque ideo perituros. Atque haec est consolatio, quam a praedestinatione petimus, scire, quod in manu divina simus. Sic consolatur Apostolus Rom. VIII.: Si in manu Dei sumus, cadere non possumus.

Haec est autem voluntas patris mei etc.,

quod ideo dicit, ne conscientiae dubitent, quin ipsissima voluntas patris sit, velle salvare quotquot credunt. Scimus hanc voluntatem esse Christi.

Patres vestri manducaverunt etc.

Quatuor ex ordine tractantur: quae sit vis panis, quomodo utendum, unde sit ea vis, cur carnem nominet. Primum, Christus distinguit hoc sermone legem a fide, literam a spiritu, iusticias legis a iusticia spiritus, cum inquit: Patres vestri manducaverunt manna etc., i. e. lex non vivificat vos. Sicut manna corporalis tantum cibus est, ita opera legis corporales tantum et externae iusticiae sunt, Christus autem est panis vivificans in aeternum. Manna seu iusticiae legis neminem servant a morte, quia ex operibus legis non iustificatur coram Deo omnis caro. Iudicium Dei confundit omnia opera nostra. Panis autem vivus, qui de coelo descendit, servata morte quia de coelo descendit. Nemo enim ascendit in coelum, nisi qui descendit, i. e. in quibus est spiritus Christi, ii non possunt mori, sicut neque Christus mori potest. Fides est, quae non iudicatur et subsistit coram Deo; opera non consistunt.

Si quis manducaverit ex hoc pane.

Secundum, quomodo utendum. Manducare alias est, traiici cibum in omnes corporis partes, qui non assuatur corpori, sed adnascatur. Ita hic manducare panem coelestem est, traiici eum intra cor, et fieri cordis vitam. Cernere, tractare manibus, vorare panem, non est manducare, ali vero est manducare. Ita Christum cogitare simulatis intentionibus, imitari opera non est manducare Christum, sed corde renasci, et vivificari spiritu Christi, corde timere, credere, id demum vere manducare est. Quod autem manducare sit credere, ipse exponit principio concionis: Qui credit in me, habet vitam. Et infra: Caro non prodest quicquam. Si quis manducaverit, i. e. si quis crediderit ex corde, vivet in aeternum.

Qui de coelo descendit.

Tertio, unde sit vis. Id exponit his verbis: Qui de coelo descendit. Et deinde: Sicut misit me vivens pater, ita et ego vivo propter patrem, i. e. caro non est, quae vivificat, sed Deus; sicut supra dixit: Sicut pater suscitat mortuos et vivificat, ita filius vivificat quos vult: ut ne dubitemus, potentiam Dei esse potentiam Christi, quanquam infirma caro esse videatur.

Panis, quem ego dabo, caro mea est.

Quarto, quare igitur dicit carnem et sanguinem, si quidem caro non est, quae vivificat? Respondeo, id esse quod 1. Corinth. I. dicit Apostolus: quia non cognovit per sapientiam mundus Deum in sapientia, ideo placuit ei, per stultitiam crucis salvos facere credentes. Ideo caro Christi exhibita est, ut in Christum crucifixum credamus, hoc est, ut sciamus oportere nos mortificari, et credamus, per mortem nos vitam accepturos, sicut et Christus per mortem glorificatus est. Item, quia sua carne legi satisfacit, et mortuus est pro nobis, credamus, eam satisfactionem nostram esse. Et hoc est, quod dicit: Panem quem ego dabo, caro mea, est pro vita mundi. Itaque carnem manducari vult, ut mortificemur, et tamen ait, hunc panem vivum esse, ut sciamus in morte vitam esse.

Durus est hic sermo.

Longa concione peregit Christus, manna non vivificasse; se esse qui vivificet, manducationem sui vitam esse. Haec spiritualis doctrina carnales homines offendit, non hoc tantum nomine, qud audirent carnem eius manducandam esse, sed

hoc [3]) potius, quod negabat, vitam esse nisi carnis suae manducationem, quod suum panem mannae praeferebat. Caro enim vitam esse putat sua bona opera, nec videt in illis peccatum. Velum enim obductum est cordi eorum, 2. Corinth. III. Quare putat, se posse consistere coram iudicio Dei. Quae omnia cum damnat Christus, offendit Pharisaeos, docens, se esse, quem manducare oporteat, i. e. credi oportere in Christum crucifixum, oportere nos mortificari, humiliari, et damnari omnia nostra bona opera, et credere quod solius Christi iusticia salvemur, quod mortificatio nobis in Christo vita sit. Haec cum audiunt Pharisaei, ignari iusticiae Spiritus, damnant, qui, quia iusticiam ex lege salvam esse volunt, ad iusticiam, quae ex fide est, non perveniunt, veniunt autem gentes credentes se iustificari sine operum suorum respectu, Rom. IX.

Si ergo videritis filium hominis.

Imperfecta oratio est, quam sic poteris absolvere: Si videritis filium hominis adscendentem, cognoscetis Dei potentiam esse, quae vivificet nos, de qua nunc dixi. In hoc enim offendebantur Iudaei, quod per mortalem carnem promiserat vitam aeternam. Non potest enim intelligere sapientia carnis, quomodo sub morte vita sit abscondita et sub infirmitate carnis Christi potentia Dei. Sic ergo dicit: Resurrectio mea vel ascensus ad patrem, palam faciet, carnem meam, quae nunc infirma est, esse panem vivificum, quia ubi ad patrem adscendero, quanquam nunc infirmus, tamen implebo omnia etc. Itaque resurrectio testabitur, potentiam Dei esse hunc panem. Nam resurrectio glorificatio Christi est. *Nonnus* ad iudicium refert, quasi diceret: Declarabitur olim, me iudicante, incredulitas vestra. — Durus est hic sermo, scl. quod manducatio carnis vita sit.

Spiritus est, qui vivificat.

Potentiam Dei esse, docet, hanc suam potentiam iis verbis: Spiritus est qui vivificat; et deinde: Verba quae loquor spiritus et vita sunt. Verbo manducatur Christus, adeoque fide, non carnali esu, apparitione, signo etc. Priusquam enim verbi potentia, quae Dei potentia est, renovarit nos, nondum iustificati sumus. Proinde nihil prodest caro: nam ea non renovat corda. Sunt quidam ex vobis etc. scilicet iis est verbum odor mortis. — Datum a patre, i. e. nisi pater traxerit eum [4]).

Nemo potest venire ad me etc.

Sermo de praedestinatione in carnalibus efficit contemptum Dei et blasphemiam. Sic enim indicat caro: Cur serviam, qui nesciam, utrum sit acceptum servitium. Spirituales autem consolatur, qui suam voluntatem Deo resignant, et sciunt, sciunt secreta Dei non debere fari, sed credi debere, et sciunt se credentes salvari.

Nonne ego vos duodecim elegi?

Quod subiicit de Iuda indicat, nec eos omnes perseveraturos, qui stent adhuc: ut doceat nos timorem, ne quid gloriemur in nobis. Dei donum est, non nostrum meritum, perseverantia. Ipse enim est, qui operatur et velle et perficere.

Summarium capitis.

In hoc capite potissimum observabis, quod sit manducare carnem Christi, scilicet credere in Christum crucifixum, simul mortificari, et confidere, quod in morte vivificet. Haec de illo capite.

Caput VII.

Non enim volebat in Iudaeam ambulare.

Primus locus de fuga Christi. In omni afflictione haec una gravissima quaestio est: Placeatne Deo quod affligimur, hoc est, ut tum Deus probet hoc nostrum ministerium. Item, utrum probet, quod obiicimur morti etc. Oportet enim omnia nostra ex fide progredi, vitam, mortem, pacem et adversitatem, id est, oportet corda certa esse, Deo placere quod agimus, Deum probare nostrum ministerium, afflictiones, mortem etc. alioqui in tentatione non durabimus. Et erunt afflictiones nostrae eiusmodi, qualis fuit Manassae immolantis filios suos, aut sacerdotum Baal confodientium se. Qui autem erimus certi, quod placeat Deo? Per vocationem, ubi mandato Dei

3) *hoc quod* habet Secer. Sed *quod* delendum est.

4) *Sunt quidam* etc. in Tub. non leguntur.

cogimur obedire vocantibus, ne quid stulto zelo tentemus, sicut Saul invasit Gabaonitas. Et hic Christus expectat vocationem.

Iudaeorum scenopegia.

Secundus locus huius capitis. Levit. XXIII. describitur festum tabernaculorum, ut sit memoriale profectionis ex Aegypto, cum in deserto in tabernaculo servarit eos dominus, in quo typo primum consyderandum est, dominum in hoc instituisse monumenta eductionis ex Aegypto, ut revocet in memoriam promissiones patribus factas. Abrahae terra promissa est et semen, in quo benedicerentur omnes gentes. Iacob prophetavit, fore ut non auferetur sceptrum de Iuda donec veniret, qui sit expectatio gentium. In hoc populus accepit terram, ut expectaret promissum Christum ex semine suo. Ideo cum admonentur profectionis ex Aegypto hoc monentur: Ecce, in hanc terram missi estis, ubi duret regnum donec veniet Christus, qui salvet vos. Sic tota lex et omnes ceremoniae sunt in Christum directae. Promissio erat, futurum ut benedicentur omnes gentes. Lex data est. quae non benedicebat sed maledicebat, quare ipsa lex non est id verbum, quo benedictus sit Israël. Ergo restabat aliud verbum. Iam hoc quoque significatum est, quod quia adhuc tabernaculis utendum esset, nondum accepissent promissionem patribus factam: sicut ad Hebraeos de sabbatismo et terra promissa disputatur.

Transi hinc et vade in Iudaeam.

Tertius huius capitis locus est, carnem velle glorificari carnaliter, non crucifigi, ut Matth. XVI. Petrus inquit: Absit a te, domine; et filii Zebedaei Matth. XX., cum tamen oporteat hanc vetustatem crucifigi et intermori, ut gloria Dei, i. e. spiritus glorificetur. Oportet enim nos similes fieri imaginis Christi, Rom. VIII. Volunt autem glorificari citra crucem non illi tantum, qui palam coram mundo gloriantur carnaliter de carne Christi, ut a mundo recipiant mercedem, sed et ii, qui coram Deo gloriantur de iusticiis suis, nolentes mortificari se et damnari, quasi iusti sint: cuiusmodi sunt illi, quos Ioannes increpat: Nolite dicere, filii Abrahae sumus, i. e. nos sumus populus sanctus christianus, Turca non item; nos legimus et audimus Evangelium, isti non legunt; nos sumus intelligentes libertatis, illi non sunt; ergo nos sumus filii Dei: cum tamen hic fratres reiiciat.

Ut et discipuli tui videant opera tua.

Vide quibus machinis oppugnent Christum. Primum quod referat discipulorum, ut illorum fides confortaretur publica Christi gloria; secundo, si fidis veritati, cur non producis in lucem? iuxta illud quod supra dictum est: Qui facit veritatem venit ad lucem. Hic vide, quam iustis causis non rudiat [5]) Christus, quia illi iustis causis non gloriam Dei sed suam quaerebant. Dei voluntas erat, non glorificari carnaliter Christum coram mundo: fratrum voluntas erat, ut glorificaretur carnaliter. Ita non causa non ius, sed voluntas Dei sequenda est, sicut ipse testatur Matth. XXVI.: An putas, quod non possum rogare patrem, ut exhibeat mihi etc., quomodo ergo implerentur scripturae?

Neque enim fratres eius credebant.

Scilicet adeo nulla est praerogativa, qua alii prae aliis salventur. Non enim est personarum acceptio apud Deum, non cognatio, non dona, non opera, sed fides est, qui iustificat. Notat autem in fratribus populi legis incredulitatem, unde discamus timorem et fidem; timorem, ne contemnentes verbum sic excaecemur, ut ipsi excaecati sunt; fidem, ut gaudeamus credere, quod populus sine operibus acceptus sit. Tractat haec Paulus ad Rom. IX. et XI.

Tempus meum nondum venit.

Tempus meum, scilicet quo glorificer ante crucem. Tempus autem vestrum semper est paratum, scilicet qui gloriam secundum mundum quaeritis. — Non enim potest mundus etc., quia studetis placere mundo. Filii Dei non nisi per crucem glorificantur. Ideo Christus negat, suum tempus adesse. Rom. VIII.: Cohaeredes Christi, si modo compatimur. Et alias: Qui volet animam suam salvare, perdet eam. Filii mundi glorificantur sine cruce, ideo tempus eorum semper adest.

Quia opera eius mala sunt.

Hic damnat Christus opera mundi. Sed quomodo mundum vocat? Omnes eos, qui erant

---

5) Tub. *audeat*, et addit: *gloriari*.

secundum legem acturi festum diem. An illud [6]) feriari etiam opus mundi sit? Respondeo: Christus hic omnia opera mundi damnat, hoc est, non solum carnis manifesta flagitia, sed et sapientiam et iusticiam mundi. Ideo mundum vocat hic eos, qui ad festum diem ascensuri erant quanquam secundum legem. Et opus mundi vocat eiusmodi feriari. Et haec est causa cur Christum odio habeat mundus, non quia damnat quae et mundus damnat, sed quia damnat quae mundi sapientia probat. Sapientia carnis sic sentit: Ago festum diem iuxta legem, ergo bonum opus facio. Non potest consistere Ecclesia, si tollas hunc splendorem Episcoporum, has ordinationes et opes. Item, ius meum est, ergo tueri debeo. Huiusmodi multa damnat Christus, ideo odit eum mundus. — Vos ascendite, scilicet quia vestrum tempus semper adest, et est oratio condolentis vel concedentis. Ego enim nondum ascendam, scilicet quia tempus glorificationis meae nondum adest. Ergo nondum palam me facio, glorifico me, oportet me prius crucifigi.

Tunc et ipse ascendit.

Coëgit enim eum lex ascendere, quae [7]) illi vocatio fuit. Est enim vocatio verissima cum praecepto Dei cogimur. Atque ita observabis humanissimam conversationem Christi, cum se legi subiicit et ostendit, legi se teneri. Servit ceremoniis legis, ut indicet, se lege diligendi proximi teneri. Quidam enim dicebant etc., iuxta illud: Non veni mittere pacem, sed gladium. — Nemo, scilicet credentium [8]).

Mea doctrina non est mea.

Duo hic quaeruntur, unde sit doctrina Christi, et quomodo cognoscatur. Primum, sicut Paulus probat suum Evangelium a Deo esse eo, quod neque per hominem neque ab homine acceperit aut didicerit, Galat. I., ita hic quod doctrina Dei non hominum est. Ideo respondit: Mea doctrina non est mea, sed eius, qui misit me etc. Quoties negat, doctrinam suam non esse suam, et se non quaerere voluntatem suam sed eius, qui se miserit, negat, in carne sua gloriandum esse, hoc est, vetat gloriari de qualibuscunque donis, confidere operibus vel ceremoniis; sicut gloriantur auditores Evangelii non factores, sapientes, iusti, confisi suis iusticiis, cum haec omnia mortificari oporteat. Secundum, quomodo cognoscatur doctrina. Lumen carnis carnalia tantum intelligit, quae ratio sentit verosimilia esse: proinde non potest nec intelligere nec credere spiritualia. In hanc sententiam hic ait: Si quis voluerit voluntatem eius facere, i. e. si quis voluerit credere: nam haec est voluntas patris, audire filium. Cognoscet de doctrina, i. e. doctrinam cognoscet esse veram, et cognoscet eam ex Deo esse. Caro errorem esse iudicat omnia opera hominum peccata esse, quia impietatem suam seu caecitatem, diffidentiam et contemptum [9]) Dei non agnoscit. Rursum, quia ipsa sese iustificat, negat, sola Christi iusticia se iustificari. Ubi autem agnoscit peccata sua, simul agnoscit omnes doctrinas hominum esse vanas, quia sentit, conscientiam suam coram Deo non posse confirmari vel erigi iis doctrinis. Atque ita, si credit, tum apprehendit veram esse Christi doctrinam; neque hoc solum apprehendit, veram esse doctrinam, sed et hoc, ex Deo esse doctrinam Christi, quia iudicante Deo conscientia verbo Christi erigitur. Verbum enim domini manet in aeternum. Praeter hoc, ignis consumit reliquas doctrinas omnes, atque ita fit, ut spiritus Dei testimonium perhibeat spiritui nostro.

Qui a semetipso loquitur.

Argumentum, quo probat doctrinam non esse suam: Quia si ex me ipso loquerer, gloriam meam quaererem: sed non quaero gloriam meam, quia crucifigar: igitur non est mea doctrina. Atque hic vides quod Paulus ait: Vos apostolatus mei sigillum.

Unum opus feci, et omnes miramini.

Iudaei Christum criminabantur, quod legem violarit, quia sabbato aliquod opus faciebat. Iudaei se legem facere putabant, quia nullum opus facerent sabbato; iudicabant enim secundum literam. Propterea Christus invertit sententiam, coarguens illos violatae legis, quod lex spiritualis sit, se vero excusans, quia lex non litera sed spiritu fiat. Sabbati violationem alias aliter excusat Christus, Matth. XII. collatione operum, iuxta hunc

6) Tub. *illum*. 7) Tub. *quia*.
8) *Quidam enim* etc. non leguntur in Tub.

9) Secer. *conceptum*, ex mendo.

locum scripturae: Misericordiam volo, non sacrificium, scilicet sabbatum iuvandi fratris causa violare; sicut inquit: Sabbatum propter hominem, non hominem propter sabbatum esse, Ioannis X., quia Deus sit, adeoque habeat [10]) potestatem faciendae legis et tollendae etc. Non potest filius facere a se quicquam etc. Hic aptissima et convenientissima ratione, quod observatio sabbati debeat esse non litera, sed spiritus, ostendit. Secundo, litera est externa observatio, spiritus est corde sabbatizare, hoc est, vacare ab operibus naturae et fieri novam creaturam. Sabbatum enim significat finem veteris creaturae in universum, et initium novae. Atque hoc in Genesi et Lege significatum est sabbato, futurum, ut haec vita creaturae et universitas rerum intereat. Ergo necesse erit nos refici abolita mortalitate carnis. Coepit hoc Christus morte et resurrectione sua, et benedixit sabbato, quod antea lege benedictum erat. Porro, si sabbatum lege et Christi exemplo benedictum est, mortem benedictam esse consequitur. Haec ergo spiritualis observatio sabbati est mortificari, et [11]) refici novam creaturam. Tertio, probat itaque Christus evidenti argumento, lege exigi spirituale sabbatum, non literale, quia literali observatione nec tum quidem facimus legem, cum facimus. Ergo lex spirituali sabbato fit. Antecedens probat, quod sabbato circumcidant infantes, iuxta legis mandatum. Porro circumcidere est opus aliquod facere. Idem in Matthaeo causatur: Sabbato sacerdotes hostias mactant, ergo ne faciendo quidem legem fit lex.

Quarto, ex his colligit in universum, non fieri legem litera, hoc est, observatione carnali: et iusticia legis neminem iustificari coram Deo, sed fide impleri legem; sicut in Actis Petrus inquit: Quid imponitis iugum, quod neque vos neque patres vestri portare potuerunt? Sed per gratiam credimus salvari, quomodo et isti.

Mihi quor [12]) indignamini? quia totum etc.

Quia circumcisio non pertinebat ad legem, sed signum erat promissionis factae Abraham, et sabbato derogabat vel hoc ipso, quod significaret, non ex operibus legis sed ex fide iusticiam esse, cuius ipsa signum erat. Circumceditis hominem, atque adeo violatis sabbatum. Si circumcisionem etc., ergo cogit lex sabbatizare et operari. Quia totum hominem, id est, hoc, quod circumcisio significat, feci, et plura, i. e. et iustificavi et sanavi hominem.

Duo colligit. Primum, lege cogi et vacationem et opus. Deinde, opere salutari violari posse sabbatum, quia misericordiam non sacrificium vult dominus. Ita omnium legum finis et impletio sunt fides et charitas. Fides implet praecepta prioris tabulae, hoc est cognoscit Deum, timet, confidit, sanctificat nomen eius, et sabbatizat, expectat et sanctificat; charitate, quae impleat praecepta posterioris tabulae, neque enim charitatis opus valet, nisi ex fide proficiscatur, i. e. ex constanti fiducia, quod Deo acceptum sit id quod facit, non propter operis naturam, sed propter eius misericordiam. Secundo, quod suum opus praefert operi circumcisionis, significat, suum opus maius esse circumcisione, scilicet iustificationem, cuius signum tantum est circumcisio. Atque ita iterum significat, non ex operibus legis iusticiam esse, sed ex fide etc.

Nolite iudicare secundum faciem,

i. e. ne iudicate, impletionem legis esse externam observationem, sed fidem et charitatem. Vos iudicatis, legem vos praestitisse cum litera sabbatum observatis; ego vero non litera sed spiritu sabbatizari volo.

Ecce palam loquitur, et nihil etc.

Testantur de Christo, quod refutari eius doctrina non potuerit, et tamen persequuntur, quia a Christo convicti fuerant. Sic oportet esse irreprehensibilem doctrinam eorum, qui praedicant Evangelium; ad Titum primo. Et contra: Indurati persecutores quanquam convicti, tamen persequuntur Christum, ut cognoscamus, Dei donum esse verbo capi.

Sed hunc sciamus unde sit.

Unde sit orta opinio, futurum ut non norint Christum, non video nisi ex iis prophetiis, quae praedixerunt Christum venturum formis crucis tectum, non in forma quam probet mundus, iuxta illud Esaiae: Quis credit auditui nostro? Nam hoc, quod adducunt: Generationem eius quis enarrabit? puto ad semen seu ad posteritatem pertinere. Et vide, quomodo contra se prophetent. Testificantur Christum venturum ita, ut

---

10) *habeat*] Secer. *habet*, ex mendo.
11) *et* addidi ex Tub. 12) *quor*, i. e. *cur*.

non cognoscatur, et cum ita venerit, tamen non credunt ei.

Et me scitis, et unde sim scitis.

Non puto ironiam esse sed simplicem sententiam, qua coarguit eos in hunc modum: Opera testificantur, quod a Deo missus sum, et ea opera vos convincunt. Nostis itaque me a Deo esse, et tamen neque patrem neque me cognoscitis, quia vobis Deum imaginamini carnali opinione, qui probet iusticias vestras carnales, qui non velit carnem crucifigi, qui non sit missurus Christum in crucis forma sed carnali pompa.

Et nemo misit in eum manum.

Saepe consolatur nos per praedestinationem, ut Matth. X.: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Ita hic suo exemplo confirmat, et nos non venturos in manus hostium nisi per eius voluntatem, et, cum venimus in manus eorum, bonam voluntatem patris esse.

Nunquid in dispersionem gentium etc.

Et hic contra se prophetant, gentes accipiendas esse, reiecto Israël.

In novissimo autem die magno.

Postrema dies festi octava erat, quam vocat Levit. XXIII. diem coetus sive collectae, scilicet quod eo die conveniebatur, exactis iam septem diebus in tabernaculis. Ea dies hic magna dicitur haud dubie propter significationem, quia octavus dies significat revelationem gloriae filiorum Dei.

Si quis sitit, veniat ad me et bibat.

Sitire est, revelato peccato confusum et mortificatum esse, ut in Psalmo: Sicut cervus desyderat ad fontes aquarum, quo fit, ut agnoscamus merum maledictum esse omnes vires et iusticias humanas. Hoc est quod Apostolus inquit: legem esse paedagogum in Christum. Et ipse se exponit Matth. XI.: Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis etc. Et hinc intelliges qui sint gratiae capaces, nempe sitientes, iuxta illud: Esurientes implevit bonis. Itaque ubi non est cognitio peccati, ibi caro est, caro autem pugnat cum spiritu; ergo ubi non est cognitio peccati, ibi nec spiritus est.

Qui credit in me, fluent etc.

Secundo, quomodo igitur veniendum est? Fide. Atque ita aequat gentes et Iudaeos, damnat superbientes iusticia operum, consolatur peccatores; sicut dicit scriptura Esaiae XLIV. Ezechielis XXXV et XLVII.: Fluent flumina.

Hoc autem dixit de spiritu.

Tertio, quid consequatur fidem, atque adeo quid sit vera iusticia, docet, nempe acceptio spiritus sancti. Est autem hic locus plane acceptus ex Esaia: Effundam aquas super sitientem etc.

Nondum enim erat spiritus datus.

Vetus testamentum lex tantum fuit, et praedicatione legis nihil de remissione peccatorum aut Spiritu sancto praedicatum est. Rursus novum testamentum est remissio peccatorum et donatio Spiritus sancti, non lex. Verbum per quod datur Spiritus sanctus, (ut ait Apostolus 2. Cor. III.: Sumus ministri spiritus) est Evangelium quod quia nondum erat revelatum, dicitur spiritus non datus esse, quia nondum erat praedicata palam remissio peccatorum, ergo neque spiritus palam datus erat. Et sicut Evangelium non cognoscebatur palam, ita neque cognoscebatur palam Spiritus sanctus: quia Evangelium nondum erat praedicatum, adeoque neque Spiritus sanctus cognitus. Quia Iesus nondum erat [13]) glorificatus, id est, nondum enim potuit ante mortem glorificari, quia oportuit peccatum in carnem eius congestum et mortem per ipsius mortem vinci.

Hic est verus Propheta. Alii dicebant: Hic est Christus.

Evangelium aliis odor vitae, aliis odor mortis est. Quae contentiones describuntur ad consolandos eos, et qui praedicant, et qui patiuntur persecutionem, ne scandalo deterriti desperent. Sicut et alias inquit: Non veni mittere pacem sed gladium. Sed de Evangelio loquitur. Nam et contentionum auctores sunt impii doctores ceremoniarum a dextris et a sinistris, de quibus 2. Tim. II.: Noli contendere verbis, nihil enim utile est nisi ad subversionem audientium.

---

13) Secer. *erit*, mendose.

Nunquid a Galilaea veniet Christus?

Verbum, non persona in praedicatione Evangelii respici debet; item verbo, non persona, non aliqua carnali apparentia fidi debet. Verbum enim domini manet in aeternum. Ideo Paulus ait: Sed etsi novimus Christum secundum carnem, nunc tamen non novimus. Sed caro non verbum sed personam respicit, sic apud se reputans: Hic est vilis, abiectus, damnatus homo, ergo non est a Deo. Et praesertim sic argumentatur populus legis, cuius patres etiam coram mundo glorificati sunt. Ita isti frivolo argumento Christi autoritatem elevant. E Galilaea est, ergo non est Christus, quasi sic dicerent: Christus ex Bethlehem cum magna gloria regio modo prodibit. Secundo, hic in Christum impingit humana sapientia. Christus salvat per crucem et mortem. Ratio concipit et vult salvatorem, qui non damnet carnalia. Christus autem ignis conflans est et herba fullonum, Malach. III., qui consumit et eluit omnia carnalia. Quae omnia huc pertinent, ut discamus, crucem et mortem benedictionem esse. Et sicut Luc. XVI. inquit: Quod inter homines sublime est, abominationem esse coram Deo.

Sed nemo in eum coniecit manus.

Quod non posset capi, iterum docet exemplo sui, suos in manu Dei esse, ut laedi non possint, nisi velit pater, et, cum vult, bonam patris voluntatem esse.

Num et vos seducti estis?

Causa cur non credant principes est humana sapientia, quae de scriptura iudicat carnaliter, cum spiritualia spiritualiter debeant iudicari, 1. Corinth. II. et Hieremiae XXIII.: Qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum vere. Non est satis habere literam, nisi et spiritualiter de litera iudices. Atque hic vides, quid in causa sit, cur multi stultis se quaestionibus fatigent, quia non iudicant spiritualiter. Turba haec, id est nos, sensum nostrum non cedemus Christo, quia verbum Dei habemus ipsis principibus [14]).

Num lex nostra iudicat? [15])

Verbo redarguuntur, qui verbum allegant, quasi sic dicat: Lex vetat personam respici, sed opus aut verbum, vos autem personam respicitis, non opus aut verbum.

Caput VIII.

Hoc loco quaeri potest, cur dominus vetet, obrui mulierculam nisi ab iis, qui sine peccato sunt, cum tamen lex constituerit, plecti adulteros? Anne hoc voluit dominus, non posse legis ministros esse, nisi eos, qui iusti sint? Respondeo: In hoc loco iusticia carnis cum iusticia spiritus confertur. Quia enim Evangelium praedicat iusticiam spiritus, exaequat omnes homines, (sunt enim omnes vacui gloria Dei, Rom. III.) Nunc Pharisaei hanc adducunt, damnandam secundum legem, et se iustificant, quasi lege damnari non possint, habent se pro iustis coram Deo. Quare Christus ipsos aequat mulieri, damnat eos iuxta atque hanc mulierem. Primum ergo non prohibet Christus ministerium legis, ut plectatur adultera. Secundo, suo ministerio utitur, cum utrosque damnat adulteram et Pharisaeos.

Nemo te condemnavit, mulier?

Quod interrogat Christus, nemo ne damnarit, quasi sentiat, se ratum habiturum, si quis damnasset: ideo fit, quia externa illa corporalis administratio legis non pertinet ad Evangelium, quod est ministerium spiritus. Ideo Christus non lapidat quia non lapidaverunt ii, quibus erat commissa administratio legis. Ius gladii institutum est ad tuendam civilem pacem, et praeceptum magistratibus ut illo utantur; additque textus: Non senserearis etc. Coram Deo autem nec iustus nec iniustus ob mulctam est qui plectitur. Primum ergo non vult Christus esse minister literae et corporalis ministerii legis. Deinde rursus convertitur ad suum ministerium praedicans poenitentiam: Vade, iam amplius noli peccare.

Iesus autem perrexit in montem.

Cum de oratione Christi dicitur; primum extenuatio Christi consyderanda est. Nam ideo oravit, quia tentatus est. Extenuatus autem est ideo, ut posset compati, Hebr. IV. Deinde oravit, ut sui exemplo et nos fide confirmet, ut sciamus, nos exaudiri, quia ipse exauditus est, sicut ait: In illo die in nomine meo petetis. De lapidatione adulterii, Levit. XX.

---

14) *ipsis princ.* non habet Tub., et videntur quaedam hic praetermissa esse.

15) Pro his Tub. habet: *A Galilaea propheta non surgit.*

Hoc autem dicebant tentantes eum.

Quia sciebant legem iam ante, ut nihil opus fuerit interrogare, (sciebant autem aliis remissa esse peccata) ideo volebant experiri, num idem hic facturus esset, ubi lex tam severe praecipit animadverti. Lex pugnat cum Evangelio. Lex exigit poenam pro peccato, Evangelium condonat gratis.

Digito scribebat in terram.

Cum scribit in terram repraesentare videtur tabulas Mosi saxeas, in quas lex a Deo scripta est, et ideo in saxum, sicut Apostolus ait, quia litera tantum est; hoc est: quoad natura per sese audit legem, non sit vivus affectus et viva natura cordium nostrorum lex; sed quod bis scribit, nescio an ad duplices tabulas pertineat. Duplices autem tabulae significare videntur duplicem usum legis. Alter est cum auditam legem conamur facere: ea facit idola, vitulos, cum caro non intelligit infirmitatem suam et tamen legem facere conatur, et per illa opera putat se iustificari. Alter est, cum lex sic ostendit peccatum, coarguit nos, intentat mortem, ut adigat ad desperationem.

Qui sine peccato est.

Omnes sumus peccatores et inanes gloria Dei, ut ait Rom. III. etc. — Exibant, i. e. non redibant, ut fide iustificarentur, quia legis operibus se iustificare volebant.

Nec ego te condemno.

Quia non sum minister corporalis ministerii legis. Vade, noli peccare amplius, i. e. age poenitentiam.

Ego sum lux mundi.

In summa hic disputatur, quid sit Evangelium, et quae sit eius auctoritas. Ego sum lux, i. e. non doctor, sed qui illuminem et creem novum lumen in cordibus credentium. Qui sequitur me, id est, qui credit in me, non ambulat in tenebris, quia qui apprehendit hoc lumen habebit lumen vitae, i. e. vivificum. Testimonium tuum non est etc., hoc est, verbum Dei postulamus non tuum.

Verum est testimonium meum,

scilicet quia Deus sum. Et unde veni scio, scilicet scio quod a patre processerim. Et quo vado, scilicet ad patrem. Vos autem nescitis, quia secundum carnem iudicatis, et secundum ea, quae comprehendit ratio humana. Ego non iudico quenquam, sicut supra dixit: Non veni iudicare, quia veni salvare, non iudicare. Et si iudico, scilicet quia sum iudicaturus, iuxta quod supra est capite quinto. Si sciretis, forsitan et patrem etc. Forsitan delendum est. Sciretis, quia per Christum pater cognoscitur, ut supra: Filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit. — Ego vado, et quaeritis me; quales sunt, qui non credunt. Quis est fructus incredulitatis? Non invenire posse Christum. — Quaeritis, scilicet per iusticias vestras. — Et in peccato vestro moriemini; scil. adeo nihil efficiunt iusticiae vestrae, quibus vos[1]). Quo ego vado, scil. ad patrem, vos non potestis venire, quia ex fide eo non tenditis, sed per vestras iusticias.

Nunquid interficiet se ipsum? scilicet quia caro est, sicut nos sumus; caro igitur non potest aliquo pervenire, quo nos non possimus. Vado, scil. per mortem ad patrem. Vos deorsum estis, i. e. terreni, ergo terrena sapitis. Ego desuper, id est coelestis, ergo coelestia sapio. Vos de mundo, ergo mundana sapitis; igitur quia nihil nisi carnalia sapitis, moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis, quia ego sum, scilicet illuminator et vivificator. — Principium: plane id quod loquor vobis. *Nonnus* sic exponit: Id ipsum sum, quod iam antea dixi.

Loci communes huius contextus.

Primum, quod inquit: Ego sum lux mundi, testatur se Christus illuminatorem esse, e quo fit, lumen naturae ignorantiam et caecitatem esse. Illuminat autem cognitione Dei, ut timeamus eum, et credamus ei.

Secundo nullo verbo, nisi verbo Dei cor vivificari potest. Atque hoc est, cur proponantur contentiones illae de autoritate verbi. Propterea non est accipienda doctrina ulla, nisi sciatur certo ex Deo esse. Quod Christus inquit, se non iudicare quenquam, tale est, quale id quod supra dixit, se non venisse ad iudicandum sed salvandum, quod est de primo eius adventu et de verbo eius intelligendum. Venit enim ut salvet, factus hostia pro peccatis, factus pontifex, qui interpellet pro nobis, factus rex, qui nos defendet contra

1) *vos*] recte Tub. pro *non*, quod est in Secer.

portas inferorum. Item verbum tale praedicavit, quod non est lex, sed remissio peccati. Secundo autem adventu indicabit, scilicet ubi iam non restabunt quos salvet. Interim quale est verbum Christi, quod ad finem usque mundi praedicabitur, talis et ipse rex est. Verbum autem verbum gratiae est, non irae; igitur et ipse rex gratiae est. Patrem per Christum cognosci vult scriptura, Ioannis I.: Deum nemo vidit unquam. Et Ioannis XIV.: Si nossetis me, et patrem meum nossetis. Item: Ego sum via, veritas et vita. Porro patrem nosse est, voluntatem eius nosse. Voluntas autem patris non potest nisi in verbo, item, in exemplo sui, in Christo, cognosci, in quo cernimus misericordiam patris, quod velit, et quomodo velit salvare. Primum quod velit, Ioann. III.: Sic Deus dilexit mundum, ut daret unigenitum filium pro mundo. Deinde quomodo velit, scilicet per crucem seu mortem, Rom. VI.: Qui mortuus est, iustificatus est a peccato. Non potest Deus cognosci nisi in homine Christo mortuo et resuscitato, id est, quod voluntas Dei sit, iustificari per mortem et resuscitari per fidem. Hoc est quod 1. Corinth. I. dicitur: Quia in sapientia Dei non cognovit mundus Deum per sapientiam. Cognoscitur autem Deus verbo suo, quod est praedicatio crucis, ut 1. Corinth. I. Non posse laedi nisi volente Deo, et, si laedamur, bonam voluntatem Dei esse credamus. Pharisaei quaerunt salutem per opera sua, non per fidem et crucem, ideo non possunt ad salutem pervenire. Hoc est, quod inquit: Quo ego vado, vos non potestis venire. Carnem esse ignorantem et contemnentem Dei, testantur istae sententiae: Vos deorsum estis, vos de mundo estis, vos secundum carnem iudicatis. Quis sit Christus respondet: Principio, quod loquor vobis. Hanc sententiam sic retulit *Nonnus*: Hoc sum quod iam dixi vobis: dixerat enim: Ego sum lux; item: Qui sitit, veniat ad me; item: Caro mea vere est cibus. Sed ordo verborum sic postulat legi: Prorsus id, quod loquor vobiscum, i. e. plane illud ipsum verbum sum quod loquor vobiscum: quia Christus est verbum patris, Ioannis primo. Et quia se verbum esse testatur, vult in verbo cognosci.

Multa habeo de vobis loqui.

Posteaquam exposuit quid sit Evangelium et quis sit, subiicit increpationem impiorum et blasphemantium verbum Dei. Quia enim caro ignorat Deum, contemnunt et verbum eius: et quia verbo Dei iudicatur, ideo illud odit et persequitur. Et minatur Christus omnibus, qui vel persequuntur vel contemnunt iudicium, quale iudicium iam ante in Pharaone in filiis Israël corporaliter ostendit, Psalm. CV.: Non crediderunt verbo eius etc. et elevavit manum suam super eos

Multa habeo de vobis loqui et iudicare [2]).

Accusat Christus, cum iis, qui peccatum non agnoscunt, ostendit peccatum. Ostenso peccato convictas conscientias iudicat. Nam qui persequuntur verbum, praetendunt ius, sicut Pharisaei in Evangelio: Hunc nescimus unde sit. Et qui contemnunt et vivunt securi, id sentientes, quod illi apud Esaiam XXIX.: Quis videt nos, et quis novit nos? Quia enim ratione non comprehendunt iram Dei adversus carnem, ideo non credunt Evangelio. Sunt autem contemptores et qui palam contemnunt, et qui non agnoscunt carnem peccare in omnibus studiis et operibus: sed contenti sunt iusticia carnis, et illa se iustificant: quemadmodum sentiunt qui rationem sequuntur, dicentes, supervacaneam disputationem esse docere, quod omnia hominum opera sint peccata: sentiuntque satis esse coram Deo, si sic vivas, ut a mundo reprehendi non possis. Hi sunt veri contemptores, de quibus Habac. I. dicitur: Contemnunt, et qui desperant? Et breviter, contemnunt verbum gratiae omnes, qui ulla in re aedificant in sese. Quia enim Evangelium est verbum gratiae, exigit, ut fide omnia coelestia et terrena expectemus a Deo. Quia vero caro magnitudinem gratiae non capit, ideo putat, sibi iustam causam esse, cur non credat. Hoc est, quod accusat Christus. Nam caro non potest peccatum incredulitatis iudicare.

Sed qui misit me, verax est.

Occupatio est, quasi sic dicat: Vos meum iudicium et universum meum sermonem iudicatis mendacium esse. Sic caro iudicat, quando audit, omnia nostra damnari; item esse sola Dei misericordia fidendum. Hanc doctrinam iudicat vanam esse caro. Ideo Christus addidit: Qui me misit verax est, i. e. meum iudicium iudicium Dei est, meus sermo sermo patris est; sicut supra inquit: Filius, qui est in sinu patris, enarravit no-

---

2) Tub. *Multa habeo, scilicet quae accusem in vobis.*

bis, quia verum est illius iudicium. — Et non cognoverunt etc., quia supra dictum est: Vos deorsum estis.

Cum exaltaveritis filium hominis.

Allegat verbi sui testimonium, scilicet resurrectionem a mortuis. Est autem resurrectio Christi non modo testimonium, quo convincuntur hostes verbi, sed et virtus Dei, qua vivificantur qui credunt in Christum; iuxta illud ad Philippenses III.: Ad cognoscendam virtutem resurrectionis eius, et ad Ephes. I.: Secundum efficaciam potentiae virtutis eius, quam operatus est in Christo Iesu, suscitans illum a mortuis. Porro, quod ait non in resurrectione, sed quando exaltabitis, id est, quando crucifigetis, vult potentiam suam hanc in cruce cognosci.

Si vos manseritis in sermone meo.

Quid est, quod sic ait: Si manseritis, cognosceretis? An non cognoscunt qui non perseverant? Respondeo sicut Apostolus Rom. V. inquit: Tribulatione patientiam, patientia probationem parari, i. e. experientiam verbi. Ita hic Christus: Qui perseverant; quia enim Christus consolatur eos, qui fide expectant eum in tentatione, certe fit, ut ignari consolationis sint, qui neque sustinent eum cum tentantur.

Vere discipuli mei eritis.

Discipuli, i. e. docti a Deo. Vere, i. e. audientes auditu cordis. Vide, quomodo opus Dei sibi tribuit, ut doceat, se esse Deum. Supra dixit ex Esaia, omnes a Deo docendos esse; hic ait: Eritis mei discipuli. Loquitur enim non de externo auditu, sed de interno auditu et spirituali, quem in corde efficit Deus, cum creat novum lumen. Distinguit enim discipulos suos a discipulis Moysi. Discipuli Moysi sunt, qui extrinsecus tantum audiunt, quantum potest ratio, qui auditus est litera et mera hypocrisis. Discipuli Christi sunt, quorum corda novo lumine illustrantur, ut timeant Deum. Dicit: Cognoscetis, scilicet, quod Deus verax sit, praestans quod promisit. Manseritis, i. e. credideritis.

Veritas vos liberabit.

Primum, in quo sit christiana libertas et quid sit, ex hoc loco petendum est. Definit autem Christus servitutem bis. Primum in eo, quod inquit: Qui facit peccatum, servus est peccati, i. e. sub peccato est. Sub peccato esse, est peccato damnari et occidi, iuxta illud: Aculeus mortis peccatum est. Proinde haec est servitus, peccare et mori. Secundo in eo definit servitutem, quod ait: Veritas liberabit vos; ergo servitus est mendacium quoddam. Est autem hoc mendacium, quod quia natura est ignorans Dei, nec credit Deo, nec timet Deum, deflectit ad creaturas et fidit operibus, gloriae suae, sapientiae suae, iusticiae suae, quae fiducia certe mendacium est, quia fidit eo, quo non debuit fidi, et contemnit id, quod vere vita est: et fit, ut nec illa a morte liberent et maledictio maneat, qua servitutis damnati sumus. Tertio, quia servitus est peccare et mori, et a morte non liberat qualiscunque usus vestium vel ciborum, ergo non est in illo proprie libertas. Quarto, quid sit captivitas, dictum est. Econtra libertas est remissio peccatorum, hoc est, condonari peccatum, quanquam reliquum sit in carne peccatum adhuc, et tolli ius peccati, ne possit accusare, damnare, occidere. Nam esse servum peccati, est a peccato occidi posse. Hanc libertatem consequimur fide, credentes, quod per Christum peccatum sit deletum, sicut supra inquit: Qui credit in eum, non iudicatur; et hic: Veritas liberabit, i. e. qui credit promissioni patris, liberabitur. Est ergo primum in eo libertas, quod sine merito nostro peccata delentur. Tollitur ius peccati et mortis, iuxta illud 1. Cor. XV.: Absorpta est mors in victoria. Quinto, et quia peccatum deletum est, necesse est, iusticiam regnare; et quia absorpta est mors, necesse est, vitam aeternam succedere. Proinde in iis, in quibus peccatum et mors deleta sunt, iam est cognitio Dei, fides, timor, dilectio proximi. Hoc est quod ait: Veritas vos liberabit, i. e. iam veraces eritis, cognita misericordia per fidem confidetis solo Deo, et ea fides liberabit ab omni iure peccati, quia vita aeterna est. Caro non potest Deo credere, sed contemnit Deum; credunt autem et timent qui in Christo sunt, ergo liberi sunt; ut si manus laboret stupore aliquo ita, ut suum officium facere non possit, serva et captiva fuerit, sin autem restituatur, tunc libera erit. Haec de libertate Esaias XLI.: Ut mederer contritis corde, praedicarem captivis indulgentiam, clausis apertionem. Et alias saepe.

Sexto, quia iusticiam spiritus praedicat Evangelium, ideo usum ceremoniarum vult libe-

rum esse, nec peccari, si non fiant, nec iustificari si fiant. Sed utitur spiritus externis rebus omnibus, prout postulat fides et charitas. Peccant, qui in hoc faciunt opera, ut per illa iustificentur; peccant, qui carnali temeritate violant. Sunt enim elementa mundi ceremoniae, quibus uti citra scandalum debemus.

Semen Abrahae sumus, et nemini etc.

Quod Iudaei respondent, se nunquam servisse, Augustinos eos simpliciter arguit mendacii. Ego de iure, non de facto loqui Iudaeos intelligo. Nam et ipsi ius causantur cum inquiunt: Semen Abrahae sumus, i. e. nulla gens autoritate divina regnat aut terram possidet praeter semen Abrahae, quod peculium Dei est, cui promissio facta est, ut dominentur omnium inimicorum suorum, Gen. XXII. Ideo liberi erant Iudaei. Quia enim lex habebat carnales iusticias, oportuit et locum dari populo carnalium iusticiarum conservandarum, ut duraret populus donec veniret Christus. Sed ad hanc carnalem libertatem retulerunt et prophetias de Christo Iudaei, Ezech. XXXIV.: Non portabunt amplius opprobria gentium. Et finxerunt carnalem quandam libertatem et carnale imperium, quo dominaturi essent omnium gentium etc., cum tamen vitam aeternam et regnum aeternum promiserit Deus, Hier. XXXI.: Sanctum domini non evelletur, et non destruetur ultra in perpetuum. Sicut et angelus Luc. I. promissiones exponit: Dabit illi dominus Deus sedem David patris eius, et regnabit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis. Porro, quia vita aeterna et regnum aeternum promissa sunt, necesse erat, mortem et mortis causam, peccatum tolli, sicut prima promissio indicat: Evae semen conteret caput serpentis etc. Itaque factus est Christus rex, parta libertas est, i. e. vita aeterna; peccatum et mors sunt evacuata. Haec libertas est incomprehensibilis carni, quam promisit Deus a principio, et praestitit in Christo. Et hoc est quod Apostolus Rom. IV. dicit: Abrahae promissam haereditatem mundi, quod est semini Abrahae, i. e. Christo promissum esse, ut sit haeres, i. e. dominus omnium, et in Christo cohaeredes omnes fratres eius. Semen Abrahae, i. e. cui promissa est libertas. Nemini servivimus unquam, id est, cum iam antea iure liberi simus.

Omnis faciens peccatum servus est.

Respondet Christus transferens rem ad servitutem et libertatem, de qua proprie factae sunt promissiones, quasi sic diceret: Nonne mors adhuc saevit in vos, et adhuc peccatis? ergo nondum liberi estis. Pater promisit veram libertatem, qua servitus fieret irrita: quam diu servitis peccato et morti, tamdiu adhuc servitis, ergo nondum liberi estis. Secundo, libertas promissa confert, ut sit in aeternum in domo is, qui factus est liber: solus filius in aeternum in domo est, ergo vos nondum liberi estis. Tertio, si solus filius in aeternum in domo est, ergo nemo liber erit, nisi quem filius liberaverit. Servus est peccati, adeoque reus mortis, et se liberare non potest, adeo nihil est liberum arbitrium. Servus non manet etc., i. e. non est haeres promissionum; ergo nec vos estis haeredes promissae libertatis, quia servi estis. Filius autem manet in aeternum. Ita simul accusat omnes homines peccati, cum solum filium asseverat manere in domo patris in aeternum.

Si ergo vos filius liberaverit.

Hic docet, quomodo nos et fiamus liberi, seu haeredes promissae libertatis, erimus autem, si filius nos liberet: ergo non liberamur nostris viribus aut operibus.

Scio, quod filii Abrahae sitis.

Scilicet, secundum carnem. Porro, semen secundum carnem non est haeres promissionis factae Abrahae, sed semen secundum electionem, hoc est, qui ea fide renati sunt, qua iustificatus est Abraham et factus pater non huius tantum populi, sed omnium gentium. Hi filii Dei sunt, iuxta illud: Qui non ex sanguinibus, sed ex Deo nati sunt, Ioann. I. Adeo nulla est praerogativa carnis, operum ulli homini prae alio ut iustificetur, sed donum Dei est fide iustificantis quomodocunque peccaveris.

Quaeritis me interficere.

Scilicet, quia carnale semen Abrahae estis, ideo quaeritis me interficere: iuxta illud: Et sui eum non receperunt. Psalm. XVII.: Filii alieni mentiti sunt mihi. Quia sermo etc., i. e. quia nec intelligitis nec capitis sermones meos, quia Dei sunt.

Ego, quod vidi apud patrem, loquor.

Videndi verbo utitur. Sicut enim cognitio patris est vita, ita excaecatio, quam operatur Satan, est mors, 2. Corinth. IV.: In quibus Deus huius seculi excaecavit mentes infidelium. Evangelium est manifestatio veritatis, ita ut si cor intelligit diffidentiam et fidem, contemptam Dei et timorem, cognoscat et iram et misericordiam Dei. Opus diaboli excaecatio est, ne illa cerni possint. Et sicut spiritus Dei agit sanctos ad ea, quae sunt Dei, ita et diabolus agit corda impiorum ad sua.

Pater noster Abraham est.

Cur damnas patrem nostrum, cum Abraham sit?

Si filii Abrahae estis, Abrahae opera facite,

id est, credite in me, nam Abraham fide iustificatus est. Distinguit iterum carnale semen ab electo semine. Semen carnale, populus operum, contendit promissionem ad se pertinere, et iustificat se ex operibus, sed populus fidei occupat, ad Rom. IX.

Nunc autem quaeritis me interficere.

Nam ideo odit mundus Christum, quia Evangelium eius veritas est, mundus autem mendax. Evangelium vetat fidere creaturis, sapientiae, iusticiae, operibus etc. Haec quia caro non audit, ideo damnat Evangelium. Iam hic observabis, quae sint christianae passiones, pati propter veritatem, et veritatem quidem a Deo auditam, id est, quam certus sis verbum Dei esse. Qui non sunt certi, non consistent.

Hoc Abraham non fecit,

immo credidit ita, ut contra spem in spem etiam crederet, cum occisurus esset filium, ut Rom. IV. habetur. Vos facitis opera patris vestri, scilicet, adeo Abraham non est pater, quia non fecit id, quod vos facitis.

Nos ex fornicatione non sumus nati.

Caro iudicat, nullos esse posse filios Abrahae praeter eos, qui ex ipso secundum carnem nati sunt. Item vides hic, quid ex carnali generatione colligant, scil. se esse populum Dei sanctum etc., quia semen Abrahae sunt, cui promissum erat: Ero Deus eorum. Libertas semini Abrahae promissa erat, et Christus negat, liberos esse eos, qui sunt semen Abrahae. Necesse est igitur, libertatem intelligas eam, quae vere est libertas, vitam aeternam, et filios Abrahae eos, qui sunt vere filii Abrahae secundum electionem.

Si Deus pater vester esset, diligeretis etc.,

scilicet, quia per eum spiritum regenerati essetis, qui est amor Dei. Atque hic iterum vides, distingui populum legis a populo Evangelii. Populus legis iudicat, se esse populum Dei, quia legem audierit: Christus damnat eum populum, et rursum exponit promissiones spiritualiter de eo populo, qui vere est populus. Dicit: Ego enim ex Deo processi, id est, natus sum ab aeterno, et veni, scilicet in mundum.

Vos ex patre diabolo estis, et desideria etc.

Describit hic regnum diaboli, et definit Christus, ex patre diabolo esse quicunque non credunt; ut et 2. Corinth. IV. dicitur: Deus huius seculi excaecavit corda infidelium; et Ephes. II.: Secundum principatum potestatis aëris, spiritus, qui operatur in filios diffidentiae. Coloss. I. dicitur, Christum eripere nos de potestate tenebrarum. Et in baptismo testamur, regnare Satanam in his, qui non credunt, cum imperamus ei dicentes: Exi immunde spiritus. Cap. XVI. vocat Satanam principem mundi; quod quid aliud est, quam Satanam habere obedientia corda omnium eorum, qui sunt ignorantes Christi? Deinde vide, quae hic opera Satanae tribuat, mendacium et homicidium. Mendacio blasphemat Deum, homicidio occidit genus humanum. Hoc agit in cordibus eorum, qui non sunt Christi ut mendaces sint, i. e. contemptores Dei, confidentes sibi ipsis. Sunt item homicidae, ut, se salvis, velint etiam omnia humana perdita esse. Et quia tales sunt omnes, qui non sunt in Christo, facile est cernere, cuiusmodi sint sapientia et iusticia humana, ut [3]) facile possis iudicare, quid possit liberum arbitrium. Hoc est, quod scriptura sic invehitur in sapientiam mundi. Fructus harum radicum eatenus promovet diabolus, quatenus permittit Deus, caedes, libidines, et ea omnia, de quibus Rom. I. dicitur: Tradidit eos in desideria cordium suorum. Ecce hoc regnum Satanae est, cui miseri tanta securitate fructificamus, obliti

3) *ut*] Seccr. non habet, sed Tub.

eius, quod Petrus monet: Fratres vigilate etc., leo rugiens. — Ab initio, scil. ut Genes. III. apparet. — Ex propriis, scil. cum nihil proprie in natura Satanae Spiritus sanctus agit [4]).

Ego autem si veritatem dico etc.

Verbi probandi summa et certissima regula scriptura est, ita ut praeceptum sit Deut. XIII., ne audiatur Propheta si quid docuerit contra scripturam, etiam si miraculis probet sermonem. Et addit, talibus miraculis a Deo tentari populum. Post verba [5]) miracula sunt. Marci ultimo: Domino confirmante sermonem sequentibus signis. Postremo est vita docentis. Exigit enim scriptura ab Episcopis, ut sint sine crimine, ut adversarius vereatur, nihil habens mali dicere de nobis, ad Titum II. et 2. Corinth. II. dicit, evangelizandum esse non adulterato verbo Dei ex sinceritate in Christo. — Quis ex vobis, i. e. quia comprehendi vita mea non potest, negare non potestis propter vitam, me ex Deo esse, cum testis etiam scriptura est, quem testificantur etiam miracula.

Qui ex Deo est, verbum Dei audit.

Et hic locus testatur, vires humanas non posse audire, i. e. credere verbo Dei, sicut et supra dixit: Omnes erunt theodidacti. Nonne bene dicimus, quia daemonium habes? id est, ideo quod neges nos audire verbum Dei, qui tamen populus Dei sumus.

Ego daemonium non habeo.

Id convitium refellit, quo proprie doctrina blasphemabatur, quod sentirent, doctrinam Christi ex diabolo esse.

Sed honorifico patrem meum.

Implens ministerium, ad quod ille me misit, praedicans gloriam eius, nam Evangelio revelato praedicatur gloria Dei, Esaiae XXX., cum tamen ille suam honorem mecum communicet, Ioann. X.: Omne iudicium dedit filio, ut omnes honorificent filium, sicut honorificant patrem.

Si quis sermonem meum servaverit.

Haec est proprie Evangelii praedicatio, quia Christus venit, ut, regno peccati et mortis destructo, regnum iusticiae et vitae aeternae constituat. Esaiae LIV.: Videbit semen longaevum. Quare necesse est, ut verbum Christi, quia per hoc regnat, iustificet et vivificet. Iam si solum verbum Christi iustificat, et vivificat, ergo non opera nostra, non vires nostrae, sicut supra ait: Qui credit in me, in iudicium non venit; ita hic: Non videbit mortem, quanquam positurus sit corruptibile hoc et animale corpus, tamen non videbit iudicium, quod vere mors est, sed fides absorbet mortem et omnia peccata.

Abraham mortuus est.

Audita promissione vitae aeternae, et donandae quidem per verbum, et per verbum hominis morituri, ibi scandalizatur ratio: Et quia nihil sentit vitae aeternae, ut possit intelligere eam per verbum dari: et quia tam multa repugnare iudicat vitae aeternae verbum stultum: Crede in Christum hominem mortalem, et vives: propterea opponunt manifestam experientiam, Abraham mortuus est etc. Porro, haec est sapientia crucis, ubi vita et gloria latet sub cruce, morte et ignominia.

Si ego glorifico me ipsum.

Haec sententia et similes ad infirmitatem Christi pertinent et extenuationem, non aliter atque illud: Deus meus, Deus meus, utquid me derelequisti? Fuit enim ea exinanitio infra omnem captum seu aestimationem humanae mentis. Non enim temere dixit Ioannes: Et verbum caro factum est; et Paulus: Pro nobis factus est peccatum. Haec et crucem commendant, et consolantur pia corda similitudine Christi, et fidem confirmant, iuxta illud in Hebraeis: Habemus pontificem, qui potest compati. Immensus amor est, qui se in immensum extenuavit, ut nos glorificet. Et rursum immensa caecitas est humani cordis, non videntis, immo contemnentis etiam amplitudinem gratiae. Secundo, si Christus ait, suam gloriam nihil esse, cuius caro tamen non erat corrupta, quid est, quod nostra caro glorietur de suis viribus et operibus coram Deo? Tertio, fides ficta dicit hunc esse Deum, quem scriptura praedicat, et in hoc quidem non errat, sed tamen non novit eum. Fides non ficta non modo profitetur, hunc esse Deum, quem scriptura praedicat, sed et novit eum. Quid igitur interest? Utrique idem verbum habent, et verbo tantum

---

4) Verba: *ab initio* etc., in Tub. non leguntur.
5) *verba*] Tub. *verbum*.

cognoscunt, iuxta illud: Fides ex auditu est. Sed fides ficta non credit omni verbo; vera fides omni verbo credit, propterea etiam novit Deum. — Quarto, impii fatentur, esse Deum, sed quia non norunt, fingunt eum talem esse, qualem comprehendit ratio, hoc est, qui permittat nos nobis, ut iuxta prudentiam nostram curemus nostra, sentiuntque sicut illi Sophoniae primo: Non faciet bene dominus, non faciet male. Propterea rapiuntur ad opes, ad gloriam parandam etc. Item, cum nosse Deum sit scire, quod faciat misericordiam et iudicium, Hieremiae IX., id est, quod iudicet peccatum et misereatur credentium, illi nec iram eius nec misericordiam concipiunt, ideo nec metuunt, nec credunt, sed fidunt sibi ipsis. Econtra pii norunt, Deum facere iudicium et misericordiam, id est, fideli corde et vere credunt, quod odio habeat peccata, et peccata esse omnia opera humana, et rursum vere credunt, quod misereatur eorum, qui se illi credunt: ideo timent. Item de manu eius omnia bona in vita, morte, omnibus temporibus et casibus expectant. Sic definit notitiam sui Psalmo LXXVII.: Narrabunt filiis suis, ut ponant in Deo spem suam, et non obliviscantur operum Dei, et mandata eius exquirunt. — Non cognovistis eum, scil. neque iudicium neque misericordiam eius scientes. Filius novit patrem, ergo omnes, qui in filio sunt. Et si dixero etc., quia fides operatur confessionem.

Abraham exultavit, ut videret diem meum,

id est, revelationem mei, qui desideravit consolationem ex promissione de Christo, i. e. de remissione peccatorum. Et vidit, atque gavisus est; scilicet, accepit consolationem, ergo non mortuus est.

Caput IX.

Et praeteriens Iesus vidit.

Quia lex promittit bona bonis, et minatur tristia malis, ratio sic colligit: hic affligitur, ergo peccator est et a Deo reiectus; hic fortunatus est, ergo pius est, et Deo charus. Quin et nostra ratio sic apud sese sentit: Deo charus sum, quia fortunatus sum; Deus odit me, quia affligit. Et cum videt palam omnia malis secunda esse, meliores affligi, damnat iudicium Dei, negat Dei providentia res humanas regi. In Ecclesiaste Salomon eadem argumenta rationis perstringit cap. IX.: Hoc pessimum est inter omnia, quae sub sole fiunt, quia eadem cunctis eveniunt. Unde et corda filiorum hominum implentur malitia et contemptu in vita sua, et post haec ad inferos deducentur. Et amici Iob argumentantur: Peccator es, ergo affligeris. In hanc sententiam etiam hoc loco quaerunt discipuli: Quis peccaverit? ipsene caecus, an parentes? quia primo praecepto minatur Deus, vindicaturum se in tertiam et quartam generationem. Memorabilis hic locus est, et ad confirmandam fidem, ne in afflictione desperemus, quia pauperes evangelizantur, et ne sinamus dimoveri nos a vocatione nostri, cum videmus ob oculos positos opulentos, celebres, quorum similes esse cupiunt infirmae mentes. Propter hoc scandalum crucis saepe Psalmi et Prophetae consolantur. Psalm. IV.: Multi dicunt, quis ostendit nobis bona? Psalm. LXXII.: Ecce ipsi peccatores et abundantes in seculo obtinuerunt divitias. Et dixi: Ergo sine causa iustificavi cor meum. Propterea Christus respondet: Neque hic peccavit, neque parentes eius, non quod simpliciter non habuerint peccatum, (nam id hic non quaeritur, et peccatum infra in parentibus arguitur), sed non ideo, quia peccarint, hic caecus est: Dei voluntate illi crux imposita est, et ut glorificetur Deus per ipsum. Hic causam, non ipsius peccatum causatur Christus, docens, ut patienter sustineamus voluntatem Dei, et qui sic ferunt operari in illis, tentationum fructum consequuntur[1]). Manifesta sunt opera Dei in tolerantibus: id est, in hoc tentari sanctos, ut ex tentatione cognoscant voluntatem Dei. Rom. V.: Afflictio potentiam, patientia probationem, i. e. cognitionem divinae voluntatis. Et: Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, Rom. VIII.

Quis peccavit, (siquidem lex punit peccatores), hic aut parentes eius, ut caecus nasceretur? — Sed ut manifestetur etc., i. e. ideo cruci affigitur[2]), ut nomen Dei in eo glorificetur. — Venit nox, scil. ubi non apparebo, cum non praedicatur Evangelium. Quam diu sum in mundo, i. e. quam diu praedicatur Evangelium. Generali sententia vindico, diem esse[3]) Evangelium,

---

1) Tub. *et quo sic ferant, operam in illis tentationem fructum, quia sequitur.*
2) *cruce affligitur* videtur scribendum esse.
3) Tub. *esse oportere.*

noctem vero ignorationem Evangelii. Evangelium enim lux est, Esaiae IX.: Habitantibus in regione umbrae mortis lux orta est eis. Et Ioann. I.: Verbum est lux. Nox seu tenebrae ignoratio verbi Dei est; Luc. I.: illuminare iis, qui in umbra mortis sedent. Porro quod ait, neminem posse nocte operari, quid aliud significat, quam ubi deest verbum Dei, ibi non posse nos opera Dei operari? Per verbum enim domini movebant castra, Numer. IX. Et Psalm. CVI.: Misit verbum suum et sanavit eos. Esaiae VIII.: Quod si non dixerint iuxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Damnatur igitur quicquid ratio potest non illuminata verbo Dei. Totus ordo christianae vitae ex hac historia colligitur. Primo, tentatio vel afflictio opus est divinae voluntatis. Secundo, fructus tentationis, ut inde veniamus in notitiam gloriae Dei. Tertio, fit hoc operante verbo in nobis, quia natura per sese non potest in poenis gloriam Dei cernere. Quarto, exercetur fides, cum ducimur ita, ut ipsi ignoremus consilium voluntatis divinae, sicut Ioseph in Aegyptum ductus est. Quinto, renovati confitemur. Sexto, inimici Christi requirunt adversus opus [4]) eius etiam divina testimonia [5]). Septimo, eorum qui Christi sunt, non est par fides, sed sunt infirmi quidam, quos tamen non aspernatur Christus. Octavo, Christiani contemnuntur sicut testacea vasa. Nono, Christus solus iudicat de verbo suo, excaecat videntes, et illuminat caecos. Est enim lapis offensionis et petra scandali, Rom. IX. — Nos scimus, quia homo peccator est; quia neque scripturis, neque testimonio Ioannis neque miraculis credebant.

Nunquid et nos caeci sumus?

Scilicet, qui tenemus legem Dei et facimus? Respondet Christus: Si caeci essetis, i. e. si cognosceretis caecitatem vestram, et velletis illuminari per lucem. Nunc quia ipsi vos illuminatis et sequimini rationem vestram, ideo caeci estis.

Caput X.

Augustinus laborat in connectendo huius capitis initio cum fine superioris capitis in hunc modum: multos esse iusticia legis praeditos, quales ii fuerant, qui dixerunt: Nunquid et nos caeci sumus, qui tamen, quia non credant, non salventur, qui non ingrediantur per ostium. Sic ille. Ego, si omnino velis connectere, sic puto cohaerere. Pharisaei profitentur, se audire et docere verbum Dei, adeoque pastores esse. Iis Christus hoc opponit, se solum esse pastorem, se esse ostium: nec doceri nec cognosci posse patrem, nisi per se, Christum, intretur. Atque haec huius parabolae summa est. Pertinet enim non ad pastores tantum, sed et ad auditores verbi. De suo officio loquitur, quod ipse solus sit, qui pascit, quasi sic dicat: Vos Pharisaei pascitis, sed depravato verbi Dei, quia humanam tantum iusticiam in lege docetis, et iudicatis iusticiam Dei esse carnalia opera, cum et lex iusticiam Dei doceat, et ea omnino cognosci non possit nisi me pascente.

Qui non ingreditur per ostium.

Parabolam Christus ipse exponit. Primam partem: Qui non ingreditur per ostium, sic exponit: Ego sum ostium; sicut et discipulis interrogantibus viam ad patrem respondit: se esse viam, ita hic se vocat ostium et ostiarium, quod ipse sit, qui revelet seu ostendat patrem credentibus. Sicut et supra Christus lux vocatur, quia illuminat homines, ita hic ostium revelat patrem. Antithesis explicabit rem clarius. Pharisaei legem docent et audiunt, et tamen Mosi vultus velatus est; iusticiam mundi seu hominum docent, discunt et faciunt: Et iudicant, se satisfecisse legi divinae illa carnali simulatione operum; volunt item pro peccatis per opera satisfacere, sed falluntur. Qui agnoscunt autem peccatum, et credunt in Christum, illi sine operibus satisfaciunt, vere iustificantur, illis vere revelatur misericordia patris. Sicut ait Paulus 2. Corinth. III.: Cum conversus fuerit ad dominum auferetur velamen. Est ergo haec sententia: Ego sum ostium, i. e. revelo patrem. Et hoc est, quod postea subiicit: Ego sum ostium, per me si quis intraverit, id est, si cui reclusero vel discussero tenebras, ingredietur, scil. fide: et egredietur, scil. confessione, docendo et omnibus bonis operibus. Et pascua inveniet, id est, verbum vitae.

Omnes, quotquot ante me venerunt,

scil. per illud ostium ingressi, item qui se pro pastoribus haberi volunt, illi fures sunt. Ipsa

4) Secer. *opes*, mendose. 5) Tub. *eius et testimonium*.

comparatio docet, de quibus loquatur, cum inquit: Omnes quotquot venerunt, de his scilicet, qui non sunt ingressi per ostium, de quibus supra dicit: Qui aliunde ascendit, fur et latro est. Porro, non ingredi per hoc ostium, est afferre aliud verbum, quia ostium est, quo revelatur pater, verbo autem revelatur, quare non ingredi per hoc ostium, est aliud verbum afferre. Item quia se cum pastoribus confert, de iis loquitur, cum ait: Omnes qui venerant etc., qui se pro pastoribus haberi voluerunt, hi fures et latrones sunt. Dupliciter, primum quia sentiebant suam doctrinam satis esse ad salutem, eam esse quae pascerit, cum tamen non sit intellectus verbi nisi aperiente Christo et velut recludente ostium; secundo, quia novas etiam traditiones comminiscebantur, quas putabant ad parandam salutem conducere. Cuiusmodi et apud nos fuerunt latrones, qui hoc opus, hunc cibum illum ordinem docuerunt, conducere ad salutem.

Fures et latrones.

Quia primum hoc agit impia doctrina, ut decipiat, 2. Cor. XI.: Sicut serpens Evam seduxit astutia etc., quia omnis doctrina praedicat opera, laudat vires humanas, promittit salutem in iis, in quibus non invenias: confortat manus impiorum, contristat cor iusti, Ezech. XIII. — Et non audierunt, scil. quia nemo rapit eas de manu pastoris Christi. Fur non venit nisi ut furetur, id est: ut decipiet, decepti pereunt.

Ego veni, ut vitam habeant,

id est, benedicantur omni benedictione spirituali, et saginentur. Hactenus prima pars collationis proposita est. Primo, pastor bonus ingreditur per ostium. Aptatio: Ego ipse sum ostium et pastor; ostium, quia ego revelo patrem; pastor, quia verbo iustifico, vivifico, pasco etc. Antithesis: Qui non ingreditur per ostium, latro est. Aptatio: Venerunt, qui non ingressi sunt per ostium, hic ergo latrones fuerunt. Summa: Solum verbum Christi pascit, vivificat, neque vivificat verbum nisi ipso Christo recludente ostium et pascente.

Ego sum pastor bonus.

Secunda pars parabolae. Sicut bonus pastor salutem ovium periculo vitae suae emit, ita ego animam meam pro ovibus pono. Dixi supra, Christum de suo proprio et perpetuo officio loqui, scilicet, quod ipse vere pascat et vivificet. Propterea hic mentionem facit mortis suae, qua emit vitam ovibus, factus pro eis peccatum et maledictum, ut peccatum et maledictio evacuaretur. Estque hic locus amplissima consolatio credentibus, ubi Christus se testatur excubare pro ovibus, ne qua irruat lupus, ut credant confidentius conscientiae, sibi cum in morte tum in aliis aerumnis praesentem pastorem esse. Ezech. XXXIV. promittit ad eundem modum dominus, sese pasturum oves etc., sicut visitat pastor gregem suum. Et haec quidem de proprio officio Christi dicuntur, qui servat. Et ut sciremus servaturum, morte testatus est, eamque velut pignus voluntatis suae reliquit. Nunc qui omnes ministros verbi vult Christo addere, ille hic observet, mortem esse signum apostolatus. Sed ego interim de proprio Christi officio exponam. — Sum pastor bonus, quia mea anima redimo oves. Mercenarius est, qui sua quaerit.

Et ego cognosco meas.

Tertia pars parabolae locum habet dignissimum observatione, quod pastor oves novit, et illum vicissim oves norunt. Primum, quod Christus novit oves, commendat suam solicitudinem nobis pro ovibus, et quod vocat eas nominatim pertinet ad hoc, quod alias oves aliter vocat. Discrimina sunt donorum, vocationum, officiorum, quae ipse pro suo arbitrio partitur.

Secundo, quod oves noverunt ipsum, hoc significat, oves habere testimonium cordis sui, et vere credere, quod hic vere sit Christus pastor et vivificator, et in verbo Christi posse clamare: Abba pater. Hoc est, quod Esaias inquit: Omnes erunt theodidacti. Et Hieremias: Cognoscent me omnes a minimo usque ad maximum. Vides autem hanc partem non posse vulgari in reliquos verbi ministros, sed proprie ad Christum pertinere. Nam sequitur: Sicut novit me pater, et ego cognosco patrem, i. e. non sicut mundus novit vel me vel patrem: sed pater novit, me esse filium, propterea glorificat me tanquam filium, et ostendit me aliis esse filium: et ego vicissim glorifico patrem etc. Sic oves norunt et glorificant me filium quemadmodum pater ostendit me eis, sic etiam oves norunt patrem.

Sed alias oves habeo,

id est, gentium Ecclesias. Quartam partem subiicit, unde sint oves, posteaquam de pascendo satis multa dixit.

Quae non sunt ex hoc ovili,

i. e. ex Israël secundum carnem. Nam in Christo oportuit benedici omnes gentes, Genes. XII.

Et illas oportet me adducere,

quia Christi potentia et efficacia fit, ut credant. Deus enim dat incrementum, ut 1. Corinth. III.

Et vocem meam audient,

scilicet, quanquam per alios ministros, tamen Christi vox est, quae innovat et illuminat audientes.

Et fiet unum ovile et unus pastor.

Ecclesia ex Iudaeis et gentibus per misericordiam collecta. Unus pastor, Christus, qui corda omnium credentium pascit et renovat. Quia de adducendis gentibus paullo ante locutus est: necesse est, intelligi hanc sententiam: Erit unum ovile et unus pastor, de Ecclesia iam collecta ex gentibus et Iudaeis. Coepit impleri sententia, quum primum est Evangelium in gentes praedicatum, implerique ad eum modum necesse est, sicut coepit, ad finem usque mundi. Haec dico, ne quis imaginetur, adhuc superesse novum quendam Ecclesiae statum, in quem gentes coëant, et externo ritu conveniant. Alioqui si nondum coepta est impleri prophetia, non fuit hactenus pastor Christus. Et quia Christi pastura et regnum non est visibile vel corporale regnum, sed regnum fidei, (hoc est illuminans et renovans corda cognitione Dei, quae fides est), quae cognitio seu fides, quia e promissione seu verbo de Christo oritur, ideo regnum fidei, proprie regnum Christi dicitur, quod a promulgato Evangelio durat, donec glorificati fuerint sancti. Tum enim tradetur regnum patri, i. e. tum non erit regnum fidei, cognoscendi patris per verbum Christi, sed erit regnum gloriae, cum patrem cognoscemus quemadmodum cogniti sumus. Primo Christus ait, se esse ostium, et ostiarium, qui revelet patrem; ergo ratio non revelat patrem. Item, se esse pastorem, qui pascat, non occidat. Secundo, se morte sua vitam ovibus redemisse, et morte testari, quod solicitus sit pro ovibus. Nunc si ipse morte sua nos redemit, ergo non redimunt opera, sed ex fide iustificamur. Tertio, quod cognoscat oves, et vicissim ab illis recognoscatur, sicut revelat eum pater. Quarto, oves esse gentes et Iudaeos.

Propterea me diligit pater,

scilicet ideo me pastorem fecit, quia pono animam meam, id est, quia morior, ideo glorificat, iuxta illud Psalm. CIX.: De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput. Item Psalm. LXVIII.: Placebit Deo super vitulum novellum. Et Esaiae LIII.: Si posuerit pro peccata animam suam, videbit semen longaevum, i. e. in aeternum regnabit, et voluntas domini in manu eius dirigetur. Describit autem in hoc loco regnum suum, quale id futurum sit, tale scilicet, se passurum esse, et quia sit patri obediens, futurum, ut eum glorificet et regem faciat, esseque glorificaturum cum resurrexerit. Nam Iudaei sperabant carnaliter et mundi more regnaturum Messiam. Quare sicut supra reiicit oves Israël carnales, ita hic quoque docet, regnum spirituale futurum esse.

Et iterum sumam eam,

id est, resurgam. Primum hic observabis, quod, sicut per crucem Christus est glorificatus, ita oportet et nos similes fieri imaginis filii Dei, Rom. VIII. Mors et omnes afflictiones sunt instrumenta, quibus paratur gloria filiis Dei. Secundo, qui in tentatione sentit se voluntati Dei parere patiendo, illius cor quiescet et sabbatizabit: sicut Christus dicit, se passurum esse, non quia hoc mundi furor cogat, sed quod sic patri placeat. Sicut Iob dicebat: Sicut domino placuit, ita factum est. Sic inquit Christus, ideo se passurum esse, quia ita videatur amanti patri. Qui sensus seu affectus vere fides est committentis se misericordiae et bonae voluntati patris, ut Psalm. XV.: Providebam dominum in conspectu meo semper etc. Et XXV.: Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, et complacui veritate tua etc.

Nemo tollit etc., sed ego pono.

In iis verbis: Ego ponam, ego sumam, prodita sunt argumenta divinitatis Christi. Sed praeter hoc vide, quomodo doceat nos in tentationibus spectare non externam vim sed voluntatem Dei, quasi sic dicat: Esto, invadant portae inferorum, tamen divina voluntate ponam, recipiam animam.

Utut furiant portae inferorum, sic nos sentiamus: Esto, persequatur mundus, eatenus tamen affligemur, quatenus divina voluntas sinet, non quatenus vult mundus.

Hoc mandatum accepi a patre meo,

id est, hoc praeceptum, quanquam penes me sit potestas, tamen a patre est. Hoc cum audirent Iudaei, dissensio iterum facta est, id est, audita praedicatione Evangelii de eo, quod solus Christus pastor sit, solus, qui revelet patrem.

Multi dicebant, daemonium habet.

Hoc est quod Apostolus dicit, Iudaeis scandalo esse Evangelium, id est sanctis prae se ferentibus verbum Dei. Nam hi praedicationem verbi Dei ex diabolo esse dicunt. Gentibus autem stultitia est Evangelium. Quid est enim stultius rationi quam ordinationes humanas, omnium hominum opera damnari, tranquillitatem publicam turbari? Sunt item qui dicunt: Haec verba non sunt daemonium habentis, quia oves agnoscunt verbum et testificantur de verbo.

Facta sunt autem ἐγκαίνια.

Ἐγκαίνια novalia dici possunt; *ἐγκαινίζειν* innovare significat. Hoc festum receptum est ex Machabaeorum libris, et a Machabaeis institutum, non a Mose. Celebrabatur autem fere mense Decembri.

Loquor vobis, et non creditis.

Quia non veni talis, qualem vos desiderabitis. Non stabilio hoc corporale vestrum regnum, condemno impietatem vestram, condemno opera et iusticias vestras, quanquam istae videantur secundum legem fieri.

Opera, quae ego facio, testimonium etc.

scilicet, quod sum Christus, quod vos non estis ex ovibus, sed ex Satana. Nemo enim ad me venit, nisi pater traxerit eum. Vitam aeternam do eis, adeoque gloriam, sapientiam, iusticiam etc.

Ego et pater unum sumus.

Ergo neque de meis manibus extorqueri poterunt oves meae, quia patris potentia mea potentia est, et mea patris. Micheae V.: Stabit et pascet in fortitudine dominus, in sublimitate nominis Dei sui.

Quia ego dixi, dii estis.

Non negat Christus hoc loco, ut videri potuit Pharisaeis, se natura Deum esse, sed figura orationis incredulos Pharisaeos confundit, ut excaecentur. Et primum quidem in eo clare explicavit, se natura Deum esse, cum inquit: Quem pater sanctificat, et misit in mundum; ubi se discrevit ab auditoribus verbi Dei, argumentatusque est ex minori: si [1]) dii sunt auditores verbi, quanto magis est Deus is, qui sanctificatus est a patre, ut salvet, et missus, ut auditores verbi faceret participes gloriae Dei, iuxta testimonium Prophetarum, Esaiae IX.: Deus fortis pater futuri seculi, princeps pacis; et XLII.: Dedi spiritum meum super eum, et aperiat oculos eorum. Item LXI.: Spiritus domini super me, ut ponerem fortitudinem lugentibus. Et Hieremiae XXXIII.: Faciet iudicium et iusticiam etc., et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Deus iustus noster. Deinde sicut scriptura praedicat, omnia esse subiecta homini propter Christum, item, sicut dicit, creatum hominem ad imaginem et similitudinem Dei, ita certe appellatio Dei competit homini propter Christum, per quem similes Dei simus renovati spiritu eius, luce, sapientia et iusticia Dei, ut Apostolus 2. Cor. III. inquit: Transformamur a claritate in claritatem tanquam a domini spiritu.

Caput XI.

Erat autem quidam languens Lazarus.

In historia resuscitati Lazari non quaeremus allegoriam, ut Lazari morte repraesentetur animae mors, et hoc genus alia. Sed factum ipsum consyderandum est. Et primum quidem, quia morte et omnibus malis mundi mulctamur iuxta illud Genes. II.: In quacunque die comederitis ex eo morte moriemini; et Gen. III.: In laboribus comedes ex ea etc. Oportet intelligamus haec mala, non intelligemus autem nisi in Christo. Secundo, Christus promissus est, qui liberet nos ab iis malis omnibus et det vitam aeternam. Propterea de morte ipse iam novo modo pronunciat, dicens, mortem non esse mortem, morbum non esse morbum. Et ut hoc testetur, non ipse modo

1) *si* Tub. sed Secer. *sed*.

sua resurrectione docet, mortem esse evacuatam, sed etiam aliis resuscitandis. Item ostendit in aliis calamitatibus humanis, utpote de inopia, Matth. XVI. de oblitis panibus etc. Tertio, cum ait: Haec infirmitas non est ad mortem, sed ut glorificetur filius Dei per ipsam, lex sic sentit esse poenas, Christus contra instrumenta esse pronunciat, quibus glorificetur Deus. Vult enim glorificari in nostra infirmitate adversus fortia mundi; 1. Cor. I.: Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma elegit huius mundi etc. Vides igitur, crucem esse instrumentum gloriae Dei. Proinde quae cuique crux pro sua vocatione Dei [2]) imposita est, eam sic ferat tanquam instrumentum quo sit glorificandus Deus et serviat suae vocationi, et oculi eius recta videant, id est, recta pergat nec declinet ad ea, quae carne videntur. Quarto, id non fit, nisi praecedente Christo, ceu columna nubis et ignis, i. e. nisi verbo Christi fueris erectus et animatus, ut sentias, te gloriae Dei instrumentum esse. Non poteris durare, quia hic dicit: Ego sum resurrectio et vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet. Nihil hic ratio, nihil opera humana efficiunt. Quinto, caro quaerit, quaenam sint bona opera, non intelligens, has afflictiones, divinitus nobis impositas, vere bona opera esse, quum fide feruntur. Propterea fingit varias formas vitae neglecta vocatione etc., iam hoc, iam illud orditur. Sic enim inquit Esaias: Omnes erravimus.

Sexto, summa summarum hoc agit Christus verbo, quo promissa est vita; ego sum resurrectio et vita, est additum testimonium resuscitati Lazari, ut sicut vides resuscitatum esse Lazarum, ita nihil dubites, quin eiusdem verbi potentia tu quoque sis resuscitandus et servandus, qua ipse est servatus. Sunt autem et affectus Christi considerandi, ut inde voluntatem eius cognoscas. Primum ipse ultro abiit in Iudaeam, nondum rogatus a mulierculis. Secundo, cum ad mulierculas pervenit, iam illae, ceu desperata re, nihil petunt. Tertio, commovetur acerba et vehementi affectu cum [3]) indignatione quadam adversus regnum mortis et commiseratione nostri, ita ut lachrymetur. Quarto, iterum interpellat incredulitatem Marthae. Matthaei IX., cum archisynagogi filiam suscitaret, ridebatur etiam a tibicinibus, id est, Pharisaeis et Scribis. Quinto, docet ipse, cur haec omnia fiant, scil. ut crederetur, adeoque ut confundarentur increduli et confirmarentur credentes.

De ferendis afflictionibus.

In afflictione aut sentitur amor Dei, aut de voluntate Dei erga nos dubitatur. Sentitur amor Dei, cum fide erecti sentimus bona voluntate Dei nos tentari, speramusque fore, ut pro misericordia sua afflictionem finiat pater, iuxta Psalm. XC.: Quoniam in me speravit, liberabo eum. Et iis, qui sic sentiunt, tentatio non est tentatio. Neque vero cognosci bona voluntas potest nisi in Christo, hoc est, nisi corde per verbum gratiae Christi confirmato etc. Econtra, qui de voluntate Dei erga se dubitant, hi non ferunt fide tentationem, sentiuntque perinde atque illi, Ezech. VIII.: Non videt nos dominus, dereliquit terram, ubi dominus arguit desperabundos.

Domine, quem amas, infirmatur.

Muliercularum hoc loco affectus hic fuisse videtur: Domine, quia amas, ideo servas. Sic cum sentit fides, quia amat pater futurum, ut non deserat.

Infirmitas haec non est ad mortem.

Haec nova vox est nova praedicatio, iuxta id, quod ipse dicit: Pauperes evangelizantur. Evangelium est eiusmodi praedicatio, quae docet, afflictiones, paupertatem etc. esse instrumenta gloriae Dei, non maledictionem. Lex docet esse poenas et maledictiones mortem et omnia tristia etc. Christus sublata lege mutat poenas in instrumenta salutis, et morte vincit mortem, quia vult Deus infirmitate nostra adversus fortia mundi glorificari, 1. Corinth. I. Ergo dicit: Ut glorificetur filius Dei per eum, i. e. ut confirmetur fides credentium, et confundantur increduli.

Tunc quidem mansit in eodem loco.

Sed vide, quomodo agit Christus cum afflicto. Audit aegrotantem, nec festinat. Deinde iter ingreditur primum ubi intelligit, extinctum esse Lazarum. Hoc est, quod Paulus Rom. XII. iubet instanter orare, id est, si non consequamur subito id quod quaerimus, non desperemus,

2) *Dei* abest o Tub. 3) *affectu cum*] Tub. *affectus*.

sed pergamus orare et sperare etc. Vult enim exerceri et corroborari fidem nostram, vult intelligi, dona sua esse quae petimus, vult agnosci suam misericordiam. Sic Habac. II.: Adhuc visus procul, et apparebit tandem in finem, non mentietur. Christus vero etiam differt tantisper, dum emoriatur Lazarus, ut ostendat, et in media morte sanctis spem esse, quod in Abel Gen. IV. exhibitum est.

Nonne duodecim sunt horae diei?

i. e. non est perpetuus dies, non est perpetuum tempus ministerii mei.

Si quis ambulat in die, non offendit,

i. e. dum hoc tempus ministerii mei durat, non licet mihi vacare, et serviens meae vocationi non offendam, non impingam, id est, quicquid acciderit, bona voluntate Dei [4]) accidet, cui servio. Hic Christus monet, serviendum esse vocationi, sicet et Rom. XII. et 1. Corinth. XII. Secundo, consolatur eos qui patiuntur persecutionem dum vocationi suae serviunt, ut 1. Petr. 1.: Paulisper, si opus est, contristati. Exemplum habes infirmitatis apostolicae, qualia sunt multa passim in Evangelio, quibus corda nostra confirmari oportet, ut credamus, eum tolerare peccatores et insipientes. Item, ut sicut ipse Apostolus tulit, discamus et nos suam infirmitatem in fide et moribus tolerare, iuxta illud Rom. XV.: Unusquisque nostrum placeat proximo in bonum ad aedificationem etc.

Ut credatis,

ut confirmetur fides omnium credentium, ut cernent, etiam in media morte dominum praesto esse.

Eamus et nos, ut moriamur.

Sicut Petri audacia et lapsus, ita et huius audacia hoc loco et incredulitas infra exhibetur, ut discamus, non esse nostrarum virium credere. Sic et 2. Cor. IV.: Ut sit sublimitas virtutis Dei, non ex nobis. Multi ex Iudaeis, i. e. qui omnes testificantur de facto.

Martha ergo, ut audivit etc.

Sicut in Evangelio Lucae conferuntur Martha et Maria, ita hic quoque Martha repraesentans operum vitam [5]), venit obviam. Maria domi sedet, nec exit obviam priusquam evocaretur.

Domine, si fuisses hic, frater meus etc.

Quod ad Rom. X. ait Paulus: Quomodo invocabunt in quem non crediderunt, et Matth. XXI.: Omnia, quaecunque petieritis, credentes accipietis; qui loci docent, et quid oratio sit, et quomodo sit orandum. Primum fides, id est, praesumptio misericordiae patris inchoat orationem, qua fide fit, ut credas, te exaudiri et impetraturum quicquid per illius gloriam concedi potest. Ideo Martha, certa quod Christus dilexerit Lazarum, fiducia eius amoris inquit: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus; neque vero in hoc subsistit, sed subiicit: Scio quicquid petieris: quasi sic diceret: Quanquam mortuus sit, tamen non dubito quin excitare possis, neque item dubito quin velis, diligis enim.

Resurget frater tuus. Scio quia resurget novissimo die.

Nondum sentit Martha, se exauditam esse, nondum coepit verbum hoc: Resurget frater tuus; sed laborat, iam nihil ultra communem sortem aliorum expectans, sicut solet infidelitas. Achas Esaiae VII., cum promittit ei dominus auxilium, non audit, negans se tentaturum dominum, sed uti pergit humano auxilio, quia nihil supra sortem communem expectabat. Econtra David congressurus cum Goliad, commeminit, quid acciderit ei antea praeter communem sortem, quare nunc etiam confidat, supra [6]) naturam affore dominum.

Ego sum resurrectio et vita.

Id est, ubicunque, quandocunque ego praesto sum, vita et resurrectio regnat. Propterea ne ad illud tantum tempus respicias, huc potius refer oculos, ad me, quoad eventus communes, quoad casus creaturarum consideras. Non vides? Me vide, qui resurrectio sum, iuxta illud Oseae VIII.: Ero mors tua, o mors etc.

Qui credit in me, etiamsi mortuus.

Quomodo autem resurrectio et vita ipse nobis fiat, iis verbis indicat: Qui credit in me; id

4) *Dei* desideratur in edit. Secer.

5) Tub. *vitam et operam.* 6) Tub. *contra.*

est, fide fio resurrectio et vita; noli quaerere signa, opera etc. Verbum habes: Resurget frater tuus; illi crede, et vives.

Ego credidi, quod tu es filius Dei vivi.

Hebraismus est: Ego credidi, pro: Credo, quod tu es Christus filius Dei vivi, atque adeo qui et mortem evacuas, haeres omnium et regnans in aeternum etc. Ne circumscribe tempus sic, ante scio quia resurget.

Abiit et vocavit Mariam.

Quod describitur, Martham tantum vocari, sequi testes non accersitos, in hoc fit, ut significet, de operibus Dei omnes homines testari, fructum autem operum Dei et consolationem pervenire ad vocatos. Sic sanctos afflictos vocat ad consolationem, ut interim nesciat mundus quid fiat, putet sanctos potius ad plorandum ire, dum videt eos tristissima quaeque pati. Sicut et filii Israël ex Aegypto educebantur, et Sophoniae III. Christiani populus pauper et egenus vocantur; et tamen eodem loco scriptum est: Non erit qui terreatur; item: Non timebis malum etc. Qui Mariam [7]) sequuntur testes sunt gloriae Dei.

Infremuit spiritu, et turbavit.

Fremitus indignatio quaedam est, quia commovetur Christus adversus regnum mortis, aestuans peccatum et mortem enervare, ut ostendat, se odisse regnum mortis, nec velle, ut pereat peccator, sed potius ut convertatur et vivat, Ezech. XVIII. Hi affectus arguunt et testantur Christi charitatem erga nos, et commovent, ut tuto alacriterque et nos credamus. Sicut ille ad Hebraeos inquit: Ut cum fiducia accedamus. Mihi fremitus ille et lachrymae ab eadem causa proficisci videntur, quod misereatur genus humanum: quod Iudaei sentiunt lachrymas expressisse amorem, quo Lazarum dilexerit, certe testificantur de charitate Christi.

Non poterat hic, qui aperuit etc.

Ad hunc modum solent opera divina blasphemari. Et huiusmodi voces audiunt conscientiae, quales illae sunt in Psal. XXI.: Speravit in domino. Item: Alios salvos fecit, nunc salvet se ipsum.

7) Secer. *Magdalenam*; ex mendo.

Nonne dixi tibi, quoniam si credideris etc.

Quia audisti me, scilicet, iam enim certificatus sum, fore ut resurgat Lazarus.

Pater gratias ago tibi, quoniam etc.

Quanquam Christus omnia referat ad patrem, Ioann. V.: Non quaero voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me; et Ioann. VII.: Qui quaerit gloriam eius etc.: tamen hic ait, se gratias agere, ut ostendat, cum patri opus tribuit, patris item voluntatem, verbum et verbi potentiam esse, quod verbum ipse praedicat, ut sciamus, flagrare patrem eadem charitate, quam exhibuit filius, ne dubitemus iustificari nos, quanquam careamus operibus, cum credimus filio. Siquidem filii praedicationem pater approbat. Speluncam mortem intellige, lapidem peccatum. Ligatus Lazarus vultu ac manibus pedibusque significat, Mosi faciem velatam. Quamdiu in iis sumus, non possumus videre in finem legis, i. e. Christum, ut Apostolus ait.

Collegerunt ergo Pharisaei et Pontifices.

Vide impietatem principum. Primum fatentur, divinitus geri quae fiebant a Christo, secundo per invidiam causantur regnum affectare, et [8]) praetendunt publicam necessitatem, scilicet, si Christus regnum invadat, Romanos bellum illaturos esse. Aaron interrogatus, cur vitulum fecisset, respondet, sed populo obsecutum esse id postulanti, scilicet, ne dispergeretur. Sic in rebus publicis fieri solet, ubi sine fide administratur res, metu delinquitur, quaeruntur praesidia secundum carnem. Sic volebant et principes Iudaeorum videri sentire, si pergat Christus, fortasse regnum invadet, si regnum invaserit, actum erit de nobis.

Unus autem ex ipsis Caiphas.

Quod Caiphas prophetizavit, quia pontifex erat, ergone pontifices, quanquam impii, pie prophetant? Respondeo, immo econtra; ideo propositum est exemplum, ut appareret, excaecari magistratus. Nam in hac prophetia sic est usus impio pontifice Deus, sicut est usus Pharaone tantum ad excaecandum eum et perdendum; ideo oportuit pontificem vaticinari, ut si-

8) *et*] Secer. *ut*.

gnificaretur, magistratus esse vasa irae. Neque enim intelligebat prophetiam Caiphas, sed sentiebat Christum e medio tollendum esse, ne qua foret inde materies belli Romanis. Neque credebat, Christum seductorem esse, sed vaticinabatur sicut asina Balaam, ipse nesciens quod [9]) vaticinaretur, et tamen hac voce Deus testimonium perhibuit sanctis, quod pro salute populi esset interemptus Christus. Talis erat et illa prophetia Matth. XXVII.: Sanguis eius super nos et filios nostros.

Proximum autem erat pascha Iudaeorum.

Quo ritu pascha veteris testamenti celebrari solitum sit, leges Exod. XII. Non dubium est autem, illo paschate significatum esse Christum, iuxta illud 1. Corinth. V.: Pascha nostrum immolatus est Christus. Deinde quia corporale pascha est, necesse est esse typum paschatos aeterni. Educebatur enim Israël ex Aegypto, ut benediceretur aeterna benedictione, quae erat promissa patribus. Interim hae benedictiones, quia corporales fuerunt, quibus nemo a peccato et a morte liberabatur, necesse est signa fuisse benedictionum spiritualium et aeternarum; sicut et Paulus inquit Coloss. II.: Nemo vos iudicet in cibo aut in potu, quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Atque hoc in universam legem velut elencho utere, quod quia lex non benedicit aeternis benedictionibus, ideo et iusticias carnis tradit et signa benedictionum spiritualium. Secundo, profectio ex Aegypto per mare rubrum haud dubie significat libertatem, in quam vocati sumus per Evangelium, quam libertatem per mare rubrum, hoc est mortem ingredimur. Nam Christo complantamur per mortem; oportet enim plane mortificari veterem illum Adam; 1. Cor. X. scribit Paulus, patres nostros omnes in Moysen baptizatos esse in nube et in mari in Moysen, id est per verbum Moysi, cum ille consistere iuberet visuros magnalia Dei. Quod per mare ingrediebantur, id est mortificabantur: quod nubes praecedebat, vivificabantur. Tertio, fuit pascha Iudaeis signum, quo admonerentur, quomodo ex Aegypto educti sint, ut apparet Exodi XII. et XIII. Porro, quia fuit praeteritae rei et corporalis monumentum, certe figurabat, melius pascha futurum esse. Propterea Hierem. XVI. scriptum est: Ecce dies veniens, et non dicetur ultra: Vivit dominus, qui eduxit filios Israël. Ergo illud corporale pascha evacuabitur etc. Pugnat igitur Hieremias cum Moyse, qui dicit, cultu sempiterno in generationibus vestris? Respondeo: Quia addit: in generationibus vestris, significat quod quam diu carnalis ille Israël durat, quam diu illa generatio populus Dei est celebrari hoc pascha debeat, quasi diceret: Ideo in vestris generationibus perpetuo duret hic ritus, quia vos carnalis Israël mihi iam populus estis, et vobiscum, carnali Israël, haec egi, ut testificarer, me memorem esse promissionis factae ad patres; ergo quoad duratis, celebretur hoc pascha; nam posteaquam apparuit Christus, iam illa carnalis generatio et ille carnalis Israël desiit esse populus Dei.

Annum Iudaei a vere ordiri adsueti.
Mensis iste vobis principium etc.

Quia de numeris nihil certi constituere possum, omitto cur primum mensem, cur decimum diem assignet. Quanquam quod principum esse mensium vult psschatos tempus, satis apparet, initium futuri seculi et revelandi Evangelii tempus paschatos esse. Secundo, quod iubet vicinos Israelitas accersi, si una domus non sit agno edendo satis, significat, Christum communiter cum vicinis, i. e. gentibus edendum esse. Tertio, agnus absque macula Christus est, qui cum non fecerit peccatum, factus est pro nobis peccatum: Oportuit enim nobis pontificem esse innocentem, cui non esset necesse pro suis peccatis hostias offerre, Hebr. VII. Est enim et hoc argumentum futuri pontificis, quod cum lex praecipiat pontifici interpellare pro populo, oporteat tamen ipsum interpellatorem pro sese interpellare; quo significatum est, non esse vere pontifices hos, qui et ipsi habeant opus aliquo, qui pro ipsis interpellet. Quarto, masculus, ad designandum et Christi regnum et potentiam verbi, Psalm. XXI.: Quoniam domini est regnum. Quinto, anniculus, quod tener sit et imbecillis Christus, ut appellat eum Esaias LIII.: virum scientem infirmitatem. Anniculum quidam exponunt integram aetatem habentem, et robur verbi significat. Sexto, quod apud nos legitur: iuxta quem ritum tolletis et hoedum, Hebraei habent: Ex agnis et capris tolletis, id est, de grege accipietis. Est autem idiotismus; significat enim Christum acceptum

9) *quod*] Tub. *quid.*

esse ex grege, id est, ex numero fratrum, adeoque et fratrem esse: Nec id modo, sed per omnia similem factum nobis, et tentatum secundum similitudinem sine peccato, ut et fiducia augerentur corda credentium commissura se fratri, et sciremus, illum compati, quia et ipse passus sit.

Septimo: universa multitudo, i. e. totus Israël ex gentibus et Iudaeis. Octavo: cum sic loquitur, quasi unicum agnum universa multitudo simul immolet, cum tamen in singulis fere aedibus singuli agni mactarentur: sed ita maluit loqui, ut indicaret, multis illis unicum Christum repraesentari. Nono: immolabit, scil. per confessionem fidei, per praedicationem Evangelii, ut Psalm. XLIX.: Immola Deo sacrificium laudis.

Decimo: ad vesperam. Vespera fere in scripturis significat tempus novissimum, quo Evangelium eatenus absconditum revelatum est, ut Gen. III.: Cum audissent vocem domini Dei deambulantes in paradiso vesperi. Undecimo: et sument de sanguine eius. Hyssopum iubet imbui sanguine, quo deinde adspergantur postes et limen. Hyssopo Evangelium significari, vel Psalmus L. testatur: Adsperge me, domine, hyssopo; auditui meo dabis gaudium Evangelio vero sanguis Christi adspergitur cordibus electorum. Adspergi vero sanguine Christi est sanctificari, ut 1. Petr. I.: In sanctificationem spiritus in obedientiam et adspersionem sanguinis Iesu Christi. Duodecimo: et ponent etc. Postes et superliminare universum aedificium significat, i. e. totam Ecclesiam, quam oportet adspersam esse sanguine Christi. Tredecimo: et edent carnem. Noctem vocat omne hoc tempus, quo durat regnum fidei usque ad revelationem filiorum Dei, cum regnum gloriae inchoabitur. Et nocte edent agnum: Evangelio pascentur. Sic enim edi vult Christus, ut ipse ait Ioann. VI.: Caro non prodest quicquam, spiritus est qui vivificat. Crudis herbis. Porro, Evangelium neque crudum sit neque coctum aqua. Crudum Evangelium dicitur iis, qui ipsi crudi sunt, id est, non mortificati; et coctum aqua iis, qui vitiatum sensu carnali, traditionibus humanis audiunt, ut nihil effecerit Evangelium in afflictis conscientiis, quae medicabantur sibi per satisfactiones et iusticias operum, quibus iam Evangelium non erat Evangelium. Decimo quarto: sed assae igni carnes sunt, quando puro Evangelio corda mortificata, et igne, hoc est, iudicio Dei consumpta reficiuntur. Decimo quinto: quod carnibus edendis significatum est Evangelium, eo pertinet, quod Evangelii potentia resurrectionem fieri et novam carnem parari, ertum est. Agnum Christum edi, est fide verbum concipere, eoque concepto renasci. Quod enim carnes edebantur, significata est resurrectio; sed quia haec non statim tota fit, sed subinde perficitur, donec intereat caro, ideo interim renatis opus est multiplici consolatione, sicut Paulus inquit: Abundet verbum Dei inter vos. Proinde per lactucas, vel potius per acidas herbas lex figuratur, quae subinde mortificat reliquias [10]) vetustatis internae, subinde evidentius revelat infidelitatem, insipientiam, et hypocrisim. Sicut Hieremias inquit XXI.: Postquam ostendisti mihi percussi femur meum. Per azymos panes significata est Evangelii consolatio, qua augescit cognitio Dei, fides, sapientia, timor, et omnes fructus spiritus, et sicut ait Paulus: Speculando gloriam domini in eandem imaginem transformamur. Caput cum pedibus et intestinis: qui carnaliter imaginantur Christum, quod omnino simulanter credunt, illis agnus sine capite editur, hoc est, in iis fides non est opus potentiae Dei, ideoque ignorant caput Christi, hoc est, potentiam Dei in Christo. Item, qui sine intestinis edunt, ii sine passionibus Christi simulant fidem. Qui sine pedibus edunt, ii non confitentur Christnm; propterea totum agnum edi oportet. — Renes vestros accingetis. Renes accincti exponuntur ad Ephes. VI.: Succincti lumbos in veritate. Significatur enim, sensum carnis premi debere verbo Dei, ut maneat in simplicitate fidei spiritus, ne assuat Evangelio aliquid etc. Item, calceamenta significare Evangelium, eodem loco docet Paulus: Calceati pedes in praeparationem praedicandi Evangelii. Tenentes baculum in manibus: pugnas verbi. Et edetis festinanter: festinatio fervorem significat, ardorem spiritus etc.

Caput XII.

Scopus huius historiae est, adeo respici fidem, non opus; fide omnia opera, qualiacunque et quantulacunque sunt, accepta esse. Nam re ipsa vile opus erat haec unguenti profusio. Sed fides faciebat, ut tanti fieret opus, quanta ipsa erat. Sic econtra, quantacunque sint opera, si

10) Secer. *reliquas*.

desit fides; maledicta sunt, iuxta illud Lucae XIII.: Manducavimus coram te etc., dicet vobis: Nescio vos. Quicquid agis, sic sentit cor tuum: Nescio utrum mihi bene velit Deus, an contra fortasse ipse te non respicit. Hic hypocritae consolantur se operibus, et quaerunt ingredi, et non inveniunt viam. Alii per desperationem ruunt in omnia genera vitiorum. Sancti concepto Evangelio et promissione salutis eriguntur, et confidunt misericordiae, et sentiunt, se respici a Deo, et ipsi vicissim gaudent corde facere omnia, quae praecepit Deus, vivere, mori. Ex hoc facile est intelligere, quid sit fides, ne quam fidem possis sterilem aut fictitiam imaginari. Maria repraesentat Ecclesiam, nardus verbum; pedes Christi, quibus nunciatur verbum; Iudas praedicatores legis, qui damnant opera fidei.

Sinite eam etc., ut in die sepulturae.

Nam in die sepulturae inungar ad sepeliendum, i. e. sinite, ut exhibeat mihi testimonium fidei suae, iam morituro, quod credat, Christum esse me sive vivam, sive moriar, quanquam persequatur mundus etc.

Pauperes semper habebitis.

His verbis amplificatur [1]) fides Mariae. Crux non est in pauperes aliquid conferre; crux est, in personam Christi aliquid conferre, quod hunc iam damnassent principes Iudaeorum, destinassentque morti. Porro fides evidentius declaratur in cruce quam in operibus quantumcunque speciosis extra crucem. Hoc est quod Christus probat officium Mariae, inquiens: Pauperes semper habebitis etc., i. e. volo pauperum rationem haberi, sed et hoc volo, ut in cruce testificemini de fide vestra. Et Mariae opus, quia testificatur de me in cruce, probo, quia tantae fidei opus est. Itaque ex iis intelligis, primum, neque afflictiones neque opera charitatis vel ceremoniarum respici a Christo sine fide, iuxta illud Psal. XVII.: Clamaverunt, neque erat, qui salvos faceret; sed fidem respici, quae aequat omnia opera et passiones. Secundo, praeferri afflictiones operibus, quod in afflictionibus fides se evidentius exerat. Ergo qui hunc locum pro ceremoniis allegant, prae quibus negliguntur pauperes, ii consyderent, crucem et afflictiones hic a Christo laudari, immo fidem exerentem se in cruce.

1) Secer. *amplificabitur.*

Et clamabant: Osanna benedictus etc.

Testimonium perhibent Christo, quod sit filius David et rex promissus in scripturis hi, qui acclamationibus praedicant eum. Quare et oportuit eum in urbem vehi publice. Sic enim et praedictum erat per Prophetam Zachariam cap. IX. Quod clamabant: Hosanna, i. e. salvifica, addunt reliqui Evangelistae: Hosanna filio David, i. e. salutem fac filio David, salva filium David. Porro, quid est quod nos illi salutem oramus, cum ab ipso potius nobis salus paranda sit? Respondeo, orari hoc Psalmo, ut Christus regnet, ut ipsi foeliciter procedat res, ut ipse glorificetur. Evangelium praedicat non nostram gloriam, sed Christi, non nostrum regnum, sed Christi. Et Christi salus est, regnare cum potentia Dei in cordibus sanctorum. Proinde canitur, ut Christo res prospere succedat, ut ipse regnet, scilicet, quod conscientiae agnoscant, extra regnum Christi omnia opera nostra peccata esse. Hosianna, i. e. salvifica. Benedictus atque adeo benedicens, vel potius benedictus Christus cum toto regno. In nomine domini, non in potentia creaturae, sed in potentia Dei. Rex Israël, promissus in scripturis, in Michea. Noli timere, quia hoc regnum regnum gratiae est. Filia Sion, tu Sion, totum regnum fidelium. Venit tibi, sed tanquam consolator conscientiarum. Haec non cognoverunt discipuli, quod oporteret eum secundum scripturas vehi in urbem. Recordati sunt accepto Spiritu sancto.

Pharisaei ergo dixerunt ad se.

Pharisaei persequuntur, quia Christi praedicatio non potest eis non esse scandalo. Docet enim Evangelium, iusticias humanas esse simulationem, insipientiam et ignorationem Dei, et fiduciam, quam faciunt opera vanam esse, iuxta illud Esaiae XXVIII.: Posuimus mendacium spem nostram. Haec cum ratio pharisaica non cernat, fit, ut damnet Evangelium.

Erant autem quidem gentiles ex his.

Pharisaei persequuntur, gentes excipiunt Evangelium. Et quia Christus non est nisi circumcisionis minister, ideo Apostoli ad Christum gentes adducunt. Nam per Apostolos erat Evan-

gelium praedicandum in gentes, quae hactenus fuerant populus sine Deo, futurus posthac non modo populus Dei, sed filii Dei, Oseae I. Incipit itaque Christus praedicare ds glorificatione sui, docetque fore, ut non glorificetur priusquam extenuatus sit, neque glorificari se illo concursu multitudinis, hoc est, externa gloria seu corporali regno etc.; esse aliam gloriam, scil. regnum internum, esse et aliam viam ad eam gloriam, scilicet per crucem.

Venit hora ut glorificetur.

Ignorantes fidei putant gloriam esse meam hoc regnum externum. Atqui instat aliud regnum, scil. spirituale, quo vere glorificabor, sed non nisi per crucem.

Nisi granum frumenti cadens etc.,

id est, nisi haec caro fuerit mortua. Solum manebit, i. e. non fructificabit. Egregia est haec crucis commendatio, mortem esse per quam fructum facimus; sicut ad Rom. VI. dicitur: complantatos morti Christi fructificare. Ratio et lex sentiunt, mortem esse poenam, et sicut Apostolus ait: Mors est stipendium peccati. Qui inserti sunt morti Christi, i. e. iis qui credunt, mors iam non poena est, sed transplantatio quaedem, ut si e sterili solo transferas plantam in feracius solum. Secundo, porro quia Dei gloria aeterna est, qua glorificatur totum Christi corpus, necesse est, hanc vetustatem mortificari. Ideo nihil ad Christi regnum pertinet, quia [2]) externam gloriam, libertatem sectantur.

Qui amat animam suam, perdet eam.

Nomine animae et vitae in hoc mundo comprehenduntur pia desideria carnis, ut sit sententia: Odisse oportere vitam carnis, i. e. omnia quae quaerit caro, omnia in quibus est huius carnis vita, gloriam, voluptates, opes etc. Ut Matth. XVI. dicitur: Qui vult me sequi, abneget se ipsum, et tollat crucem suam. Abneget, inquit, se ipsum, de tota natura, vita, cum energia carnis, locutus est. Secundo, qui fiet autem hoc? operibus ne et viribus liberi arbitrii? At liberum arbitrium non potest odisse, abnegare, resignare ex corde vitam, voluptatem et alia desideria carnis, ut haec sententia plane testificetur nihil posse liberum arbitrium. Purificantur autem corda fide, inquit Petrus in Actis, id est, ubi Deus gustum dederit misericordiae, iam cor ultro resignat et abnegat omnia desideria carnis.

Si quis mihi ministrat.

Qui ministrat quomodocunque in sua vocatione, me sequatur tolerando crucem et mortem. Ita demum tolerabitur crux, si credetur, quod sicut Christus glorificatus est, ita sint et hi glorificandi, qui credunt ei.

Anima mea turbata est, pater sanctifica.

Quod paulo ante docebat Christus, mortem esse viam ad glorificationem, id modo exemplo suo comprobat. Tentatur enim, neque id modo, sed et a patre iuvatur, ut sciamus, oportere nos tentari quemadmodum et ipse tentatus est. Et cum tentamur fore, ut consoletur pater non aliter atque filium consolatus est. Est enim Evangelium certa promissio auxilii et salutis, et Christus certum pignus auxilii et salutis. Cuiusmodi fuerit tentatio, ex iis verbis colligi potest: Pater sanctifica etc. in hanc horam, scil. ut patiar.

Non propter me, sed propter vos,

ut credatis, ad eundem modum vos quoque consolandos et iuvandos esse, sicut ego adiutus sum.

Nunc iudicium est huius mundi.

Hic Christus describit regnum suum, cum antea docuisset, carnale illud regnum non esse suum regnum. Evangelii praedicatio iudicat mundum; Rom. I. revelatur ira Dei super omnem impietatem et iniusticiam. Et Ioann. XVI.: Spiritus sanctus arguet mundum de iudicio, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Damnatur itaque mundus peccati. Voco autem peccata non ea modo, quae mundus damnat, ut sunt caedes, adulteria, sed et ea, quae damnare propter caecitatem mundus non potest, ut sunt ignoratio, contemptus Dei, incredulitas, quae omnia revelat et damnat Evangelium. Porro praedicatione Evangelii iam iudicatur mundus, quod iudicium conscientiae eorum sentiunt, qui Evangelio credunt. Novissimo vero die palam fiet hoc iudicium, ut glorificentur ii, qui crediderunt.

2) Tub. *qui.* Tunc vero etiam *pertinent* pro *pertinet* scribendum videtur.

Princeps huius mundi eiicietur foras.

Primum nota, a principe, (id quod supra diximus), id est, a Satana teneri captiva et impelli ad omnia genera peccatorum corda eorum omnium, in quibus non est spiritus Christi. Et Satan iam eiicietur foras, scilicet per Evangelium, quod est potentia Dei. Satan eiicitur, ut nihil possit adversos eos, qui credunt Evangelio. Hoc ergo dicit Christus: Hactenus non est praedicatum verbum efficax ad destruendas portas inferorum; iam nunc praedicabitur verbum, cuius potentia subigetur Satan, atque id erit Christi regnum, eiicere Satanam verbo suo. Ergo in eo regnat Christus, e cuius corde Satan eiectus est, et innovatum est cor cognitione Dei, fide, metu Dei, odio desideriorum carnis etc. — Eiicietur foras, i. e. evulgabitur verbum, quo a regno Satanae liberentur qui antea eius captivi erant, quo gignentur filii Dei.

Ego si exaltatus fuero,

id est, crucifixus, sicut et supra Ioann. IV.: Sicut Moses exaltavit serpentem in deserto etc. Omnes traham ad me, i. e. gentes et Iudaeos. Ad me ipsum, graecismus est; Latini dicunt simpliciter: Ad me.

Hoc autem dicebat, significans etc.

Christus hac tota concione de regno suo disserit, inde usque ab eo loco: Venit hora, ut glorificetur filius hominis. Exponit, quid sid regnum suum futurum, idque hoc epiphonemate clarissime exponitur. Duo regna proponuntur, regnum Satanae et regnum Christi. Regnum Christi sunt, in quibus iudicatus est mundus, et e quibus Satan eiectus est, i. e. quibus revelari coepit impietas cordis humani, in quibus mortificari coepit vetus Adam, et in quos effusus est spiritus Christi, qui eos agnitione Dei, timore Dei, fiducia animat, inflammat ad patienda et facienda omnia, quae exigit Deus. Vides, non in externa aliqua specie, ceremoniis, opere esse regnum Christi, sed in corde, ubi hoc iudicium sentitur. Regnum Satanae sunt, in quibus non coepit iudicari caro, quibus non revelatur impietas cordis; ii vacant timore Dei, agnitione Dei, fide, et apud se contemnunt Deum, et fidunt creaturis, alii sua potentia, alii sua sanctitate, alii opibus, alii aliis, cuiusmodi sunt omnes homines, quos non renovavit Spiritus sanctus. De his scribit Apostolus 2. Corinth. IV., Deum huius seculi, i. e. Satanam habere captiva eorum corda, ne illucescat in eis Evangelium. Porro quia captiva habet impiorum corda Satan, alios ad alia scelera impellit. Atque haec est illa egregia voluntatis humanae libertas, servitus, qua Satanae sursum ac deorsum sapienti paret, quia qui spiritu Dei vacant, eos necesse est subigi arbitrio Satanae, sicut in Saule, Iuda et aliis multis est cernere. Quomodo autem liberentur a regno Satanae, subiicit Christus: Ego, cum exaltatus fuero a terra, omnia mecum traham, id est, Christi mors destruit regnum peccati et mortis, ad Coloss. I.: Qui eripuit nos de potestate tenebrarum, et transtulit in regnum filii dilectionis suae etc.; et deinde: Pacificans per sanguinem crucis etc. Liberamur ergo a regno Satanae per Christi mortem credentes Evangelio, promittenti remissionem peccatorum impetrata morte Christi. Iam et mors Christi mortifica eos, qui in regnum eius transferuntur.

Significans, qua morte esset moriturus.

Scilicet fore, ut crucifigeretur, adeoque regnum suum est regnum crucis, ubi mortificentur pii, et tamen affluant sapientia, iusticia, vita aeterna quanquam mortificentur [3]).

Nos audivimus ex lege, quia Christus etc.

Esaiae IX.: Super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et iusticia; hoc est, ipse iudicabit et iustificabit inde usque in sempiternum. Et Danielis VII.: Regnum quod non corrumpetur. Haec citant illi. Observa pugnantiam. Iudaei sentiunt, regnum Christi fore mundanum et civile regnum, et tamen fatentur, Christum mansurum esse et regnaturum perpetuo. Ita suus impios sermo redarguit. Quomodo enim mundanum regnum fuerit aeternum? Haec vero rupes est, in quem impingunt Iudaei impii. Tota scriptura docet, regnum Christi esse administrationem internam, hoc est corda regi virtute, potentia, spiritu Christi, et sicut Prophetae dicunt: In diebus eius orietur iusticia et pax. Inserit enim Christus in corde credentium sapientiam, iusticiam, pacem etc. Impii vero intelligunt regnum Christi esse honestam quandam civilem ad-

---

3) *Significans, qua morte* etc. Tub. non habet.

ministrationem et iusticias operum, ubi iusti sunt, qui bene operantur. Sic non modo sentiebunt olim Iudaei, sed et nunc sentiunt nostri Iudaei, hoc est, doctores iusticiae carnis. At regnum Christi est iustificare spiritu et salvare credentes, nullo vel bonorum vel malorum operum respectu. Est et hoc observandum, quod, sicut Christus, quanquam moriatur, tamen regnat in aeternum: ita qui in Christo sunt, quanquam moriantur, tamen vivunt. Hoc est quod Prophetae dicunt, secure habitaturos, i. e. quanquam affligantur qui Christi sunt, tamen securi sunt, se non perituros esse.

Quis est iste filius hominis?

Cum scriptura eum vocet filium Dei, Psal. I.: Filius meus es tu, ego hodie genui te; altera quaestio est, in qua non minus offenduntur impii quam in superiori, Christum sentiebant Iudaei fore potentem principem coram mundo: at Christus extenuavit se infra obiectissimorum hominum sortem, tentatus per omnia, ut testaretur, se compati nobis patientibus.

Adhuc modicum lumen in vobis est,

id est, adhuc brevi tempore praedicabitur vobis verbum. Lumen, id est, verbum quod illuminat. Officium verbi est illuminare, Psalm. CXVIII.: Lucerna pedibus meis verbum tuum et lumen semitis meis, i. e. cor, verbo Dei concepto, cognoscit voluntatem Dei, sapit eadem, vult eadem quae Deus, tendit eodem, quorsum dirigit verbum, non confidit ulli creaturae, nihil metuit ullius creaturae impetum. Deinde monet, ut in luce ambulent, ne tenebrae occupent cor, scil. contempto verbo Dei, et conculcato filio Dei, tum fit, ut in sensum reprobum trademini.

Haec locutus est Iesus.

Praedictum est, fore ut pauci credant, fore item qui persequantur Evangelium, ne scandalizentur qui credunt paucitate, vilitate et aliis formis crucis. Nam reliquiae tantum convertuntur. Esaiae X., i. e. vilissima populi pars. Maximis et sapientissimis quibusque Evangelium est stultitia, hoc est quod Christus alias inquit: Beatus, qui non fuerit in me scandalizatus; et Psalm. XXVI.: Noli aemulari in malignantibus; et Luc. XII.: Nolite timere pusillus grex. Nam hoc agit Satan, ut variis scandalis deterreat ab Evangelio.

Domine, quis credidit auditui nostro?

Describit Esaias LIII. capite et mortem et gloriam Christi. Quia vero videt Propheta Evangelium fore verbum crucis, Christum appariturum aliis formis, quam quas caro probet, ideo exclamat: Quis credidit etc., i. e. quia Evangelium praedicat iusticiam fidei, non operum, condemnat omnia opera humana, crucifigit carnem, quis tamen crediturus est? paucissimi certe. Nam stulta et infirma mundi elegit Deus. Et brachium, i. e. potentia domini, cui revelata est? Neque enim cognosci potest divina potentia, iudicium et misericordia, nisi revelarit pater. Itaque haec sententia: Quis credidit etc., consolatur sanctos adversus scandala, si adversentur Christo multi sapientes, sancti etc. Docet item, non credi nec cognosci potentiam seu brachium Dei, nisi ab iis, qui theodidacti sunt.

Quando vidit gloriam eius.

Gloria Dei, qua fidimus non nobis sed Deo, quando agnovit cor discrimen gloriae Dei et gloriae hominum.

Qui credit in me, non credit etc.

Orditur novam concionem, proprieque evangelicam. Primum, unde sit profectum Evangelium, nam de eo loco frequenter disputatur in hac tota historia, et disputabitur omnibus seculis de autoritate Evangelii eo, quod lex cum Evangelio pugnare videatur, ut videri non possit, utrunque esse verbum Dei: hoc est quod alias dicunt: Nos Moysi discipuli sumus; item: Unde fuerit Moyses scimus; nova doctrina est, fide iustificari, nullo bonorum aut malorum operum respectu. Proinde confirmandae sunt conscientiae, ne vacillent, ne desperent, cum adeo iudicantur opera, et immundicia cordis revelatur.

Et qui vidit me etc.

id est, qui carnaliter accipiunt Christum, hoc est, qui audiunt tanquam doctorem, opera Christi imitantes, hi non sentiunt, esse potentiam Dei verbum Christi, sed humanam ordinationem. Vere accipiunt Christum, seu fidem Christi, qui sentiunt, verbum esse potentiam Dei, in quibus verbum est efficax, iudicat et vivificat eos. Qui sic vident Christum, illi norunt et patrem.

Ego lux in mundum veni.

Lux est, qua Deum noscimus, sicut Hieremias ait, quod sit Deus faciens misericordiam, iudicium et iusticiam. Atque hinc timor et fides exoriuntur in corde. Secundo, Christus inquit, se lucem venisse in mundum, ut qui in hanc credit, non maneat in tenebris: ergo quos non illuminat Christus, in iis necesse est tenebras esse. Tertio, sunt autem tenebrae ignoratio et indicii et misericordiae Dei. Sicut vidimus imaginari Deum impios neque severum adeo iudicem neque tantopere curantem nos ut adsit, exaudiat, cum eius auxilio opus fuerit: sic sentiebant illi Micheae II.: Non stillabit super nos, non comprehendet nos confusio. Et Achaz Esaiae VII., cum tentaretur, quia luce carebat, Deo fidere non potuit promittenti victoriam adversus Syros et Samaritas. Et corda vacua fide in tentatione sic sentiunt: Quid est, quod implores divinam opem? te non curat aut respicit Deus. Ecce hanc caecitatem, hanc ignorantiam voluntatis divinae erga nos, tenebras vocat, atque iis tenebris mederi non potest liberum arbitrium aut ratio. Quarto, Christus vere illuminat, id est, qui audierit Christo promittenti remissionem peccatorum ac iustificanti eum, is simul concipit lucem, quia magnitudinem bonitatis divinae cognoscit. — Ego lux, id est, illuminator. — Quinto, ex iis colliges, quid sit Evangelium. Est enim praedicare, Christum esse lucem, eius autem lucis participes fieri [4]) non operibus [5]) sed fide. Est ergo iusticia christiana fides, scilicet credere, Christum esse, qui deleat peccata et illuminet tenebras nostras [6]).

In mundum veni, i. e. apparui mundo [7]). — Ut omnis, qui credit, i. e. utut sit operatus, in tenebris non maneat. Ergo tenebrae sunt tantisper, dum illuminentur luce Christi. Non iudico eum, scil. quia iam ante iudicatus est, quanquam iudicium nondum revelatum est. — Ut salvificem, scil. ut donem remissionem peccatorum. Habet qui iudicet eum, scil. sermonem meum, qui cum gloria filii revelabitur, declarabit, quod non crediderunt isti. Accusabit [8]) enim damnabitque incredulitas; nam alia peccata damnare non possent, si fides accessisset. Quem locutus sum, scil. ego lux in mundum veni. Iudicabit, i. e. coarguit eum infidelitatis. In novissimo die, scil. cum revelatur gloria filii, confundentur omnes impii. Quia ex me ipso non sum locutus, id scilicet cum revelabitur. Mandatum, scilicet: Hunc audite, credere filio.

Non enim veni, ut iudicem.

Quod sit Christi officium, ex verbo oportet cognosci quod praedicat. Praedicat autem remissionem peccatorum: non condidit legem aliquam, sed se exhibet, promittens remissionem peccatorum omnibus credentibus, hoc est, accipientibus. Conscientiae hominum sentiunt, se consecuturos quidem vitam, si legem Dei implessent: at Christus inquit: Ecce hic adsum, vitam promitto: hanc ipsam ob causam, quia tu legem non praestitisti, nihil exigo, sed vitam praesto accipientibus. Per Mosen lex data est, per Christum gratia et veritas facta est. Secundo, cur negat se Christus venisse ut iudicet, et tamen ante dixit, nunc esse iudicium mundi? respondeo: Christus praedicat verbum, quo iudicat universum mundum, id est, gloriam carnis esse ceu foenum. Sed hoc iudicium non statim revelatur impiorum et incredulorum cordibus, donec appareat in maiestate: neque dat iis, ut habeant pro iusto iudicio Dei, sed pro iniusticia. Ideo negat, se iudicare eum, qui non accipit verbum, nam illi nondum revelatur. Revelatur autem hoc iudicium credentibus, ut qui fidunt Christo, agnoscunt peccatum esse omnem gloriam carnis. Tertio, quomodo ait, sermone suo iudicandos esse incredulos? Nonne Evangelium est remissio peccati, quae a iudicio liberat? Respondeo, hoc est, in quo spes omnis christianae mentis sita est, quod Evangelio, non lege iudicamur, id est, quod fidei et incredulitatis, non operum respectus est.

Caput XIII.

Ante festum paschae sciens Iesus etc.

Praemittit historiae passionis descriptionem lotionis pedum. Fuit enim haec passionis velut typus quidam. Deiicit se Christus infra suos omnes, neque id sua aliqua causa, sed ut illorum pedes lavet. Sic enim in passione factus est omnium novissimus, vermis et non homo, ob-

4) *fieri* abest a Tub. 5) Secer. *opibus*.
6) Secer. *restras*.
7) Totus locus: *In mundum veni — — — audite, credere filio*, in Tub. non legitur.
8) *Accusabit* scripsi pro *Accusabitur*.

probrium hominum et abiectio plebis, ut pro nostro peccato satisfaceret, quo certi essemus, quanquam morientes, tamen peccato per Christum sublato nos victuros esse. Porro, quia Christus morte peccatum abolet, et resuscitatus vitam inchoat, mors Christi efficit in sanctis mortem, qua peccatum deleatur. Vita Christi in sanctis vitam aeternam operatur. Atque haec est vera contemplatio passionis Christi, simul cum ipso mortificari, simul cum ipso vivificari. Oportet enim similes fiamus imagini filii Dei etc.

Ante festum paschatos, scilicet sub ipsam coenam. Sentiens Iesus, sciens quod moriturus esses, ideo testamentum condidit, exhibuit mortis imaginem, praefatus est morti [1]).

Cum dilexisset suos etc.

Duo proponuntur hoc loco, quae in Christo mortem adituro spectanda sunt. Primum, causa est, quor mortem adierit, charitas; ait enim: Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos, i. e. perduravit donec pateretur; et morte dilectionem testatus est, iuxta illud infra c. XV.: Maiorem charitatem habet nemo, quam ut vitam ponat etc. Haec ipsa praesumptio amoris Christi erga nos, fides est et argumentum, quo consolatur sanctos Paulus, ad Rom. V.: Commendat charitatem suam etc., et 1. Corinth. I.: Fidelis Deus per quem vocati etc.

Quod omnia sibi pater etc.

Hactenus de mortis causa; nunc de secundo, quod ait Evangelista, praescisse Christum mortem. Et addit postea, scisse etiam, quod omnia dederit ei pater in manus, et quod a Deo exierit, et quod ad Deum esset abiturus.

Primum, haec ad totam historiam rerum ibi gestarum pertinent, scil. coactum esse Christum, quia patris nuntius erat, et omnia ei a patre tradita erant, condere testamentum promissum in scripturis. Est autem id testamentum remissio peccatorum, cui signum addidit, corporis et sanguinis sui communicationem. Hoc est, quod diserte appositum est: sciens, quod omnia dedisset in manus pater, id est, sciens, quod omnia, adeoque peccatum et mortem subiecisset ei pater. Ideo testamentum abolendi peccati, abolendae [2]) mortis condidit: quod ut ratum esse sciremus, ipse praeit, et sua resurrectione testatus est, mortem sibi subiectam esse, iuxta illud 1. Corinth. XV.: Absorpta est mors in victoriam. Auget ergo fiduciam piorum cordium, cum indicat, Christo omnia in manus esse tradita a patre: Deum in Christo condidisse testamentum suum: quod promiserat victoriam peccati et mortis non nisi in Christo quaerendam esse.

Secundo, exemplo suo docet, nihil suscipi debere [3]) a nobis, nisi conscientiae certae sint, Deo placere ministerium nostrum. Quicquid enim non fit ex fide, peccatum est. Invenies, qui verbum Dei docent, qui ordinant aliquid: iis non est satis, quod non docent prava, quod non ordinant impia, sed simul hoc est praestandum, ut sciant, suum ministerium Deo probari, hoc est, velle Deum, ut per ipsos haec gerantur. Sic enim Christus ideo mortem obit, quia scit, se a patre exisse, id est, in hoc missum esse. Redduntur autem conscientiae certae per vocationem. — Ut transeat ad patrem, i. e. ut moriatur. Quod omnia pater dederit, id est, quod pater subiecerit ei peccatum et mortem, sciens, quod per mortem glorificandus esset, ideo deiecit se [4]).

Domine, tu mihi lavas pedes?

Contentio Christi et Petri indicat, quid significarit lotio pedum. Nam cum Christus ait: Nisi lavero te, non habebis partem mecum; item: Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet: certe de fructu passionis loquitur. Nam adspersio sanguinis Christi est, qua sanctificamur. Est autem in hac contentione propositum scandalum crucis, quod negat Petrus, se commissurum, ut a domino lavetur. Sentit caro, indignum esse facinus maiestate divina, quod se deiicit Christus eo usque, ut vilissimum officium faciat. Non potest ratio imaginari, dominum gloriae eum esse, qui se eo usque deiecerit, ut maledictum sit a Deo factum. Moses labefecit autoritatem Dathan et Abiran eo, quod interituros novo mortis genere praedixit, (et Christus tamen contumeliosissima morte affectus est), quo exemplo Dathan verbi autoritatem elevat, sentit ergo ratio, deberi Christo reverentiam et gloriam. Secundo, debuit Petrus non aversari hanc Christi humiliatio-

1) Verba: *Ante festum* etc., non leguntur in Tub.
2) Secer. *abolendi.*
3) *suscipi debere*] Tub. *suscipere deum.*
4) *Ut transeat* etc. Tub. non habet.

nem, sed ipse una mortificari, agnoscere voluntatem patris, agere gratias pro tanta misericordia, quod filium dederit pro peccatis mundi, et reliqua quae sentit cor vere poenitens et vere Christum agnoscens. Haec est enim agnitio Christi, sentire quod infra nos humiliatus sit Christus, quod infra nos assistat, ut cernamus, quod non agat dominum sed ministrum, qui nos pluris se facit. Tertio, vides, carnalem cultum esse ignorationem voluntatis divinae. Arguitur enim Petrus: Quod facio tu nescis etc. Quarto, ad hunc modum semper offenditur caro vilitate Christi, persequiturque eum, quod pro Christo agnoscere non possit crucifixum. Et corda nostra, quia una cum Christo mortificari oportet, non possunt sentire, eum esse salvatorem, qui damnet et mortificet omnia nostra, iusticiam, sapientiam, honorem, sicut nec filii Israël credere poterant, cum educti in desertum laborarent omnium rerum penuria, quod a domino evocati essent ex Aegypto, sed humano Mosis consilio iudicabant se eductos esse.

Quod ego facio, nescis.

Hic arguitur ignorantia Petrus, ne quis putet, reverentiam a carnis aestimatione profectam Spiritus sancti opus fuisse, qui certe erat in Petro. Nondum tamen contra scandalum crucis satis confirmatus erat, id quod indicat et Lucas XVIII., cum Christus praediceret passionem subiicit: ipsi vero nihil horum intellexerunt.

Scies autem postea,

scilicet ubi videris et mortem et resurrectionem meam. Experientia enim tentationis docebit, oportere nos deiici et per crucem glorificari.

Tu mihi lavas pedes?

id est, reverentia, quae tibi debetur, non sinit, ut permittam, a te mihi lavari pedes. Ideo quod ego facio, id est, quod deiicior infra te, quod meo exemplo ostendo glorificandos esse sanctos per crucem.

Non lavabis mihi pedes in aeternum.

Exemplum pertinaciae et opinionum carnis et iusticiae. Nam priusquam illuminemur non possumus non probare florem seu gloriam carnis. Nota est pertinacia Thomae Ioannis XV., et Davidis 1. Paralip. XXI., et Iosuae 2. Paralip. XXV., et Proverb. XIV.: Est via, quae videtur homini iusta etc., monentque haec exempla, ut verbo Dei contra sensum carnis credamus, item, ut opera Dei sustineamus contra carnis iudicium.

Si non lavero te, non habebis etc.

Hic Christus ostendit, quis sit lotionis fructus, scilicet, quod haec lotio repraesentet adspersionem sanguinis, qua sanctificat Christus fideles; quasi sic diceret: Quod hoc mihi honoris habes, ne permittas te lavari, iustificas et sanctificas te. Caro enim iustificat se tali cultu. Age vero, erras; neque enim tali cultu iustificaberis, nisi lavem te, nisi ipse mortificatus sanguine te meo adspersum sanctificem, non iustificaberis.

Domine, non tantum pedes.

Remittit Petrus pertinaciam. Sic enim solet fides exhiberi nos voluntati divinae totos, ut nobiscum agat illa utcunque tandem libet. Nos cernere consilium Dei ne velimus quidem, ipse exitum, ipse viam inventat [5]) pro sua voluntate. Quale est illud Davidicum: Si dixeris mihi non places, praesto sum [6]). Atque hic est cernere, quae vis fidei sit, quae tentante domino sic se resignet illi, et confidat. Estque hic cultus et iusticia quam probat Deus, non illa carnalis reverentia.

Qui lotus est non indiget.

Simplicissime videtur sic intelligi posse: Totus lotus es praeter pedes, id est, sancti loti sunt, sanctificari coeperunt, nondum tamen evacuatum est peccatum, evacuatur autem cum lavat Christus, hoc est, cum mortificat carnem et adspergit nos sanguine etc. Sunt autem reliquiae peccati in pedibus, i. e. in mente, quae agit et fert nos homines. Significari enim mentem pedibus ex Ephesiis liquet: Calciati pedes in Evangelio pacis. Porro, quod ait, qui lotus est, palam declarat, se loqui de spirituali lotione. Secundo, vide vim gratiae. Iam negarat, eos mundos esse, ut quorum pedes nondum loti essent, et in Petro iam peccatum reprehenderat; postea subiicit: Vos mundi estis, ut doceat, quod, quanquam sit in carne peccatum, tamen gratia absorberi et condonari fide. Sicut Rom. VIII. docet: Nihil nunc

5) Tub. *innovat.*
6) Tub. *si dixeris mihi praesto sum, non places.*

damnationis est iis, qui in Christo sunt. In summa, repraesentat haec lotio et deiectionem Christi et fructum, qui inde ad nos redit, quorum minister factus est. Contempletur igitur conscientia confusa Christum in hoc typo expressum, in quo se exhibuit nobis non dominum, non iudicem, sed ministrum, abiecitque se infra nos, ut curae sibi esse salutem nostrum cerneremus. Secundo, fructus lotionis est adspersio sanguinis, qua sanctificamur. Admittitur autem lotio fide, cum credimus, quod nobis sit minister factus, quod nos lavet, tum certe abluimur, sicut et Petrus lavari coepit, ubi credere coepit.

Postquam ergo lavit.

Posteaquam exhibuit imaginem deiectionis sui, et fructum deiectionis indicavit, scil. quod per crucem et glorificetur ipse et glorificet: nunc tandem accommodat ad nos, ut commendet nobis crucem. Nam quia morte peccatum ablui oportet, necesse est, vitam aeternam [7]) esse crucis vitam. Hanc igitur commendat exemplo suo, ut mortem sentiamus instrumentum esse, quo glorificemur.

Et cum haec dixisset, turbatus est spiritu.

Initium passionis est haec perturbatio et confusio Christi, quae incessit cernentem Iudae proditoris peccatum, et vincitur tentatio, resignando ea omnia quae imminebant divinae voluntati. Sicut et infra testatur: Nunc clarificatus est filius hominis. Resignat autem primum vitam suam, deinde servandi Iudae cupiditatem, nec huius tantum, sed et populi, quem hic repraesentabat, et pseudoecclesiae, quam figurabat. Tertio, dolorem e scandali magnitudine conceptum, quod ex discipulis et qui non fuerat infimus, desciscat, cum imbecilles alienabantur male sensuri de Christo, siquidem ii discessissent, quibus familiarissime cognitus fuerat. Haec deplorat Psal. XL., qui hic citatur. Hunc Iudam referunt, qui Evangelio scandalo sunt, et nomine Christi abutuntur ad explendas suas cupiditates. Haec omnia quomodo perculerint animum Christi, nemo oratione concipi queat. Nos exemplum cernamus resignantis haec omnia divinae voluntati, quem affectum Christi Psalmi multo copiosissime tractant. Hinc intelligi potest, cur tam sedulo moneatur Iudas: Non estis mundi omnes; unus ex vobis tradet me etc., admoneus Iudam, cupiens illum servari et minui scandalum.

Qui manducat mecum panem, levabit.

Resignat Psal. XL. gloriam suam Christus, et quaeritur de iis, qui offensi formis crucis in Christo et eius corpore contemnunt et persequuntur ipsum. Quia Evangelium carni stultitia est, non potest non odisse mundus Evangelistas. Docet, Evangelium non esse fidendum brachio carnis, humanam sapientiam esse caecitatem, humanam sanctitatem esse contemptum Dei. Haec qui sentiunt apud se et non contendunt ad ardua, quae mundus miratur, ridentur a mundo, multo magis qui haec docent. Hic Christus exemplo suo consolatur pios in Psalmo, ut perdurent in cruce, ne scandalizati ipsi quoque desciscant, fore ut glorificentur qui sustinent crucem. Sicut in Psalmo inquit: Erexisti me in conspectu tuo in aeternum. Sed qui sint de quibus quaeritur Christus, indicat hic locus, qui citatus est. Qui manducant mecum panem, id est, qui gloriantur de Evangelio, illi scandalo sunt Evangelio, et eis vicissim scandalo est Evangelium. Vel, qui manducat mecum panem, id est, qui inter meos est. Credatis, quia ego sum, i. e. credatis non modo quod verax sum, quod Deus sum, qui praedixi, sed et hanc meam passionem non esse fortuitam, sed destinatum esse me, qui sim victima pro peccatis mundi, et oportere me per crucem glorificari, et cum vos passuri estis, sentiatis ad eundem modum vos per crucem glorificandos esse [8]).

Qui recipit quemcunque misero.

Apte sequitur: Qui accipit quem misero, i. e. quia iisdem formis praediti erunt ministri mei, conabitur hos quoque mundus conculcare: ideo iam nunc confirmo pios, ne tenuitate ministrorum offendantur. Haec sententia detorta est ad traditiones humanas; pertinet autem ad eos tantum, qui verbum Dei nunciant. Nam ii soli sunt missi a Christo. Hoc est quod dicit: Quem misero; ideoque Matth. X. ait: Qui recipit Prophetam in nomine Prophetae etc. Sunt enim Prophetae solum ii, qui verbum Dei adferunt. Quod

---

7) *aeternam*] Tub. *christianam.*

8) *Vel, qui manducat mecum*, et quae sequuntur usque ad *glorificandos esse*, in Tub. non habentur.

vero non sunt missi, qui verbum Dei non adferunt, liquet ex eo Ioannis X.: Qui non intrat per ostium etc., et ex XXV. Hieremiae: Non mittebam eos etc., non loquebar ad eos etc. Secundo, constat ergo hanc sententiam de solo verbo Dei intelligendam esse. Iam et hoc observabis: Christus testificatur hoc loco, verbum per Apostolos annunciatum illud ipsum esse, quo iustificentur corda, nec aliam ultra vocem corporalem e coelo spectandam esse nec signa, ut certo corda sentiant, contigisse remissionem peccatorum, iustificari se, si credant voci ministri. Perturbatus est Christus, quia vita, gloria verbi, salus Iudae et totius populi periclitatur, sicut Psal. LXXVII. inquit: Operuit confusio faciem meam; perturbaturque, ut exuat se Christus omnibus Dei formis, sapientia et fortitudine sua, resignatque eas patri, ut Esaiae LIII.: Pro eo, quod laboravit anima eius, videbit et saturabitur. Et Psalm. LVIII.: Fortitudinem meam ad te custodiam. Atque hoc exemplo est cernere, quomodo abdicet nostra omnia fides, et expectet consolationem a solo patre.

Amen, amen dico vobis, quia unus etc,

Hic tertio admonetur Iudas, neque simpliciter, debuit enim moveri si non verbis, certe miserabili spectaculo tantae perturbationis in Christo. Sed quo Christus magis languescit, eo firmius ille induratur. Acciditque in omnibus inimicis Christi, ut quo sit infirmior Christus, eo minus miserescant etc., ut Psalmo LXVIII.: Super dolorem vulnerum meorum addiderunt.

Innuit ergo huic Simon Petrus.

Ut Petrus hoc loco, ita sancti metuunt scandala, de quibus praedictum est, sed non intelligunt nisi ostendente Christo.

Quod facis, fac citius.

Iubetne Christus, ut pergat Iudas? Respondeo: Iudicium Dei est, quo excaecat induratos, sicut Psal. LXIII.: Effunde super eos iram tuam, et furor irae tuae comprehendat eos etc. Estque maledictio potius quam mandatum, quasi sic diceret: Iam toties frustra moneo te; ergo vade, ut pereas; ut Esaiae XI.: Audite audientes, et nolite intelligere. Hieremiae XXV.: Bibite, et inebriamini, et vomite, et cadite. Estque blasphemis et contemptoribus Evangelii exemplum propositum, qui cum audiunt iudicium Dei praedicari, non resipiscunt tamen. Secundo, simul hic resignat ea omnia, de quibus antea diximus, gloriam verbi et salutem Iudae: quia Iudas, cum proditurus erat, scandalizat verbum. Ergo dicit: Quod facis, fac citius; sicut Luc. XII. inquit: Quomodo angor, dum perficiatur. Ardet enim Christus, maturari praedicationem Evangelii; item abbreviari tempus huius populi. Hoc autem nemo scivit, quia nondum proditum fuit peccatum Iudae, si forte resipisceret.

Cum ergo ille accepit bucellam.

Posteaquam Iudas abiit, praedicare coepit et passionem et glorificationem. Estque haec huius loci summa: Siquidem patiendum est, ut patrem clarificem, ut patri sim obediens, ut mea morte pro peccatis mundi satisfaciam: ideo nolite scandalizari mea morte. Nam et hac pater glorificatur, et ipse vicissim glorificabit me, declarabitque, tulisse me aliena peccata, et mea morte peccatum, mea resurrectione mortem evacuatam esse.

Si Deus est clarificatus in eo.

Deus clarificatur, quando tribuuntur ei, quae debentur. Debebatur patri obedientia filii, debebatur item sapientia, fortitudo etc., ne ipse se filius glorificaret, vindicans sua sapientia aut potentia gloriam, sed expectaret glorificari a patre. Ad eum modum canunt Psalmi: Afferte gloriam Deo. Et Esaiae VI.: Dominum exercituum sanctificate. Ad Rom. IV. ait Paulus: Abraham gloriam dedisse Deo, i. e. quia Deus promiserat Abrahae, se daturum esse semen etc., credebat, eaque fide nihil dubitabat, resignare Deo filium, cum offerre iuberetur, cessit de sua sapientia, quae iudicabat, occiso filio uxore sterili non obventuram aliam prolem. Sic orat et Daniel cap. IX.: Tibi, domine, iusticia, nobis autem confusio faciei. Atque haec est gloria, quae Deo debetur, agnoscere, quod iustus sit, fortis, sapiens, misericors etc. Sic Christus, quia missus erat, ut pateretur, obedit patri, vitam gloriamque suam resignat patri, expectans ab illo consolationem, sicut in Psalmo dicit: Tu es gloria mea, exaltans caput meum. Quomodo constant verba, cum principio dicat: Nunc clarificatus est; et postea: Deus clarificabit eum? Respondeo, quod ait: Nunc clarificatus est etc., accipiendum esse de

gloria, quam habet coram patre, in eo, quod obediens factus resignavit ei gloriam. Sic ergo dicit: Nunc clarificatus est filius hominis, i. e. nunc exinanitus resignavit se patri, quae exinanitio coram patre gloria filii est, quanquam ea gloria nondum sit revelata in filio. Clarificatus est ideo coram Deo eo, quod exinanitio sit gloria filii coram Deo. Et Deus clarificatus est in eo, hoc est, filius glorificat patrem per hoc, quod resignat ei omnia et testatum facit, quod fidat patris sapientia et fortitudine, non sua, et coram mundo declarat, quod patris potentia glorificetur.

Et Deus clarificabit eum,

quasi dicat: Pater revelabit eius gloriam, iuxta illud 1. Reg. II.: Honorificantes me glorifico; et Hebr. V.: Exauditus est pro sua reverentia, i. e. quia dedit patri gloriam, ideo exauditus, glorificatus est.

Filioli, adhuc paulisper vobiscum sum,

quasi dicat: Iam praedico vobis passionem, ut credatis non esse fortuitam, tanquam a Deo reiectus sim: sed voluntate patris patiendum esse, foreque ut hac passione glorificer. Praeterea ubi abiero, regnum spirituale incipiam, ubi vos quoque mortificabimini sicut ego sum mortificatus.

Quaeretis me,

i. e. desiderabitis vos quoque glorificari, sicut dixi Iudaeis: Ubi ego sum vos non potestis venire, quo ego vado vos non potestis venire, id est, neque crucem ferre adhuc potestis, neque mox glorificabimini oportet enim, ut expectetis, donec induamini virtute ex alto, et dum revelentur filii Dei.

Ita et vobis dico,

id est, Iudaei nunquam pervenient, nunquam glorificabuntur; vos glorificabimini. Sed nondum acceperant plenitudinem seu decimas Spiritus sancti, ideo non potuerunt ferre crucem.

Mandatum novum do vobis.

Evangelium non esse legem, satis constat. Est enim remissio peccatorum, iuxta illud Lucae ult. praedicare remissionem peccatorum. Quid igitur, quod hic ait, mandatum novum? Respondeo: Posteaquam iustificavit credentes Christus, iam docet, qui sit legis usus. Qui utuntur lege extra Christum, sic utuntur, ut se iustificent per legem, id quod impium est. Nam impossibile est lege iustificari, Rom. VIII., estque iusticia per fidem tantum in Christum, quam qui sunt per Christum consecuti, illis iam Christus ostendit usum legis, scilicet, lege utendum esse non in hoc, ut nos iustificet, sed tanquam testimonio iustificationis. Oportet enim legem Dei fieri, ut Matth. V.: Non peribit apex etc. Atque hoc est, quod inquit: In hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei sitis. Non dicit: Per hoc eritis discipuli, quia oportet iam ante factos esse discipulos per fidem. Charitas est testimonium fidei etc. Est itaque novum mandatum, quia hic usus legis primum revelatus est per Evangelium, quod lex non iustificet, sed sit testimonium iustificationis. Secundo, novum mandatum est, quia praecipit de corde, nihil de externis ritibus aut ceremoniis, quasi sic diceret: Lex alligabat dilectionem ad certas ceremonias, ego simpliciter praecipio, ut fiatis omnia omnibus, gentibus gentes, Iudaeis Iudaei; praeter charitatem nihil exigo, ut Rom. XIII.: Haec est summa legis, dilige proximum tuum sicut te ipsum. Tertio, pharisaica ratio intelligit legem de charitate tantum de externis officiis, non de dilectione cordis. Et quoad lex litera tantum est, hoc est, quoad a carne tantum intelligitur, vetus verbum est veteris hominis etc. Fit autem novum verbum cum innovato cordi praedicatur, quia iam aliter intelligitur, aliter fit, quam intelligebatur aut fiebat ante innovationem [9]) seu illuminationem cordis. Lex semper est litera, donec illuminetur per Spiritum sanctum.

Ut diligatis invicem.

Charitate non simulata, et ita ut ego humiliavi me infra vos. Et in hoc cognoscent omnes, id est, hoc erit testimonium iustificationis vestrae.

Quo ego vado, non potes me modo sequi.

Gravissimum exemplum confirmandae fidei Apostoli se ipsos proposuerunt, sicut et Paulus inquit, se conversum esse, ut esset exemplum iis, qui credituri essent. Arguitur in Apostolis alias diffidentia, alias ignorantia, alias alia. Sic est cernere et comitatem Christi, tolerantis peccata

---

9) Secer. *invocationem*: ex mendo.

nostra, iustificantis quanquam peccatores. Est et videre, quomodo per peccata erudiat sanctos. Paulo superius proponitur pertinax Petri ignorantia cum carnali quodam more Christo honorem haberet. Hic et praesumptio Petri describitur. Quia vero natura adiudicata morti est propter peccatum (quacunque die comedonis, morte morieris) non potest non succumbere morti, ideo nullae vires liberi arbitrii, nullae carnales intentiones possunt mortem tolerare, sed gloria Dei est, quae monientium corda vivificat spiritu suo, ut iam mors non sit mors. Sicut Psal. XI. dicit: Vivent corda eorum in seculum seculi, i. e. quenquam moriantur, tamen vita in corde absorbet vim mortis. Estque id opus Dei, vivificantis credentes; sicut Psalm. XLIII. dicit: Brachium eorum non salvabit eos, sed dextra tua et brachium tuum, et illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis etc. Et 1. Cor. XV.: Deo gratia, quod dedit nobis victoriam per dominum nostrum Iesum Christum. Probaturque fides huiusmodi tentationibus, ubi iam nullae creaturae opem ferunt, sicut per omnem vitam inopia et infamia, ubi defuerit rationi consilium.

Quare non possum te sequi modo.

Non satis intellexisse Petrum, quae praedixerat Christus de passione, apparet ex illis verbis: Quare non etc., scil. cum ego plane constituerim etiam unâ mortem obire, atque ita prorsus sentiam. Miratur Petrus, cur sequi non possit, quia ratio nec vim mortis, nec suam imbecillitatem cernit, ut Rom. VII. inquit Apostolus: Ego aliquando sine lege vixi, hoc est, non sensi iudicium legis, sicut nec Pharisaeus ille Lucae XVIII. cernebat peccatum suum, cum diceret, se non esse sicut caeteros.

Animam tuam pro me pones?

Tune mortem vinceres? idque pro me, qui ipse in hoc veni, ut vincam.

Amen amen dico vobis, antequam gallus etc.

Hic est exitus gloriae carnis. Petrus constituerat apud se, se officium fidei facturum, constanter secuturum etc. Neque aliud sentit aut cernit Petrus. Ea gloria carnis est. Sed quia carnalis praesumptio non fides erat, ideo non duravit, quia omnis gloria carnis ceu gloria foeni. Quod si sic exit gloria piarum intentionum tamen carnalium, quis est futurus exitus gloriae eorum, qui rebus mundi fidunt?

Caput XIV.

Initio huius capitis, ut plerisque locis Christus iterum indicat, ad quid venerit, quod sit officium suum, quae proprie evangelica praedicatio est, scilicet se esse, qui mansiones paret, qui rediens nos recepturus sit ad se, se esse viam, veritatem et vitam. Postremo finiens explicat superiora illa clarius, cum inquit: Nemo venit ad patrem nisi per me. Eodem pertinet quod sequitur, patrem cognosci, si ipse cognoscatur, et patrem videri, si ipse videatur. Habes huius loci et scopum et caput, ad quod reliqua historia referenda est, ut discamus, non nostris viribus iustificari nos, non nostris meritis salvari, sed Christi spiritu nos santificari, Christi gratia nos salvari, esseque hanc viam ad salutem, quam praeit Christus, scilicet mortem, eique imagini oportere nos similes fieri. De passione ante satis multa. Hic nunc Apostolos consolatur Christus, inquiens: Ne turbetur cor vestrum, scilicet, ubi me videritis crucifigi, ubi vobis quoque portae inferorum mortem minabuntur, tum non conturbetur cor vestrum.

Creditis in Deum, et in me credite.

Quia Christus crucifigitur, negat eum caro salutis autorem esse; item, quia affliguntur sancti, negat caro, hos Deo curae esse. Adversus hoc scandalum confirmat Christus discipulos, inquiens: Creditis in Deum, et in me credite, id est, si creditis quod Deus sit vos glorificaturus, quod diligat vos Deus, credite, quod hoc modo glorificet, quemadmodum me videtis glorificatum, et credite, quod haec mea mors via sit ad gloriam, et meam et universi corporis mei, quod satisfaciat pro peccatis mundi etc. Vides igitur, velle Christum, fide confirmari corda, non externis ullis signis.

Si quo minus dixissem vobis, quia etc.

Quatenus nondum sunt paratae mansiones, locus quidem est, sed nondum absolutus est; absolvetur autem, cum Christus evacuato regno mortis per suam mortem ierit regnaturus, placans patrem et sanctificans credentes. Meo quidem

iudicio simplicissima est haec sententia: Sunt mansiones, scilicet ubi pater glorificat, sed hae mansiones nondum absolutae sunt, quia regnum mortis nondum est evacuatum. Deinde docet, quo modo absolvantur, cum dicit: Ideo dixi me abiturum, ut absolvam. Et quia hoc praedixi, credere debetis paratum esse locum glorificandi vos. Estque haec sententiae summa: Sunt praedestinati quos pater glorificaturus est, sed ii non possunt glorificari, nisi per Christum, nisi aboleat Christus peccatum et mortem. Vides, eo redire omnia, Christum esse, qui paret mansiones non posse nos nisi per Christum glorificari.

Et si abiero ad parandum vobis locum.

Pugnare videbantur haec supra: In domo patris mei mansiones multae sunt, et si quo minus, dixissem vobis, quia vado etc. Ita et hic pugnare videntur, quod Christus ait, scire eos et quorsum abeat, et quae sit via perveniendi ad patrem. Est autem in hac parte textus observandum caput disputationis, non humanis viribus, non humanis meritis iustificari nos, sed per Christum.

Ego quo vadam scitis, et viam scitis.

Quia in me creditis, meo nomine fecistis miracula, vidistis et patrem de me testificari, ideo scitis et glorificaturum me esse patrem; praeterea et me nostis, quanquam ea vestra fides nondum declarata sit seu probata tentatione.

Domine, nescimus quo vadis.

Quanquam esset in Apostolis fides, tamen nondum capiebant, oportere crucifigi Christum, et quod per mortem regnum Christus auspicaturus esset, idque spirituale.

Et quo ego vado scitis.

Paulo ante confirmans Apostolos promittit fore, ut glorificentur; hic subiungit, quomodo, qua via sint glorificandi, si quidem ipse abeat regnum accepturus etc. Ideo ait, scire, quorsum eat et quae via sit. Et tamen Thomas negat, Apostolos scire. Qui conveniunt haec? Respondeo: Erat in Apostolis fides, ut apparet Ioann. VI.: Verba vitae aeternae habes, et nos credimus et cognovimus etc. Et ex verbis Christi capite superiori: Vos mundi estis. Atque hac fide norant Christum, quid via est ad patrem; norant et patrem, quod vidissent miracula, quibus ille filio testimonium perhibuit. Haec fidem in Apostolorum cordibus aluerant, estque haec filii et patris cognitio. Sed quanquam adesset fides, nondum tamen norant, quid faciendum esset. Sicut Abraham quanquam fide filium accepisset, tamen nondum norat, filium offerendum esse, neque dum se fides in resignando filio declarabat; sic et in Apostolis, quanquam adesset fides, tamen probatio fidei aberat illis. Crux enim est, quae probat fidem, Rom. V.: Tribulatio patientiam etc., et Prov. XVII.: Sicut igne probatur aurum, sic probat corda dominus. Hoc est autem crucifigi, ut probetur fides, et probata fide mortificetur caro, grandescatque spiritus cognitione Christi. Hoc est quod ad Rom. X. Paulus ait: Ut probetis, quae sit voluntas Dei beneplacita.

Ego sum via, veritas et vita.

Ego, quanquam sic mortificer etc., sum via, scil. quia gero credentes; ut Esaiae XL.: Sinu suo levabit et foetas ipse portabit. Et veritas, quia lux. Et vita, quia vivifico, iuxta illud: Qui credit in me, non morietur in aeternum. Hoc est, quod iam ante monuimus, praedicari hic proprie Evangelium. Nam cum illi negant, se scire quo sit eundum, Christus verbo reficit eos, inquiens, si velint et gloriam nosse et viam scire et ingredi viam, gloriam Dei requirant, non naturae vires, lucem aut iusticiam, sed Christum; in hunc se coniiciant, qui, comprehensus per fidem, via, veritas et vita est, utut patiatur vel ipse vel qui credunt in eum. Scitis iam, inquit, quid faciendum sit, ut possitis ingredi habitationem per viam veram.

Nemo venit ad patrem, nisi per me.

Sententia haec est: Nemo potest suis viribus aut suis meritis pervenire ad patrem. Lex absterret conscientias, ne perveniant ad patrem. Verbum Christi, iustificans nos iusticia Christi, perducit ad patrem. Ex eo sequitur id, quod de cognoscendo patre subiectum est. Nam quia nemo ad patrem pervenit nisi per filium, sic et nemo cognoscit patrem nisi per Christum. Primum enim voluntas patris ignoratur, scilicet quod velit salvare, nisi eam in Christo cernamus. De-

inde neque creditur patri, quia ratio per sese non sentit, se aliquid a Deo accipere. Conscientia confusa fugit patrem, non credit se ei. Iustificati autem verbo Christi iam non contemnunt patrem, nec fugiunt sicut Israëlitae, sed consistunt coram ipso intra nubem, sicut Moses, et illuminantur luce divina, ut noscant potentiam et misericordiam, fidant patri, sentiant, se omnia ex illius manibus accipere, expectant inde omnia et spiritualia et corporalia. Hoc est quod Apostolus ait 1. Corinth. I.: Cum non cognovisset mundus per sapientiam Deum in sapientia, visum est stultitia praedicationis salvos facere credentes. Ratio inquirit Deum suis viribus, item suis meritis, nec assequitur tamen. Primum enim, quia ratio non potest in cognitionem Dei pervenire, prorsus negat Deum. Deinde, quia in operibus revelatur immunditiès, ideo desperat. Stultitia vero praedicationis iustificati, venimus in cognitionem Dei patris, cum credentes verbo Christi potentiam patris experimur in afflictionibus, quales quales illae sunt. Idem significatum est et in eo, quod cum populus non posset audire vocem Dei, postulat, ut pro se alius loquatur. Ubi et promittitur Christus, qui pro nobis interpellet apud patrem, qui sit propitiatorium. Itaque in quibus est fides in Christum, illi norunt patris potentiam et misericordiam et caetera.

Si cognovissetis me, et patrem.

Scilicet, quia stultitia praedicationis de Christo cognoscitur pater, ubi fides probatur [1]) et augescet. Et ne haec pugnare videantur: Si cognovissetis me, et patrem nosceretis, et quod sequitur: Vidistis eum; respondeo: Sicut supra, norunt et non norunt, quia fides aderat, abfuit autem fidei probatio. Respondet autem Christus duabus quaestionibus Apostolorum, quae via sit, et quorsum eat, docens, se esse viam, docens item, se ire ad patrem, atque ita ire ad patrem, ut qui ad illum venturi sint, non queant nisi, per Christum. Tum oritur quaestio, quae sit gloria patris? Respondet, patrem cognosci, si Christus cognoscatur, i. e. dum verbum Christi concipitur, sentitur gloria patris consolantis, vivificantis, sanctificantis, quae consolatio vita aeterna est.

1) Tub. *probabitur.*

Domine, ostende nobis patrem,

scilicet, ut certiores reddantur conscientiae, id est, si nobis exhibueris hoc signum, tum credemus [2]). Nondum verbo contentus est Philippus, sed pergit praeter verbum aliis modis inquirere patrem. Quia credere ratio non potest, ideo aliis modis et signis reddi certior cupit. Igitur hac disputatione ostenditur, certificari fide conscientiam, non aliter in verbo haerendum esse, non expectanda alia signa etc. Philippus sentit, se firmiorem fore, si patrem cernat, cum inquit: Et sufficit nobis. Contra, Christus incredulitatem, cum ait: Tanto tempore vobiscum sum, i. e. doceo, et nondum novistis me, id est, nondum scitis, velle patrem per me cognosci, meum verbum esse potentiam patris, in quo solo vult pater cognosci, non aliter. Ait enim Matth. XVII.: Hunc audite; et Ioann. I.: Filius enarravit nobis, qui est in sinu patris.

Philippe, qui videt me, videt et patrem.

Repetit superiorem concionem. Qui me videt, videt et patrem, i. e. cum pater innotescere velit per me, noli quaerere aliam viam cognoscendi, sed meo verbo crede, quod ego is sim, qui sistam vos patri. Per me crede te venturum ad patrem, tum cognosces patrem, experieris fide potentiam et misericordiam patris, senties consolantem et vivificantem. Vult pater credi verbo meo et credentes salvari. Interim crucifigitur caro, cum et mundus verbum persequitur, et permittit Deus, ut in sanctos saeviatur. Crucifigitur item, cum in quibuscunque afflictionibus consistendum est fide, nec expectanda aliunde consolatio, quemadmodum et sola fide se consolantur sancti, occiduntur, moriuntur, ut Psal. XV.: Providebam dominum in conspectu meo semper, propter hoc laetatum est cor meum.

Et quomodo tu dicis, ostende nobis.

Scilicet, cum non sit alia via cognoscendi patrem praeter eam quam indicavi, non credis etc., cum docuerim me esse vitam et viam. Non credis, quod in patre sim, quod eadem divinitas sit et patris et mea, quodque velit per me cognosci pater? Quare cognito filio cognoscitur pater?

2) Secer. *credimus.*

Respondeo: Quia filius in patre est, et pater in filio, quia verbum quo cognoscitur filius, est potentia et filii et patris, ergo cum cognoscitur filius suo verbo, necesse est, et eodem patrem cognosci.

Verba, quae ego loquor vobis etc.

In quibus cognoscitis me, adeoque in iisdem patrem cognoscitis. Subiicit de verbo quaedam, ut doceat, qualisnam sit cognitio, qua et ipse cognoscitur; est autem fides, qua in verbo Christum apprehendimus. Proinde sic ait: Verbo me cognoscetis. Porro, id verbum, quia non est humana potentia, ideo in eo et patrem cognoscetis, et quia meo verbo cognoscetis, me vitam esse, cognoscetis certe, me in patre esse.

Propter opera ipsa credite,

qui de verbo testificantur. Postremo allegat verbi testimonium. Si verbo non creditis, at signis, quibus testificatus est pater de me, credite. Sunt enim signa verbi testimonia. In summa, hoc agit Christus, ut confirmet conscientias adversus scandalum crucis. Nam scire conscientiae, non credere volunt, nec ingredi has tenebras, ut se committant Deo, sed semper haesitant: quid si non respiciat nos Deus? iam et relinquuntur sancti velut abiecti, ut in eos saeviat mundus. Hic vero scire voluntatem Dei erga se cupiunt[3]). Sic affectos consolatur Christus, ut quaerant aliam consolationem, quam in eo et in sua morte; se, qui vita sit, sic accepisse regnum, sic item vivificare quanquam mortuos.

Amen, amen dico vobis, qui credit etc.

Ne diffidatis, quin per me sitis cognituri patrem, quin meum verbum sit potentia Dei, quin meo verbo sitis servandi, quanquam[4]) crucifigar modo.

Quia ego vado ad patrem,

id est, regnum auspicabor, ubi impleam omnia, quia in patre sum. Nam ideo Christo subiiciuntur omnia, quia filius est. Et proximae disputationis et superioris illius consolationis epilogum concipit. Nam paulo ante docuit, patrem cognosci per se, Christum, idque ideo, quia ipse sit in patre. Ideoque eodem verbo, quo ipse pater ostenditur[5]), quod ut confirmet, scilicet, verbum suum esse patris potentiam, adiecit: Qui credit in me, opera, quae ego facio, facit, id est, siquidem fide in me eadem opera facturi estis, potentiam Dei meum verbum esse cognoscetis. Cur autem ait: Quia ad patrem vado? Respondeo: Ideo quia in patre Christus est, opera patris ipse facit. Non autem ideo et nos eadem efficimus, sed ideo nos eadem opera efficimus, quia Christus, qui in patre est, iam in nobis est. Nam ire ad patrem, est, implere omnia. Ad Ephes. I. et IV. Et sicut exponit Paulus, secutus Psalmum, donare dona hominibus, illuminare et sanctificare. Est enim regnum Christi, quo in terra regnat, in cordibus credentium; idque est sedere super solium David patris. Quod ad consolationem attinet, sicut supra confirmare coepit Apostolos, ut id se credant, quanquam morientem, ita hic promittit, fore, ut glorificentur, quia ipse ad patrem abeat.

Et quicquid petieritis,

scilicet, certificaturi de regno meo.

In n:mine meo.

Quod addit: In nomine meo, excludit merita nostra, quia propter Christum exaudimur, sicut et in Christo diligimur, ut 1. Petr. II. dicitur: Offerentes hostias spiritales, acceptas Deo per Iesum Christum. Sicut et in lege non per sese offerebat populus, non per sese ingrediebatur in sancta sanctorum, sed offerebat pontifex; ita et nos per pontificem Christum rogamus et offerimus etc. Neque amplitudinem gratiae usquam propius aestimes, quam in consyderando sacerdotio Christi. Vides autem glorificationem Christi et regnum et sacerdotium complecti etc.

Ut glorificetur pater per filium.

Scilicet, cum agnoscitur, quod filium dederit, ut salvaret nos. Glorificatur pater, quando ei gloria tribuitur, non nobis, hoc est, quando agnoscimus, nos non nostris meritis, non nostra sapientia, non nostra iusticia salvari, sed misericordiae confidimus, siquidem dedit filium pro peccatis nostris. Atque hanc gloriam canit Evangelium, iuxta Psal.: Coeli narrant gloriam Dei. Est autem huius epilogi haec summa: iubet ideo

3) Secer. *capiunt*, Tub. *cupit*. 4) Secer. *quam*.

5) Tub. *ostendit se*.

credere, quia ipse regnaturus abeat, praedicitque se[6]) regno suo testimonium perhibiturum esse, atque ita regnaturum, ut sciamus regnantem[7]) effecturum per nos tanta opera, quanta ipse effecit; item exauditurum se esse nos quandocunque rogaverimus. Et iis quidem promissionibus est firmandum cor contra inferorum portas. Verbo regnat Christus; necesse est igitur, ut experiamur vim verbi; siquidem regnum Christi potentia Dei est.

Si diligitis me, praecepta mea etc.

Sententiae summa haec est. Cum abit Christus regnum auspicaturus, praedicit, quale regnum futurum sit. Putabant enim Apostoli, sicut in Actis apparet, Christum instauraturum esse regnum Israëliticum carnale. Ideo dicit, quod regnaturus sit per Spiritum sanctum, vivificandis vita aeterna fidelibus. Quoties enim de regno Christi vaticinantur Prophetae, regnum aeternum describunt. Esaiae XXIII.: Oculi mei videbunt Ierusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nequaquam transferri poterit, quia solum ibi magnificus est dominus noster. Vides Prophetam aeternum regnum descripsisse, quod esse non potest ullum, nisi regno peccati et mortis everso.

Et alium paracletum dabit.

Promittit, fore in Ecclesia Spiritum sanctum, qui consoletur, qui sit pignus et arrabo gratiae. Sic enim vocat Apostolus 2. Cor. I., quia ubi regnat Christus, necesse est, hoc testimonium Spiritus sancti esse, qui consolatur, animat et confirmat sanctos. Estque hoc testimonium fiducia, qua conscientia territa concipit gaudium audito verbo remissionis peccatorum, et, ut inquit Apostolus, clamat: Abba pater. Sicut itaque Christus ait, se affore Ecclesiae usque ad consummationem seculi, ita hic regnat Christus, ita et Spiritus sanctus, per quem regnat Christus, semper aderit, ut qui sunt sancti habeant spiritum testificantem de regno Christi etc. Vocat spiritum veritatis, quia veraces facit. Caro enim, quia non cernit peccatum suum, ideo sua opera, suas intentiones iustificat, et simulat, se credere, cum non credat, simulat metum Dei cum tamen contemnat, simulat natura, se gloriam Dei quaerere, cum tamen suam quaerat. Itaque sunt omnes humanae iusticiae mera mendacia; at Spiritus sanctus, ubi illuxerit cordibus, eam hypocrisin revelat, et efficit timorem et fidem in corde.

Si servaveritis mandata.

Quid est, quod inquit: Si servaveritis mandata? An sine spiritu sancto servantur mandata? Respondeo: Textus ipse rem explicat. Primum vocat Spiritum sanctum spiritum veritatis; ergo quicquid non efficit Spiritus sanctus, mendacium est. Itaque mandata Christi non poterant servare Apostoli sine Spiritu sancto; siquidem mentiuntur, qui carent spiritu Dei. Secundo, infra ait Christus: Vos cognoscitis eum. Fuit ergo Spiritus sanctus in eis. Sed sicut fides nondum probata fuerat tentationibus, ita necdum Spiritus sanctus cognitus Apostolis. Nam fides et energia spiritus in tentatione cognoscuntur. Proinde in summa hoc ait: Si perduraveritis credentes in me, revelabitur in vobis Spiritus sanctus, idque intelligetis non modo de illa Pentecoste, sed de revelatione Spiritus sancti durante in finem usque mundi perpetua hac Pentecoste.

Quem mundus non potest accipere.

Habes hic locum observatu dignissimum adversus impiam doctrinam de libero arbitrio. Spiritum sanctum nosse, est opera eius nosse. Sunt autem opera Spiritus sancti credere Deo, Deum timere, diligere Deum, apud Paulum Galat. Porro, si haec potest natura, si concipit ac sentit, quid sit credere Deo, timere Deum, certe novit Spiritum sanctum, etc., quia non videt eum.

Et ego rogabo patrem,

scil. quia pontifex sum[8]).

Ut maneat vobiscum in aeternum,

id est, ut sit in corpore Ecclesiae et consoletur sanctos. — Postquam ego abii; sicut et alias ait: Vobiscum sum usque ad consummationem seculi. Alium consolatorem, scil. qui testificetur de regno meo. Spiritum veritatis, quia caro prorsus mendax est. Quem mundus non potest accipere, quia nondum mortificatus est[9]).

6) *se* non habet Secer.
7) *ut sciamus regnantem* non leguntur in Tub.

8) Haec non leguntur in Tub.
9) *Ut maneat vobiscum*, et quae sequuntur, non habet Tub.

Non relinquam vos orphanos.

Promissiones de regno suo latius exponit, ut erigat imbecilles conscientias, et inculcet eis se praesentem adesse, necubi desperent. Nam quia non cognoscitur pater in opere creationis, filius datus est, per quem voluntas patris cognoscatur, qui certiores nos faciat, plane hoc velle patrem, ut salvemur, velle opem ferro, modo se invocemus. Haec Evangelii summa est. Iam ubi in corde non est huiusmodi fiducia, necesse est, hypocrisin esse omnem cultum Dei et omnia opera. Non relinquam vos orphanos, scilicet alioqui destitutos omni praesidio ab omnibus creaturis. Sic et pater ipse vocat eum Psal. LXXVII.: Patrem orphanorum et vindicem viduarum.

Vos autem videtis me.

Iam nunc cognoscitis, me vitam esse, ut, quanquam crucifiger, vivam tamen.

Quia ego vivo,

scilicet, quanquam vita abscondatur morte. Hoc est quod Apostolus ait: Thesauri vestri absconditi. — Et vos vivetis, quia eodem spiritu vivant et Christus et qui sunt in Christo.

In die illo vos cognoscetis.

Haec sententia relata est ad extremum iudicium? Mihi argumento sunt, quod ad resurrectionem pertineant haec, et quia consolatur relictos in terra, quibus verbis indicat fore, ut ex resurrectione agnoscant Dei potentiam in Christo, et quia postea interpretatur manifestari se id esse, quod venire et mansionem facere apud eos, qui servent mandata. Quod ego in patre sim, i. e. quod sim potentia Dei, quae et in vobis efficax est. In Die illo cognoscetis, scil. sic rogabo, ut testificaturus sim vobis de regno meo, ut cognoscatis, Dei potentiam me esse. Testificabor autem, cum tentatos sublevabo, consolabor et vivificabo.

Qui habet mandata mea,

scilicet vera fide; sed quia caro non habet, quanquam simulet se habere; litera est enim verbum Dei carni, non spiritus.

Qui diligit me, diligitur et a patre meo.

Quia in Christo omnes diliguntur. Et manifestabo me ei, id est, subinde clarius dum probatur fides.

Quid est, non quid factum est, legendum. Dicit ei Iudas, nondum intelligens resurrectionem aut cognitionem regni Christi [10]).

Si quis diligit me, sermonem meum etc.,

hoc est, sic ostensurus sum me verbo. Si quis diligit me, sermonem etc., quasi diceret: Abdica illas carnales imaginationes de regno. Sed de verbo saltem tibi cogitandum, quod est verissima patris cognitio, glorificatio et regnum etc. Filius nobis datus, ut per ipsum nobis pateret aditus ad regnum, et condonarentur nobis peccata. Mansionem apud ipsum facimus; sumus enim exemplum Dei. Non servabit, quanquam simulet. Non est meus, i. e. non est carnalis [11]).

Haec locutus sum vobis,

id est, verbum quidem ego annunciavi, quia in hoc veni, ut annunciarem verbum, sed id verbum non intelligetis nisi docente Spiritu sancto, atque is quoque dabitur cum glorificatus fuero. Nam in hoc veni. Quia enim verbum meum potentia Dei est, ideo non auditur carnaliter.

Apud vos manens.

Interim dum sum vobiscum, id est, hoc est verbum, quod iam audistis et accepistis, nec est, quod quicquam expectetis ultra, nisi Spiritum sanctum, qui hoc ipsum verbum vobis declarabit, nam virtus et potentia Dei est.

Quem mittet pater propter me,

id est, in nomine meo. Sicut supra dicit: Rogabo patrem, et dabit spiritum, ita hic intellige spiritum dari propter Christum, quia in Christo diliguntur. Accipimus et per ipsum et propter ipsum Spiritum sanctum, qui nos adoptione filios facit, sicut ipse naturâ filius est. Nam in hoc accepimus Spiritum sanctum, ut filii fiamus. Porro, propter Christum filii efficimur, proinde et propter Christum spiritum accipimus.

Ille docebit vos omnia,

scilicet spiritualiter [12]), quae vobis dixi, et non alia. Primo, novo testamento nulla nova doctrina

---

10) Verba: *Quid est, non quid* etc., Tub. non habet.
11) Potius: *est carnalis.* — Verba: *Mansionem — carnalis*, Tub. non habet.
12) Tub. addit: *admonebit omnia, scilicet.*

traditur, quia non est ministerium literae, sed est simpliciter acceptio Spiritus sancti. Secundo, ergo non potest intelligi, quod Spiritus sanctus novam aliquam doctrinam sanxerit, quae non sit prodita scripturis. Tertio, ideoque Christus Matth. ultimo dicit: Docete, quae ego praecepi vobis. Porro, si necessaria esset aliqua alia doctrina, oportuit et eius fieri mentionem. Quarto, quod est igitur officium spiritus sancti? Respondeo: Accipere spiritum sanctum, est inscribi cordibus legem Dei, Hieremiae XXXI. Hoc est, quod hic inquit Christus: Ille vos docebit omnia, scil. eo, quod auribus carnis verbum Dei non potest audiri, ille, regenerans vos, docebit, quia spiritualia spiritualiter capiuntur, ut 1. Corinth. II.

Pacem relinquo vobis, pacem meam,

id est, vitam et gaudium Spiritus sancti. Est et haec Evangelii summa. Lex iram praedicat, quia peccatum revelat et iudicat. Idque iudicium mors est, ut apparet 1. Corinth. XV. Evangelium pacem praedicat, i. e. vitam et gaudium. Sed ea vita, id gaudium quoad durat vetustas carnis, tectum est cruce. Hoc est quod ait: Meam pacem, i. e. vitam, quam ego vivo, gaudium quod spiritus meus parit, sed in mediis afflictionibus.

Non turbetur cor vestrum.

Ideo non turbemini quod ego dixi: Vado et venio ad vos, quia ego abeo regnum accepturus. Quia enim Christus regnat, superior est omnibus creaturis; vitae et mortis [13]), ut nocere nulla creatura possit corpori Christi. Rom. VII.

Si diligeretis me, gauderetis utique.

Sicut supra Petrum Christus arguit, quod nollet admittere loturum, ita hic cultum carnalem damnat. Carnalis cultus hic est, cum caro habet honorem Christo carnalibus officiis et cogitationibus, imaginatur eum esse sanctum, propterea nihil minus convenire ei, quam ut crucifigatur. Item, cupit caro audire, Christum sanctificare sine mortificatione, cum citra mortificationem Christus cognosci non possit. Sic sentiebant Apostoli, dolebant rem indignam accidere Christo, dolebant se divelli a Christo, cum sic sentire debuissent, gaudere, quod per mortem declararet pater gloriam suam, auspicaretur regnum Christus, quem tum demum vere cognoscerent, cum regnaret. Caro consuetudinem Christi, iustificationem sine mortificatione desiderat. Spiritus sentit, non posse cognosci Christum, quod carnaliter cognoscitur, cognosci autem, cum sentimus eum intus consolantem et vivificantem, quod non fit, nisi mortificemur. Propterea gaudet spiritus, Christum abire ad patrem, regnare, quia tum demum sentit eius potentiam, hoc est, quod infra ait: Expedit vobis, ut ego vadam. Vides autem, quam suaviter commendet nobis crucem, dum se ideo abire ac deserere nos testatur, ut vere consoletur, ut vere declaret se nobis. Vides item, quum nihil sit carnalis cultus.

Quia maior est me,

scilicet, quanquam ego morior, tamen ille vita est. Mira vero consequentia: Si diligeretis me, gauderetis utique, quod ad patrem vado. Quare gauderetis? quia pater maior me est, i. e. ideo gauderetis, quia pater glorificaturus est me, quem ego iam glorifico factus illi obediens usque ad mortem. Hoc gauderetis, quod pater sit glorificaturus me, declaraturus me vobis per Spiritum sanctum, tum demum cognoscetis me; interim dum carnaliter nostis, nondum nostis. Quod enim dicit: Pater maior me est, non sinit sententia [14]) ad naturam referri, sed ad conditionem, id est, quanquam me videatis crucifigi et extenuari, pater tamen, qui glorificabit, is maior est.

Et nunc dixi vobis,

quia oportet vos verbo armatos [15]) esse.

Ut cum factum fuerit,

scilicet, cum me abeunte ingruit tentatio, ut supra dictum est: Creditis in Deum, et in me credite.

Venit enim princeps mundi huius,

id est, instat hora passionis. Haec est praerogativa Christi et totius corporis sui. Caro est damnata mortis, et captiva est portarum infernarum. At Christus venit, ut destruat regnum Satanae, sicut ipse supra ait: Nunc iudicium est mundi, nunc princeps mundi huius eiicietur foras. Hoc est quod ait: Princeps mundi oppugnat

13) Excidisse videtur: *dominus.*

14) Tub. *sententiam.* 15) Secer. *armaturos.*

me, sed non vincit. Nam Christus is est, per quem vincitur.

Et non habet quicquam.

At hic quaeritur: Si non vincit Satan, cur occidit Christum? Respondeo: Christus ideo se mori, ut satisfiat voluntati patris. Non est Satanae potentia, quod Christus moritur, sed voluntas patris, qui peccatum morte Christi deleri voluit. Ideo non est mundi aut Satanae potentia occidere membrum aliquod Christi, sed voluntas patris, qui per infirmitatem nostram suam potentiam vult testata facere coram omnibus creaturis; 2. Corinth. I.: Sed ideo patior, ut cognoscat mundus, quod diligo patrem.

Caput XV.

Ego sum vera vitis.

Supra longa oratione consolatus est, et confirmavit imbecilles conscientias; hic idem agit per parabolam. Comparat autem se viti, patrem agricolae, sicut et Esaias cap. V. vinitorem ex eo facit. Qui docent liberi arbitrii iusticias, illi imaginantur, Christum vitam esse, hoc modo: rationem quidem per sese bene operari, sed ea bona opera accepta esse Deo, si praeter ipsa fides addatur; sicut Hieronymus scribit ad Galat., bene quidem operatum esse Abraham etiam priusquam crederet, sed ea opera postea fuisse accepta Deo, cum crederet. Sed Christus se vitem vocat, et veram, id est efficacem, hoc est, quae ex se gignat palmites, animet, vegetet et foecundet. Hic sermo consolatur sanctos, ut fidant potentiae Christi, non suae, ut sciant, potentem et efficacem in se Christum esse, ex quo ceu palmites nati et vivificati sunt. Ut, cum docet, se esse caput, quod exponit Apostolus, implere eum omnia et coagmentare corpus, ad Ephes. IV.; quod doctores humanae iusticiae arbitrantur, huiusmodi caput esse, ut sunt hominem praefecti, non quod aliquid efficiat in aliis, sed sit aliquid tantum sublimius aliis. At Christus sic caput est, ut animet totum corpus suum, sicut naturale caput vitam destillat in totum corpus. Vides ergo, tota hac concione liberi arbitrii vires damnari, et praeterea confirmari imbecilles conscientias, quas cum terret potentia portarum infernarum, fidere vult Christus suae potentiae, quod per nostram infirmitatem Dei potentia glorificetur etc. — Vera vitis, i. e. efficax, non imaginaria, quae nihil efficit.

Et pater meus agricola est,

qui plantavit hanc vitem et servavit, quia consilium domini in aeternum manet, Psalm. XXXIII., quasi sic dicat: Ne diffidite, siquidem pater plantavit hoc verbum, scilicet: qui crediderit, salvus erit; fidite hoc verbo, quia nullae creaturae praevalebunt; pater, qui cum diligit me, certe servabit totum fructicem.

Omnem palmitem, in me non ferentem etc.

scilicet, qui videtur esse palmes in me, id est, per me, hoc est, quem ego non animo et foecundo, quanquam iusticia carnis praeditus sit, id est, qui fidit suis operibus et viribus, et non fidit Christo.

Et omnem qui fert fructum,

vere palmitem, qui foecundatur a vite purgabit, i. e. subinde mortificabit, donec accipiat decimas spiritus. Nam haec est vita christiana, renovari spiritu mentis, Ephes. IV.

Iam vos mundi estis.

Quanquam reliqua sit vetustas carnis, tamen mundi estis propter sermonem, cui credidistis, et quem ego locutus sum vobis. Gratiam commendat Christus et hic, cum mundus vocat, quos [1]) paulo ante dixerat purgari oportere. Nam qui credunt, quanquam reliquiae peccati sunt in iis, reliquiae tamen, quia credunt, iustae sunt, et condonatur eis reliquum peccatum, sicut ad Rom. XIII. inquit: Nulla nunc condemnatio iis, qui in Christo sunt. Secundo, subiicit, unde mundi sint, propter sermonem. Quem sermonem? Summa praedicationis Christi est haec, quam supra indicavit ipse, ubi dicit: Ego sum via, veritas et vita; item: Qui videt me, videt et patrem, id est, iustificari eum, qui credit, se per Christum accipi in gratiam. Est itaque sermo, de quo loquitur totum Evangelium. Tertio, sermo non mundat nisi accipientem, alioqui et Pharisaeos mundaset, et Christus supra inquit: Qui habet mandata mea; et in Actis: Fide purificans corda. Quare necesse est, ut hic intelligas: propter ser-

1) Secer. *quod.*

monem creditum, id est, mundos esse Apostol o propterea, quia sermonem Christi credant.

Propter sermonem etc. [2])

Memorabile est, quod hoc loco disputat de Sacramentis Augustinus. Cur hic Christus dicat: Propter sermonem meum, cum tamen Sacramenta purificent. Respondet, nec Sacramento purificari nisi per sermonem, docetque probe, Sacramenta per fidem efficacia esse. Et exponit ipse sententiam vulgo iactatam in scholis: Accedit verbum ad' elementum, et fit Sacramentum. Verba Augustini haec sunt: Quare non ait: Mundi estis propter baptismum, quo loti estis, sed ait propter verbum, quod locutus sum vobis, nisi quia et in aqua verbum mundat. Detrahe verbum, et quid est aqua, nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Nam et hoc utique dixerat, quando pedes discipulis lavit: Qui lotus est non indiget nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus. Unde ista tanta virtus aquae, ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur. Haec Augustinus. Deinde dicit: Quem ego locutus sum vobis, quia verbum Christi est quod iustificat; humanae traditiones non iustificant, quia non possunt cor reddere certum de potentia, misericordia, iusticia divina. Sicut Esaias dicit cap. XXIX.: Frustra colunt me mandatis hominum etc. Observabis antithesin: Si propter sermonem Christi mundi sumus, ergo non propter opera etc.

Manete in me, et ego in vobis,

scilicet fide, quia fide efficimus unus spiritus Christi. Si nunc in me manseritis, et ego manebo in vobis, id est, efficax et potens ero in vobis, etiamsi terreant portae inferorum.

Sicut palmes non potest ferre etc.

Ita Christus, quia implet omnia, transfundet spiritum in sanctos, animat eos, vivificat eos, sicut palmes transfundit naturalem succum in ramos.

Sine me nihil potestis facere,

id est, sicut palmites arescunt a vite recisi, ita moriuntur omnia, quae non sunt in Christo; quanquam videantur esse palmites, quanquam habeant iusticiam carnis, moriuntur tamen, quia non habent vividum succum vitis. Quare subiicit: Si quis in me non manserit, i. e. etiamsi praeditus sit omni iusticia humana, foras mittetur, i. e. arescet.

Si manseritis in me, et verba mea etc.

Hoc loco cum fidem tum opera docet Christus. Ad fidem confirmandam pertinent, quae proxime sequuntur: Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint etc. Est enim promissio, qua conscientiae certae redduntur, quod exaudiantur, ut sint preces nostrae velut experientia quaedam fidei seu probatio. Ad eundem modum supra promisit cap. XIV.: Quicquid petieritis in nomine meo, hoc faciam etc. Et Matth. XXII.: Omnia quae petieritis in oratione credentes, accipietis. Estque talibus promissionibus cor erigendum, ut certo sentiat, se exaudiri, esse sibi in omnibus tentationibus certum perfugium. Huc [3]) pertinent, quae de pontificatu Christi dicta sunt. Quid sit manere in ipso, exponit, cum inquit: Verba mea si manserint in vobis, ut doceat, quod manere in Christo nihil aliud sit, nisi verbo eius credere, et, sicut ipse loquitur, verbum eius habere; quemadmodum cap. VI. se exponit: Qui venit ad me, non esuriet; et: Qui credit in me, non sitiet in aeternum. Nam hoc est manere in Christo; docet enim conscientias non posse nisi in verbo certificari.

In hoc clarificatus est pater meus.

Id est, in sanctificandis vobis et in audiendo verbo meo. Hebraismus est: glorificatus est, pro: glorificatur; estque sententia: Gloria patris innotescit vobis, cum vos uberius fructificatis. Complectitur autem haec sententia duo. Primum, quod fructus, quem facimus, sit gloria patris, id est, opus potentiae patris, non nostrarum virium. Idque et paulo ante dixit, cum ait, patrem agricolam purgare palmitem, i. e. patris opus esse sanctificare, non humanarum virium, sicut et in universum, Evangelium praedicat regnum, gloriam, potentiam Dei, id est, hoc praedicat, quod iustificemur, sanctificemur aut et salvemur non humanis viribus, sed potentia Dei. Secundo docet, quod pater innotescat cum fructum ferimus,

2) Haec verba in Tub. posita sunt ante *Tertio*, post *totum Evangelium.*

3) Secer. *Hic.*

id est, pater ostendit se, ostendit misericordiam et potentiam suam cum sanctificat, efficitque, ut, qui sanctificantur, timeant Deum et credant ei, nec fidant iam ullis humanis et rebus et viribus.

Et efficiamini mei discipuli.

Redit postremo iterum ad verbum. Efficiamini mei discipuli, quasi sic dicat: Tunc clarificatus est pater, cum mei discipuli estis, id est, cum meo verbo creditis. Nam Christi discipuli sunt, qui eius verbo credunt. Ioann. VII.: Si manseritis in sermone meo, vere mei discipuli estis. Estque haec sententia: Pater glorificatur, i. e. innotescit verbo meo; patrem noscetis, ubi verbo meo credideritis, quia patris misericordia tum sentitur, cum credimus, nos per Christum iustificari, et fit, ut timere ac fidere possimus, atque ita gloria redditur patri.

Sicut dilexit me pater.

Haec est ratio omnium, quae supra promissa sunt, et fax, qua inflammat nos ad faciendam legem. Ideo promissionibus hunc velut epilogum adiecit et caput sermoni de operibus, quod [4]) sequitur. Estque postrema et summa adversus omnes tentationes consolatio fidere, quod diligat nos pater. Siquidem tanti fecit nos, ut infra nos Christum abiiceret, ut factus sit Christus minister, nempe qui lavet pedes nostros. Ideo sic ait: Sicut dilexit me pater, ita et ego diligo vos. Ut certam reddat conscientiam diligi nos, sic argumentatur: certissimum esse, quod filium pater diligat, ut qui id ostenderit glorificato eo, primum per miracula, post per resurrectionem; ideo certissimum quoque vult conscientiis nostris esse Christum, quod ipse nos diligat, quasi sic dicat: Videtis certissimum esse, quod a patre diligar; ita sentite, certum esse, quod a me diligamini, etiam si differatur glorificatio vestri [5]). Agit itaque hoc Christus, ut certificet conscientias. Eodem pertinet et conclusio: Manete in dilectione mea, id est, certi estote quod diligam vos; quod si pro certo senseritis, et praecepta mea servabitis, hoc est, ipsa observatio praeceptorum meorum erit testimonium, quod maneatis in dilectione mea etc., ut supra.

Si praecepta mea servaveritis.

Legem fieri nihil aliud est, nisi ad extremum usque humiliari, quia lex est verbum iudicii, quo arguuntur omnia nostra. Sic Christus legem fecit, extenuatus ad novissimum usque, factus obediens patri usque ad mortem crucis. Exigit itaque, ut similiter faciamus et nos legem, hoc est, extenuemur sicut et ipse extenuatus est, quam legem caro nec intelligit, nec facit. Consolatur itaque sanctos, quasi sic dicat: Sentite quod diligam vos tametsi extenuem, sicut certum est, me a patre diligi, quanquam reliquisse videatur.

Ut gaudium meum etc.

Christi regnum est, in cordibus regnare, quare simul gaudet et ipse, hoc est, regnat et glorificatur, et nostrum gaudium perficitur, id est, nos vivificamur et confirmamur etc.

Hoc est praeceptum meum, ut diligatis etc.

Duo omnino tota lex tradit, quomodo Deo serviamus, et quomodo cum hominibus conversemur. Proinde Christus hactenus docuit, patrem non cognosci, non coli, nisi fide in Christum. Haec fere concionis superioris summa est: Nemo venit ad patrem nisi per me. Atque ita Christus primam partem legis absolvit, quando docuit, quomodo coram Deo iustificemur. Altera pars legis docet, quomodo cum hominibus conversandum sit. Ideo et hoc praeceptum de charitate subiicitur. Mirabuntur hic, qui fidei doctrinam non intelligunt, cur non et de Deo diligendo praeceperit; sed eam partem legis de cultu Dei supra absolvit, cum docuit, cultum patris esse, credere in Christum. Quod dicit: Praeceptum novum, opponit legi Moysi, quod ante non sit intellectum praeceptum de charitate. Proinde cum novo modo intelligitur, fit et novum verbum. Quia caro sicut praeceptum de colendo Deo intelligit de externis operibus, non de fiducia et timore, sic et praeceptum de charitate non intelligit de affectu cordis. Exponit autem Christus praeceptum de charitate: Sicut dilexi vos, cum charitatem in eo ponat, ut humiliemus et abiiciamus nos infra omnes, et resignemus omnibus rem, honorem et vitam. Atque ita vides, praecipi lege extremam extenuationem nostri, et sicut Christus ait: Qui vult me sequi, abneget semetipsum.

---

4) Tub. *qui.* 5) Tub *vestra.*

Unde satis apparet, legem non posse fieri libero arbitrio. Natura enim quaerit quae sua sunt. Vides item, quomodo sit interdicta rerum, famae, vitae vindicta. Sicut in Deuteronomio: Mihi vindicta, itaque sicut Deo adimit gloriam, qui ipse se iustificat, qui sibi sapientiam arrogat: ita gloriae Dei detrahit, qui sibi vindictam arrogat. Et ex hoc fonte nascuntur leges illae Matthaei VI.

Maiorem hac dilectione nemo habet etc.,

scilicet, quemadmodum volo, ut et vos diligatis mutuo. Cum dicit *animam*, iam omnia complectitur. Pro amicis, i. e. iis, quos diligis, sive ii te diligant, sive non.

Sicut dilexi vos.

Simul hic nobis commendat Christus magnitudinem et vim amoris sui, et testatur, eandem legem sancire se nobis et sibi, quod, sicut vult, ut nos diligamus mutuo, ita nos ipse etiam diligit, eumque amorem mortis velut sigillo consignat.

Iam non dicam vos servos.

Subiicit Christus testimonia amoris sui erga nos, primum quod nos non servos, sed amicos fecerit; secundo, quod ipse elegerit nos gratis. Apostolus Rom. VIII. discernit filios a servis in hunc modum, filios esse, in quibus spiritus adoptionis est, servos, in quibus spiritus non est, filios haeredes esse vitae aeternae, servos eiici. Sicut et solus Isaac haereditatem patris consecutus est, Ismaël alio ablegatus, ita hic Christus discernit servos ab amicis, quod servi nesciant voluntatem domini, amici sciant. Qui Christi sunt, sciunt voluntatem Dei erga se, quia nihil aliud est, esse in Christo, nisi firma fide sentire, quod pater sit nostri misertus et receperit nos in gratiam, tueatur iam et custodiat, quicquid acciderit. Itaque alacres ferunt crucem, quod sciant, se a patre respici, et hanc esse patris bonam voluntatem sic glorificari. Servi vero nesciunt voluntatem domini, id est, non habent in corde verbum fidei, ideo nesciunt, sibi Deum esse propitium. Operatur sine fide servus, sic apud se sentiens: Nescio utrum sim Deo acceptus, nec ne; fortasse me non respicit. Atque haec infidelitas, quia est in corde servi, facit, ut non toleret crucem, immo cum tentatur, sentit sibi irasci Deum, sentit se reiici. Habes exemplum in Israëlitis murmurantibus adversus Moysen. Et quod hic ait Christus, servum nescire voluntatem domini, pulchre apparet in verbis israëliticae multitudinis Exod. XVII.: Estne dominus in nobis, an non? Et Deuter. XXIX.: Non dedit nobis dominus cor intelligens et oculos videntes. Sic etiam populus legis ignorat Dei voluntatem erga se.

Quaecunque audivi a patre, vobis nota feci,

id est, praedicavi vobis Evangelium pacis et vitae, quo consolemini adversus scandalum crucis et adversus portas inferorum etc. Sic argumentatur Christus: Quod diligam vos, testimonio verbum est, quo vos amicos feci, quo verbo adversus scandalum armemini, cum vel ego patiar, vel vos passuri estis.

Non vos me elegisti, sed ego vos.

Sunt, qui ad Apostolorum electionem referunt, qua illi ad officium vocati sunt. Ego non video, quid vetat referre ad omnium sanctorum electionem, quia paulo post dicit: Quodcunque petieritis patrem, quod ad omnes sanctos pertinere satis constat. Primum ergo observandum est, quod gratis eligit sine meritis nostris. Sic ergo argumentatur: Quod diligam vos, inde apparet, quia gratis elegi. Sicut Apostolus ad Rom. V. argumentatur: Si misertus est nostri ut iustificaret, certe miserescet etiam ut salvet.

Ut quodcunque pet. patr. in nomine meo.

Hoc in summa efficit Evangelium, ut certos reddat de voluntate patris, ut petere possimus, et ut certum sit, non frustra petere. Proinde non causamur merita nostra, sed propter filium petimus, quem testatus est pater se diligere cum glorificavit. Itaque non possumus frustra petere, cum nomine filii petimus.

Haec mando vobis, ut diligatis invicem.

Postremo repetit legem, quasi sic dicat: Quia diligo vos, quia tam multipliciter testificatus sum de amore meo, volo ut vos vicissim diligatis inter vos. Sic enim praecipit Evangelium, ostentando exemplum Christi, quia oportet Evangelii populum spontaneum esse, sicut dicit Psalm. CIX.

Si vos odit mundus.

Supra consolatus est Christus suos adversus omnia genera tentationum, et inprimis adversus eam imbecillitatem, qua conscientiae de iustificatione cupiunt certificari. Nam eo pertinent, quae cum Philippo agit. Qui videt me, videt et patrem, cum ille scilicet divinae voluntatis signum aliquod cernere cuperet, quo certior esset conscientia, Christus ad verbum revocat, ut conscientiam fide verbi erigat et confirmet, caeterum nullum signum profore. In quam sententiam dictum est alias: Non dabitur illi generationi aliud signum praeter signum Ionae, i. e. fides in Christum morientem et resurgentem profutura est, caeterum signa videre nihil proderit. Et haec quidem hactenus. Nunc consolatur adversus externam persecutionem. Consolatur autem suo exemplo, scilicet ut fidem sanctorum confirmet id, quod fit, cum sentiunt, quod sicut Christus glorificatus est, ita sint et ipsi glorificandi. Et quia Evangelium praedicat Dei gloriam, ideo non permittit, ut ipsi nos vindicemus, iuxta illud: Mihi vindicta. At Apostolus inquit, Evangelium vasis fictilibus circumferri, hoc est, Christianos oportere pati, et expectare a solo Deo glorificationem. Vides autem, Evangelium totum ad praesentem pugnam comparatum esse.

Si mundus vos odit, scilicet damnantes hypocrisin humanam. Scitote, quia me priorem vobis odio habuit, scilicet ut confirmati meo exemplo credatis, bona voluntate Dei fieri. Si de mundo fuissetis, si probassetis sapientiam et iusticiam humanam, mundus quod suum est diligeret. Quia vero de mundo non estis, quia probatis sapientiam et iusticiam spiritus. Servus non est maior domino, quia nos oportet similes fieri imagini Dei, ut inquit Apostolus: Si me persecuti sunt etc., scilicet, si ausus fuit Satan contra me, quem vidit tantis miraculis glorificari a Deo. Quia nesciunt eum, qui misit me, i. e. ipsi se putant sapientes et iustos, nec hypocrisin carnis sentiunt. Proinde, cum damnatur haec hypocrisis, nec esse est, eos persequi verbum. Propter nomen meum, i. e. putantes, se obsequium praestare Deo, quia sentiunt, id verbum tale esse, quod adversaretur gloriae Dei, et sic videntur sibi tueri illud verbum.

Si non venissem et locutus fuissem.

Satis constat, Christum exprobrare incredulis adventum suum, praedicationem et miracula, quibus omnibus invitavit eos ad credendum. Quemadmodum Lucae XIII. exprobrat eis sua beneficia: Quoties volui vos congregare, et noluistis! Et Esaiae V.: Quid est, quod debui ultra facere vineae meae, et non feci. Et Ezech. XVI.: Multiplicatum quasi germen agri dedi te. Ita et hic exprobrat beneficia sua, quasi sic dicat: Ideo revelatum est Evangelium, ut palam fieret, adeo exigi fidem citra operum respectum, ut incredulitas damnet etiam, tametsi omnes mundi iusticias habeat. Atque hoc si non revelasset, essent quidem peccatores, sed tamen conscientia non iudicaret incredulitatem, non sentiret esse peccatum, quia verbo careret, secundum quod conscientia iudicat. Nunc cum conscientia sentiat, incredulitatem esse peccatum, cur non credit, cur diffidit, cur desperat, cur suas iusticias requirunt potius, quam meum verbum? Itaque non dicit Christus, non fuisse peccati reos, si non venisset, sed eos hoc peccatum, scilicet incredulitatis, non habituros fuisse. Secundo, neque hoc agit, incredulitatem non fuisse peccatum si non venisset, sed eos id peccatum non habituros fuisse, id est, conscientias non potuisse iudicare et sentire id esse peccatum. Proinde sic exponit peccatum, quemadmodum scriptura plerunque usurpat pro peccato, quatenus cognoscitur, iudicatur et sentitur, sicut et Paulus loquitur: Aculeus mortis peccatum est etc. Proinde velut ipsas conscientias incredulorum appellat Christus, quasi sic dicat: Cum conscientiae meo verbo convictae sunt, peccatum esse incredulitatem, cur igitur non credunt? Estque enthymema, si non venissem, peccatum non haberent, i. e. non fuissent convictae eorum conscientiae, ut sentirent, incredulitatem esse peccatum, quia verbum non habuissent, quod in iudicanda conscientia sequitur. Nunc autem ipsorum conscientiae iudicantur; cognoscunt incredulitatem esse peccatum etc. Sicut et supra cap. XII.: Sermo quem locutus sum, ille iudicabit eos. Haec autem omnia eo pertinent, ut intelligatur, quam sancte fides exigatur. Nam si peccatum est incredulitas, non modo servabit pater, qui sibi credunt, sed praecipit etiam, ut credamus.

Peccatum non haberent,

id est, non sensissent incredulitatem esse peccatum.

Nunc autem excusationem non habent.

Conscientiae convictae sunt, quod incredulitas sit peccatum. Qui me odit, et patrem meum odit, i. e. sicut ii fatentur odium mei, qui me persequuntur, ita fatentur, se non credere. — Et patrem meum odit, i. e. quanquam Evangelium persequuntur, videri volunt, se tueri gloriam Dei. Si opera non fecissem, i. e. si non testificatus fuissem meam doctrinam miraculis. Nunc autem viderunt, i. e. convicti sunt, et tamen non credunt.

Et oderunt me et patrem.

Quanquam velint videri tueri gloriam patris, cum adversantur Evangelio, ferunt suas iusticias, suam sapientiam tuentur, non gloriam Dei. Quia Christus solus praedicat gloriam patris, docetque nostras iusticias peccatum esse, propterea quod cor vacet fiducia erga Deum et metu Dei; quod quia non cernit hypocrisis humana, ergo damnat Evangelium. Sermo, qui in lege eorum, scilicet testificante contra eos.

Odio me habuerunt gratis.

Gratis referendum est ad miracula, ut sic intelligat: Cum tot miraculis testificatus sit de verbo Christus, tamen [6]) sic induruerunt, ut non possint non persequi, quanquam non habeant neque verbum neque autoritatem divinam cur persequantur.

Cum autem venerit paracletus,

scilicet, ubi ego per resurrectionem glorificatus fuero. Quem ego mittam; ego, scilicet iam glorificatus. Spiritum veritatis, i. e. qui veraces facit. Ille testimonium perhibebit, scil. in singulorum cordibus, qui arrabo et pignus gratiae, ut Apostolus inquit.

Et vos testimonium etc.

Ab initio mecum estis, i. e. iam audistis doctrinam, ut possitis exhibere testimonium de mea doctrina. Estque hic insignis locus pro autoritate Apostolorum contra eos, qui Apostolos etiam homines fuisse dicunt, et sic suas traditiones humanas statuere conantur.

Caput XVI.

Epilogum addit Christus superiori concioni, docens, ut sermone suo nos armemus adversus scandalum crucis. Nec enim potest conscientia creaturae ullius praesidio confirmari; sicut testatur Esaias: Gloria carnis quasi gloria foeni. At verbum Dei vita est, ideoque vivificat conscientias. Huc pertinent ea, quae hoc loco dicuntur: Haec locutus sum vobis, ne scandalizemini. Item: Cum venerit hora, memores sitis, quia dixerim vobis. Adeo nec signa nec novum verbum promittit Christus, sed iubet, eius verbi recordari, quod iam proditum est.

Haec locutus sum vobis,

scilicet de morte, de persecutionibus vestris, item, quod ego haud dubie accepto regno adfuturus sum vobis. Ut non scandalizemini, i. e. hoc verbo confirmati duretis in cruce et adversus persecutiones. Absque synagogis facient vos, i. e. proscribent vos et excommunicabunt.

Et venit hora, ut omnis qui interficit etc.

Hoc scandalum summum est, quod totius mundi iudicio habentur Christiani cum pro fatuis, tum pro impiis. Sicut summa gloria est sapientia et iusticia, ita ignominiae gradus hic supremus est, derogare sapientiam et iusticiam. Pharisaei sic sentiunt: Legem Deus praecepit, ergo legis opera iustificant. Christus vero negat, tum fieri legem, tum opera iustificare: quod cum non intelligunt, damnant, videnturque sibi legem Dei tueri. Gentes probant [1]) mores et veteres opiniones receptas, contra quas si quid tradat quidpiam, hunc [2]) insanire iudicant. Habes exemplum Amos. VII.: Non poterat universa terra sustinere sermones etc. Arbitrantur, se obsequium praestare, scilicet quia legem Dei se tueri iudicant Pharisaei. Non enim vident, quae sit vis legis. Exemplum est in Actis, ubi Stephanum contra legem, contra templum, contra populum praedicare dicebant. Et haec facient vobis, quia non

6) Tub. *Christi*, *tum.*

1) Secer. *probent.* 2) Secer. *tunc.*

noverunt patrem neque me, id est, non intelligunt iusticiam fidei, nesciunt iusticiam Dei veritatem esse, non hypocrisin. Ut reminiscamini, quod ego, scilicet ut confirmetis vos verbo, et duretis in cruce.

Haec autem ab initio etc.

Quia nondum patiebamini, sicut alias inquit: Non possunt lugere filii sponsi, quoad cum ipsis sponsus est.

Et nunc vado ad eum, qui misit etc.

Christus vult, suos certissime sentire, patrem glorificaturum esse verbum suum, tametsi mundi iudicio damnentur, occidantur qui praedicant verbum, utut mundus sentiat [3]). Ideo toties repetit, se ad patrem ire, id est, quanquam abeat, occidatur modo, tamen hanc esse viam, qua glorificari eum oporteat, et per mortem se regnum auspicaturum esse. Ideo subiicit: Nemo ex vobis interrogat me, id est, ipse iam ultro praedico, ut certissimum sit vobis, me ire ad patrem. Sicut et supra: Quo ego vado scitis, et viam scitis etc. Habebant enim discipuli verbum Christi, credebant, eum esse salvatorem, itaque futurum esse glorificaretur; caeterum modum ignorabant, et fides eorum nondum probata erat tentatione. Itaque quanquam verbum habebant, nondum tamen confirmati erant. Ad eum modum hic dicit: Nemo ex vobis interrogat; quasi diceret: Vobis bis quidem praedixi, et patrem nostis, quanquam fides vestra nondum sit probata. Nam et incredulitatem eorum taxat his verbis, quae subiecit.

Tristitia implebit cor vestrum.

Verbum Dei vita est, ut Ioann. I. ideo pacificat et exhilarat corda. Sed priusquam vivificet, mortificat sensum carnis, sicut hic. Apostoli confidebant in carnali praesentia Christi; nunc cum praedicit Christus, se abiturum esse ad patrem, eripit carni Apostolorum id, quo fidebunt, et indicat, quo alio fidere debeant, scilicet Christo regi et sacerdoti apud patrem. Cur saepe supra dictum est: Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis; eandem vides esse verbi divini vim, ubique Deus promittit Iudaeis, ex Aegypto egressis, terram. Ibi primum excludit eos a terra quam tenuerant, et in tot discrimina coniicit. Sic in iustificatione praecipit, ut Christo credamus, quo verbo simul mortificat omnia nostra, et praecipit, ut expectemus a solo Christo opem et gloriam. Tristitia implebit cor vestrum, scil. cum meo verbo mortificabitur carnalis fiducia. Sed ego veritatem vobis dico, scil. quod vivificat, quanquam principio mortificet carnalem fiduciam. Expedit vobis, ut ego vadam, scil. ut inchoem regnum. Paracletus non veniet, id est, non revelabitur hoc regnum.

Expedit vobis, ut ego vadam.

Natura vult glorificari sine cruce; at gloria spiritus et vitae aeternae non potest attingi, nisi extincta carne et hac vita animali. Ideo et Christus mortuus est, ut glorificaretur, et benediceretur benedictionibus aeternis, sicut Psal. XX. scriptum est. Hoc est quod hic ait: Expedit vobis, quia alias regnum spirituale non potuit. Et in hanc sententiam subiicit: Si non abiero, paracletus non veniet, i. e. non revelabitur. Porro paracletum revelari est, revelari sapientiam et iusticiam Dei. Neque aliud est regnum Christi, nisi revelatio sapientiae et iusticiae Dei. Apostoli expectabant corporale regnum; et Christus testatur, ideo se oportere abire, ut palam fiat, suum regnum non esse corporale sed spirituale, quo sentiant credentes, iustificari et vivere se, etiam cum moriuntur. Atque ut id regnum inchoaretur, abeundum erat, Psal. LXVII.: Ascendisti in altum. Ideo abit Christus, ut regnum spirituale auspicetur. Spirituale autem regnum quid sit, aut quale sit, hic describit, unde quid sit Ecclesia facile aestimabis.

Si autem abiero, mittam eum ad vos.

Spiritus sanctus mittitur, ut arguat, unde primum omnium disces, carnem ipsam sese non posse arguere, aliqui cur mitteretur Spiritus sanctus ad arguendam carnem. Non enim cernit ratio incredulitatem, contemptum Dei, qui connascitur carni, iuxta illud Hieremiae VI.: Erubescere nescierunt; et Prov. XVI.: Via stulti recta in oculis eius. Hoc est, cur tenebras vocet scriptura rationem, ad Ephes. IV.: Tenebris obscuratum habentes intellectum; 2. Cor. III.: Velamen positum est super cor eorum. Hinc apparet, quid lumen naturae, quid ratio, quid liberum arbitrium possit.

3) *Utut* etc. non leguntur in Tub.

Et cum venerit ille, arguet etc.

Arguet, sicut supra dixit, nunc iudicium esse mundi, et principem mundi foras eiici; ita hic dicit, argui carnem, i. e. damnari et occidi carnem, sicut et Gen. VI. dicit: Non permanebit spiritus meus in homine, quia caro est. Est enim opus Spiritus sancti revelare incredulitatem et ignorantiam Dei in carne, et damnare, efficereque, ut agnoscamus, nos reos esse aeternae mortis et maledictionis. Sicut ad Rom.: Nunc revelatur ira Dei super omnem impietatem etc. Spiritus sanctus in eorum cordibus, qui accipiunt, cum revelat impietatem, indicat, item et condemnat impietatem incredulis verbo.

Arguet mundum.

Quod ait, mundum argui, significat Evangelii praedicationem ad omnes gentes pertinere.

De peccato quidem, quia non cred.

Sicut Evangelio sola fides iusticia est, ut scilicet, si omnia omnium peccata feceris, tamen credis, misereri tui patrem propter Christum, salvus sis, sicut supra: Qui credit in eum, non iudicatur; nam est haec Evangelii gloria, salvari peccatores: ita econtra Evangelio sola incredulitas peccatum est, sicut et supra dixit: Qui non credit, iam iudicatus est, quia non credit in nomine unigeniti etc.; et Ioann. XII.: Sermo quem locutus sum, ille iudicabit. Vides amplitudinem misericordiae divinae. Porro, caro sic iudicat, iusticiam esse bona opera, iniusticiam mala opera. Itaque Spiritus sanctus arguit, id est, revelat cordi, nostras iusticias immundas esse, propterea iniustos esse, qui non credant in Christum. Hoc est quod ait de peccato: Quia non crediderunt in me, id est, caro bona opera putabat esse iusticias, at spiritus convincit, iusticiam esse fidem in me, qua cum vacent, ergo peccatum habuit.

De iusticia vero, quia vado ad patrem.

Mundum argui de iusticia, est iusticiam eius revelari ut appareat, immundiciam esse, iuxta illud: Omnis homo mendax. Quia vero Christus regnat, ideo revelatur iusticiae humanae immundicies, et nova iusticia donatur. Hoc est enim Christi officium, damnare iusticias humanas, et donare iusticiam aeternam, quae est ipsa vita aeterna. Sicut Malach. III. dicitur: Quis stabit ad videndum eum? ipse enim quasi ignis conflans et quasi herba fullonum. Proinde videtur simplicissime sic intelligi posse: Spiritus sanctus arguet mundum de iusticia, id est, revelabit iusticiae mundi impuritatem. Quia ego vado, id est, regnare coepi. Nam Christum ire ad patrem, plane aliud non est, quam auspicari regnum. Porro, regnare Christum, est damnare carnem et donare iusticiam Dei, implere omnia, sicut ad Ephes. scribitur. Et iam videbitis me, id est, regnum meum non erit in carnali et visibili praesentia.

De iudicio autem, quia princeps mundi etc.

Iudicium est castigatio seu reprobatio, sicut supra dictum est: Nunc iudicium est mundi. Porro, ubi revelatum est, incredulitatem esse peccatum, iusticiam esse novam illam, quam praedicat Evangelium, non eam quam concipit mundus, consequitur, ut spiritus discernat carnem, discernat regnum Satanae et regnum Dei. Damnat et odit omnia opera et consilia Satanae regni, sicut Rom. VIII.: Si spiritu opera carnis mortificaveritis. Sic ergo ait: Spiritus arguet mundum de iudicio, id est, damnabit mundum, quod non iudicet Satanam, sed probet. Satanae regnum est, gloriam, opes, voluptates quaerere. Haec mundus non improbat. At Spiritus sanctus aliter iudicat; sentit, regnum Satanae esse cupiditates carnis, ideoque odit et mortificat. Hoc est, quod ait: Arguet mundum de iudicio. Sed quare? quia princeps mundi iam iudicatus est, id est, portae inferorum sunt iam destructae, verbum editum est et praedicatum, adversus quod nihil potest Satan. Victa mors est et victum peccatum, sicut ad Rom. VI. argumentatur Apostolus: Peccatum nobis non dominabitur. Est ergo regnum Christi non usus ceremoniarum, non externa tantum politia, sed est revelatio, qua cordi palam fit incredulitas, palam fit iusticiam esse non carnis iusticiam, sed eam, quam efficit Christus, implens et vivificans cor. Quoniam ubi renovatum fuerit cor, tum iudicantur, hoc est, damnantur omnia opera, consilia regni tenebrarum, quod gerit Satan in iis, in quibus non est spiritus Dei.

Adhuc multa habeo vobis dicere.

Christus venit in hunc mundum annunciaturus remissionem peccatorum, id quod Evange-

lium est. Itaque per Christum verbum accepimus, quod unum ad salutem satis est. Ioann. I.: Unigenitus filius, qui est in sinu patris, ipse enarravit. Et Ioann. XV.: Omnia, quae audivi a patre meo, nota feci vobis. Et Matth. ultimo: Docentes servare eos omnia, quaecunque mandavi vobis. Et Esaiae LXI.: Ad annunciandum mansuetis misit me. Et ad Hebr. I.: Novissime in filio etc. Nec est aliquod novum verbum, quod Spiritus sanctus afferat, sed est idem illud verbum, quod a Christo praedicatum est; sicut Ioann. XV.: Cum venerit paracletus, ille testimonium perhibebit de me. Et XIV.: Ille admonebit vos omnium, quae dixi vobis. Nam cum ait: Quae dixi, significat certe idem verbum fore. Et breviter, unum est Evangelium promissum in scripturis sanctis, quod est per Christum praedicatum Iudaeis, et per Apostolos accepto Spiritu sancto sparsum in omnes gentes, quia sine Spiritu sancto non intelligitur verbum Christi. Proinde cum hunc locum: Adhuc multa habeo vobis dicere, opponunt impii, cave credas, novum aliquod verbum traditum esse, quod ad salutem pertineat, praeter Evangelium a Christo praedicatum. Sed huc pertinet. Apostoli adhuc putabant, regnum Christi corporale regnum fore, sicut apparet Act. I.: Nesciebant Evangelium sparsum esse in gentes. Breviter, crucem et crucis gloriam nondum intelligebant, tametsi verbum editum esset. Ideo Christus contentus est, pauca dixisse.

Sed non potestis portare modo.

Ea dicit, se omittere, quae non possint portare, i. e. quae nondum intelligant. Unde satis clarum est, eum de spirituali doctrina loqui. Verum hac sententia utuntur impii ad confirmandum Papatum et ordinationes ecclesiasticas, quae omnia carnalia et externa sunt, et quae etiam ab impiis intelligi possunt. Vide insaniam hominum, qui putant, Apostolos intelligere potuisse doctrinam fidei et crucis, repugnantem omni sensui naturae, et non potuisse intelligere ordinationem dierum ac vestium. Docet hic locus, verbum non intelligi sine spiritu sancto. Nam ideo pauciora dicit, quod ipsi non intellexerunt. Et adiicit: Cum venerit spiritus veritatis etc., id est, Spiritus sanctus efficit, ut hoc verbum, quod praedicavi, clare cognoscatis. Sicut et Apostolus 2. Cor. III.: Nos revelata facie gloriam domini speculantes in eandem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam domini spiritu. Eodem pertinet, quod hic ait: Ille me clarificabit, id est, notum faciet. Adhuc multa habeo vobis dicere, scilicet de cruce et eius gloria, de Evangelio spargendo in gentes, de regno spirituali. Docebit vos omnem veritatem, id est, efficiet ut intelligatis verbum. Non enim loquetur de semetipso, i. e. aliud verbum quam patris verbum. Sed quaecunque audiet, i. e. verbum patris. Et annuntiabit vobis quae ventura sunt, id est, de cruce et eius gloria, de Evangelio spargendo in gentes. Ille me glorificabit, i. e. notum faciet in omnibus gentibus. Quia de meo accipiet, i. e. verbum patris accipiet. Omnia quaecunque habet pater mea sunt, i. e. eadem potentia patris et mea.

Modicum, et iam non videbitis me.

Et hic proponitur exemplum ignorantiae apostolicae, immo incredulitatis. Praedicaverat enim dominus de passione et resurrectione satis multa, quae nondum intelligebant, nec credebant. Modicum, et iam non videbitis me, id est, aliquamdiu non videbitis me, scilicet tempore passionis, cum moriar. Et iterum modicum, et videbitis me, id est, paulo post iterum videbitis me, scilicet ubi resurrexero. Quia vado ad patrem, id est, per mortem auspicabor regnum spirituale.

De hoc quaeritis inter vos.

Solicitudo Christi pro nobis describitur in eo, quod haesitantibus occurrit, et eo pertinet, ut sentiamus respici afflictos, immo etiam antevertere precantes, sicut pollicetur Esaiae LXV.: Erit antequam clament, ego exaudivi eos etc.

Amen dico vobis, quia plorabitis.

Vides et hic afflictiones, fidem et charitatem praedicari. Porro, exaggerat afflictiones, cum ait: Mundus gaudebit, quo significatum est, quomodo subsannet mundus Evangelium, ubi viderit languere Christum, sicut scriptum est Psal. XXXIV.: Adversum me laetati sunt. Et Psal. XXI.: Omnes videntes me, deriserunt me etc. Porro, unde sit expectanda consolatio, decet exemplo, quod subiecit de parturiente. Plorabitis et flebitis, scil. cum patiar ego.

Mulier, cum parturit, tristitiam habet.

Primum parturientes nulla ope humana levari possunt; talis est et Ecclesiae afflictio, cum furit mundus, cum persequitur, quam nullae creaturae consolantur, iuxta illud Psal. LXVI.: Pater meus et mater mea dereliquerunt me, dominus autem assumpsit me. Docet itaque Apostolos, ut in tali afflictione plane non sperent consolationem, nisi a Deo. Christus occidebatur, doctrina reprobabatur, quia videbatur verbo Dei adversari. Quum sic consoletur discipulos, certe fuit expectando glorificatio Christi a Deo: Similes sunt Ecclesiae afflictiones perpetuo. Secundo docet, vitae initium esse eam afflictionem, sicut initium vitae est dolor parturientis. Nam perinde atque mors peccati poena est, ita et ille parturientium labor, ut Genes. III. Estque in hoc adumbrata vita in morte, scilicet, quod per mortem ad vitam transeatur. Vult ergo confidere discipulos, et sentire crucem mortificando peccato impositum esse, per quam fides exerceatur, et vita restituatur. — Et gaudium vestrum nemo tollet a vobis, scil. confirmata fide per resurrectionem, adversus quam non praevalebunt portae inferorum.

Et in illo die non interrogabitis etc.,

id est, ubi resurrexero, palam videbitis, me glorificatum esse; videbitis item, quo modo sim glorificatus. Nunc quidem non intelligitis, oportere me crucifigi, et per mortem glorificari, at paulo post reipsa comperietis. Quod Hieremias ait cap. XXX.: In novissimo dierum intelligetis ea, idem hic docet Christus, fore, ut ipsa resurrectio testetur, oportuisse Christum pati, proinde ne scandalizentur interea cruce, doctrinam et autoritate et resurrectione 4) confirmandam esse. Et quod in hac tentatione, idem in aliis accidit. Eventu declaratur bona voluntas Dei. Hoc est, quod passim scriptura iubet expectare et sustinere Esaiae VIII.: Expectabo dominum, qui abscondit faciem suam a Iacob. Et Esaiae XXV.: Ecce Deus noster, expectabimus eum et salvabit nos. Sic servatur Abraham immolaturus filium, et expectando sustentandoque cognovit bonam voluntatem Dei.

Amen dico vobis, si quid p. patrem.

Vide, quoties eandem promissionem repetat de sacerdotio suo, ut reddat conscientias quam certitissimas, exaudiri precantes. Porro, quod addit: In nomine meo, fidem exigit a precantibus.

Usque modo non petistis quicquam.

Quia Christus nondum erat glorificatus, nondum intelligebant Apostoli, quale regnum aut sacerdotium eius esset futurum. Evangelium adhuc ignorabant, adeoque nondum satis certi erant, se propter Christum exaudiri, quod putarent regnum externum et corporale fore, nec sciebant, in hoc ipsum missum esse Christum, ut certificaret conscientias de voluntate patris, nec aliud esse Christi vel regnum vel officium. Ideo ait: Hactenus nihil petistis in nomine meo, quia scilicet nondum certum fuit per resurrectionem meam, quod propter me exaudiremini, necdum Evangelium promulgatum erat. Nunc resurrectio testabitur de verbo meo, de autoritate, de officio etc., dabitur Spiritus sanctus, qui Evangelium revelet, unde certum erit, quod propter me exaudiendi sitis. Usque modo non petistis quicquam in nomine meo, id est, nondum revelato Evangelio certum esse, propter Christum exaudiri precantem. Petite, et accipietis, scilicet fiducia, ut nihil haesitetis.

Ut gaudium vestrum sit plenum.

Plenum gaudium pax est, quam fides, hoc est certificata de misericordia Dei conscientia parit. Sic ergo ait: Hactenus nondum certi fuistis, nunc autem certi eritis per meam resurrectionem. Ideo securae et pacatae erunt conscientiae.

Haec in proverbio locutus sum,

id est, hactenus vobis obscurum meum, dum detur Spiritus sanctus, qui efficiet, ut verbum intelligatis. Est enim Evangelii mysterium absconditum a mundo.

Venit hora, cum iam non in proverbiis etc.

scilicet, ubi Spiritum sanctum dedero, ibi verbum meum palam eloquor inter vos, quia Spiritus sanctus renovat corda, et movet, ut concipiant verbum Christi. Ita et supra coniunxit impulsum Spiritus sancti cum verbo: Quaecunque audiet, loquetur etc. Est enim Evangelium ministerium spiritus, cum corda nova luce concepta per Spiritum sanctum credunt verbo Christi, ut fidant Deo, et magnificent eum, recipiantque

4) Tub. *autoritatem resurrectione.*

se in eum secure, ubi bonitatis eius gustum fecerunt. Atque hoc est vere nosse patrem, quomodo et Hierem. XXXI. scriptum est: Omnes noscent me etc., non docebit vir proximum suum, i. e. cognoscetur Deus, si intus doceat Spiritus sanctus. Ita et hic ait: Venit hora, cum palam loquar vobis, id est, donato Spiritu sancto cognoscetis patrem. In illo die petetis; cognito iam Evangelio in meo nomine petetis, scilicet, iam cognito Evangelio didiceritis, quod sit officium meum.

Et non dico vobis, quod ego rogabo.

Quid? Annon interpellat Christus pro sanctis, cum supra dicat: Ego rogabo patrem? Respondeo: Christus hic aequat sibi fratres suos et cohaeredes, quia Christi haereditas est regnum et sacerdotium. Sunt et reges et sacerdotes sancti, fratres et cohaeredes Christi. Vocat enim fratres Psal. XXI.: Narrabo nomen tuum fratribus meis. Proinde haec eo pertinent, ut sciamus certo ad nos pertinere promissionem, qua pollicetur, patrem exauditurum esse precantes. Vultque Christus, se non solum rogare, i. e. promissionem sacerdotii non ad solum pertinere, sed per ipsum ad omnes fratres suos. Porro, eam conditionem per ipsum adiecit, cum inquit: Quia me amastis et credidistis, i. e. quia mei fratres facti estis; nam fide coniungimur Christo.

Et non dico: Quod ego rogabo patrem de vobis, i. e. quod ad me solum pertineat promissio sacerdotii. Quia vos me amastis; itaque amat vos propter me, non propter merita vestra. Et credidistis, quia a Deo exivi, i. e. credidistis, quod missus sum ad salvandos vos. Porro, credere Christum ita missum esse, est haud dubie sentire, voluntatem patris esse, remittere peccata propter Christum. Nunc scimus, quod scis omnia, et non opus est tibi etc., quod anteverteris nos, cum vellemus interrogare etc.

Modo creditis, ecce venit hora,

id est, nolite fidere isto vestro robore etc.

Et non sum solus, quia pater mecum est, scilicet, quanquam videbitur me reliquisse. Ut in me pacem habeatis, scil. contra scandalum crucis.

Caput XVII.

Pater venit hora,

scilicet, cum mundus damnabit me. Hactenus multis miraculis ita glorificasti me, ut mundi iudicium redargueretur. Nunc quia videbor relictus esse a te ut crucifigar, quaeso rursus clarifica me, ut vicissim tua gloria palam fiat, quia non potest pater glorificari, nisi hoc filii verbo. Clarifica filium tuum, i. e. iam morientem resuscita, ut filius tuus clarificet te, id est, ut regnum accipiam.

Ut filius tuus clarificet te.

Duobus argumentis utitur. Prius est, ut filius clarificet te, i. e. ut inclarescat gloria Dei. Atque ideo causatur hoc argumentum, ut confirmet conscientias sanctorum adversus scandalum, scilicet, ut ne dubitent, quin Deus glorificaturus sit nomem suum, tametsi nunc dissimulet, tolerat blasphemantes. Alterum argumentum est, ut ideo glorificet, ne nos pereamus, tantopere sitit salutem nostram Christus. Iam et hoc indicat quomodo sit glorificandus, nempe sic, ut accipiat regnum, vivificetque omnes, quos sibi dedit pater. Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, i. e. omnia subiecisti sub pedibus eius, et fecisti haeredem. Ut det vitam aeternam omnibus, quos dedisti ei, i. e. ut vivificet corda suorum sanctorum.

Haec est autem vita aeterna.

Quid iusticia, quid vita aeterna sit, hic Evangelii locus planissime exponit. Est autem cognoscere Deum per Christum. Cognoscere vero credere est, iuxta illud Esaiae III.: Cognitio eius salvabit multos. Est igitur ipsa vita aeterna credere, quod Deus nostri misertus sit propter Christum, et fidere Deo. Ratio sentit, res omnes fortuito ferri, neque quicquam negotii Deo nobiscum esse, ideo ignorat Deum, et temere tam bona quam mala iudicat accidere. Mala conscientia et sentiens iudicium Dei, Deum pro saevo iudice tantum habet, et cum incipit sibi mederi, placare Deum conatur operibus [1]), neque tamen unquam pacificat conscientiam, semper odit, semper fugit Deum, non fidit eo, nihil ab eo ex-

1) Seccr. *opibus.*

pectat, sed fidit suis operibus [2]), suae prudentiae, et ab iis quaerit pacem. Itaque neque tale cor Deum novit, siquidem misericordiam eius non agnoscit. At ubi cor conceperit verbum Christi, quo peccata remittuntur, et in verbo Christi misericordiam Dei sentiscit, ibi agnoscit Deum, expectat ab eo omnia, fidit eo, timet eum solum, gaudet in omnibus eius operibus, et permittit eius voluntati per omnia. Talis cognitio ipsa fides est, et verus Dei cultus.

Ut cognoscant te, Deum solum verum.

Hilarius contra Arianos sic interpretatur hanc sententiam, ut cognoscant te et Iesum Christum solum esse verum Deum. Mihi videtur simpliciter locutus esse in hanc sententiam: Ut cognoscant, te solum esse verum Deum, te scilicet, qui pater es, filius et Spiritus sanctus. Et ut cognoscant Iesum Christum, id est, cognoscant, quid venerit, cur passus sit, cur resurrexerit. Sic enim cognoscitur Christus, quo cognito misericordia Dei sentitur. Eodem referenda sunt, quae supra dixit: Nemo venit ad patrem nisi per me.

Ego te clarificavi super terram,

id est, palam feci gloriam tuam praedicando Evangelium, quo revelatur gloria patris, sicut Esaiae XL.: Revelabitur gloria domini etc., quia Evangelio damnatur iusticia et sapientia carnis, et palam fit, iusticiam carnis esse simulationem, cultum Dei carnalem merum esse mendacium, sapientiam carnis esse ignorationem Dei. Praeterea donatur Evangelio verbum, in quo vere cognoscitur iusticia Dei, quo vere iustificamur. Glorificat item patrem, quod ei gloriam omnem tribuit, non usurpans sibi sapientiam aut fortitudinem, qua vindicaret se, sed simpliciter resignavit patri se et omnia sua, expectans glorificationem non a suis donis, sed a voluntate patris, qui dixit: Mihi vindicta. — Opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam; per hoc significat, et verbum a Deo esse, et mandato Dei pati Christum. Et nunc clarifica tu me, id est, resuscita me.

Claritatem, quam habui priusquam etc.

Glorificari vult Christus apud patrem, vel coram patre, id est, ea gloria, quae coram patre valet; haec est autem sapientia, iusticia, vita aeterna. Coram mundo crucifigitur et damnatur Christus, sed coram patre glorificatur, ut et se sentiant et credant sancti, glorificatum iri coram Deo, tametsi mundi iudicio interiisse videantur. Sed praeter hoc adiecit Christus: Gloriam, quam habui coram te priusquam mundus fieret. Vult enim glorificari sua naturali gloria, id est, ut potentia Dei, quae mihi natura est, rursus exerat se; nunc enim infirmus sum. — Manifestavi nomen tuum hominibus, scilicet, quia solo Evangelio manifestatur nomen Dei hominibus. Quos mihi dedisti, i. e. quos elegisti separatos a mundo. Sermonen meum, id est, Evangelium servaverunt, scilicet illi, qui a mundo separati sunt. Omnia, quae dedisti mihi abs te sunt. Evangelium, quod praedico, verbum tuum est etc. Cognoverunt vere, id est, crediderunt verbo, Christum esse missum ad praedicandam remissionem peccatorum.

Non pro mundo rogo, sed pro iis.

Vide horrendum iudicium Christi de mundo, cum negat se orare pro mundo, damnatque quicquid est mundi, quantumvis speciosum. Deinde separat a mundo pro quibus orat, nempe electos, docetque se ideo orare, quia electi sunt. Est autem ad hunc locum referenda conscientia, ut confidat Christi orationi. Supra pro se rogavit Christus; hic pro omnibus, qui credituri erant ad finem usque mundi, sicut postea inquit: Non pro eis tantum rogo, sed et pro iis, qui credituri sunt verbo meo. Atque hoc est sacerdotium Christi, per quod habemus accessum ad patrem. Docet autem et haec sententia, quomodo sit interpretanda ista Paulina: Deus vult omnes homines salvos fieri. — Mea omnia tua sunt, i. e. ideo servantur. Et tua mea sunt, scil. ideo impetro quod rogo. Et glorificatus sum in eis, i. e. agnitus sum, credunt mihi.

Et iam non sum in mundo,

ut scilicet possim eos corporali praesentia consolari et confirmare. Et in mundo sunt, i. e. soli sunt. Ego ad te venio, i. e. ut glorificer. Et quia glorificor ipse, servabuntur et discipuli mei.

Pater sancte, serva eos in nomine meo,

id est, potentia nominis tui, sicut Psal. IV.: Deus, in nomine Dei salvum me fac, et in virtute tua

2) Secer. *opibus.*

libera me. Et saepe in scripturis in nomine Christi eiiciunt daemonia, id est, in potentia nominis Christi. Sic Petrus in Actis cap. IV.: Non est aliud nomen sub sole, in quo oporteat salvos fieri. Ita hic ait: Serva eos in nomine meo, id est, effice ut nomen tuum, cui credunt, potens sit in eis. Nam salvari nomine Dei, est nomini Dei fidere, quod cum fit, ipsum nomen Dei potens est, et salvat. Prov. XVI.: Turris fortissima nomen domini, ad ipsam currit iustus, et exaltabitur. Vides autem cuiusmodi sit consolatio, quam impertit pater sanctis.

Ut sint unum sicut et nos,

id est, eodem spiritu. Porro, idem spiritus fidei unitatem parit, fidei unitas parit charitatem. Itaque orat Christus, ut idem sit omnium spiritus, quod ingeniis citra Spiritum sanctum non possit convenire de fide, sicut apparet in haeresibus. Nam ubi non est lux, tenebrae varias opiniones pariunt, sicut Esaias vocat spiritum vertiginis. Porro, hac dissensione et labefit charitas. Cum essem cum eis, scil. corporali praesentia. Servabam eos in nomine tuo, i. e. praedicavi eis Evangelium, cui et crediderunt, quia potentia est [3]) Dei. Nunc autem ad te venio, et haec loquor in mundo, scilicet, ut manifesto verbo confirmetur fides eorum. Ut habeant gaudium meum impletum, i. e. quo ego exhilaro eos. Ego dedi eis sermonem tuum palam orans pro eis, ut habeant manifestum verbum. Non rogo ut tollantur de mundo, ne tententur, ne affligantur, sed ut serves eos a malo, i. e. tentationibus, ne sinas succumbere eos. Non sunt de mundo, ideo mundus persequitur eos.

Santifica eos in veritate.

Sanctificare rem, est separare ad offerendum vel alioqui ad sacros usus. Exodi XIII.: Sanctifica mihi omne prima genitum. Et XXX.: Sanctificabis Aaron et filiis eius. Ita et hic sentit Christus, quod se sanctificet, i. e. immolet, ut simus et nos sanctificati, i. e. separati ad sacros usus et hostiae, sicut et Christus hostia fuit. Porro, quod addit: Sanctifica eos in veritate, discernit a sanctificationibus legis. Aaron ungebatur oleo, discernebatur etiam vestitu ab aliis, quae ei sanctificatio erant. Sed hic rogat Christus, ut in veritate sanctificentur, i. e. ut sanctificentur non extrinsecus, sed ut vera divina instrumenta fiant, ut verae hostiae fiant, hoc est, quas vere Deus approbet; nam pecudes et similia non approbat. Psal. XLIX.: Non in sacrificiis arguam te. Et Hierem. VII.: Non sum locutus cum patribus vestris, et non praecepi eis de verbo holocaustomatum, i. e. non exegi hunc cultum etc. Pergit autem Christus ipse explicare, quomodo fiat haec sanctificatio, cum ait: Sermo tuus veritas est, i. e. sanctifica eos vere, vere autem sanctificabis, cum verbum tuum dabis eis, cum verbo tuo inunges eos, sicut oleo inungebantur sacerdotes in lege. Iam verbo sanctificari est credere, nam verbo creditur. Sic omnia revocantur ad fidem, et ex iis apparet, quae sint hostiae christianae, scil. nos ipsi, sanctificati verbo Dei. Apparet item, hostias legis, iusticias carnis nihil esse, sed vere hostias esse qui credunt, sicut Hierem. VII. ait: Hoc verbum praecepi eis dicens: Audite vocem meam, ero vobis Deus. — Santifica, i. e. separa in tuos usus, ut fiant vera instrumenta tua. Sermo tuus veritas est, i. e. docet, quomodo operetur Deus in sanctis; tum fiunt vera instrumenta, cum tuum sermonem dabis eis, ut credant. Sicut tu me misisti in mundum, ita et ego etc., scilicet, ideo sanctificentur, quia Evangelium praedicabunt, ut sint et ipsi sanctificati in veritate, i. e. ut fiant vere instrumenta.

Non pro eis tantum rogo, sed et etc.

Precatur Christus pro universa Ecclesia, ut unum sint fide cum Deo et charitate inter se omnia Ecclesiae membra. Item ut sanctificentur vere, id est, verbi fide; item ut perdurent cum tentabuntur. Unde facile colliges, quid sit Christianismus aut Ecclesia. Quid enim sit sanctificatio, ipse exponit, dum ait: Sanctifica eos vere. Sentit enim, sanctificationem non esse externam aliquam observationem, sed eam, quae fit verbo Dei in corde. Modo explicat et ipse, quid sit unum esse. Ut omnes unum sint, sicut ego in te, et tu in me, id est, sicut nos uno spiritu unum sumus. Ut ipsi in nobis unum sint, i. e. ut habeant claritatem Christi.

Et ego gloriam, quam tu etc.

Gloriae vocabulum claritatem seu lumen significat, quemadmodum Moyses utitur. Sic et 2. Corinth. III. gloriam vultus Moysi, i. e. splen-

3) Secer. pro *est* habet *ego*.

dorem seu lumen dixit. Ad eum modum et hic intelliges. Ego gloriam dedi eis, i. e. lumen, quo illuminati conceperunt lucem Dei, hoc est, sapientiam et iusticiam, quam Deus impertit, quam condit in cordibus nostris, non hypocriticam simulationem, quemadmodum et 2. Cor. III. loquitur Apostolus: Nos revelata facie speculantes gloriam domini transformamur tanquam a domini spiritu, i. e. ut fiamus spiritus, qualis et ipse spiritus est, in quem transformamur. Huc et prophetia pertinet Esaiae LX.: Ambulabunt gentes in lumine tuo. Proinde causa quae efficit, ut unum simus, est lumen, quo a Christo illuminamur. Porro, primus gradus unitatis hic est: Ego in eis, et tu in me, quae unitas eadem fides est. Nam Christum esse in sanctis, est sanctos fidere Christo. Et patrem esse in Christo, est itidem sanctos agnoscere Christum esse potentiam patris. Hanc unitatem fidei, hanc cognitionem sui et patris Christus precatur Ecclesiae, quae cognitio ipsa fides est. Et in me, id est, ut regnem ego et glorificer.

Ut sint consummati in unum.

Perfectio est subinde magis unum fieri, sicut Ephes. IV.: Crescamus in illo per omnia, qui est caput, Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum est. Sicut oportebat hostias integras esse, non morbidas, non vitiosas, ita et sanctos oportet integros fieri, non claudicare, partim Baal, partim Deo servire, sed fidere soli Christo, non brachio carnis aut meritis; nec item in varias opiniones distrahi, et fluctuum instar agitari. Nam ubi non est in corde Christus, ibi non potest esse constans et certum iudicium de verbo Christi. Et cognoscat mundus, scil. per verbum et per Apostolos; dilexisti eos, scil. qui per verbum credunt. Pater, quos dedisti mihi volo, ut, ubi ego sum, sicut ego glorificor, sic et illi glorificentur, ut videant claritatem meam, i. e. ut cognoscant, me esse per quem salvi fiant. Et cognoverunt, i. e. me revelante crediderunt. Et notum feci eis nomen tuum, scilicet per Apostolos.

Ut dilectio, qua dilexisti me, in eis sit.

Eandem[4]) unitatem paulo post aliis verbis explicati. Ut dilectio, qua me dilexisti, in eis sit, et ego in ipsis, id est, effice, ut sentiant, se diligi propter me, ut ego regnem in eis, i. e. me regnante in ipsis cognoscant me. Porro, haec cognitio ipsa fides est, qua cordi testimonium perhibet Spiritus sanctus, cum consolatur et pacificat cor adversus omnem vim creaturarum. Habes, qui sit primus gradus unitatis[5]), eadem et communis fides, quam cum Deo unum sumus. Secundus est charitas. Nam communis fides non potest non parere charitatem communem, sicut ad Galatas Apostolus: Fides charitatem operatur.

Caput XVIII.

Passio Christi quomodo sit meditanda.

Vere meditari Christi passionem est simul crucifigi vetustatem carnis nostrae, et expavescere, seu confundi adspectu peccati, et rursum credere, quod pro nobis hostia factus sit Christus. Ad Rom. VI.: Quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem eius baptizati sumus, id est, ut mortificemur perinde atque ipse mortificatus est, ut et perferamus crucem, et sentiamus salutarem nobis fore per Christum. Estque haec plane vis atque energia mortis Christi, occidere vetustatem carnis nostrae. Praeter hoc meditandi genus aliud quoddam ratio comminiscitur; simulat se habituram honorem Christo recensendo historiam passionis Christi; sed haec nihil ad Christum.

Iudas, cum accepisset cohortem.

Diligenter consyderandum est, quis primus laedat Christum. Is Iudas est, unus de numero Apostolorum, qua re significatum est, quod sint et principes et nocentissimi hostes Evangelii ii, qui nomen Christi praetexunt, et verbum Dei causantur, cuiusmodi semper erant impii Doctores. Sunt autem impii doctores non tantum ceremoniarum Magistri, sed et ii, qui ex Christianismo civilitatem quandam faciunt, contenti humanarum virtutum specie. Porro, haec est natura impiorum doctorum, ut cum ab Evangelio indicentur, tueri se vi humana contendant, quia Deo non fidunt. Hoc est quod Iudas cohortes accersit.

4) Secer. *Tandem.*

5) Tub. *divinitatis.*

Ut ergo dixit: Ego sum, abierunt.

Et vim humanam nihil posse, statim declarat, cum verbo sternit universam cohortem, sic et verbo confirmari necesse est sanctorum corda, ut sentiant, se Deo acceptos esse, et illos casuros esse tametsi triumphare videantur. Praeterea hic quoque sublevat imbecilles, cum cavet Apostolis, ut dimittantur, ut sciamus, non esse penes hostes vim afferre, sed penes patrem esse, qui pro sua misericordia tum demum obiicit suos hostibus, cum videtur ipsi.

Mitte gladium in vaginam.

Quid? Annon licuit tueri eum, cui vis iniusta inferebatur? Nonne opus charitatis est, tueri alterum? Respondeo: Gladio uti non licet nisi legitimo potestati, quia soli magistratus ordinatione divina gerunt gladium, Rom. XIII. Et in lege semper dicitur, ducere eum ad seniores civitatis. Porro, praeter hanc ordinationem usurpare gladium est violare divinam ordinationem. Hoc est, cur hic Petrus reprehenditur gladio usurpato. Est enim Matth. XXVI. adhibita haec ratio: Omnes qui gladium acceperunt, gladio peribunt, id est, qui ipsi usurpant praeter legitimam ordinationem, non vocati a Deo, merentur gladio occidi, quantumvis iusta causa sit, prophana sive sacra, non est discrimen. Non licet gladium usurpare praeter legitimam ordinationem. Sic Prophetae mortui sunt, nec gladium usurpabant, quanquam vis afferetur.

Calicem, quem mihi dedit pater, non vis etc.

Fides efficit, ut vindictam Deo resignemus. Quia enim sentiunt sancti, se bona voluntate Dei pati, et in hoc positos esse ut patiantur, non est eis commissum ut vindicent se, ideo voluntati Dei obtemperant, illi cedunt vindictam et fortitudinis gloriam, sicut Psal. LVIII.: Ego cantabo fortitudinem tuam etc. Ita fides efficit, ut crux dulcescat, duremusque adversus omnem vim creaturae. Si desit fides, fieri non potest quin succumbas. Sic ergo ait Christus: Calicem, quem dedit mihi pater, non vis ut bibam, id est, quia certo scio me a Deo vocatum esse ad has afflictiones, sustinebo voluntatem Dei, et tu, Petre, voluntati Dei resistis, cum arrogas tibi ius vindictae, quod alteri debetur.

Ego palam locutus sum mundo.

Hoc sibi sumit mundus, ut de verbo Dei iudicet, cum tamen verbum Dei rationem iudicet, et vicissim a ratione iudicari non possit. — Ego in iudicium veni, id est, ut ipse iudicem, non ut iudicer. Porro, quia non adsequitur verbum ratio, ideo damnat. Et hic Annas prius damnat, quam invenerit quid accuset, quam habeat qui testificentur de doctrina. Sic solent impii, ut damnent quae non cognorint, nec audire eos, qui de doctrina testificentur. Sicut et Saul interemit Abimelech non auditum, et Ioachim Prophetam Uriam, filium Semei, Hierem. XXVI. Sic Hier. XVIII. inquit: Venite percutiamus eum lingua, et non attendamus etc. Sic praecipitat Satan impiorum corda spiritu vertiginis. Huc pertinet quod hic Christus ait: Quia palam locutus sum, ideo oportebat te audire testificantes de verbo, et postea iudicare. Verum priusquam vel scias quid damnes, vel audieris, qui vere de verbo testificari possint, occidere me decrevisti. Reprehendit itaque quod damnet incomperta, et sine testibus, id quod necesse est accidere omnibus, qui contemnunt Evangelium.

Si male locutus sum, testimonium etc.

Hoc loco sunt, qui calumniantur hostoriam, quod Christus inclementius tractet ministrum. Respondeo, nunquam probare debet iniustam causam quisquis patitur, sed instandum est, opportune importune increpandi sunt, qui vim afferunt. Interim autem oportet paratum expectare, quicquid illaturi sint hostes, sicut et hic Christus certe obvertit alteram maxillam, et tamen iniustam causam non probat.

Et ipsi non introierunt in praetorium.

Sanctificatio vera est, cuius supra mentio fit proxime capite, cum scilicet pater corda ipse usurpat, ut renovet et illuminet cognitione Christi. Hanc sanctificationem non agnoscit caro, et sanctificationem quandam carnalem concipit, qua a cibis quibusdum, congressu quorundam hominum abstinet, et quemadmodum et hic Iudaei abstinent congressu gentium, dum parant et sanctificant se ad edendum pascha, et qui hac sanctificatione fidunt, non possunt non persequi Christum. Estque hic propositum, cuiusmodi populus persequatur Christum, nempe is, qui insti-

ciam carnis tuetur. — Si non esset hic malefactor, tibi non tradidissemus, id est, quia pontifices sumus, ergo obtempera nobis. Ut sermo Iesu impleretur, quem dixit, scil. quod gentes crucifixurae essent eum.

Tu es rex Iudaeorum.

Hactenus cum populo legis pugnatum est; hic et cum gentibus agitur. Nam haec causatur ratio adversus Evangelium, doctrinam eiusmodi esse, quae publicam tranquillitatem perturbet, et afferat legum civilium contemptum, cum tamen Evangelium charitatem praecipiat, adeoque et legum civilium contemptum vetet. Ideo reprehendit hic Christus Pilatum recitantem crimina, dicens: An a temetipso hoc dicis, an alii tibi dixerunt? i. e. quia sentis, me affectare corporale regnum, interrogo, ipsene affirmes, an huius criminis testes habeas; quasi sic dicat: Non aliter atque illi sine testibus et inexplorata causa damnant, sic tu quoque. Ipse affirmare non potes, pacem publicam per me turbari, et tamen gratificaris pontificibus in me occidendo? Nunquid ego Iudaeus sum? id est, habeo testes. Quid fecisti, i. e. prohibuisti, censum dari Caesari.

Regnum meum non est de hoc mundo.

De regno Christi satis supra dictum est. Quia meum regnum est potentia Dei, ideo vindictam a Deo expecto, et non ab humana vi. Omnis qui est ex veritate, i. e. qui est verax factus, et qui concepit lumen: ut Deo tribuat quod est Dei. Quid est veritas? quasi dicat: Num alia veritas est, quam quae ab hominibus concipitur? — Non hunc, sed Barabbam; ideo praefertur Barabbas Christo, quia extenuari oportebat Christum infra novissimum virorum, Esaiae LIII.

Caput XIX.

Iesus autem responsum non dedit.

Quid est, quod hic non respondeat Christus, cum tamen confessio plane necessaria sit? Respondeo: Cum interrogaret Pilatus de iis criminibus, quibus maiestatem Romanam videri volebant laesam esse, et violatas Romanas leges, respondet Christus accurate diluens crimen. Nam cum criminarentur, eum esse seditionis autorem, affectare regnum, respondit: Regnum meum non est de hoc mundo; quo loco docet, Evangelium non adversari potestati civili. Porro, filium Dei esse [1]) nihil ad Romanas leges. Propterea non respondit Christus Pilato.

Respondit Iesus: Non haberes potestatem adversum me etc.

Non fert blasphemiam Christus, cum Pilatus ait, se potestatem habere etc. Confirmat autem et hic conscientias sanctorum, ut sentiant, nihil posse regnum mundi adversum eos, praeter id quod pro sua benivolentia pater admittit, ut experiamur eius praesentiam, et fides nostra confirmaretur, sicut Zachar. II.: Ego ero ei, ait dominus murus igneus.

Propterea qui me tradidit tibi etc.

Propterea, scil. permisit hoc pater portis inferorum. Deinde adeo non est penes te res, ut sis tantum mancipium Satanae, qui et Iudaeos et te impellit. — Illi maius peccatum habent, quia illi norunt scripturas, quibus promissus est Christus. Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris, id est, non faves Caesari, et haberis pro eo, qui coniures adversus Caesarem et probes huius seditionem. — Non habemus regem, sed Caesarem; hoc loco adversum se testificantur, id est, nos ignoscimus regnum Christi.

Milites ergo cum crucifixissent eum.

Non dubium est, quin vestes Christi doctrinam significent, et milites haereticos. Quae sequuntur omnia videntur in hoc adiecta, ut significarent cum resurgentem Christum, tum nascentem Ecclesiam ex mortuo Christo, sicut ex Adam sopito Eva facta est. Significabat haud dubie ille sopor Adae mortem Christi. Est et hoc lignum humile, aridum, quod florere facit Ezech. XVII. Partiri vestes, est discerpere scripturam. Sortiri de vestibus significabat, futuros, qui velut luderent scriptura et detorquerent quorsumcunque pro sua libidine.

Sitio. Vas ergo erat positum etc.

Hic locus arguet, haec recenseri, ut significentur sanctorum afflictiones. Nam hoc statu Ec-

---

1) Tub. *esse aut non esse.*

clesiae nemo est, qui non subsannet etc. Hi sunt, qui aceto Christum potant, cum consolari debeant illudunt. Sicut Psal. LXVIII.: Et sustinuit, qui simul contristaretur, et non fuit etc.

Et continuo exivit sanguis et aqua.

Sunt et hic edita signa et resurrectionis seu vitae Christi, et status ecclesiastici. Nam cum Christus mortuus sanguine et aqua scaturit, testatur vitam in se reliquam esse. Immo tum demum coepit eius vita et abscondi in Deo, et vere vivificare alios; sicut et Apostolus ait Rom. VI., plantatos esse nos in similitudinem mortis Christi, id est, insertos tanquam plantas, ut ibi vivificemur. Et ad Coloss. III.: Vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Proinde morientes confirmat, ut sentiant, et in morte vitam esse, modo credamus in Christum, etiam cum mori videmur.

Os non comminueris in eo.

Ex hoc loco apparet, Ioannem non voluisse tam historiam recensere, quam monere, quid significaret haec historia, quod scilicet hic Christus verum pascha fuit, quod in lege significatum est. Nam hic locus de non conterendis ossibus excerptus est ex Exodi cap. XII. de paschate. Iam vero et haec sententia sanctos confirmat, non posse ossa paschatis conteri, id est, potestas tenebrarum saevire in Christum potest eatenus, ut vitam, gloriam coram mundo eripiat. Porro, ossa, hoc est vitam gloriam coram Deo, eripere non potest. Idem fit in omnibus sanctis; saeviant quantumlibet impii, tamen ossa non conterent, i. e. nulla vis tanta erit, quam non fides superet, quia fructus Dei est in salutem omni credenti.

Acceperunt autem corpus.

Hactenus passus est Christus. Sentiunt Iudaei et Pilatus, omne se periculum discussisse, cum universitas rerum variis miraculis, et Centurio publica voce praedicare Christum incipiunt. Quia enim Deo vindictam resignarat, fit, ut testificetur Deus de filio. Huc pertinet, quod et sepeliunt quidam, hoc est, habent honorem infirmo Christo, mortem eius praedicant et agnoscunt, sed vitam nondum norunt.

Caput XX.

Resurgit Christus, et apparet quaerentibus eum in sepulchro, et lugentibus, hoc est, iis, qui morte eius et ipsi mortificentur, iidem sunt, qui sepeliunt eum. Porro, resurrectionem ignorant, hoc est, sic afflictis nihil apparet praeter mortem. Una die sabbati, id est, prima die hebdomatis, in qua sabbatum agebant.

Noli me tangere, quia nondum ascendi.

Non vult se tangi Christus interim dum non ascendit ad patrem, i. e. non vult, ut de carne sua gloriemur, nec vult carnaliter coli. Expectabant Apostoli carnale quoddam regnum, et iam a resurrectione arbitrabantur inchoaturum esse hoc regnum, ut ex Actis apparet. Haec carnalis opinio de Christo, item carnalis omnis cultus, quem caro per sese simulat tangere istud Magdalenae est. At hunc carnalem cultum damnat, sicut et saepe alias, et subiicit, ibi se demum contingendum esse, ubi ad patrem ascenderit. Tangimus autem fide, et colimus eo cultu, quem ipse in nobis efficit. Nam ideo moritur, resurgit, ascendit Christus, ut omnia impleat, et regnet in omnium cordibus, quod in corporali regno ne potest quidem fieri. Sicut et supra de regno suo loquitur Ioann. XII., cum et illic somniarent corporale regnum: Nisi granum frumenti cadens in terram etc.; item: Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me.

Noli me tangere, id est, tangi non possum nisi ascendero ad patrem, id est, tunc me fide tangetis.

Dic eis, scilicet, hoc novum regnum futurum esse, et in hoc me resurrexisse, ut ascendam.

Pax vobis, sicut misit me pater.

Christus primum ipsis Apostolis Evangelium praedicavit, cum pacem offert, et Spiritum sanctum confert. Nam Evangelium est praedicatio pacis, hoc est, quae conscientiam exhilarat, Rom. V.: Iustificati ex fide pacem habentes etc. Deinde mittit Apostolos Evangelium praedicaturos, atque ita declarat, cur passus sit, cuiusmodi regnum suum futurum sit; quemadmodum Lucae ult. ait, poenitentiam praedicari in nomine eius etc. Sicut misit me pater, sic ego mitto vos, id est, quae

mea verbi autoritas fuit, eadem sit vestra. Sic mitto vos, scilicet, ut remittatis peccata et ligetis impios, ut iudicetis mundum et remittatis peccata.

Quorum remiseritis peccata.

Cur ait, Quorum remiseritis, quasi vero penes Apostolos sit remittere etiam iis, quibus non remittit Deus? Respondeo: Sic locutus est Christus, ut certas redderet conscientias, certum esse, quod Deus remittat, ubi verbo evangelizantis credideris. Revocavit conscientiam ad respiciendum verbum eius. Qui Evangelium nunciat, ne quaerat aliud vel signum, vel miraculum, quo certior fieret de remissione peccatorum, praeter ipsum verbum. Et huius quidem non vult requiri aliud verbum, qui annunciat Evangelium. Est ergo haec sententia: Vestrum Evangelium verbum Dei est; qui verbo vestro credent, illi Deo credent. Qui vestro verbo credent, sciant, se nihil falli, sciant, se certo consecutos remissionem peccatorum. Haec de forma loquendi. — Porro, Evangelium duo complectitur, absolvere et ligare. Absolvit quibus peccata remittit, sive publice sive privatim pronuncietur. Quanquam baptizari nos voluit Christus, ut eo signo confirmetur fides: ita privatim pronunciari voluit Evangelium, seu privatim absolvi nos, ut conscientiam confirmaret, audientem de se ferri sententiam divinam. Ligat Evangelium et publice et privatim. Publice cum omnes impios qui contemnunt, iudicat. Privatim vero ligat, quos ex Ecclesia reiicit, iuxta regulam praescriptam Matthaei XVIII.

Caput XXI.

Postea manifestavit se iterum.

Sicut supra apparet Christus lugentibus et metu anxiis, ita hic apparet misere laborantibus. Neque enim cognoscitur Christus, nisi ab iis, qui ablactati sunt et avulsi ab uberibus, sicut Esaias XXVIII. ait, hoc est, qui non fidunt brachio ulli carnis.

Et illa nocte nihil prendiderunt.

Quod isti tota nocte frustra piscantur, quanquam noluerit doctrinae vim indicare Christus, tamen omnino ad omnia referri potest, ut quicquid suscipimus fide geramus, fidentes, quod benedicendo Deo res successura sit. Sic Proverb. III.: In omnibus viis tuis cogita illum, et ipse gressus tuos diriget. Porro verbi conditionem et naturam indicare voluit. Nihil enim capitur, nisi Christi verbo; sicut et alias se vocat ostium, viam.

Dominus est.

Ex miraculo agnoscunt Christum, qui semper eventu tentationis confirmat fidem, sicut LXXXV. Psalmo dicit: Clamavi ad te, et exaudisti me, non est similis tui in diis.

Simon Ioannis, diligis me plus iis?

Quia Petrus peculiariter lapsus erat, ideo propria consolatione restituendus erat. Quidam sic argumentantur: Christus interrogat, plusne diligat reliquis, ideo illi plus caeteris commendavit. Respondeo: Quia agitur de consolando et erigendo Petro, et hoc loco est expressa remissio peccati Petri, eo referendum est hoc: Plus his. Recte enim cohaerent haec: Petre, plus diligis his, ergo plura tibi remissa sunt. Et Christus volens eius conscientiam confirmare, admonet eum suae sententiae: Cui minus dimittitur, minus diligit, Lucae septimo, quasi sic dicat: Confide si diligis, remissa sunt peccata.

Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: Amas me.

Docet item, quales oporteat esse pastores, nempe qui diligunt[1]) dominum, item quam oporteat esse probatos. Ter enim interrogat Petrum, et tertio fidem eius labefacit. Nam fides est sentire, quod accepti simus Christo. Et Christus sic interrogat, quasi male sentiat de Petro; quod ubi ille sentit, iam nutare incipit, sed respirat tamen. — Cum iunior esses, cingebas te, et ambulabas quo volebas, id est, vivebas in iusticiis carnis et pro tuo arbitrio. — Extendens manus tuas, id est, expectabis ab alio. Et ducet te, quo non vis, id est, ad crucem.

Domine, hic autem quid?

Propositum est exemplum respicientium alienam vocationem et aliena opera, et praecipitur,

[1]) Tub. *diligant.*

ut nostram vocationem sequamur, et sequamur quidem Christum, i. e. respiciamus illum tantum, et sentiamus illum esse, qui salvet. — Quid ad te? scilicet, quicquid de eo facturus sum. — Tu me sequere, i. e. ne respice alios. — Et scimus, quia verum est testimonium eius. Hic locus pro autoritate Apostolorum est, contra impios homines, qui et Apostolos homines fuisse iactitant, sicut supra cap. XV.: Vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.

HALIS

TYPIS EXPRESSUM GEBAUERIIS.